

DECRETA AUTHENTICA

CONGREGATIONIS

SACRORUM RITUUM

EX ACTIS EIUSDEM COLLECTA

CURA ET STUDIO

ALOISII GARDELLINI

Editio Tertia

NOVISSIMIS LOCUPLETATA EIUSDEM S. CONGREGATIONIS DECRETIS
USQUE AD ANNUM 1856.

Vol. I.

AB ANNO 1588. NUM. 1. USQUE AD 20. NOVEMBRIS 1677. NUM. 2849.



ROMAE

TYPIS S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE

—
MDCCCLVI.

DECRETATA AUTHENTICA
CONGRÉGATIONIS
SACRORUM RITUM

EX ACTIS EUSDEM COLLECTA

OPUS IN STUDIO

ALONSI GARDILLI

Ordinis Sacerdotum

INSTITUTIONIS LITURGICAE S. ROMANAE ET CONGRÉGATIONIS DECRETATA
LITURGIÆ AD ANNUM 1864



1969/619

CCE 001 - 1 (3)

HOMAE

MDCCLXVI

LECTORI BENEVOLO

Digestam a viro clarissimo Aloisio Gardellino Decretorum authenticorum S. Rituum Congregationis Collectionem quanto rerum liturgicarum cultores in pretio habeant, illud apprime demonstrat, quod licet brevi annorum spatio bis Romae publicam lucem adspexerit, ipsius tamen exemplaria adeo defecerint, ut vix rarissime eadem in commercio reperiri contingat. Nemini sane id mirum videbitur nisi in scientia SS. Rituum adeo sit hospes ut ne nomen quidem Gardelliniana Collectionis unquam audierit. Qui vero non ignoret amplissima in hac praediviti Collectione praesto haberi subsidia ad rituales Ecclesiae leges intime perscrutandas, et dubia, si quae forte circa illas emergant, opportune definienda, eandemque insuper tanta auctoritate pollere ut omnimodam in iudiciis sibi vindicet fidem, is, omni admiratione deposita, quibus ex causis commune profluat desiderium Operis huius possidendi facile intelliget, inquit a nobis consilium hac nova, quam exhibemus, editione communibus obsequendi votis aequi bonique faciet.

De qua editione ut pauca, iuxta receptum morem dicamus, quod ipsi in ea concinnanda praestiterimus, vel praestare in animo habeamus breviter referre iuvabit.

Animadvertentes imprimis Commentaria in Instructionem Clementis XI iussu editam pro solemnibus Sanctissimi Sacramenti expositione in Urbis Ecclesiis peragenda, quae Gardellinius ad instar appendicis volumini VI suae Collectionis adiecit, ad Decreta authentica S. R. Congregationis nullimode pertinere, sed opus a Collectione prorsus distinctum constituere, haud incongruum duximus eadem Commentaria seorsim a Collectione imprimere, ne qui hanc tantum comparare velit, et illa invitum acquirere cogatur aut vicissim.

Collectionem vero quod attinet, operae pretium existimavimus eidem ordinatim inserere antiquiora illa S. Congregationis decreta, quae cum serius Gardellinio innotuissent, amandare ipse debuit supplementi loco ad calcem Voluminum II et VII. Quod si ob hanc insertionem numerica decretorum series, quam praecedentes editiones exhibent, diversimode a nobis ordinanda fuit, inde tamen nullam in decretis sive allegandis, sive inquirendis ambiguitatem oriri posse nemo non videt. Compertum siquidem omnibus est in laudandis S. Congregationis decretis ex recepto usu parum vel nihil attendi numeros iisdem decretis in Collectione tributos, bene vero duplicem notam tum Dioeceseos ad quam spectant, tum temporis quo lata fuerunt, adeo ut, utraque nota praehabita, quodcumque decretum absque ullo labore reperiri illico possit.

Solliciti insuper, ut praesens editio communibus eorum votis qui rei liturgicae student cumulatissime respondeat, decretorum S. R. C. thesaurum quem Gardellinius

usque ad annum 1826 perduxit, et post eius mortem Iosephus De Ligne usque ad annum 1848 continuavit, nova accessione locupletare statuimus, qua decreta postremis hisce annis ab eadem S. Congregatione hucusque lata diligentissime complectemur.

Rem denique utilem nos facturos speravimus si retento in singulis voluminibus Indice Dioecesium ac Decretorum, prout in praecedentibus editionibus factum fuisse videmus, seiunctos rerum et materiarum indices, quos non sine lectorum incommodo veteres exhibent editiones, in unum generalem Indicem ad calcem postremi voluminis colligeremus.

Haec pauca de qualicumque a nobis adhibita industria in hac nova Gardelliniani Thesauri editione paranda dixisse sufficiat.

Unum superest ut lectores moneamus, praesentem scilicet editionem sub auspiciis ac tutela prodire S. Rituum Congregationis, iisdemque propterea privilegiis eademque auctoritate potiri ac duae quae praecesserunt Romanae Editiones, prout ex recenti ipsius S. Congregationis decreto sub die 16 Februarii vertentis anni 1856 apertissime patet.



DECRETA S. R. C.

TERTIAE HUIC EDITIONI PRAEMITTENDA

DECRETUM I.

In hac Congregatione fuit decretum, quod in futurum non liceat imprimere Decreta emanata per hanc S. C. sine licentia eiusdem Congregationis in scriptis obtinenda, sub poena ducatorum centum auri de Camera ipso iure per impressores incurrenda. Quod si in aliis operibus iam impressis reperiantur allegata Decreta huius S. C. nulla fides eis adhibeatur, nisi fuerint subscripta a Secretario dictae Congregationis. Die 14. Februarii 1632.

Ita reperitur in Regestis Decretorum existen. in Secretaria Congregationis Sacrorum Rituum. In fidem etc.

Loco ✠ Sigilli.

I. DE CARPINEO S. R. C. SECRETARIUS.

DECRETUM II.

Exhaustis dudum exemplaribus tam primae quam secundae Romanae Editionis Decretorum Authenticorum Sacrorum Rituum Congregationis ab Aloisio Gardellino collectorum, quum novam eundi editionem liturgicae scientiae cultores passim expostulent, eadem Sacra Rituum Congregatio in Ordinario huius diei Coetu ad Vaticanum habito postulationibus huiusmodi satisfacere volens, benigne indulset, ut curante ac dirigente me subscripto Secretario, typis Sacrae Congregationis Christiano nomini propagando praepositae rursus in publicam lucem proferri possit praefatorum Decretorum collectio a Gardellino digesta, et a Iosepho De Ligne usque ab annum 1848 continuata, venia insimul facta eruendi ex suae Secretariae Regestis posteriora huc usque lata Decreta, iisque praedictam Collectionem locupletandi. Indulset insuper ut nova haec editio iisdem privilegiis, eademque auctoritate gaudeat ac duae praecedentes Editiones: salvo in Reliquis Decreto diei 14. Februarii 1632., quo cautum fuit, ut nemini sine licentia eiusdem Sacrae Congregationis in scriptis obtinenda sub poenis ibidem expressis ipsius Sacrae Congregationis Decreta imprimere liceat. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 16. Februarii 1856.

C. Episcopus Albanen.

CARD. PATRIZI S. R. C. PRAEF.

Loco ✠ Sigilli.

H. CAPALTI S. R. C. SECRETARIUS.

SACRORUM RITUUM STUDIO SIS

MONITUM

PRIMAE EDITIONI PRAE MISSUM.

*P*eropportunum, imo etiam plurimis necessarium iamdudum videbatur, ut singula quaeque Sacrorum Rituum Congregationis Decreta ex Actorum Codicibus fideliter diligenterque deprompta, et simul collecta in vulgus ederentur. Quae enim in aliquorum Auctorum Operibus reperiuntur, praeterquamquod publicae auctoritatis notam prae se minime ferunt, ita ut demum certam merentur fidem ubi ostensum sit in eiusdem Sacrae Congregationis tabulis reapse existere; haec etiam neque omnia, neque integra sunt, sed plerumque vel Decreti summarium, vel simplex a dubii, factive specie proposita avulsum Rescriptum exhibet, ut tamquam regula generalis sumi aliquando possit; quod locum tantummodo habet in casu peculiari. Quae sane incommoda etiam occurrunt in iis, qui negotium sibi dedere eadem Decreta in unum colligendi volumen: nam hi etiam, ut brevitati consulere, compendioso usi sunt calamo. Quamobrem cl. mem. Cardinalis Archintus cum Sac. Rit. Congregationi esset Praefectus, hortator, suasorque mihi pluries fuit, ut opus hoc in me susciperem, ut scilicet ex eiusdem S. Congregationis Actis Decreta quaeque exscriberem, eaque non ex parte, sed ex toto in lucem proferrem. Quod quidem perlibenter egissem, ut quisque intelligere facile posset, quae revera Sac. Congregationis Decreta, quique singulorum genuinus sit sensus, utque etiam vel in controversiis dirimendis, vel in expediendis quaestionibus dubiisque aperiendis, quae ad Sac. Congregationem afferrentur, non Acta semper consulere oporteret. At tunc neque Amplissimi Cardinalis optatis respondere, neque collectionem hanc efflagitantium votis facere satis potui; siquidem opus laboris ac molestiae plenum aggredi nunquam per ocium licuit. Deinde vero cum aliquod temporis spatium ab reliquis curis vacuum nactus essem, operi manum statim admovi, ac paullatim tandem perfeci. In quo non levi mihi adiumento fuit expertissimus, ac diligentissimus Sacerdos Vincentius Benucci Secretariae Congregat. Sac. Rit., ut aiunt, Substitutus, quem dum occasio ferebat Acta evolvendi, Codices lustrandi, aliquid ex authenticis locis explanandi, promptum semper, paratumque inveni. Plura tamen observabantur obstacula, quae ab perfecti iam operis editione me retrahebant: sed excitatus tandem fui auctoritate Emi et Rmi D. Cardinalis de Somalia eidem S. C. Praefecti, qui et sustulit impedimenta, et quae necessaria erant media comparavit.

Haec autem Decreta nonnullis adornare adnotationibus primo constitueram, sed plura me postea a proposito revocarunt. Nam plurimis curis, et occupationibus, quas secum fert mei officii ratio, distentus, in aliud tempus Operis editionem reiicere debuissim, cum tamen undique, maxime vero ab Emo Praefecto ad id urgerer. Ad hoc Operis moles iam praegranda, plus nimio fortasse crevisset, si vel breves, vel paucas adnotationes adiecissim. Denique Sac. Rit. Decreta per se tam clara, et aperta sunt, ut explanatione nequaquam indigeant, et si quae forte indigere videantur, ea quisque explicata reperiet ab pluribus doctissimis Viris, qui eruditis commentariis haec eadem illustrarunt, atque in primis P. Ioannes Michael Cavalerius de Sacra S. Augustini Familia.

Neque vero me latet vetus illa querela, quod nonnulla Sac. Rit. Congregationis Decreta tamquam inter se pugnantia aliquando videantur. At si modo sint, numero sane pauca haec sunt, imo etiam pauciora reperientur, ubi quis casuum, rerum, locorum, ac temporum rationes attente perpendat. Sint tamen, num idcirco S. Congregationem sibi non constare dicendum est? Nihil certe minus, sed tantummodo eandem progressu temporis in aliam abiisse sententiam, quam posterioribus rationum momentis suffultam comperiit. Caeterum si quando huiusmodi Decreta occurrunt, posterius semper praevalet, eique standum omnino est.

In hoc porro Opere Decreta omnia colligenda curavimus ab anno 1602: (1) quo coeptum est in authenticis tabulis ea exscribere ad proximum usque annum 1807., et si quae alia prodierint antequam postremum volumen suum habeat complementum. Excipe tantum nonnulla, quae brevitatis causa praetermittenda censuimus, cum praesertim res spectent sexcenties iam statutas. Ex hoc quidem numero sunt quae agunt de praelatione Vicariorum cum Generalium, tum Capitularium prae Canonicis, de regulis servandis tam cum iisdem Vicariis, quam cum Protonotariis Apostolicis titularibus, qui, Canonici cum sint, Choro, Processionibus, aliisque ecclesiasticis functionibus interesse volunt aut Vicariali aut Protonotariorum habitu induti, de Vicariis Foraneis nullo modo caeteris Presbyteris Sacra ordinatione antiquioribus praeferendis, de ratione spectanda in Ecclesiis sive Cathedralibus sive Collegiatis, in quibus Ordines distincti non sunt, de Purochis defunctorum cadavera ad Ecclesias Regularium deferentibus, de Sodalitatibus, et Religiosis Familiis ad funera vocatis, deque aliis huiusmodi controversiis, de quibus pene innumera extant Decreta, quorum tamen si plura omittuntur, non pauca tamen hic proferuntur.

Postremo monemus, Decreta haec omnia non solum ex Sac. Rit. Congregationis tabulis fuisse exscripta, verum etiam denuo cum iis ipsis collata, ubi edenda erant. Quinimmo, ut quisque certo comperiat ita omnino esse, ad cuiusque voluminis calcem Illmi ac Rmi D. a Secretis eiusdem Congregationis testificationem apponemus, ut nullus de eorum fide, et veritate dubitandi locus relinquatur. Quod si aliquis interdum, vel syntaxis, vel etiam grammaticae error in quibusdam ex hisce Decretis comperiat, sciat Lector hos de industria non fuisse emendatos, quo certior etiam esse possit de nostra et diligentia, et fidelitate in iis proferendis.

(1) *Post ea quae in nostra praefatione monuimus, nemo mirabitur, quod in praesenti editione initium collectionis duxerimus non ab anno 1602., sed ab anno 1588.*

INDEX

DIOECESUM ET DECRETORUM.

A

Abbreviatorum de Parco Maiori 2052.

Abulen. 32. 142. 405.

Abusus 1432.

Abusus reformandi 669.

Acernem. 959. 1184. 1192. 1291. 2373.

Acheruntina 122. 132. 894.

Adiacen. 1442. 1456. 1494. 1903. 1951.

Aesina 157. 166. 189. 1128. 1213. 1346. 1489. 1532. 1672. 1702.

1709. 1716. 1717. 2035. 2072. 2078. 2332. 2496. 2525. 2588.

Agathae (s.) Gothorum 362. 766. 865. 939. 1257. 1284. 2327.

Agrigentina 64. 1718. 1939. 2660.

Alana 982.

Alatrina 980. 1878.

Albanen. I. 704. 1003. 1103. 1223. 1294. 1295. 1296. 1507. 2512.

Albinganen. 214. 1457. 1788. 1940. 2004. 2167. 2188. 2235. 2278.
2307. 2424. 2743. 2754. 2825.

Alecina 100.

Alerien. 1754.

Alexandrina 232. 374. 826. 937. 1798.

Alexanen. 1915. 2104. 2484.

Algaren. 1315. 2320.

Aliphana 2279.

Altamurae Nullius 259.

Amalpitana 612. 2079. 2105. 2746. 2756. 2836.

Amerina 1209.

Ampurien. 1323.

Anagnina. 640. 1530. 1624. 1797.

Anconitana 787. 1303. 2331. 2353.

Andegaven. 2675.

Andrien. 153. 190. 252. 286. 373. 432. 551. 776. 795. 811. 936.

1813. 1840. 1848. 1853. 2127. 2527. 2603. 2617.

Andrien Funeralium 913.

Angelopolitana, sive Angelorum in Indiis 2073. 2542.

Anglonen. 1140.

Angren. 1931.

Antuerpien. 417.

Aprutina 872. 1149. 1240. 1677.

Aquen. 1118. 1127.

Aquilana 47. 530. 1394. 1405. 1631. 1799. 2036. 2045. 2254. 2337.

2339. 2349. 2402. 2575. 2661. 2736.

Aquilegien. 963. 981. 1208.

Aquileien. 95. 96. 138.

Aquileiae 701. 703.

Aquinaten. 724. 1568. 2308.

Aquipendien. 2288. 2429. 2532. 2799. 2837. 2838.

Arben. 792.

Arboren. 428. 433. 1239. 2762.

Aretina 421. 452. 481. 1017. 1333. 1932. 2071. 2134. 2239.

2287. 2445.

Aretina iuris deferendi Crucem 2263.

Aretina Montis S. Savini 487.

Arianen. 812. 1126. 1171. 1229. 1664. 2807.

Ariminen. 85. 254. 389. 943. 991. 1129. 1261. 1473. 2053. 2218.

2556. 2601. 2734. 2737.

Ariminen praecedentiae 2818.

Asculana 288. 333. 336. 627. 721. 741. 798. 802. 963. 999. 1062.

1374. 2106. 2122. 2186. 2264. 2271. 2289. 2623. 2633. 2646.
2662. 2769.

Asculana in Apulia 422. 1952. 2023. 2080. 2685.

Assisien. 801. 808. 1000. 1053. 1054. 1150. 1151. 1230. 1344.
1618. 2507. 2798.

Asten. 126. 176. 277. 329. 392. 1262. 1646.

Atissen. Nullius. 298.

Atrebaten. 1119.

Audomaren. 1534. 2677. 2686.

Avellini 734.

Avenionen. 425. 1500. 2557. 2613. 2618. 2624.

Aversana. 33. 779. 949. 1260. 1889. 2018. 2458. 2576.

Augustana 281. 350. 636. 646. 2296.

Aurien. 75.

Austria 82.

Auxinana 1165.

B

Baldachinis (de) Abbatum 1516.

Balneoregion. 1231. 1385. 1773.

Barbastren. 55. 319. 564. 1008.

Barchinonen. 400. 960. 2019. 2151. 2558. 2728.

Baren. 86. 289. 366. 506. 610. 791. 925. 979. 1130. 1546. 1549.

1586. 1589. 1854. 2302. 2394. 2604. 2676. 2826. 2839.

Barnabitarum 237.

Bavariae 51.

Belgia 845.

Bellicastren. 1459. 1612.

Bellunen. 674.

Beneventana II. 27. 39. 127. 261. 1049. 1063. 1144. 1468. 1528.

1597. 1598. 1599. 1603. 1719. 2123. 2514. 2515. 2522. 2534.

2534. 2570. 2577. 2663.

Bergomen. 730. 751. 1422. 1518. 1526. 1986. 2169. 2290.

Bertinoren. 326. 729.

Bisaccien. 1916.

Bisintianen. 394. 1263. 1275. 1665. 1953.

Bisuntina 25. 295. 954.

Bitetten. 1386. 1406. 2382.

Bituntina 149. 367. 950. 1071. 1104. 1142. 1199. 1814. 1820.

1904. 1987. 2107. 2124. 2280. 2497. 2755. 2805. 2806.

Bobien. 2168.

Boianen. 337. 338. 863. 1099. 2054. 2517.

Bononien. 231. 376. 515. 550. 782. 873. 946. 2005. 2386. 2489.

2508. 2535. 2578. 2729. 2781.

Bononien. praecminentiarum 2528.

Bosnen. 1592.

Bosnen Kalendarii 1520.

Bossanen. 1443.

Boven. 182. 2303.

Bovinen 2024.

Bracharen. 235. 238. 322. 345. 354. 368. 370. 617.

Bragen. 101.

Breviario (de) Monastico 1517.

Breviarii Romani 827.

Brixien. 40. 273. 523. 1152. 1198. 1395. 1458. 1964. 523.

Brixinen. 1070.

Brugnaten. 2437. 2471. 2654.

Brundusina 94. 187. 268. 275. 301. 316. 444. 462. 482. 532.

- Brundusina 533. 545. 725. 770. 888. 1065. 1105. 1112. 1113. 1114.
1141. 1143. 1172. 1271. 1279. 1281. 1334. 1760. 1941. 2813.
- Brundusina Dubiorum. 687.
- Brundusina Messapiae 465.
- Burdegalen. 784.
- Burgen. 245. 385. 631. 756.
- Burgi S. Domini 718. 2158.
- Burgi S. Sepulchri 809. 1210.
- C
- Caballicen. Insulae 510. 529.
- Caesaraugustana 45. 310. 391. 447. 534. 732. 2697.
- Caesaraugustana de Doroca 468. 479. 502.
- Caesenaten. 131. 1600. 1623. 1744. 1774. 1955. 1972. 2720.
- Caesenaten. praecedentiae 2655.
- Calacen. 1325. 1414.
- Caietana 463. 563. 735. 1254. 1679. 1684. 1685. 1686. 1861. 1890.
1942. 1956. 2516.
- Calaguritana 56. 85. 73. 102. 200. 209. 364. 495. 589. 648. 855.
883. 902. 1412. 1417. 1460. 1590. 1698. 1789. 1833. 1917.
1933. 2297.
- Calaguritana praecminentiarum 2273. 2433.
- Calaritana 54. 156. 162. 828. 1035. 1519. 1558. 1720. 1735. 1770.
- Calaritana in Sardinia 606.
- Callien. 258. 683. 1660. 1743.
- Cameracen. 371. 641. 952. 1306.
- Camerinen. 372. 383. 1106. 1116. 1145. 1211. 1322. 1307. 1340.
1345. 1474. 1485. 1543. 1547. 1625. 1781. 1811. 2020. 2040.
2255. 2396. 2579.
- Camerinen. praecedentiae 2291.
- Campanae seu Campanien. 1243. 1407.
- Camplen. 450. 2069.
- Canarien. 76. 1478. 1918. 2265.
- Candiae 430.
- Cappuccinorum 556. 570. 600.
- Capuana 348. 360. 555. 805. 842. 1193. 1626.
- Caputaquen. 497. 693. 748. 1242. 1272.
- Carcas Regni Perù 688.
- Carmelitarum Discalceatorum. 290.
- Carpen. 386.
- Carpentoraten. 118. 2472.
- Casalen. 396. 494. 544. 577.
- Casertana 651. 652. 1056. 1139. 1156.
- Cassanen. 690. 757. 1241. 1508. 1552. 1584. 1615. 1622. 1687.
1705. 1790. 2021.
- Castellaneten. 605. 680. 712. 896. 897. 898. 1005. 1091. 1265.
1305. 1375. 1415. 1475. 2135. 2404. 2536.
- Castiliae et Leonis 165. 213.
- Castren. 2403.
- Castri Durantis 696. 699.
- Castri Maris 143. 686. 819.
- Catacen. 692. 1408. 1495. 1649. 1784. 1785. 1821.
- Catanien. 914. 1277. 2219.
- Catanien. Civitatis Platiae 576
- Catanien. Terrae Aidonis 2236.
- Catanzaren. 499.
- Caucien. 1304.
- Cavallicen. praecminentiarum 2647.
- Caven. 1155. 2202. 2272. 2298. 2447. 2738. 2748.
- Caurien. 1335.
- Cedonen. 903.
- Cefalonen. 797.
- Ceneten. 584.
- Ceneten. Oppitergii 500
- Chilen in Indiis 426.
- Civitaten. 940.
- Civitaten. seu S. Severi 440.
- Civitatis Castellanae 590. 1002. 1131. 1264. 2334.
- Civitatis Castellanae Oppidi Arignani 552.
- Civitatis Castellae (Tiphernat.) 43. 50. 128. 205. 895. 998. 1020.
1042. 1683. 1100. 1557. 1696. 1683. 1701. 1707. 1721. 1761.
1919. 1943. 1973. 2108. 2201. 2705. 2739. 2770. 2809.
- Civitatis Ducalis 1944. 1957.
- Civitatis Lavilli 2337.
- Civitatis Massae 2316.
- Civitatis Pennae 192.
- Civitatis Plebis 1538. 1775. 2037.
- Civitatis Potentiae 2840.
- Civitatis Quenchaee 2417.
- Civitatis Theatinae 2415.
- Clusina 1317.
- Collen. 575. 2383. 2513. 2776.
- Colonien. 719. 1945.
- Colymbrien. 1791. 2152.
- Comen. 4. 7. 48. 49. 62. 97. 225. 1292. 1461. 1569. 1683. 1637.
1727. 2055. 2074. 2211.
- Comen. juris Parochialis 2827.
- Comen. Valcuviae 438. 518.
- Compostellana 233. 234. 546. 720. 2749.
- Conchen. 90. 553. 572. 1115. 1181. 1862. 2602.
- Congregationis Camaldulensium 966.
- Congregationis Cassinensium 2056.
- Congregationis Cisterciensium 2730.
- Congregationis Coelestinorum 1905.
- Congregationis Missionis 1212.
- Congregationis Olivetanorum 804.
- Congregationis reformatae S. Bernardi Ordinis Cisterciensium 2138.
- Congregationis Tullen. 1166. 1167.
- Congregationis Vallisumbrosae 2041.
- Conimbricen. , seu Coimbricen. 155. 180. 198. 206. 325.
- Consana 632.
- Constantien. 1072. 1632.
- Conversana 84. 582. 1253. 1690. 1879. 1920. 1946. 2006. 2025.
2434. 2438. 2448. 2490. 2524. 2814.
- Conversana seu Firmana vel Nullius Terrae Putignani 2763.
- Corcyren. 369. 951.
- Corduben. 26. 87. 2469. 2656.
- Corduben Rubricarum 2594.
- Cornetana 103. 1671.
- Corropolitana Nullius 300.
- Cortonen. 248. 882. 1551.
- Cotronen. 810. 1638.
- Cracovien. 1224.
- Cremonen. 170. 1064.
- Cremonen. 457. 585. 1023. 1413. 1426. 2405. 2431. 2439. 2568. 2696.
- Curzulen. 2502.
- Cusentina 9. 46. 247. 484. 915. 1185. 1316. 1503. 1594. 1709.
1891. 1992. 2203. 2237. 2238. 2306. 2309. 2314. 2430. 2567.
2625. 2740. 2783. 2784. 2808. 2828.
- D
- Dalmatarum 2240. 2241. 2281.
- Declaratio Decreti super cultu Beatis adhuc non canonizatis praestando 2046.
- Decretum 1653. 1654.
- Decretum de Orationibus fieri solitis ab Advocatis Consistorialibus in Consistoriis publicis 893.
- Decretum de Patronis in posterum eligendis 852.
- Decretum generale 2488. 2505.
- Decretum generale super Regularibus 1934.
- Decretum generale circa usum Pontificalium Praelatis Epi-

scopo inferioribus a S. R. C. habita coram SS. D. N. Alexandro PP. VII. emanatum 2003.
Decretum generale super celebratione Missarum pro defunctis 2177.
Decretum super celebratione dedicationis Ecclesiae Cathedralis 2159.
Decretum de non celebrandis Missis privatis pro defunctis in festo duplici 2178.
Decretum generale super declaratione alterius Decreti generalis editi die 5. Augusti 1662. de non celebrandis Missis de requie in duplicibus 2385.
Decretum super cultu Beatis adhuc non canonizatis praestando 2002.
Dertonen. 1585. 1588.
Dertusen. 742. 2406.
Dertusen. praecedentiae 1575.
Dertusen. iuris sedendi 2785.
Discalceatorum S. Augustini in Gallis 1337.
Drepanen. 1644.
Dubia 638.
Dubium 595. 829. 1398. 1437. 1452. 1485. 1487. 1491. 1501. 1509. 1609. 1619. 1834. 2081. 2170. 2179. 2189. 2634. 2800.
Dubium circa delationem Anuli 780.
Dubium de Coadiutore 675.
Dubium de praecedentia Gubernatorum cum Vicariis Episcoporum 23.
Dubium de Vicario generali 768.
Dubiorum Urbis 753.

E

Ecclesien. in Sardinia 1409.
Ecclesiis (de) Lateranensi et Vaticana 1447.
Egitanien. 147. 160. 161. 172. 197. 217. 218. 622. 848.
Elboren. 37. 41. 133. 171. 185. 203. 244. 257. 306. 318. 459. 466. 528. 548. 614.
Elven. 227.
Emonien. in Istria 1486.
Entomillien. 256.
Ephesina 1792.
Etruriae 2305.
Eugubina 246. 493. 1580. 1657. 1666. 1691. 1830. 1835. 2109. 2139. 2220. 2221. 2571. 2580.

F

Fanen. 357. 615. 781. 1132. 1204. 1308. 1537. 1692. 1736. 2110. 2347. 2435. 2761.
Faraonen. 2543.
Farfen. 2128. 2449. 2712.
Farfen. seu Nullius 1080.
Fassanen. Nullius 1958.
Faventina 201. 314. 361. 889. 1280. 1959. 2171. 2450. 2777. 2780. 2796.
Ferentina 1577. 1578. 1722. 1737. 1745. 2129. 2222. 2695.
Ferentina in Campania 1921.
Feretana 623. 1974. 2407.
Ferrarien. 408. 409. 476. 1168. 1235.
Festorum (de) observatione. 1444.
Festorum (de) translatione 1435.
Fesulana 774. 1133. 1810. 1869.
Firmana 184. 291. 490. 644. 1081. 1092. 1093. 1249. 1289. 1347. 1841. 1855. 2190. 2275. 2553. 2706. 2771. 2819.
Firmana terrae S. Victoriae. 554. 557.
Florentina 799. 916. 1309. 1535. 1570. 1746. 2350. 2469. 2635.
Forimpopoli 755.
Forolivien. 503. 1266. 1341. 1376. 1849. 1880. 1892. 2321.
Fosempromien. 643. 1935. 2099. 2130. 2144. 2626. 2741.

Fossanen. 1536. 1922. 2091.
Frisingen. 2600.
Fulginate. 388. 820. 1449. 1800. 1993. 2366.
Funcanen. 181.
Fundana 134. 1881. 1906. 1923. 1924. 1988.
Fundana Dubiorum 2694.

G

Gadicen. 173.
Galliarum 684. 773. 1012. 1842. 1907. 2007. 2143. 2340.
Gallipolitana 859.
Gebenen. in Sabaudia 2678.
Geneven. 2425.
Genuen. 1786.
Germaniae 681. 1553. 1961.
Gerunden. 2544. 2545. 2636.
Giennen. 104. 282. 745. 788. 1310. 1836.
Goana in Indiis 272.
Gotian. 207.
Granaten. 313. 378. 379. 413. 414. 1377. 1533. 1843. 1850. 2223. 2257. 2529.
Grassen. in Gallia 1396.
Grossetana 1378. 1436. 1510. 1540.
Guastallae 1947. 1960.

H

Hieracen 1013. 1173. 1177. 1311. 1427. 1450. 1502. 1771. 2460. 2473. 2821. 2841. 2842.
Hierosolymitana 1490.
Hipporegien. 1387. 1621.
Hispalen. 10. 21. 22. 194. 202. 264. 324. 710. 723. 821. 987. 989. 1029. 1048. 1313. 2224. 2351. 2585. 2664. 2811. 2812.
Hispaniarum 145. 266. 1095. 1801.
Hispaniarum Portigherii 395.
Hispaniarum S. Ioannis de Penia 478.
Hydruntina 68. 92. 460. 464. 485. 604. 619. 994. 1094. 1107. 1364. 1379. 1793. 2829.
Hymnorum 2145.

I

Iaen. 38.
Iacen. 398. 399. 1868.
Iadren. 561. 2537. 2732.
Ianuen. 601. 670. 672. 728. 749. 750. 760. 775. 786. 1146. 1169. 1356. 1445. 1605. 1613. 1738. 1776. 2082. 2083. 2282. 2341. 2408. 2451. 2559.
Ilderden. 220. 344.
Imolen. 659. 762. 1120. 1157. 1158. 1186. 1312. 1503. 1573. 2185. 2560. 2731. 2744. 2750. 2787. 2788.
Imolen. Aspersorii 2687.
Incerti loci 860. 944. 945. 947. 971. 1187.
Incerti loci Mediolanen. 830.
Indiarum 2197. 2782.
Interamnen. 716. 824. 1044. 1194. 1282. 1401. 1893. 1862. 1975. 1998. 2820.
Iosephi (s.) 598.
Isclana 1582.
Isernien. 667. 761. 771. 783. 926. 927. 928. 964. 967. 995. 1024. 1318. 1747. 1856. 1863. 1969. 2035.
Itri 713.
Iustinopolitana 1030. 1031. 1034. 1153.
Iunenacen. 135. 363. 1134. 1909. 1936. 2786.

L

Labacen. 2172. 2315. 2335.
Lamacen. 199. 284. 339. 346.

Lancianen. 917.
 Laritana 1766.
 Laudan. 212. 1221. 1658. 1728. 2146. 2153. 2173. 2204. 2491.
 2566. 2707. 2779.
 Laudunen. 1348.
 Lavellen. 1680.
 Lauretana 20. 88. 148. 216. 308. 402. 1214. 1250. 1255. 1297.
 1729. 2111. 2387. 2409. 2674. 2698. 2815.
 Legionen. 144. 280.
 Leodien. 1556. 1859. 1870. 1908. 2187.
 Lesinen. seu Pharen. 2627.
 Licien. 255. 918. 1022. 1228. 1336.
 Licien. seu Minorum Observantium Reformatorum 1328.
 Limana 970. 2180. 2413. 2414.
 Limana in Indiis 599.
 Lotharingae 2181.
 Lubecen. 1802. 1803.
 Lucana 668. 871. 972. 1004. 1014. 1016. 1096. 1154. 1678. 1777.
 1815. 2112. 2346. 2352. 2359. 2367.
 Lucerina 240. 382. 543. 559. 1894. 2546. 2751.
 Lucerina praecedentiae 2418.
 Lucerina praecipua 2708.
 Lucerina in Apulia 2713.
 Lugdunen. 1462. 1521. 1723.
 Lunen. Sarzanen. 72. 1164. 1195. 1370. 1463. 1664.
 Lunen. Sarzanen. praecipua 1404.

M

Maceraten. 418. 864. 1380. 1804. 1925. 2160. 2182. 2266. 2365.
 Maiorice. 1046. 1451. 1469. 1606. 1633. 1646. 1693. 1694.
 2419. 2480. 2526. 2572. 2637. 2679. 2699. 2789. 2817. 2843.
 Maiorice. caeremoniarum 1650.
 Manfredoniae 2465. 2659.
 Manilien. in Philippinis 629.
 Mantuana 81. 243. 323. 1037. 2388. 2772. 2822.
 Marci (s.) 1477. 1523. 2487. 2832.
 Marianen. 1418. 1496. 1871. 1963. 2589.
 Marsicana 1688. 1755. 1872. 2322.
 Martini (s.) 1036.
 Marturanen. 611. 2336.
 Marugien. Nullius 183. 186.
 Massae in Umbria 625.
 Massae Lubrensis 2125. 2154.
 Massen. 1545.
 Materen. 453.
 Matheranen. 387. 492. 957. 1397. 1964. 2008. 2446.
 Marteranen. 929. 930. 938.
 Matriti 822.
 Mazzarien. 620. 877. 1423. 1504. 1976. 2086. 2155.
 Mediolanen. 52. 221. 342. 1361. 1368. 1389. 1448. 1484. 1576.
 1647. 1714. 1715. 1730. 1756. 1778. 1794. 1795. 1860. 2057.
 2092. 2212. 2258. 2323. 2423. 2605. 2628. 2638. 2764. 2790.
 Mediolanen. Desii 241.
 Melevitana. 1083. 1117. 1121. 1476. 2590.
 Meliten. 18. 327. 602. 1101. 1108. 1595. 1642. 1659. 2242. 2368. 2466.
 Meliten. praecedentiae 2721.
 Melphien. 168.
 Melphiten. 695. 823. 1273. 1740. 2243. 2380. 2467. 2586.
 Messanen. 152. 591. 603. 752. 1032. 1109. 1381. 1464. 1748.
 1762. 1882. 1965. 2058. 2093. 2378. 2426. 2481. 2569. 2830.
 Mexicana 93. 496. 583. 2844.
 Minerbien. 299. 1651. 1895. 2299.
 Minerbinen. 1511.
 Miniati (s.) 1075. 1838. 1886. 1898. 2175. 2232. 2251. 2268. 2683.
 2710. 2833. 2834.
 Minorum Conventualium 1215.

Minorum Regularis Observantiae 542.
 Miranden. 91. 105.
 Mirandulae 658.
 Missalis Romani 1007.
 Molfetana 754. 758.
 Monacorum Olivetanorum 793.
 Monopolitana 215. 571. 616. 965. 973. 974. 1073. 1082. 1267.
 1301. 1607. 1639. 1640. 1681. 1730. 1767. 1768. 1822. 1823.
 1896. 2161. 2183. 2283. 2440. 2498. 2521. 2538. 2606. 2607.
 2619. 2639. 2714. 2778.
 Montis Falisci 1667. 2688.
 Montis Feltri 2213.
 Montis Pelusii 119. 204. 1188. 1245. 1246. 1388.
 Montis Politiani 2348. 2379.
 Montis Regalis 347. 714. 1084. 1824. 1837. 2113. 2131. 2191.
 2198. 2225. 2509.
 Montis Regalis Provinciae Taurinen. 2420.
 Montis Serrati Nullius Provinciae Tarraconen. 375.
 Montis Virginis 1629.
 Motulen. 2452. 2453.
 Murana 2518. 2530. 2539.
 Mutinen. 222. 890. 2474.

N

N. 1655.
 Narnien. 271. 856. 1355. 1883. 2009. 2047. 2059. 2501. 2614. 2801.
 Narnien. S. Gemini 498.
 Nationis Anglicanae 1314.
 Nationis Scotorum 2794.
 Naxien. 2226.
 Neapolitana 77. 78. 343. 455. 526. 531. 634. 1018. 1135. 1225.
 1251. 1290. 1492. 1497. 1542. 1864. 1926. 1937. 1966. 1982.
 1990. 2042. 2096. 2136. 2156. 2205. 2457. 2461. 2482. 2595.
 2608. 2629. 2648. 2680. 2681. 2700. 2727. 2757. 2791. 2810.
 2846.
 Neapolitana praecipua 2689. 2715.
 Neocastren. 191. 303. 335. 1724. 1769.
 Nepesina 377. 527. 737. 2244.
 Neritonen. 292. 293. 294. 305. 312. 320. 332. 483. 843. 1851.
 1967. 2192. 2410.
 Nicien. 380. 519. 621. 650. 662. 666. 673. 697. 777. 847. 884.
 1446. 1522. 1548. 1567. 1927. 2510. 2581. 2774. 2835.
 Nicoteren. 1572. 1587. 1938. 2416.
 Nolana 150. 196. 1326. 1994. 2010. 2043. 2048. 2254. 2716. 2824.
 Notanda quaedam generalia ad Missale Fratrum Minorum
 2362.
 Decreta S. R. C. ad Missale pertinentia 2363.
 Decreta S. R. C. quae ad Officium adtinent 2364.
 Novarien. 120. 269. 689. 765. 846. 978. 1274. 1948. 2304. 2499.
 2847.
 Novocomen. 996. 1601. 1608. 1634.
 Nucarina 813. 814. 844. 851. 1216. 1596. 1602. 1682. 2310.
 Nucarina in Apulia 608.
 Nucarina Gualdi 469. 642.
 Nucarina Paganorum 655. 660. 803. 1327. 1350. 1367.
 Nucarina Sassoferatana. 427.
 Nucarina in Umbria 639.
 Nullius 1057. 1170. 1191. 1668. 2324. 2355. 2596.
 Nullius Altamurae 1349.
 Nullius Baren. 2669.
 Nullius Castillonis 1453.
 Nullius Dioecesis et Provinciae Treviren. 1579. 2345.
 Nullius Dioecesis Piscen. 2630.
 Nullius Dioecesis Provinciae Tarraconen. 2850.
 Nullius Fasanen. 2193.
 Nullius Loci Cirignolae 2140.

Nullius Marubii 445.
 Nullius seu Montis Alti 2831.
 Nullius Provinciae Baren. 411. 2649.
 Nullius Provinciae Burgen. 412.
 Nullius Provinciae Capuanae 1419.
 Nullius Provinciae Senensis. 2259.
 Nullius Provinciae Taurinen. 2162.
 Nullius Terrae Pesciae 628.
 Nuscana 1359. 2227. 2300. 2390. 2444. 2454. 2547. 2561. 2610.
 2792.

O

Observantia Festorum 1411.
 Olmucen. 2325.
 Oloren. 1015.
 Oppiden. 123. 1001. 1182. 2611.
 Orbis 1884. 2622. 2735.
 Ordinis S. Augustini 1189.
 Ordinis Carmelitar. Discalceator. 98.
 Ordinis Congreg. Caelestinorum 112. 2725.
 Ordinis Eremitarum S. Augustini Discalceatorum 2620.
 Ordinis S. Francisci 67. 1983.
 Ordinis Mendicantium 983.
 Ordinis Minorum 1999. 2548.
 Ordinis Ministrantium infirmis 1428.
 Ordinis Minorum Observant. S. Francisci 1196. 2573. 2745.
 Ordinis Praedicatorum 1362.
 Ordinis Redemptionis Captivorum 2147.
 Orestan. Cotonen. 2381.
 Orien. 242. 1159.
 Oriolen. 219. 767. 816. 874. 878. 1435.
 Oritana 961. 1065. 1329. 1439. 1995. 2011. 2504. 2511.
 Ortana 726. 919. 990. 1050.
 Ortonen. Camplen. 1725. 1749. 1750. 1757. 1772.
 Oscen. 15. 53. 267. 448. 473. 512. 588. 1019. 1561. 1616. 1630.
 2344. 2506.
 Ossorien. in Hibernia 1512.
 Ostien. 2.
 Ostunen. 661. 815. 1197. 1268. 2722.
 Oxomen. 31. 60. 1074.

P

Pacen. 179. 401. 403. 420. 1342. 1753. 1885.
 Paderbonen. 2075.
 Palentina 89. 1470.
 Pampilonen. 359. 538. 2411.
 Panormitana 121. 446. 677. 867. 1513. 1710. 1731. 2026. 2228.
 2245. 2500. 2672.
 Papien. 63. 657. 671. 800. 1236. 1732. 2060. 2384. 2475. 2496.
 2493. 2549. 2640. 2665. 2793.
 Parisien. 1410. 1805. 2087.
 Parmen. 516. 579. 992. 1200. 1226. 1656. 1949. 2311.
 Passavien. 796. 2701.
 Patavina 158. 163. 419. 501. 517. 525. 535. 537. 2114. 2194.
 2155. 2550. 2641.
 Patavina Plebis sacci 315.
 Pennen. 633. 764. 975. 976. 1638.
 Perusina 83. 436. 968. 1564. 1711. 1741. 2061. 2115. 2163. 2229.
 Perusina Assistentiae 1562.
 Pharen. 794. 2256. 2422. 2503.
 Pharen. seu Lesinen. 2651.
 Pientina 597. 649. 806. 1045. 1066. 1102. 1673.
 Pinnen. 2141.
 Pisana 759. 2540.

Pisaren. 12. 195. 224. 406. 513. 593. 647. 879. 904. 905. 920.
 1218. 1319. 1424. 1565. 1636. 1661. 1669. 1674. 1695. 1751.
 1758. 2028. 2116. 2252. 2267. 2709. 2723.
 Piscen. Nullius 2084.
 Pistorien. 106. 626. 731.
 Pistorien. Praecedentiae 1492.
 Placentina 151. 251. 351. 569. 596. 958. 1067. 1110. 1111. 1217.
 1252. 1610. 1663. 1670. 1806. 1816. 2012. 2027. 2062. 2094.
 2262. 2357. 2631. 2690.
 Placentina Almutiae 2485.
 Placentina Provinciae Compostellae 505.
 Plocen. 1506.
 Policastren. 250. 921. 1244.
 Polignanen. 1287. 1825. 1844. 2076. 2395.
 Polona 743.
 Portuen. 2077.
 Portugalliae Ordinis S. Ioannis Evangelistae 1465.
 Posnanien. 1950. 2427. 2592.
 Potentina 1787.
 Praecedentia (de) inter Parochos et Collegiatas Decretum generale 2103.
 Praenestina 1298. 1352. 2312.
 Praenestina Cavarum 560. 573.
 Pragen. 14. 984. 985. 1779. 1857. 2682.
 Praten. 524.
 Puteolana 1831. 1858. 1928. 1977. 1991. 2095. 2097.
 Putignani, sive Nullius 1968.

R

Ragusina 536. 1643. 1697. 1873. 1874. 1897. 1910. 1929. 1969.
 2174. 2246. 2274. 2358. 2501. 2531.
 Ravennaten. 340. 508. 1416. 2029. 2317. 2374. 2468. 2597. 2642.
 2657. 2666. 2673. 2726.
 Ravennaten. Praecedentiae 1322. 1371.
 Reatina 311. 367. 679. 1203. 1330. 1832. 1875. 1911. 1970. 2063.
 2100. 2476.
 Recanaten. 129. 137. 1051. 1256. 1353. 1369. 1712. 1726. 1733.
 1996. 2667.
 Regien. 906. 1232. 1320. 1365. 1366. 1525. 1648. 1675. 1782.
 2210. 2214. 2230.
 Regien. in Lombardia 2541.
 Regien. Provinciae Bononiae 1479.
 Reginatn in Calabria 2338.
 Regni Corsicae 1978.
 Regni Sardiniae 1293.
 Regnorum Castellae et Legionis 1706.
 Regulari (pro) promoti ad Episcopatum 205.
 Religionis Carmelitarum Excalceatorum 956.
 Reliquiarum incerti nominis 1483.
 Reginen. 2117. 2519.
 Ripana seu Ripae Transonis 349. 415. 424. 1559. 1826. 1971.
 2004. 2462. 2668.
 Ripana Praecedentiae 2691.
 Rithimen. 1354. 1429.
 Rochi (s.) 825.
 Rodigien. Andren. Dioecesis 580.
 Romana 1433. 2284. 2360. 2369. 2392. 2421. 2428.
 Romana Benedictiois solemnis 2455.
 Rossanen. 57. 141. 146. 609. 656. 922. 1136. 1997. 2231. 2615.
 Rossanen. Umbraticen. 2441.
 Ruben. 1288. 1300. 1302. 1480. 2612.
 Rubricarum 2013.
 Ruremunden. 2039.
 Russiae Graecorum 1390. 1420.
 Ruthenen. 276.

S

Sabaudien. 2758.
 Sabinen. 1124. 1505. 1531. 1604. 2598.
 Sacris (de) Imaginibus 1403.
 Sagonen. 857.
 Salamantina 130. 228. 229. 230. 274.
 Salernitana 42. 167. 177. 270. 522. 733. 838. 1123. 1205. 1566.
 1807. 1912. 2014. 2318. 2391. 2752.
 Salutarium 746.
 Sarnen. 594. 2326.
 Sarsinaten. 1845.
 Sarzanen. 61. 113. 1676. 1808. 2000. 2142.
 Sassoferrati Nucernae Diocesis 416.
 Savonen. 99. 114. 226. 249. 635. 676. 678. 691. 739. 789. 807.
 833. 837. 1391. 1392. 2574. 2692.
 Scardonen. 875. 1471.
 Segobriacen. 404. 849. 2582.
 Segobrien. 107.
 Seguntina 13. 29. 66. 109. 239. 1734. 1817. 1846. 1852. 2085.
 Senarum seu Senen. 744. 1363. 1527. 1899. 1913. 2397. 2399.
 2401. 2442. 2477. 2520.
 Senogallien. 108. 568. 586. 785. 876. 886. 969. 977. 986. 1085.
 1123. 1137. 1138. 1847. 2016. 2049. 2065. 2066. 2101. 2215.
 2269. 2293. 2319. 2632. 2652. 2733.
 Sermonetae 1147.
 Severinae (s.) 358. 2015. 2247.
 Severini (s.) seu Septempedana 1571. 2030.
 Siciliae 1440.
 Signina 1689. 1690.
 Smirnen. 1321.
 Sorana 1818. 2044. 2118. 2119.
 Sorana Processionis 1524.
 Spalaten. 174. 1331.
 Spoletana 1068. 1338. 1500. 1617. 2088.
 Spoletana S. Mariae de Bevania 711.
 Spoletana Pedis Luci 727.
 Spoletana seu Casclae 567.
 Spoletana seu Visso 407.
 Squillacen. 328. 2102. 2196. 2206.
 Strongolen. 302.
 Subcollectorum 2164.
 Subcollectorum Canoniorum 1493.
 Suessae seu Suessen. 287. 341.
 Sulmonen. 35. 115. 831. 993. 1027. 1033. 1058. 1077. 1472. 1763.
 1979. 2022. 2067. 2089.
 Sulmonen. et Vallacen. 832.
 Surrentina 1174. 1258. 1283. 1434. 1812. 1865. 2031. 2068. 2253.
 2260. 2328.
 Sutrina 164. 210. 223. 682. 694. 722. 862. 908. 1069. 1076. 1175.
 1704. 1713. 2148. 2292. 2294.
 Sutrina Ronclionis 587.
 Sutrina Terrae Tulphae 1201.
 Sypontina 901. 907. 1652. 1780. 1809. 2459. 2470. 2759.
 Syracusana 540. 613. 630. 637. 654. 702. 736. 861. 885. 931.
 932. 962. 1047. 1078. 1481. 2166.
 Syracusana Modicae 558. 565.
 Syrana 2285.

T

Tarentina 3. 17. 110. 130. 169. 443. 924. 1009. 1393. 1759. 1876.
 Tarbien. 2587.
 Tarraconen. 456. 470. 663. 1703. 2653. 2765.
 Tarvisina 562. 1839.
 Taurinen. 30. 44. 71. 491. 698. 1764. 2209. 2286. 2463. 2847.

Taurinen. Dubium. 2767.
 Terami 2207.
 Terdonen. 309. 835. 2823.
 Termini 384.
 Ternana 1819.
 Terracinen. 547. 566. 653. 715.
 Terulen. 2848.
 Theanen. 1357. 2766.
 Theatina 178. 475. 935. 1006. 1183. 1238. 1343. 1574. 1581.
 2551. 2802.
 Theatina Terrae Buccanici 717.
 Theatinorum 355.
 Thelesina 439. 509. 836. 840. 850. 858. 868. 869. 899. 909. 911.
 933. 941. 942. 1025. 1059. 1079. 1259. 1324. 1351. 1382. 1430.
 1454. 1796. 1887. 2050. 2090. 2120. 2165. 2199. 2216. 2412.
 2432. 2593.
 Tiburtina 423. 1190. 2742. 2768.
 Tiburtina Rivi Frigidii 853.
 Tiphernaten. (Vide Civit. Castelli)
 Tirasonen. 79. 334. 511. 1900.
 Toletana 16. 54. 58. 504. 1178. 1421. 1498. 1591. 2121. 2149.
 2233. 2670.
 Tolphae 1827.
 Tolosana 2301.
 Tolosana Processionis 2270.
 Tomacen. 449.
 Torcellen. 2150.
 Tornacen. 618. 817. 887. 934. 1611. 2017. 2492.
 Tortonen. 2552. 2562.
 Tragurien. 1233. 2599.
 Tranen. 260. 279. 1028. 1043. 1358. 1700. 1752. 1866. 1914. 2583.
 Trevisi 839. 881.
 Trevisana 1539.
 Trium Missarum in Nocte Natalis Domini 1360.
 Triventina 1980. 2234. 2248. 2775.
 Trivisina 2796.
 Trojana 356. 2276. 2277. 2329. 2724.
 Tropien. 188. 278. 304. 321. 541. 578. 900. 1783. 1828.
 Truentina 1901.
 Tudertina 451. 685. 1163. 1466. 1663. 1888. 2032. 2200. 2261.
 2295. 2371.
 Tullen. 211. 477. 521. 706.
 Turritana 431. 488. 489. 763. 818. 834. 923. 948. 1010. 1125.
 1148. 1160. 1180. 1202. 1206. 1247. 1248. 1635.
 Tuscanellae 381. 574.
 Tusculana 472. 1234. 2436. 2494. 2554.

V.

Valentina 59. 111. 1339.
 Valentina Praeeminentiarum 1641.
 Vallisoletana 262. 1332.
 Valven. 154. 285. 1052. 1060. 2176.
 Velliterna 624. 910. 997. 1455. 1984. 2616.
 Venafri 2217. 2563.
 Venden. in Polonia 1425.
 Venesina 514.
 Veneta seu Venetiarum 8. 36. 69. 124. 1276. 1400. 2803.
 Veneta Junctarum 607.
 Venusina 2643.
 Vercellen. 24. 352. 429. 549. 592. 1039. 1441. 1765. 1877. 2330.
 2713. 2816.
 Vercellen. Terrae Crescentinae 437.
 Veronen. 80. 353. 393. 1431. 2719.
 Verulana 19. 480. 1098. 1269. 1299. 2644. 2711. 2717. 2804.
 Vestana 955. 988. 1556. 2313. 2684.

Vicariorum generalium. 1026.
 Vicens. 2070.
 Vicentina 6. 175. 747. 1007. 1162. 1227. 1237. 1270.
 Vigevanen. 2495.
 Vigilien. 880. 1210. 1620. 1930.
 Vigen. 1829.
 Vindascini Comitatus seu Carpentoraten. 116.
 Viridunen. 208. 253.
 Visen. 263.
 Visen in Portugallo 70.
 Viterbien. 442. 458. 2051. 2132. 2137. 2157. 2479. 2773.
 Viterbien. Barberani 385.
 Volaterana 1985. 2208.
 Volterrannen. 2370. 2400.
 Volturanen. 1286.

W

Wladislavien. 471. 1867.

U

Ugentina 193. 1087. 1088. 1161. 1399. 2126.
 Ulysbönen. 136. 283. 461. 486. 645. 705. 1554. 1555. 2033.
 2702. 2849.
 Umbriaticen. 296. 297. 1278. 2564.
 Uratislavien. 1902. 2034.
 Urbanae 1061. 1176. 1207. 1220. 1285. 1372. 1373. 1383. 1384.
 1529. 1544. 2342. 2375. 2478. 2693. 2703.
 Urbeveta. 317. 434. 435. 1179.

Urbeveta seu Balearum. 2356.
 Urbinaten. 441. 507. 790. 1011. 1041. 1541. 2249. 2464. 2584.
 Urbis 5. 28. 74. 117. 125. 140. 159. 236. 307. 410. 454. 467.
 474. 520. 581. 665. 708. 709. 738. 740. 772. 778. 866. 870.
 1040. 1086. 1467. 1482. 1499. 1515. 1563. 1614. 1627. 1628.
 1742. 1797. 2098. 2133. 2184. 2250. 2343. 2376. 2398. 2443.
 2555. 2621. 2658. 2669. 2704. 2718. 2747.
 Urbis Canonorum Regularium Lateranens. 891.
 Urbis Caudatariorum 390.
 Urbis Dubiorum 700. 707.
 Urbis S. Hieronymi Illiricorum 661.
 Urbis, seu Hispaniarum 841.
 Urbis S. Honuphrii 330.
 Urbis S. M. de Rotunda, seu S. M. ad Martyres 331. 1981.
 2001.
 Urbis Visitationis Apostolicae 854.
 Urbis Theatinorum 539.
 Urbis seu Nullius 2393.
 Urbis et Orbis 769. 892. 1090. 2645.
 Urbis et Orbis Decretum generale 2565. 2671.
 Urbis et Orbis Dubium Rubricarum 2483.
 Urbis et Orbis Regularium 912.
 Urien. 2372.
 Uritana 2377. 2760.
 Uselen. 1514.

Z

Zagarolae 1089.
 Zaren. 1024.



[Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

[Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

DECRETA AUTHENTICA

SACRAE RITUUM CONGREGATIONIS



1. ALBANEN.

Il rettore della chiesa di S. Pietro di Pratica espone, che essendo in essa chiesa entrati i Turchi, hanno tra gli altri sagri vasi rubato anche la custodia, in cui era la SS^{ma} Eucaristia; e non trovandosi le sacre Particole, domanda, che debba farsi della polvere della chiesa: sopra di che la Sacra Congregazione fece scrivere al Sig. Card. di Como con l'istruzione di quello si deve fare, del tenore, che segue.

Al Card. di Como. — Essendo succeduto in Pratica il caso, che V. S. Ill^{ma} avrà inteso, e che a Sua Santità è stato esposto con un memoriale, del quale sarà qui allegata una copia, s'è considerato quel che convenisse farsi, et si è pensato la risoluzione contenuta nell'alligato foglio: quale mando a V. S. Ill^{ma}, acciò colla solita sua pietà sia servita comandare, e si metta in esecuzione, et le bacio umilissimamente le mani, con pregarle dal Signore Dio somme felicità.

Foglio annesso alla suddetta Lettera.

« Il Rettore della Chiesa di Pratica userà nuova diligenza di vedere il pavimento della Chiesa se vi sia alcuna particola del Santissimo Sacramento, et caso che ne trovi, le pigli con divozione, et riverenza, et le riponga sopra una Patena, o uno di quelli vasi soliti a tenersi dentro il tabernacolo, per riceverle poi nella Messa.

In ogni caso che trovi, o non trovi il Santissimo Sacramento, spazzi decentemente la polvere del suddetto pavimento, e faccila passare per un erivello, che abbia busi spessi, e piccoli, faccandola cadere sopra una tovaglia di Altare, et osservi diligentemente, se potrà trovare in essa polvere particola alcuna del SS^{mo} Sacramento, o qualche Reliquia, se troverà del Santissimo Sacramento, eseguisca come di sopra; ritrovando Reliquie, le riponghi in qualche luogo decente; involgendole in panni di seta.

Riponga poi la polvere tutta, ancorchè non trovasse cosa alcuna, in una finestra, o altro luogo cauto, che abbia da restar murato, et sia in qualche parte decente della Chiesa. » Die ... Maii 1588.

2. OSTIEN.

Al Vicario di Ostia. — Essendo stato letto nella Congreg. delli S. Riti, et Ceremonie il vostro Memoriale circa la pretenzione di D. Luigi Sant'Angelo Canonico di costi, che per ragione del Dottorato vorrebbe precedere agli altri Canonici più vecchi di lui; questi miei Signori Ill^{mi} hanno risoluto, « che il grado di Dottorato non gli debba far privilegio di precedenza, ma si debba contentare di quel luogo, che come Canonico semplicemente gli tocca. Però così farete eseguire; et il Signore Iddio vi conservi. » Da Roma il dì 18. Maggio 1588.

3. TARENTINA.

Episcopo Tarentino. — « È stato dato Memoriale a questa Congregazione de Sac. Riti, et Ceremonie, nel quale si espone, che essendo stata già da molti anni sono eretta una Confraternita del Carmine nella Terra delle Grottaglie di cotesta Diocesi di Taranto, la quale è sempre andata coll'abito di Sacco alle solite processioni, portando anco lo Stendardo suo, ora una Compagnia del SS^{mo} Rosario, che nuovamente si mette in piedi pretende di precedere alla suddetta Confraternita del Carmine, la quale sentendosi di ciò gravata, è ricorsa quà per giustizia; onde questi Signori Ill^{mi} hanno risoluto, « che scriva a lei, che faccia osservare la Bolla di Gregorio XIII. di fel. mem. quale ordina, che fra le Confraternite quelle debbano precedere, le quali prima hanno cominciato ad usare il Sacco. Così dunque ella farà eseguire etc. » Roma il dì 11. Luglio 1588.

4. COMEN. PRAECEDENTIAE.

Visa commissione, visis et iuribus, et informationibus hinc inde exhibitis, et auditis amborum partium Advocatis, censuit S. Congregatio, « Clerum dictae Civitatis in quibuslibet processionibus, litaniis, exequis, Divinis Officiis, et similibus conventibus, et actibus ita ordinari debere, ut ultimo, ac digniore loco Canonici, et totus Clerus Ecclesiae Cathedralis incedat; secundo loco, et immediate ante ipsum Clerum Ecclesiae Cathedralis incedant Canonici, et Capitulum Ecclesiae Collegiatae S. Fidelis cum aliis personis

ecclesiasticis dictae Ecclesiae; tertio vero, et anteriore loco totus reliquus Clerus saecularis. Et ante singulos praedictos Ordines, singulae eorum Cruces deferantur. » Die 6. Augusti 1588.

5.

URBIS.

Pro tollendis abusibus, qui in Consecrationibus Praelatorum in Romana Curia irrepserunt.

« Censuit S. C. primum, ut de cetero in Romana Curia nulla fiat Consecratio Praelatorum, nisi in aliqua Ecclesia consecrata, vel in Cappella Pontificia; memoratis vero omnibus, et singulis Consecrationibus in quacumque Ecclesia, ut supra fiendis, intersint omnino, et deserviant unus ex Magistris caeremoniarum, unus ex Subdiaconis, unus ex Acolythis, et unus ex Mazzeriis Pontificiis.

Et licet oblationes, quae in Missa Consecrationis fieri solent ad Episcopum Consecrantem spectare dicantur, si tamen ex benignitate, et liberalitate Consecrantium dimissa fuerint, prout passim dimitti solent, dividantur una cum aliis regalibus, et emolumentis inter praedictos omnes Ministros, qui singulis Consecrationibus interfuerint, ita tamen ut ex Clericis, qui illis pariter inserviverunt, pro labore aliquid ex ipsis emolumentis erogari debeat.

Quo vero ad conficiendum Instrumentum firamenti, quo, ex praescripto Constitutionis SS^mi D. N. de visitandis certis statutis temporibus SS. Apostolorum Petri, et Pauli liminibus, ab Episcopis ad Ecclesias Cathedrales ordinandis, vel transferendis, in manibus S. R. E. Diaconi Cardinalis ordine Prioris, praestandum erit, si Magistri Caeremoniarum ad id adhiberi solent, aut debent, adhibeantur, praescriptumque, vel solum emolumentum consequantur.

Pro Instrumento vero Consecrationis, de quo ipsi soli rogati erunt, id tantum percipiant, quod hactenus ea de causa a singulis Episcopis consecratis solvi, aut erogari consuevit. »

6.

VICENTINA.

Al Vicario generale di Vicenza. — Essendosi trattato in questa Congregazione de Sagri Riti, e Ceremonie della differenza, che suol nascere tra alcuna di coteste Confraternità intorno al portar a sepolire i corpi delli confratri, che per il testamento hanno disposto, che vi siano portati con l'abito della Compagnia, della quale erano vivendo; è parso a questi miei Signori Ill^mi di risolvere: « che in ciò si debba osservare quel che universalmente si osserva quasi per tutto, et particolarmente quì in Roma, ove le altre Città devono pigliar esempio, cioè che siano portati dalli

Confratri di quella Compagnia medesima, della quale essi erano, e con l'abito della quale lasciano che si portino vestiti, qualunque sia la Chiesa che si hanno eletta per sepoltura, il che in nome di questi miei Sig. Ill^mi vi significo con la presente, acciocchè così lo fate osservare in cotesta Città, e Diocesi per l'avvenire. Dio vi guardi. » Da Roma alli 8. Dicembre 1588.

7.

COMEN.

Al Vicario di Como. — Li giorni passati essendosi intesa, e vista in questa Congregazione de' Sacri Riti, et Ceremonie la differenza, che verteva fra il Capitolo, e Canonici di S. Fedele, et li Rettori delle Parochiali di cotesta Città circa le Croci, sotto le quali dovevano andare in processione, et in altri atti, e funzioni ecclesiastiche, fu risoluto, et fatto Decreto in detta Congregazione, come doverete aver visto: « che si facessero tre Croci; una, sotto la quale andasse il Capitolo, et Clero della Cattedrale; un'altra per il Capitolo, et Clero della Collegiata; et un'altra per tutto il resto del Clero della Città: in che tutte le parti mostrarono di acquetarsi. Ora essendosi inteso, che li Rettori delle Parochiali pretendendo esser membri del Clero della Cattedrale, pretendono in conseguenza di dover andare sotto quella Croce, è parso a questi miei Signori Ill^mi, che vi si scriva in nome della Congregazione, che intese pienamente in ciò le parti, et ricevute tutte le informazioni, prove, et scritture, che ciascuna vorrà dare, avvistate qua con ogni maggior certezza possibile ciò, che ritroverete intorno a questo fatto, et mandate insieme tutte le suddette prove, et scritture, che vi si presenteranno, per poter la Congregazione avere certezza della verità del fatto, et sopra d'essa risolversi. Tanto dunque sarete contento di eseguire, et Dio vi contenti. » Da Roma 8. Dicembre 1588.

8.

VENETA.

A Monsignor Nunzio in Venezia. — Avendo N. S. inteso quel che è occorso tra V. S. e Monsig. Patriarca di Venezia, sopra il dare la benedizione solenne, gli è piaciuto di mandarmi un Memoriale sopra ciò dato alla Santità Sua in nome della Serenissima Signoria, con ordine, che in questa Congregazione de' Sacri Riti si considerasse, et risolvesse quel che nel suddetto particolare era conveniente, il che è stato eseguito, con essersi anche visto ciò, che V. S. ha scritto in questa materia a Monsignore Ill^mo di Montalto, et dopo riferito alla Santità Sua quel che ne pareva alla detta Congregazione, è concorsa S. Beatitudine

nella risoluzione, che V. S. vedrà nell' incluso foglio, quale comanda, che si metterà in esecuzione, et che io ne dia avviso a lei, siccome fo con la presente, per fine della quale raccomandandomele di cuore, prego Iddio, che la felicità. Da Roma alli 9. di Maggio 1589.

Foglio di cui si parla nella lettera antecedente. — « Intorno quel che è occorso tra Monsignore Nunzio, et Monsignor Patriarca di Venezia sopra il dare le benedizioni solenni, la Congregazione de S. Riti, nella quale N. S. ha comandato, che il negozio si esamini, ha risoluto, et tanto comanda S. Santità, che si osservi; che quando occorrerà a Monsignor Patriarca, ovvero al suo Suffraganeo essercitare li Pontificali, e celebrare Vesperì, o Messe solenni, ovvero intervenire in esse, o in Processioni, et si avranno da dare benedizioni solenni in qualsivoglia Chiesa, anco in S. Marco, se detto Monsignor Nunzio se ci troverà presente, ed il Patriarca celebrante, o interveniente, ovvero il Suffraganeo similmente celebrante, o interveniente in luogo di esso Patriarca, mandarà prima, o in quello istante un Canonico, o altra persona a dimandar licenza a detto Monsignor Nunzio di dare la benedizione, non glie la debba esso Monsignor Nunzio negare, nè ritardare un punto, contentandosi di questo atto di riconoscimento di superiorità verso la Sede Apostolica, il che si deve fare, ancorchè il detto Patriarca assistesse alle Processioni, Vesperì, et Messe solamente con la Cappa, tanto più poi se il medesimo Patriarca, o suo Suffraganeo fussero parati con pluviale, et mitra, come si suole, et deve fare nelle Solennità maggiori, e molto più quando celebrassero loro medesimi.

9. CUSENTINA.

Al Cardinal di Cosenza. — Essendo stato letto nella Congregazione de' Sacri Riti e Ceremonie l' incluso memoriale dato in nome del Vicario di V. S. Ill^{ma}, è parso a questi miei Signori Ill^{mi}, che essendo egli suo Vicario generale, rappresentando la persona sua in quella Città, et Diocesi, et andando in abito di Prelato, debba nella Processione del SS^{mo} Sacramento andare dopo il Baldachino, et precedere al Sindaco, et Eletti della Città, et perciò m' hanno imposto, che io faccia sapere a V. S. Ill^{ma} questa loro risoluzione, acciò così si possa eseguire, con che le bacio umilissimamente le mani. Da Casa alli 13. d' Agosto 1589.

10. HISPALEN.

Pro parte Ill^{mi} Cardinalis de Castro supplicatur Ill^{is} DD. Viris, quatenus dignentur decla-

rare, an, quando ipse Ill^{mus} D. Cardinalis vadit ad actus solennes Inquisitionis in habitu, et ornatu Pontificali, quo Ill^{mi} S. R. E. Cardinales utuntur, equitans pontificaliter debeat ire, et incedere medius inter duas Dignitates, sive Canonicatus in Ecclesia Cathedrali habentes, an vero solus, ita quod nullum habeat a dexteris, neque a sinistris; et an praedicti Dignitates, seu Canonicatus habentes in Cathedrali, ipsum comitantes anteire, seu subsequi debeant?

Rursus an ipse Ill^{mus} D. Cardinalis pontificaliter indutus, in ipso actu Inquisitionis debeat sedere medius inter Inquisitores; an vero in aliquo loco, vel sede superiori supra locum, et sedem, ubi sunt Inquisitores?

Necnon quid in utroque casu faciendum sit, quando idem Ill^{mus} Cardinalis incedit, et sedet in praefatis actibus private, et non solemniter, nec in ornatu pontificali?

Congregatio Sacrorum Rituum, auditis, et consideratis petitionibus nomine praefati Ill^{mi} Domini Cardinalis factis, censuit: « Ipsum Ill^{um} D. Card. ad actus Inquisitionis solennes procedentem, sive cum Cappa pontificali, sive cum Rochetto, et Mozzetta, non medium inter duas Dignitates, seu Canonicos Ecclesiae suae incedere, sed solum praere debere; quod si Episcopos aliquos in Comitatu huiusmodi esse contigerit, integrum erit Ill^{mo} Cardinali unum, vel duos ex eis, sive unum primo loco, et alterum secundo honoris gratia sibi ad latera adiungere. In iisdem actionibus solemnibus locus, et sedes praedicti Ill^{mi} Cardinalis sint digniores, ornatiores, et eminentiores, ita ut plane a sede Inquisitorum, et Episcoporum separatus, et inter illos omnino non sedeat. » Die 31. Augusti 1589.

11. BENEVENTANA.

Archiepiscopo Beneventi. — Essendo stato letto nella nostra Congregazione de Sacri Riti l' incluso Memoriale, questi miei Signori Ill^{mi} hanno risoluto « esser conveniente, che dopo che V. S., et il Governatore saranno stati incensati, s' incensino le Dignità, e Canonici di codesta sua Chiesa, et dopo essi il Vicario generale del Governatore, ed i Consoli; della qual risoluzione ho voluto avvisare V. S., acciò ne faccia capace detto Vicario, et Consoli, et li esorti a non restar perciò di venire alla Chiesa nelli giorni solenni, et altri secondo il costume, et per convenienza, et per debito dell' officio, che tengono. » Il Signor Iddio la felicità. Da Roma all'ultimo di Gen. 1590.

12. PISAUREN.

Cum extent in Cathedrali Pisauri duae Digni-

fates, una quae est prima, et maior post Pontificalem, Praepositura nuncupata; altera, quae est minor, Archidiaconatus dicta: quaeritur, cum in celebranda ab Episcopo Missa pontificali in Ecclesia sua ambo assistere debeant, unus a dextris, alter a sinistris, cui illorum dignior locus assignari debeat? cum de iure Dignitatum ordo servari debeat, et Archidiaconus nihilominus praetendat se praefendum, et antiqua fuerit alias contraria consuetudo: super quibus S. Rituum Congregatio ita scripsit Episcopo Pisaurum.

Illustrissimo, et molto Reverendo Signore come fratello. — Avendo questi miei Signori Illm̃i dall' incluso Memoriale inteso la differenza nata tra il Prevosto, e l' Archidiacono di cotesta Chiesa Cattedrale, sono venuti in parere, « che quando V. S. celebra pontificalmente, l' Archidiacono, et un altro Canonico Diacono se vi è, et se non, Sacerdote, le assistano dai lati, apparsi in abito Diaconale, ma non ostante, che il detto Canonico fosse Sacerdote, l' Archidiacono stia alla banda destra, e che in tal caso il Prevosto, come prima Dignità Presbiterale debba col Piviale servirli al libro; et quando Ella non celebra, ma è presente con la Cappa alla Messa, o Vespero, il medesimo Archidiacono, et un Canonico Diacono, se vi è, et se non, Sacerdote, nell' abito ordinario Canonico, le assistano dai lati, ed il Prevosto stia in Coro nel suo solito stallo, conforme al Pontificale Romano: » Il che l' ho voluto, d' ordine d' essi miei Signori Illm̃i, far sapere a Vostra Signoria, acciò così faccia osservare; et il Signore Iddio la conservi. Da Roma alli 10. di Gennaio 1590.

13. SEGUNTINA CAEREMONIARUM.

Illme, et Rme Dñe — Episc. Segunt. dubitat. —

1. In quo loco Ecclesiae Seguntinae debet lavare pedes pauperum in Feria V. in Coena Domini, an in loco Capitulari, vel in aliqua Cappella intra Corpus Ecclesiae?

2. An quando Episcopus in celebratione alicuius Festivitatis exiit extra Chorum, ut Altaria incenset, vel caeremonias hebdomadarii faciat, aut ut populo benedictionem elargiatur, debeant associare ducendo, et reducendo eum ad Chorum omnes Dignitates, et Canonici, ac Portionarii integri, et dimidii, vel soli dicti Portionarii, qui in ferialibus diebus Canonikum Hebdomadarium associare solent?

3. An Episcopo solemniter Vesperas, vel Missam pontificalem in Cathedrali celebrante, vel aliquid Pontificale exercente, sedente cum apparatu in cornu Altaris, ultra necessarios Ministros,

et inservientes, assistere teneantur omnes Dignitates, et Canonici pluvialibus induti?

Ad primum. Episcopus dicit, quod locus Capitularis non est locus conveniens ad lavandum pedes pauperum, quia, licet extet intra ambitum, et claustra Ecclesiae, est tamen extra corpus Ecclesiae, nascosus, et remotus, et in quo populus intrare nequit, nec actum videre; et quia intra corpus Ecclesiae sunt plures Cappellae commodissimae, in quibus huiusmodi caeremonia fieri potest, quae cum sit ad praestandum humilitatis exemplum, laventurque pedes pauperum, non autem Canonicozum, debet fieri in Ecclesia, in loco, in quo populus devote possit interesse, non autem in loco secreto, et clauso, prout est locus Capitularis.

Ad 2. Praesupponendum est, quod in Ecclesia Seguntina Portionarii integri, ac dimidii, ac etiam Cappellani Chori solent associare Canonikum Hebdomadarium, quando exiit a Choro, ut Altare incenset, vel aliam caeremoniam faciat. Et ideo Episcopus propter praerogativam suae dignitatis dicit ei maiores honores, quam ipsis Canoniciis Hebdomadariis praestandos fore, et quod cum ipse sit caput, quod omnes Dignitates, et Canonici, qui sunt membra, debent huiusmodi actibus associare, et honorare caput suum.

Ad 3. Episcopus dicit, quod ipsi solemniter in Cathedrali celebranti, vel Pontificia exercenti, praeter necessarios ministros, et inservientes, tenentur assistere in Cappella omnes Dignitates, et Canonici induti pluvialibus iuxta formam descriptam in libro Pontificali a S. Zephirino Romano Pontifice introductam, et in c. fin. de off. Archipr., ac Conc. Trid. Sess. 24. c. 2. in vers. omnes vero etc. praescriptam.

Quare dictus Episcopus Seguntinus supplicat Illm̃os, et Rm̃os DD. VV. velint huiusmodi dubia declarare.

Congregatio ad primum dubium respondit: « Observandum esse Pontificale Romanum. »

Ad 2. « Dignitates, et Canonicos assistentes, aut alios necessarios Episcopum associare debere. »

Ad 3. respondit, « omnes Dignitates, et Canonicos, Episcopo Vesperas vel Missas solemniter celebrante, apparatus esse debere. » Die 20. Martii 1590.

14. PRAGEN.

A Monsignor Nunzio all' Imperatore — « La lettera di V. S. dei 3. del passato, nella quale dimanda il parere della nostra Congregazione de' Sagri Riti sopra la precedenza tra li Clerici secolari Alunni del Collegio di N. S., che stanno

sotto la cura delli Padri della Compagnia di Gesù di codesta Città di Praga, et li Regolari della medesima Città, è stata da me letta a questi miei Signori Illm̃i, et sebbene tutti hanno unitamente laudato et la prudenza di V. S. nel temperamento preso per fuggire all' ora li scandali et li rumori, et la modestia in non sentenziare prima d' intendere di quà il parer nostro; tuttavia essendo la cosa così chiara, come Ella medesima ha conosciuto, et lo scrive; è parso, che la potesse determinare appunto nel modo da lei considerato, cioè: « che detti Chierici Secolari Alunni, come parte del Clero devono in tutte le Processioni andar uniti con esso Clero, e per conseguenza precedere alli Regolari, nella qual conformità dichiarando, e sentenziando V. S. in questo negozio, la Congregazione lo loderà, come ha fatto quel che è 'preceduto; » e con tal fine raccomandandomele di cuore, prego il Signore Iddio, che la felicitì. Da Roma alli 6. Agosto 1590.

15. OSCEN.

Congregatio Illustrissimorum Dominorum Cardinalium super Sacris Ritibus, consideratis, et diligenter examinatis infrascriptis Dubiis ab Episcopo, et Capitulo Ecclesiae Oscen. in supplicii libello propositis, ad ea sic respondendum censuit.

DUBIA.

1. Primum est, quod in Ecclesia Oscen. Epistola decantatur in pulpito iuxta Chorum, ubi Episcopus residet, non autem in Presbyterio.
2. Item Evangelium decantatur ibidem.
3. In Missa solemnì dantur a Sacerdote tres benedictiones.
4. In Processionibus tam intra, quam extra Ecclesiam, et in absolutionibus mortuorum, etiam loco parato Sacerdos, Diaconus, et Subdiaconus, ut aequaliter incedant, portant pannum serieum in forma Gremialis.
5. Subdiaconus autem, qui Celebranti assistit non debet, neque tenet Crucem, sed Cruciferarius deputatus specialiter indutus Superpelliceo sine Pluviali.
6. Diaconus, et Subdiaconus sedent ad *Kyrie Eleison*, *Gloria*, et *Credo* in Missis Conventualibus, et Anniversariis, etiam dum dicitur Graduale, et Epistola.
7. Hora sexta dicitur ante Missam, et si diceretur postea, celebratio esset intempestiva, quia propter frigiditatem terrae populus tardius venit ad Ecclesiam.
8. Dicitur *Credo* in Missa solemnì statim finito Evangelio ante Concionem.
9. In diebus Adventus, Quadragesimae, et

aliis ieiuniorum, Diaconus et Subdiaconus non utuntur Planetis plicatis, sed Dalmaticis.

Et insuper nonnulla alia, licet perpauca, his similia, quae omnia a consuetudine Provinciae, et Ecclesiae Oscen. derivantur.

10. Dubitatur, an Canonici praefati possint se tueri huiusmodi generali consuetudine in praemissis, ita ut non possint, neque debeant cogi recedere ab illis, praetextu, quod in aliquo, non tamen in Sacramentalibus, sunt diversa a caeremoniis?

11. In eadem Ecclesia sunt statuta, et consuetudines antiquissimae praescribentes modum servandum in celebratione, et caeremoniis Pontificalis, quem Episcopus non vult servare, spreteis statutis, et consuetudinibus dictae Ecclesiae.

12. Episcopo pontificalia exercenti assistunt tantum duo, qui dignitatem obtinent Pluvialibus induti, non Dalmaticis.

13. Confessio cantatur a Diacono dumtaxat quando Episcopus celebrat, non autem quando alias est praesens.

14. Subdiaconus, qui semper est Canonicus, non portat caligas, et sandalia ad Episcopum pontificaliter celebratum.

15. Cum sedet Episcopus, assistentes habent subsellia ad latus Episcopi; Diaconus, et Subdiaconus in scabellis post Episcopum, sic, et nonnulla alia faciunt diversa a Pontificali Romano.

16. Dubitatur, an Pontificale Romanum, quod nondum prodiit expurgatum, nec pro eo servando est edita aliqua Constitutio, obliget in dicta Ecclesia; an vero sit standum statutis, et consuetudinibus dictae Ecclesiae, et Provinciae impressis, et aliis, ita ut non possint Canonici Oscen. cogi ab Episcopo recedere a dictis statutis, et consuetudinibus, quin imo debeat praedicta Statuta, et consuetudines omnino servare?

17. Item supplicantur declarari, quod, sicut Cathedralis debet in caeremoniis se conformare cum Metropoli, ita inferiores Ecclesiae cum Cathedrali Oscen. debent se conformare in celebratione Officiorum, et caeremoniis.

18. Ut omnis tollatur occasio dubitandi circa delationem Crucis, exponitur DD. VV. Illm̃is, quod in dicta Ecclesia, praeter processiones, quae ordinarie omnibus Dominicis intra annum, et aliis festivis diebus fiunt intra Ecclesiam Cathedralem, cum multoties intra annum Canonici cum Episcopo, et sine eo, tum etiam Presbyter, Diaconus, et Subdiaconus processionaliter accedunt ad alias Ecclesias intra, et extra Civitatem existentes, et multum a dicta Cathedrali distantes; ideo sup-

plicatur declarari, an, dato quod Canonici non possint se tueri generali consuetudine, an Subdiaconus teneatur in tali casu, quando processionis fiunt extra Ecclesiam, portare Crucem?

19. Cum in Constitutione fel. rec. Pii V. non sint appositae censurae super observatione caeremoniarum, supplicatur declarari non posse Episcopum in his publicare edicta, vel iussiones sub censuris, ob periculum irregularitatum.

RESPONSIONES.

1. Ad primum: « consuetudo cantandi Epistolam in Choro in pulpito, si adhuc in Ecclesia Oscen. servatur, tollenda non est, retinenda cum sit antiqua. »

2. Ad secundum: « idem respondendum, ut scilicet servetur consuetudo cantandi Evangelium in ambone, sive in pulpito, cum id fel. rec. Pius V. permiserit in sua Bulla specialiter pro Regnis Hispaniarum edita die 17. Decembris 1570. »

3. Ad tertium: « in Missa solemnium cum datur benedictio in fine, semel tamen produci debet signum Crucis super populum a Sacerdote celebrante, ut in Missalibus emendationibus habetur. »

4. 5. Ad 4. et 5.: « In Processionibus, et Absolutionibus non debent Subdiaconus, Diaconus, et Sacerdos aequaliter incedere, sed Subdiaconus debet praere deferens Crucem medius inter duos Acolythos tenentes candelabra accensa. Praeterea permitti potest, ut Subdiaconus, Diaconus, et Sacerdos parati dum incedunt, deferre possint pannum sericum ante se, tamquam gremiale, stante ea consuetudine. »

6. « Diaconus, et Subdiaconus sedere possunt una cum Celebrante, dum cantatur a Choro *Kyrie Eleison, Gloria, et Credo*, et si dabitur tempus, licebit eis etiam sedere dum cantatur Epistola a Subdiacono, et Graduale a Cantoribus. »

7. « Missa Conventualis dici debet post Tertiam in Festis duplicibus, et in diebus Dominicis iuxta Rubricam Missalis, non post Sextam, quod si propter terrae frigiditatem populus tardius venit ad Ecclesiam, praestat differre tempus recitandi Tertiam, quam debitum ordinem intervertere. »

8. « *Credo* in Missa solemnium dici debet post Concionem, non ante, iuxta Rubricas Missalis, et consuetudinem Romanae Ecclesiae. »

9. « In diebus Adventus, et Quadragesimae Diaconus, et Subdiaconus uti debent planetis plicatis, non Dalmatica, et Tunicella, iuxta Rubricas Missalis. »

10. « Consuetudines, quae sunt contra Missale Romanum sublatae sunt per Bullam Pii V. in principio ipsius Missalis impressam, et dicendae sunt

potius corruptelae, quam consuetudines, neque illis possunt se tueri Canonici, quominus cogi valeant per Episcopum ad observantiam Rubricarum, et Regularum Missalis. »

11. « Non decet Ecclesiam Oscen. aliud habere Pontificale ab impresso, quo nunc utitur Ecclesia Romana, nec ipsis Canonici licet se tueri contra dictum Pontificale quibusdam privatis consuetudinibus, ac statutis, cum praesertim dictae consuetudines, et statuta sint irrationabilia, nec a Sede Apostolica confirmata. »

12. « Episcopo pontificaliter, et solemniter celebranti Archidiaconum a dexteris, et alium Diaconum a sinistris diaconaliter paratos assistere oportet, praeter alium assistentem Pluviali indutum, qui, ut habetur in Ponticali Romano, debet esse Prior Canonorum, dignior Capituli. »

13. « Confessio cantanda est per Diaconum, sive Episcopus celebret, sive non celebret, iuxta Rubricas Pontificalis Romani, quoties habebitur Concio sacra post Evangelium. »

14. « Subdiaconus paratus, etiamsi sit Canonicus caligas, et sandalia velo tecta ambabus manibus usque ad faciem elevatis portare debet ad Episcopum celebratum, ut in Ponticali Romano praescribitur. »

15. « In sedendo tam assistentes, quam Diaconus, et Subdiaconus pro loci situ, et commoditate ita se gerant, ut se inferiores ministros Episcopi, non pares, et aequales ostendant. »

16. « In dubio standum est libro Pontificalis, qui authenticus est, et allegari potest et debet ad decisionem Causarum: consuetudines autem, quae allegantur contra ipsum bonae non sunt, sed abusus quidam Episcoporum indulgentia introducti, et ideo omnino tollendi. »

17. « Ecclesiae inferiores sequi non debent caeremonias Cathedralis Ecclesiae in iis, quae sunt contra Rubricas, et regulas Missalis, et Pontificalis Romani. »

18. « In Processionibus quibusdam solemnioribus, utpote Candelarum, Palmarum, Ferae 5. et 6. maioris Hebdomadae, Sabbati Sancti, in absolutionibus defunctorum, et quoties Episcopus pontificaliter celebraturus in Ecclesia Cathedrali processionaliter procedet a Sacratio, sive ab alio loco deputato ad Altare, Subdiaconus etiam Canonicus deferre debet Crucem, quae tamen sit longitudinis competentis, et ad portandum facilis, in aliis autem Processionibus a supradictis aliis, nempe Cruciferarius consuetus ipsam deferat Superpelliceo, vel Tunicella indutus, nullo autem modo Pluviali. »

19. « Potest Episcopus etiam per censuras, aliasque poenas ecclesiasticas compellere Canonicos, et Capitulum ad observantiam Rubricarum Missalis, et Pontificalis Romani, nisi specialiter fuerit eis in aliquibus indultum per supradictam Bullam Pii V. pro Regnis Hispaniarum editam. »

« Postremo ad id, quod supplicatur nomine Episcopi de hymno *Ave maris Stella*, dicitur, quod, quotiescumque decantabitur praedictus hymnus, debent non solum Canonici, et reliqui de Capitulo, sed omnes, et quotquot aderunt, genuflectere, genuqueflexi persistere, donec quatuor primi versus decantati fuerint. Die 16. Martii 1591.

16. TOLETANA.

Cum Alphonsus de Roxas Canonicus Ecclesiae Metropolitanae Toletanae donaverit eidem Ecclesiae plures annos redditus cum onere solemniter celebrandi Festum cum Processione in honorem B. Clarae Virginis; et Capitulum praedictae Metropolitanae supplicaverit, ut permitterentur in Ecclesia tantum Toletana die 12. Augusti Officium, et Missa de S. Clara Virgine sub ritu duplici cum sola commemoratione S. Laurentii, non obstantibus regulis Breviarii nuper reformati:

Congregatio Cardinalium Sacrorum Rituum censuit: « Posse a SSmo indulgeri, ut in Ecclesia Toletana tantum die 12. Augusti Officium fiat duplex de S. Clara Virgine, eiusque Missa solemniter celebretur cum commemoratione Octavae S. Laurentii eo die occurrentis propter Processionem solemnem, quae eodem die fit ob quandam dotationem. »

Cum Sixtus fel. rec. Papa V. edita Constitutione decrevisset, ut in Toletana Ecclesia Martyrium S. Leocadiae Virginis quinto idus Decembris, translatio autem Corporis eiusdem sexto Calendas Maii quolibet anno solemniter recolerentur, et quaedam dubia super Officii recitatione oborta essent; Decanus, et Capitulum eiusdem Toletanae Ecclesiae pro illorum solutione recurrerunt proponentes.

1. An Sixtus Papa V. permiserit, ut in Ecclesia, et Dioecesi Toletana dies Martyrii S. Leocadiae cum integris octavis iuxta morem Breviarii Romani celebretur?

2. An occurrentibus in Octava S. Leocadiae Antiphonis assignatis diebus Nativitatem Domini praecedentibus, debeat nihilominus fieri commemoratio dictae Sanctae?

3. An in Toletana Ecclesia Lectionibus ex communi Virginum Breviarii Romani uti debeant, an vero uti possint propriis?

4. An in omnibus Hispaniarum Regnis, in

quibus fit Officium Martyrii S. Leocadiae recitandae sint dictae Lectiones propriae?

5. An in dictis Lectionibus mentio sit facienda Cardinalis Archiepiscopi a quo facta fuit translatio dictae Sanctae, et ubi dicitur in quarta Lectione, Reliquias regia manu Cardinali Archiepiscopo, et Canonicis traditas, dicantur traditae regia manu Gaspari Quirogae Cardinali Archiepiscopo, et Canonicis?

Ad primum Congregatio Sacrorum Rituum censuit: « In Ecclesia Toletana diem Martyrii S. Leocadiae Virginis praedictae Ecclesiae Patronae duplici Officio, et sex infra Octavam proxime sequentes dies semiduplici celebrandas esse, necnon eiusdem Virginis Martyris Octavam duplici item Officio esse peragendam, servatis Breviarii Romani regulis. »

Ad 2. Censuit: « Permitti posse, ut diebus Nativitatem Domini praecedentibus, quibus ex Breviarii Romani praescripto propriae Antiphonae ad Laudes sunt assignatae, Officium fiat de Feria cum commemoratione Octavae praedictae S. Leocadiae. »

Ad 3. Censuit: « Concedi etiam posse, ut Lectiones propriae ex Sanctis Patribus ab Illmo Domino Archiepiscopo Toletano in usum dierum dictae Octavae collectae, et a Dominis Consultoribus praedictae Congregationis diligenter examinatae tam in eadem Ecclesia Toletana, quam in eius Dioecesi recitentur. »

Ad 4. Censuit: « Permitti posse, ut omnes Hispaniarum Ecclesiae in quibus ex Sixti V. fel. rec. Decreto dies Martyrii eiusdem S. Leocadiae celebratur, utantur iisdem propriis Lectionibus, quibus praedicta primatialis Ecclesia Toletana utitur, cum primum commode eas habere potuerint. »

Ad 5. Censuit: Concedi posse, ut in Lectiones translationis praedictae S. Leocadiae inseratur proprium tantum nomen Illmi Cardinalis Archiepiscopi, nimirum, ut ubi nunc in sexta Lectione legitur Reliquias regia manu Cardinali Archiepiscopo, et Canonicis traditas; dicantur traditae regia manu Gaspari Cardinali Archiepiscopo, Decano, et Canonicis. Die 11. Iunii, et 9. Iulii 1591. »

17. TARENTINA.

Oborta controversia inter Vicarium Archiepiscopi Tarentini, et Archidiaconum Capituli eiusdem Ecclesiae super eorundem praecedentia, et aliis iuribus; audito voto Archiepiscopi.

Congregatio censuit: « Vicarium Tarentinum praecedere debere omnes Canonicos, Dignitates, et Archidiaconum. Munus vero distribuendi Mis-

sas ad Archidiaconum, et eo absente, vel alias legitime impedito, ad proxime succedentes Dignitates, et postea ordine succesivo ad digniores Canonicos, qui praesentes fuerint, spectare; itaut Tabellae distributionis ex Vicario, et Archidiacono ille subscribat, qui usque ad praesentem diem subscribere consuevit. Si vero circa distributionem huiusmodi quaestio oriatur, Vicarius, prout iuris fuerit, provideat. In reliquis servanda esse Decreta alias facta. » Die 17. Sept. 1591.

18. MILITEN.

Quinque Dignitates Capituli Militen. praetendunt ipsis celebrantibus solemniter ex aliqua consuetudine Canonicos ministrare debere; contra vero Canonici asserentes sese in presbyterali Ordine constitutos non decere in inferiori deservire; eoque magis quia in eodem Capitulo adsunt Hebdomadarii, quorum alii Presbyteri, alii Diaconi, vel Subdiaconi, quibus propterea id oneris incumbere videtur. Auditis proinde partibus, Sacra Congregatio decrevit, ut sequitur: *Canonici Dignitatibus, et Canonicis inserviant; Mansionarii vero Mansionariis.* Die 24. Novembris 1591.

19. VERULANA.

Pendente lite coram S. Rota inter Abbatem Collegiatae S. Erasmi, et Decanum Cathedralis Ecclesiae Civitatis Verulanae super iure incedendi in Processionibus, dictus Abbas, ne aliquid in sui praeiudicium facere videretur, abstinere se a publicis Processionibus: cum vero Episcopus Verulanus, ut vitaret scandala, recursum haberit ad Sacram Congregationem

S. R. C. censuit: « Abbatem Collegiatae Ecclesiae S. Erasmi Verularum in futurum Processionibus, et aliis actibus publicis una cum suo Capitulo intervenire debere sine praeiudicio tamen litis pendentiae, ac urium suorum tam in petitorio, quam in possessorio. » Die 10. Decembris 1591.

20. LAURETANA.

Cum Magister Chori Ecclesiae Lauretanae sit coniugatus, supplicatum est S. Rituum Congregationi, ut declaret: an liceat eidem intonare, et legere Antiphonas, Capitula, et alias similes functiones facere? quae Congregatio censuit.

« Quod si Magister Cappellae est Clericus, et in habitu Clericali incedit, id facere non prohibetur; sin autem contra, curet Episcopus, ut abstineat. » Die 20. Februarii 1592.

21. HISPALEN.

Nomine Ill^{mi}, ac R^{mi} Domini Cardinalis de Castro Archiepiscopi Hispalen. S. Congregationi supplicatum fuit, ut propositis inferiori Dubiis,

suam declarationem exponendo, respondere dignaretur.

DUBIA.

Primum. An quando ipse Cardinalis Archiepiscopus solemniter celebrat, vel alia Pontificalia munera exercet, compellere possit Dignitates, et Canonicos, universumque Capitulum Ecclesiae suae Metropolitanae, ut sibi assistant, et inserviant? et posito quod eos cogere possit, prout sibi de iure licere existimat: quonam ritu, et a quibus inserviendum, et assistendum sit?

2. Praeterea si quando contingeret, ut Missa per eundem Archiepiscopum solemniter celebranda, vel aliae functiones Pontificales essent exercendae extra Metropolitanam Ecclesiam, in aliquo tamen eiusdem Civitatis, vel Suburbiorum, an similiter possit compellere Capitulares, ut sibi inserviant, et assistant, et si praedicta Ecclesia esset Collegiata, in eaque aliae Dignitates, et Canonici adessent?

3. An Dignitates, Canonici, et Capitulum teneantur Archiepiscopum euntem ad Ecclesiam diebus festis cappa indutum comitari, et ex quo loco? Item, an etiam in reditu debeant eum deducere, et usque ad quem locum? Et an, si privatim ad Ecclesiam venerit, sit ei obviam prodeundum, rediensque sit deducendus, et quomodo?

4. An decens sit, Archiepiscopum cum cappa incedentem, unam, aut duas Dignitates ad latus suum admittere?

5. An Archiepiscopo Ecclesiam intranti, prima, et caeteris praestantior Dignitas debeat offerre Aspersorium?

6. An primam, et praestantior Dignitatem in Ordine Sacerdotali obtinens, teneatur pluviali indutus assistere, et servire de libro Archiepiscopo solemniter celebranti, sive alias Pontificales functiones exercenti? Quinam praeterea diaconali habitu induti debeant assistere, elevare fimbrias, imponere, et deponere Mitram, et qui debeant cantare Evangelium, et Epistolam?

Supplicatur pro declaratione contentorum in supradictis capitibus, etiamsi antea per longum tempus in omnibus, vel aliquibus eorum secus observatum esset quam in Concilio Tridentino statutum, et in Pontificali Romano dispositum est.

RESPONSIONES.

Ad primum caput Congregatio respondet: « Posse Archiepiscopum ex Decreto Concilii Tridentini sess. 24. cap. 12. eos compellere, ut sibi assistant, et inserviant. Modus autem assistendi, et inserviendi is esse debet, quem regulae Pontificalis Romani praescribunt. »

Ad 2. respondet: « Licere etiam ipsi Archiepiscopo eodem compellere, quoties ad alias eiusdem Civitatis, et Suburbiorum Ecclesias accedit ad aliquod pontificale munus exercendum; verum cum honoris, et servitii sui causa voluerit ab Ecclesia Metropolitana Dignitates, et Canonicos, aliosque Capitulares extrahere, qui sibi solemniter celebranti, vel Pontificalia exercenti assistant, et inserviant, curet (ut par est), ne ipsa Ecclesia Metropolitana ministris omnibus destituatur, debitoque cultu, et officio defraudetur. Accedens vero ad Ecclesias, in quibus aliae adsint Dignitates, et Canonici, curet quoque pro sua prudentia, ut omnes confusiones, et perturbationum occasiones removeantur; et sciat Dignitates, et Canonicos Ecclesiae Metropolitanae debere omnino praecedere Dignitates, et Canonicos Ecclesiae collegiatae. »

Ad 3. respondet: « Dignitates, Canonicos, et Capitulum debere ad cubiculum accedere, ubi Archiepiscopus induitur cappa, ut eum ad Ecclesiam venientem debito cum honore comitentur: in reditu etiam debere saltem usque ad ostium domus ipsum Archiepiscopum associare. Ei vero privatim venienti nonnullos ex Dignitatibus, et Canonicis ad ostium Ecclesiae occurrere, et in reditu similiter usque ad ostium Ecclesiae ipsum comitari debere. »

Ad 4. respondet: « Archiepiscopo cum pontificali cappa incedente neminem arrogare sibi debere, ut se non vocatum ad eius latus adiungat; ipsum vero Archiepiscopum pro sua dignitate magis decere, ut solus incedat, quam ut ulla Dignitates, vel Canonicos, qui sua membra, et subditi sunt, ad latus suum habeat. »

Ad 5. respondet: « Debere primam Dignitatem Aspersorium Archiepiscopo offerre, eaque legitime impedita, illud ipsum munus subire debere aliam Dignitatem, aut personam, quae dignior ex Capitulo aderit. At in alia Collegiata Ecclesia Aspersorium esse porrigendum a Praeposito eiusdem Ecclesiae, vel (quoecumque nomine nominetur) ab eo, qui in illa digniorem personam gerit, ut tam Ecclesiae quam personae porrigenti, ea ratione honor tribuatur. »

Ad 6. respondet: « Obtinentem primam Dignitatem in Ordine presbyterali Pluviali indutum fungi debere assistentis munere, qui de libro serviat, naviculam Archiepiscopo in throno existenti porrigat, eundemque ibi thurificet; eo vero legitime impedito, digniorem de Capitulo in Ordine presbyterali praesentem, et legitime non impeditum debere in eius locum succedere. Munus au-

tem assistendi Archiepiscopi latera, fimbrias elevandi, imponendi, et deponendi Mitram, aliave in Pontificali descripta agendi, pertinere ad Archidiaconum, et antiquiorem Diaconum Canonicum ambos Dalmaticis indutos; quod si Canonicus Diaconus nullus aderit, ultimum Presbyterum Canonicum in diaconali tamen habitu succedere debere, qui stabit a sinistris Archiepiscopi, et Archidiaconus a dexteris, licet ipse Archidiaconus Ordine tantum diaconali fuerit initiatus. Epistolam vero, et Evangelium cantare debere duos Canonicos ex Ordine diaconali, et subdiaconali, modo tamen in ea Ecclesia sint distincti inter Canonicos huiusmodi Ordines, alioquin duos ex Ordine presbyterali, illudque munus per turnum singulos, cuiuscumque Ordinis sint, peragere debere. Diaconum autem Evangelii Archiepiscopo ad Altare existenti naviculam ministrare, et eum ibi thurificare debere. »

Supradieta omnia visum est, auditis prius dicti Ill^{mi} Cardinalis de Castro Archiepiscopi Hispalen., et ejusdem Ecclesiae Capituli Procuratoribus, ita observanda esse, quousque SS^{mi} D. N. iussu, et auctoritate novum Episcoporum Caeremoniale edatur, quod nunc in Congregatione Cardinalium examinatur, quamvis antea in iis non fuerint plene observata Concilii Tridentini Decreta, et Pontificalis Romani regulae, quibus inhaerens Congregatio, seque ad probatos S. R. E. ritus, et consuetudinem accomodans, censuit ea in hunc modum esse pro nunc executioni demandanda, dum nihil relevans in contrarium adducitur. — Ita est Antonius Marius Caballus Secretarius.

Congregatio Sacrorum rituum visis, consideratis, et mature discussis omnibus, quae nomine Capituli Ecclesiae Hispalen. per eius Procuratorem proposita sunt circa responsiones ab ipsa Congregatione factas ad nonnulla capita alias nomine Ill^{mi}, et R^{mi} D. Cardinalis de Castro Archiepiscopi Hispalen. proposita, quas Ill^{ms}, et R^{ms} D. Cardinalis Gesualdus suis literis supradictae Congregationis nomine ad eundem D. Cardinalem de Castro sub die 30. mensis Octobris proxime praeteriti 1589. scriptis insertas transmisit: visis quoque iterum, et denuo consideratis supradictis responsionibus, necnon utriusque partis Procuratoribus, tam voce, quam scripto plene, et sufficienter auditis, censuit « standum esse in Decretis iuxta responsiones, ut supra factas, infrascripta tamen declarando pro ipsarum maioris intelligentia, » instante eodem Capitulo, sive eius Procuratore.

Primo declarat « Archiepiscopum ad Ecclesiam

eum cappa pontificali accessurum, ut solemniter celebret, vel ut assistat Divinis Officiis concioni, aut processioni, vel ut aliud quidquam ex Pontificalibus exerceat, curare debere, ut Capitulo congruo tempore intimetur hora eius accessus ad Ecclesiam, ad hoc ut ipsum Capitulum commode se ad eius occursum accingere possit. Archiepiscopus vero convenientem, et opportunam horam eliget, verbi gratia si Missam solemnem in aliquo die festo sit celebraturus, tunc post Primam in Choro finitam, antequam Tertia inchoetur ad Ecclesiam accedere poterit. Quo casu Dignitates, Canonici, caeterique Capitulares statim post Primam completam facto modico intervallo prodire obviam debent Archiepiscopo ad ipsius cubiculum, eumque ad Ecclesiam venientem deducere, quemadmodum ipsa Congregatio faciendum esse respondit. Cumque Archiepiscopus ad Ecclesiam venerit, Tertia suo tempore inchoanda erit iuxta praescriptum Pontificalis Romani, idque omnino faciendum est non obstante quacumque consuetudine ipsius Capituli nomine allegata. Cum enim Pastor teneatur ad suam Ecclesiam accedere, et ex eius praesentia divinus cultus augmentum, Ecclesiaque ipsa splendorem, et decorem non modicum accipiat, non est ei praebenda causa vel non accedendi, ex quo debita cum decencia id facere nequeat, vel indecenter accedendi. »

Insuper declarat, « quod quando Archiepiscopus finita Missa, vel aliqua hora Canonica est ab Ecclesia discessurus, tantisper cessandum est a reliquis Horis decantandis, quousque Capitulares abeuntem Archiepiscopum reducere possint, ut in omnibus congrua obedientia Praelato, et debitum Deo obsequium impendatur, ut Sacrificium cum inobedientia non placet. »

Declarat praeterea, « quod si interdum contingat Archiepiscopum vel processione, vel aliqua Hora Canonica nondum finita, abire compelli ob aliquam sui necessitatem, tunc opus non erit ut omnes Capitulares cum eo discedant, sed satis erit, si quatuor de Capitulo eum domum reducant, ita ut processioni, vel Divinis Officiis impedimenti, aut perturbationis occasio non praebatur; quamvis haec, quae perraro eveniunt, minime consideranda sint, cum leges ad ea quae frequentius accidunt, accomodentur. Ad evitandas autem perturbationes, et confusiones in iis diebus, in quibus Archiepiscopus Divinis Officiis est interfuturus, Campana aliquanto citius solito pulsetur, ut tempore, et rebus agendis simul consideratis, cuncta rectius fiant, et horis congruis explantur. »

2. Declarat, « quod Archiepiscopo accedente ad Chorum cum cappa pontificali, Capitulares eum associantes eundem habitum gestare debeant, quem in ipso Choro deferre solent. In hac autem associatione Capitulares inter Crucem Archiepiscopalem, et Archiepiscopum ordine procedere debere. »

3. Declarat, « omnes Dignitates, omnesque Capitulares, qui ad Chorum vadunt, teneri omnino Archiepiscopum associare. Qui autem sint legitimo impedimento detenti, dispositioni iuris communis relinquuntur. »

4. Declarat « tunc dici Archiepiscopum privatim ad Ecclesiam accedere, cum sine cappa pontificali accedit. »

5. Declarat « nullam Dignitatem, Canonieum, aliamve personam propria auctoritate, vel vigore ejusvis consuetudinis ad latus Archiepiscopi vel cappa pontificali, vel sacris vestibus induti incedere debere, nisi ipse ex sua humanitate aliquem vocare velit. »

6. « Cum prima Dignitas Archiepiscopo Ecclesiam intranti aspersorium porrigere teneatur, *Congregatio declarat*, quod ipsa prima Dignitate legitimo aliquo impedimento detenta, huic muneri supplere debet prima ex iis omnibus, qui in Ecclesia sunt praesentes: legitimi autem impedimenti causa non censetur, quod aliquis in Choro sit occupatus nisi in sacris vestibus ad Missam maiorem celebrandam sit indutus. »

7. Declarat « debere omnino aliquem Cappellanum, vel Portionarium Ecclesiae ad id deputatum Archiepiscopo librum manibus sustinere. Primam vero Dignitatem cum pluviali assistentem debere ad dexteram Archiepiscopi celebrantis parumper caput supponere ad librum, quem Cappellanus, aut Portionarius manibus sustinet dum in sede eminenti ipse Archiepiscopus intonat Hymnum *Gloria in excelsis*, cantat Orationem, *Credo*, et *Dominus vobiscum* ad Offertorium. Sed quando Archiepiscopus legit Epistolam, Graduale, et Evangelium, prima Dignitas nihil aliud agens, stabit in loco suo erectus. Digito autem indicare debet legenda in libro, quando Archiepiscopus est ad Altare: neque dedignari debet prima Dignitas, quod his muneribus fungatur, cum maxime honorifica sint, et eadem omnia faciat Prior Episcoporum Cardinalium dum assistit Summo Pontifici celebranti. »

Declarat quoque « primae Dignitatis Assistentis propriam sedem esse scabellum ligneum, quod tamen permittitur depictum, vel aliqua pulchra forma fabrefactum, dummodo sit nudum, nullo

scilicet panno, vel alia re coopertum in plano solii in partem dexteram Archiepiscopi praeparatum, atque eo loco, et ordine situm, ut ipsa prima Dignitas assistens et ad Altare, et ad faciem Archiepiscopi respicere possit, qui locus dignior reputatur locis Diaconorum ministrantium. » Die 23. Martii 1592. — *A. Card. Gesualdus Episcopus Portuensis.*

22. HISPALEN.

Super declaratione Dubiorum quae in praecedenti Congregatione discussa fuerunt, postulavit Ill^mus, ac R^mus Dominus Cardinalis de Castro Archiepiscopus Hispalen. Literas Apostolicas in forma Brevis expediri; formam ipsius Brevis examinari, ac nonnulla enucleatius explanari.

Quoad formam Brevis Apostolici desuper expediendi Congregatio censuit, « sui muneris non esse hanc rem examinare, sed totam huiusmodi cognitionem ad Ill^mum Dominum Cardinalem Signaturae Brevium Praefectum pertinere, ad quem partes quoad hoc remisit. »

» In omnibus iudicat Decreta alias facta esse iusta, et decisionibus etiam Congregationis super Episcopos consentire; atque ideo omnino servari oportere. »

Illud vero ad satisfaciendum Capituli postulationibus addidit: « quod cum Archiepiscopus solum concionem auditurus ad Ecclesiam accedit, etiamsi cappa pontificali indutus eam concionem auditurus sit, non omnes Capitulares, sed aliqui dumtaxat, videlicet saltem duo ex Dignitatibus, et sex ad minus ex Canonicis Archiepiscopum venientem ad ostium excipere, atque ad eundem usque locum abeuntem reducere debere. »

Atque haec quidem S. C. Decreta per Literas in forma Brevis Clementis PP. VIII. expeditas die 13. Iunii huius anni confirmata, atque executioni sub censuris ecclesiasticis demandata fuerunt.

23. DUBIUM.

De praecedentia Gubernatorum cum Vicariis Episcoporum.

Congregatio Sacrorum Rituum censuit, « quod Gubernatores Civitatum, et Provinciarum circa eorum praecedentiam cum Vicariis Episcoporum, ut si fuerint Praesides insignium Civitatum, vel Provinciarum, veluti Bononiae, Marchiae Anconitanae, Umbriae, et similium thurificentur, et habeant pacem immediate post Episcopum, et ante Vicarium, etiam Episcopo ipso absente. »

« At Gubernatores Civitatum minorum thurificentur, et habeant pacem immediate post Episcopum, ubi fuerit praesens: eo vero absente,

si ipsi Gubernatores fuerint Episcopi, ante Vicarium, propter dignitatem Episcopalem; si vero non fuerint Episcopi, post Vicarium immediate ante Dignitates, et Canonicos, ita ut dignitas ecclesiastica saeculari semper praeferatur. » Die 10. Iunii 1592.

24. VERCELLEN.

In Ecclesia Cathedrali Vercellensi complures reperiri SS. Reliquias, nulla, ut deceret, theca inclusas, exposuit eius Civitatis Episcopus, quas cum alio transferri convenienterque custodire cuperet, verebatur nihilominus auctoritatem Brevis Gregorii PP. XIII. prohibentis, ne e Mediolanensi Provincia SS. Reliquiae sine Apostolicae Sedis licentia extraherentur, non obstante vivae vocis oraculo Sixti PP. V. declarante, quod sola ad id sufficeret Episcopalis auctoritas cum Capituli interventu. Supplicavit igitur idem Vercellen. Episcopus, ut dictum Sixti V. oraculum Apostolico Brevis confirmaretur, consultaque super hoc negotio Sac. Rit. Congregatione,

Eadem C. S. R. censuit: *Breve quod petitur concedi posse.* Die 14. Iulii 1592.

25. BISUNTINA.

Questus est Nicopolitanus Episcopus Bisuntini Metropolitanus Suffraganeus eiusdem Ecclesiae Decanum contra sacrorum Canonum dispositiones primas sibi arrogare velle in functione expositionis Linteae sacrosanctae (ut asseritur) Sudarii D. N. I. C. in grave Episcopalis dignitatis praepudicium; eumque ad Sacram Congregationem recurrerit postulans quis eorum praecedere debeat? S. C. respondit: *praecedat Episcopus.* Die 28. Iulii 1592.

26. CORDUBEN.

Tresdecim in Cordubensi Ecclesia Cappellaniae pro Magistro Cappellae tribus Bassis, tribus Altis, tribus Tenoribus, et tribus Supranis Sixti PP. V. auctoritate taliter constitutae reperiuntur, ut quae uni Cantorum est affecta, alteri conferri non possit; occurrente vero vacatione, propter talem necessitatem, saepe contingit, ut Cappellania conferatur alicui Cantorum ex eo ordine, quo Ecclesia tunc non indiget, cum is forte, qui necessarius esset, excludi debeat. Supplicavit igitur Cordubense Capitulum, ut SS^mus Literas Apostolicas huic inconvenientiae remedium afferentes expedire dignaretur; super quarum expeditione cum requisitum fuerit Votum huius S. C.

C. S. R. censuit: « quod, quatenus Episcopus, Decanus, et Capitulum Ecclesiae Corduben. canonico titulo habeant ius conferendi tresdecim Cappellanas eiusdem Ecclesiae, ut in supplicatione, et in quasi possessione earum collationis existant,

eisdem concedi posse, quod Cappellanas praedictas, earumque singulas pro tempore vacaturas, quibuscumque Cantoribus, Supranis, Bassis, Altis, et Tenoribus voces aptiores habentibus, et in arte Musicae peritioribus, prout eiusdem Ecclesiae necessitas, et commoditas Episcopo, Decano, et Capitulo praefatis exigere videbuntur, indifferenter singulas singulis tempore vacationis possint conferre, si quisque tamen alia requisita pro tali Beneficio ecclesiastico obtinendo habuerit, et iuxta Concilii Tridentini Decreta habilis, et idoneus iudicatus fuerit, non habito respectu, quod iuxta concessionem fel. rec. Sixti V. quaelibet Cappellania ex iisdem singulis Cantoribus ordinatim, et particulariter fuerit, et sit assignata.» Die 11. Augusti 1592.

27. BENEVENTANA.

Instante Achille de Capua Prorege in Provincia Montis Fuscoli, ut Presbyteri tam saeculares, quam regulares eiusdem Provinciae in Missis eorum solemnibus, et privatis Evangelium eidem Proregi osculandum porrigerent; cum super hac re Beneventanus Antistes S. C. consuleret; eadem rescribendum censuit: *Nihil*. Die 1. Septembris 1592.

28. URBIS.

Pro Ecclesia S. Mariae Transtyberim.

S. R. C. censuit: « Decreti editi per Capitulum, et Canonicos Ecclesiae S. Mariae Transtyberim super caeremoniis, et ritibus in praedicta Ecclesia absque eorum consensu, et approbatione non introducendis, tamquam nulli ex defectu iurisdictionis nullam penitus habendam esse rationem; et licuisse, atque licere Illmo Domino Titulari dictae Ecclesiae et eius Vicario circa incensationem, et delationem pacis Beneficiatis, et Cappellanis eiusdem Ecclesiae, ea praescribere, et ordinare, quae in Missali, et Pontificali Romano continentur; eaque sic praescripta, et ordinata a Capitulo, Canonicis, Cappellanis, et Beneficiatis quibuscumque in dicta Ecclesia observari, et exequutioni demandari debere.» Die 1. Septembris 1592.

29. SEGUNTINA.

Visis, ac diligenter perpensis iuribus Marchionum De Berlanga quasdam caeremonias in eorum Ecclesia Collegiata ex immemorabili consuetudine sibi fieri praetendentium, C.S.R. censuit: « D. Marchioni de Berlanga in Ecclesia Collegiata dicti Oppidi locum digniorem extra Chorum, et cancellos Presbyterii assignandum esse: pacem vero, et thurificationem eidem Domino Marchioni dandam esse eo modo, quem Pontificale Romanum

praescribit in Rubricis de Vesperis, et Missa Pontificalibus.» Die 22. Septembris 1592.

30. TAURINEN.

Vicarius Capitalaris Taurinens. Ecclesiae, qui dum erat Vicarius Generalis Episcopi gaudebat primo loco tam in Choro, quam in Processionibus, similiter praetendens, vacante Sede incedere solus immediate post Capitulum in quadam Processione, contradicente Nuntio Apostolico eidem Processioni interveniente, Sanctae Sedis Oraculum super hac re humillime supplicando poposcit; remissisque precibus ad hanc Sac. Congregationem;

Eadem S. R. C. censuit: « Vicarium supra dictum simul cum aliquo ex Canonicis, seu Dignitatibus incedere debere, itaut unus ex Capitalari corpore appareat: non autem solus Clerum, et Capitulum subsequatur.» Die 22. Septembris 1592.

31. OXOMEN.

Episcopo, et Capitulo Oxomen. Ecclesiae S. C. supplicantibus, ut declarare dignaretur: quibusnam potissimum diebus praedictum Capitulum teneatur Episcopum tam euntem ad Ecclesiam, quam ab ea redeuntem, comitari? S. R. C. censuit ad supradictam petitionem respondendum, prout etiam alias decretum fuit pro Ecclesia Hispalensi.

« Capitulum ipsum teneri non solum prodire obviam usque ad eius cubiculum Episcopo venturo ad Ecclesiam cum eappa pontificali, ut solemniter celebret, vel ut assistat Divinis Officiis, concioni, aut Processioni, vel ut aliud quidquam ex pontificalibus exerceat, eumque ad Ecclesiam venientem deducere, verum etiam teneri eundem ab Ecclesia discedentem usque ad ipsius domum reducere, non obstante consuetudine Capituli praedicti in contrarium.» Die 20. Octobris 1592.

32. ABULEN.

Proposita fuerunt huic Sac. Congregationi quinque Dubia nomine Ecclesiae Cathedralis Abulensis, videlicet:

Primum: An propter nimiam distantiam, quae est inter Altare, et Chorum, in aspersione aquae benedictae diebus Dominicis fieri solita liceat duos Sacerdotes cotta, et stola indutos deputare, quorum alter Chorum, alter populum aspergat, Celebrante interim circa Altare hanc functionem exercente?

2. An Diaconus Evangelium cantare debeat in pulpitis existentibus in Choro iuxta veterem consuetudinem, etiamsi vertat faciem versus Altare?

3. An propter relatam distantiam inter Chorum, et Altare, liceat Celebranti post cantum Evangelii intonare *Credo*, vel *Dominus vobiscum*,

antequam deosculetur Missale, et incensetur a Ministris, ne cogatur illos diu expectare?

4. An in recitatione Primae, dicto *Benedicamus* ante lectionem Martyrologii, et *ÿ. Pretiosa*, liceat celebrare Missam, et in eadem Missa dicere Vesperas defunctorum, et postea habere Capitulum, et in fine eiusdem legere Martyrologium, et prosequi usque ad finem Primae, ut cogantur omnes interesse eidem Capitulo?

5. An die 14. Iulii celebrandum sit Festum cum Octava Dedicationis Cathedralis Abulen., et omnium Collegialium Dioecesis eiusdem?

C. S. R. ad capita Ecclesiae Abulen. nomine proposita sic respondendum censuit.

Ad primum. « Hebdomadarius aquam benedictam aspergat in Ecclesia iuxta Rubricas Missalis. Quod si Chorus adeo sit elatus, ut nisi per scalas ad eum non pateat accessus, alter Sacerdos superpelliceo, et Stola indutus in Choro asperisionem faciat. »

Ad 2. « Si pulpitem ad recitandum Evangelium ex vetere Ecclesiae consuetudine ibi fuerit iuxta facultatem Regnis Hispaniarum a S. M. Pio V. concessam, in eodem pulpito, ut prius cantetur: sin minus, ante gradus Presbyterii in cornu Evangelii, iuxta Rubricas Missalis Romani, cantetur. »

Ad 3. « Quoniam libri osculandi oblatio Celebranti facienda non modo maxime decens est, sed etiam mysterio non caret, et Celebrans, antequam *Credo* incipiat, thurificandus est a Diacono, sine cuius et Subdiaconi assistentia inconueniens est, ut *Credo* intonet: ideo omnino expectandum est Celebranti, donec Subdiaconus ei librum offerat osculandum, et a Diacono incensetur. Quod aequa mente ferendum est Episcopo, et alteri cuiusque, cum Romani Pontifices in Cappella sua idem expectare non prouentur. »

Ad 4. « In prima post *Benedicamus* statim legatur Martyrologium, et *Pretiosa* cum sequentibus: quibus omnibus expletis, Missa celebratur, deinde Capitulum habeatur; ad quod interesse negligentes aliqua proposita mulcta compellantur. »

Ad 5. « Dedicationem Cathedralis Ecclesiae per universam Dioecesim celebrari posse cum Octava oratores petunt: seruetur Rubrica Breviarii Romani. Quod si aliud postulant, clarius eorum mentem expriment. » Die 17. Novembris 1592.

33. AVERSANA.

Super recitatione cuiusdam particularis Officii, in qua ex vetustissima consuetudine nonnullae caeremoniae extra praescriptum Pontificalis Ro-

mani exerceri solent, consuluit Episcopus Aversanus hanc Sac. Congregationem infrascripta Dubia proponendo, videlicet.

Primum. An ex quatuor Dignitatibus Capituli, nempe Decano, Cantore, Archidiacono, et Succentore, Decanus, et Cantor debeant neque assistere Episcopo in sede pontificaliter celebranti?

2. An Archidiaconus inservire debeat tamquam Cappellanus assistens ad librum Episcopo solemniter celebranti, nec tamen det osculum pacis Choro, et Canonicis?

3. An Succentori incumbat cantare Evangelium; nec tamen thurificet Canonicos in Choro; unus ex Canonicis dicat Epistolam: quatuor ex quartostallis convenienter parati inserviant in solio tenentes baculum, mitram, librum, et lumen?

4. Assistentibus hinc inde Decano, et Cantore, Archidiacono vero, et Succentore librum, lumen, et incensum ministrante, quis eorum sit primo loco thurificandus, et cui primum pax danda?

5. An quartostalli, qui tenentur in Missis praesertim Conventualibus cantare Evangelium, et in Diaconatus Ordine ministrare debeant in dictis Missis per se ipsos incensare, et pacem dare, quam dari faciunt per Subdiaconum, incensum vero per unum ex Clericis Seminarii?

RESPONSIONES.

Ad Primum. « Vesperas, vel Missas Episcopo solemniter celebranti, Archidiaconus a dexteris, et alter Canonicus Diaconus ex antiquioribus a sinistris diaconali habitu induti assistere debent. Quod si in ea Ecclesia Diaconus nullus adsit, tum loco Diaconi Canonicus alius ultimus ex Ordine presbyterali, diaconaliter tamen indutus, assistentis Diaconi munus suppleat. Prima Dignitas, seu dignior Capituli ex ordine presbyterali pluviali indutus assistentis munus obibit, qui cantanti Episcopo librum a parte dextera capite suo sustinere, eique apud Altare existenti, digito, quae dicenda sunt, indicare, aliaque peragere debet, quae in Pontificali praescribuntur. Episcopo vero non celebranti, sed Divinis assistenti iidem, qui supra, Archidiaconus, et alter Canonicus Diaconus, seu Presbyter assistere debent. »

Ad 2. « Assistens Presbyter pluviali indutus pacem acceptam ab ipso Episcopo pontificaliter celebrante Canonicis, et aliis iuxta Rubricas Pontificalis deferre debet. »

Ad 3. « Succentor, seu quivis alius cuiuscumque sit dignitatis, et praeeminentiae Evangelium in Missa pontificali cantans thurificare debet Canonicos, aliosque de capitulo iuxta Rubricas Pontificalis tit. de Missa pontificali. Quartostal-

lorum vero munus erit inservire Episcopo de mitra, de baculo, de libro, et de candela.»

Ad 4. « Primo loco, post thurificatum Episcopum thurificari debet prima Dignitas assistens cum pluviali, secundo Diaconi assistentes a lateribus Episcopi, tertio Dignitates, et Canonici in Choro sedentes, quarto caeteri juxta Rubricas eiusdem Pontificalis loco supra citato. »

Ad 5. « Quartostalli Evangelium, et Epistolam cantantes in Missis Conventualibus, et aliis quibuscumque, servare omnino tenentur Rubricas Missalis Romani reformati tam quoad thurificationem, quam etiam quoad pacis distributionem spectat, ut nimirum quartostallus Evangelium cantans thurificet Dignitates, et Canonicos, et alios, qui thurificandi sunt; Subdiaconus vero pacem a Diacono acceptam, servato Rubricae Missalis ordine, existentibus in Choro, aliisque deferat. » Die 17. Novembris 1592.

34. CALARITANA.

Porrectis SS^{mo} humillimis precibus ex parte Gastonis de Moncada Sardiniae Proregis, ut in sua Cappella existente in Palatio Residentiae, in qua celebratur Missa, possint etiam recitari matutina tam in Festis solemnibus, quam aliis infra annum diebus; necnon, ut eundo in aliquam Ecclesiam praeter Cathedralam possit ibi praedicari facere verbum Dei, etiamsi in Cathedrali Ecclesia praedicetur; C. S. R. censuit: « Licere Proregi supradicto matutinum in suo Sacello recitari facere, sed privatim absque ulla solemnitate: quo vero ad sermonem, seu concionem, nihil. » Die 2. Decembris 1592.

35. SULMONEN.

Ad sedandam controversiam obortam inter Rectores Curatos Parochialium Ecclesiarum, et inter Canonicos, et Archipresbyteros Cathedralis Sulmonen. Civitatis, super praerogativa deferendi Stolum, et pluviale, ac praecedendi in itinero cum ad dictas Parochiales Ecclesias cadavera efferuntur. C. S. R. censuit: « In Processione funebri, ubi cadaver defertur, dictos Canonicos, et Capitulum Cathedralis Ecclesiae Sulmonis praecedere debere, et Parochum deferre stolum, tamquam suae in cadaver illud iurisdictionis signum, quemadmodum et Romae servatur. » Die 2. Decembris 1592.

36. VENETA.

Nuntio Apostolico apud Venetos. — Illustre, et molto Reverendo Signore. — Essendo state composte da D. Pio Bentivogli le Vite dei Santi di Venezia, si sono dopoi presentate alla nostra Congr. dei Sagri Riti, acciochè, avendosi da con-

formare con le lezioni, che si leggono negli Uffizi de' detti Santi, le facesse rivedere prima di darsi alla stampa, di che questi miei Signori Ill^{mi} trattarono più volte in Congregazione, et commessero ad alcuni valent' uomini, che vi facessero studio particolare, et riferissero in detta Congregazione, li quali essendo poi morti, si è giudicato, che questa revisione si farà più sicura, et più comodamente in Venezia, ove si presuppone, che siano in diversi Archivi di Chiese molte scritte autentiche, dalle quali si sono cavate queste Vite: perciò detti miei Signori Ill^{mi} pregano V. S., alla quale l'opera sarà presentata, che sia contenta di abbracciar la cura di farla rivedere accuratamente, valendosi per tale effetto di alcuni uomini dotti, e pii, tra li quali particolarmente siano il Padre Inquisitore Generale di Venezia; il P. D. Paolo Comitolo della Compagnia di Gesù, ed il P. Fra Ludovico de Grigis Minore Osservante; e come la revisione sia finita, piaccia a V. S. di far mettere in carta tutto quel, che comodamente gli sarà appuntato, et a tutti sarà parso, et sottoscritto da lei, et da loro mandarlo alla Congregazione, la quale possa poi deliberare quel che sarà espediente etc. Da Roma alli 8. Maggio 1592.

37. ELBOREN.

Essendosi letto il Memoriale di V. S. mandato da N. S. a questa Congregazione de' Sacri Riti, questi Ill^{mi} miei Signori sono venuti in parere, come più volte è stato dichiarato, et le dichiarazioni confermate per Breve Apostolico, « Che il Vicario anco in presenza sua debba nel Sinodo precedere il Capitolo, mentre però non vi sia legittima consuetudine in contrario: potrà adunque V. S. così fare eseguire. Da Roma alli 23. di Maggio 1592.

38. JAEN.

Essendo stati letti, et considerati nella nostra Congregazione de' Sacri Riti due Memoriali dati successivamente per parte de Gonzalo Ramirez de Molina Canonico di codesta Chiesa, de' quali saranno qui incluse le Copie, è parso a questi miei Signori Illustrissimi, che in nome di essa Congregazione io scriva a V. S., come fo con la presente, che per evitar li molti scandali, et inconvenienti rappresentati alle SS. LL. Ill^{me}, li quali in ogni luogo, e tempo conviene, che si fughino, ma specialmente in Chiesa, in Coro, e nelle Processioni: « Sia contenta di usar l'autorità sua in far osservare dalli Canonici lo Statuto del Capitolo, quale si presuppone essere conforme alla ragion comune, e confermato dalla

Sede Apostolica, cioè, che quelli, che sono in Sacris precedano a quelli, che non hanno Ordini Sacri, li Sacerdoti alli Diaconi, et li Diaconi alli Suddiaconi; et se quelli del Capitolo, che allegano a favor loro la concordia forse si aggravassero di questa provisione, contuttochè il Procuratore di detto Capitolo sia stato più volte citato, potranno far dedurre le loro ragioni, le quali saranno dalla Congregazione benignamente udite, e si ministerà loro compiuta giustizia, che è quanto intorno a questo negozio m'occorre scrivere a V. S. » Da Roma alli 28. Luglio 1592.

39. **BENEVENTANA.**

È stata letta in Congregazione la lettera di V. S. sopra la pretenzenza del Governatore del Principato ultra in cercar, che gli sia portato l'Evangelio nelle Messe solenni; et questi miei Signori Illustrissimi hanno dichiarato « che non si debba portar l'Evangelio a' Governatori di Provincia. Così dunque potrà V. S. fare eseguire ne' luoghi della sua giurisdizione etc. » Da Roma alli 6. Agosto 1592.

40. **BRIXIEN.**

Li dì passati fu letto nella nostra Congregazione dei Sacri Riti un Memoriale circa la precedenza del Coadiutore di un Canonico di codesta Cattedrale di Brescia con tre altri Canonici della stessa Chiesa. Intorno a che la suddetta Congregazione giudicò, « che il Coadiutore dovesse avere l'ultimo luogo in Coro dopo tutti i Canonici, et così fu scritto a V. S. che facesse osservare mandandole la lettera con il Memoriale, e Decreto. Ma perchè s'intende, che non ha ancora eseguito l'ordine datole per avere detto Coadiutore domandato ricorso quà; però, non convenendo, che intanto la Chiesa resti priva del debito servizio, et in Coro abbia a nascere altro inconveniente, se le dice di nuovo, che senza dilazione alcuna faccia eseguire quanto per l'altra le fu ordinato, e che la Congregazione sin qui pensa avere giustamente provveduto: et se poi il Coadiutore ricorrerà quà, sarà inteso benignamente, et se sarà rilevante proverà conforme alla giustizia etc. » Da Roma alli 10. di Ottobre 1592.

41. **ELBORNEN.**

Ad literas Archiepiscopi Elbornen. censuit S.C. respondendum esse « cum transmissione copiae Decretorum, quae olim pro Ecclesia Hispalensi facta fuerunt, et haec quoad Archiepiscopi instructionem, et etiam observationem, quatenus Capitulum non contradicat. Quod si idem Capitulum contradixerit, citandum erit coram S. R. C., ut

audiatur, sicuti iuris est. Cappam verò, cum ad Ecclesiam iturus est, cur Archiepiscopus non gestet, mirati valde sunt Illm̃i Dñi. Die 16. Februarii 1593.

42. **SALERNITANA.**

Officiales Regiae Audientiae Salerni, nempe Auditores, Advocatus Fiscalis, et alii praetendunt in Missis solemnibus incensum, et pacem prius ipsis dandam esse, quam Vicario, et Canoniceis; necnon primum locum habere immediate post Archiepiscopum. Quapropter ad petitionem eiusdem Archiepiscopi, qui ad hanc S. Congregationem recursum habuit, ut declarare dignaretur, quis eorum praecedere debeat, et primo loco sit thurificandus, eadem S. C. censuit « Scribendum Archiepiscopo in favorem D. Vicarii, et Canoniceorum. » Die 16. Februarii 1593.

43. **CIVITATIS CASTELLAE.**

« Thurificentur ante Priores dictae Civitatis Capitulum, et Canonici, cum huiusmodi Priores Magistratus non sint ex maioribus, de quibus loquitur Rubrica Missalis. » Die 16. Februarii 1593.

44. **TAURINEN.**

Dubia pro Sedis Apostolicae Nuntio apud Serenissimum Sabaudiae Ducem, et Archiepiscopum Taurinen. SSm̃i D. N. iussu, sacrae Illm̃ior. DD. Congregationi super sacris ritibus examinanda, et executioni tradita.

Primum. An Archiepiscopus Taurinen. debeat uti Cruce, Nuntio Sedis Apostolicae cum facultatibus Legati de latere in eadem Civitate comorante?

2. An eidem Archiepiscopo liceat uti Rochetto discooperto?

3. An liceat Nuntio facultates Legati de latere habenti, libere, et absque Archiepiscopi licentia in Cathedrali, aliisque Ecclesiis baptizare, confirmare, Ordines conferre, aliaque Sacramenta ministrare, quae proprie ad ipsum Archiepiscopum loci Ordinarium spectant?

4. An Archiepiscopus pontificaliter celebrans, sive Divinis Officiis cum cappa assistens debeat ob praesentiam Nuntii sedere alibi, quam in suo throno ad cornu Epistolae posito?

5. An Archiepiscopus celebrans, sive, ut supra, Divinis assistens, debeat, antequam populo suo sit de more benedicturus, petere licentiam a Nuntio ibidem praesente?

C. S. R. habita 9. Martii 1593. ad suprascripta Dubia sic respondendum censuit.

Ad primum. « Archiepiscopus incedens, vel equitans per Civitatem, et Dioecesim suam Crucem ante se praeferri facere debet, etiamsi Nun-

tius in iisdem locis commoretur. Quod si contingat Archiepiscopum simul cum Nuntio iter habere, vel eundem Archiepiscopum ad invisendum Nuntium accedere, tunc quidem ob reverentiam Sedis Apostolicae, quam in ipso Nuntio agnoscere, et venerari debet, Archiepiscopus abstinere a delatione Crucis. »

Ratio est « quia si ambo simul incederent, certe Archiepiscopus a sinistris esset Nuntii, neque propterea convenerit ante ipsum praeferrere Crucem, qui minorem se Nuntio in ambulando profitetur, et absurdum praeterea esset Archiepiscopum tunc uti Cruce cum maiorem se visitat, qui Crucis usum non habet. »

Ad 2. « Potest, et debet Archiepiscopus uti Rochetto discooperto quaecumque voluerit, exceptis tamen duobus supradictis casibus. »

Ad 3. « Non licebit Nuntio in Cathedrali, sive aliis Ecclesiis Archiepiscopali ditioni subiectis ministrare quaecumque Sacramenta ad Archiepiscopum loci Ordinarium spectantia, nisi id vel specialiter, et expresse in facultatibus sibi a Sede Apostolica fuerit permissum, vel obtinuerit prius ab Archiepiscopo facultatem. In ducali autem Cappella, veluti ab Archiepiscopali iurisdictione exempta, eadem Sacramenta absque ulla licentia ministrare poterit. »

Ad 4. « Praeter thronum ad Epistolae cornu, nunc sub baldachino positum Archiepiscopus curet aliam sibi sedem cum ciborio in Choro construendam inter Dignitates, quae sit magis pressa, et humilis, quam thronus; et quotiescumque Nuntius Apostolicus Duci in Ecclesia Metropolitana assistet, ob reverentiam Sedi Apostolicae debitam idem Ordinarium a throno consueto discedat, et in sede praedicta Chori sedeat, sive celebret, sive Divinis Officiis assistat. Throno vero praedicto, praeter hunc casum, semper utatur, ut hactenus consuevit. »

Ad 5. Respondit: « Idem servandum, quod alias Venetiis fieri praeceptum fuit. Ut nimirum Archiepiscopus antequam sit populo benedicturus, opportune per unum ex Canonicis, vel per Ministrum caeremoniarum, Nuntium in Episcopali tamen dignitate constitutum, ex sua humanitate invitet ad benedicendum; qui tamen huiusmodi reverentiae sibi oblatae significatione contentus, benedicere omnino recusabit, ne acceptando iurisdictionis episcopalis libertatem impedire, vel sui Patris, ac Pastoris benedictione populum privare videatur. »

Haec quidem S. C. Decreta audivit, et approbavit SSİMUS DÑUS Noster. Die 16. Februarii 1593.

45. CAESARAUGUSTANA.

Capitulum Clericorum, et Parrochiani Ecclesiae S. Pauli Caesaraugustan. solent quotannis in prima Dominica post diem 17. Iunii immediate sequenti processionem generalem facere, in qua insignem Reliquiam S. Gregorii, et aliorum Sanctorum Reliquias processionaliter deferunt. Cupiunt in eadem Processione deferre posse SSİMum Sacramentum, utque interessentes processioni, aut visitantes eandem Ecclesiam eo die plenariam Indulgentiam consequantur. Et S. C. respondit. *Nihil.* Die 23. Martii 1593.

46. CUSENTINA.

Gubernatores Civitatis Cusentinae, qui et Provinciae Proreges nuncupantur, praetendunt sibi competere ius osculandi librum Evangeliorum etiam Archiepiscopo pontificaliter celebrante: super qua re cum Archiepiscopus supradictus hanc S. Congregationem consuluerit.

C. S. R. censuit: « Non competere ius laicis osculandi Evangelium, nisi Imperatori, aut Regibus, aut in eorum dominiis iura Imperialia, seu Regalia habentibus. » Die 23. Martii 1593.

47. AQUILANA.

Civitas Aquilana SSİMō humiliter supplicavit, ut per Breve Apostolicum prohibere dignaretur, ne capsula, in qua conditum est Corpus S. Bernardini Protectoris Civitatis eiusdem aperiri possit, nisi bis in anno, scilicet die 20. Maii Festo eiusdem Sancti, et 28. Augusti iuxta veterem consuetudinem; necnon quoties interveniret aliquis ex S. R. E. Cardinalibus, aut Rex, vel Prorex Neapolis; remissoque supplici libello ad nostram Congregationem Sac. Rituum, eadem C. respondendum censuit: *Concessum.* Die 23. Martii 1593.

48. COMEN.

Ad Dubium: An Cappellani perpetuo beneficiati Cathedralis Ecclesiae Comen. comprehendantur sub illis verbis: Et totus Clerus Cathedralis Ecclesiae, in quodam Decreto contentis.

C. S. R. habita die 11. Maii 1593. respondendum censuit: « Dictos Cappellanos, si Ecclesiae adscripti sint, aut aliquo modo ei uti de gremio inserviant, praeter celebrationem Missae in suis Cappellis, comprehendendi. »

49. COMEN.

In Causa Praecedentiae inter Archipresbyterum S. Georgii, et Praepositum S. Donini ex una, et Canonicos collegiatae Ecclesiae S. Fidelis Comen. Civitatis partibus ex alia, Sac. Rit. Congregatio habita die 11. Maii 1593. censuit: « Audiendos esse Canonicos, interim nihil innovandum; sed absque iurium partis utriusque praec-

iudicio servandam esse provisionem ab Episcopo factam.

50. TIFERNEN.

Capitulum, et Canonici Civitatis Castelli exposuerunt Sac. Congregationi, quod Fratres S. Dominici recusant sese adunare in Ecclesia Cathedrali, cum facienda est funebris Processio pro eadaveribus associandis, idque contra immemorabilem consuetudinem servatam tam a Regularibus, quam a Parochis, et Confratribus saecularibus. Et eadem S. R. C. censuit: « Episcopum curare debere, ut vetus loci consuetudo servetur; quod si dicti Fratres S. Dominici aliquid habeant in contrarium, adeant Congregationem. » Die 23. Martii 1593.

51. BAVARIAE.

Ad petitionem Rodulphi Baronis Cat. de Bouailler censuit, si SSmo D. N. placuerit, « ex speciali privilegio posse concedi, ut in Ecclesia etiam quod non sit Cathedralis, neque Parochialis, neque Collegiata, neque Conventualis, sed simplex, in locis ubi non adest Parochialis, possit asservari SSmum Eucharistiae Sacramentum, de consensu Ordinarii, et absque Parochi, intra cuius Parochiae fines existit, praeiudicio, dummodo Ecclesia ipsa sit decens, et solita conferri in titulum, et nunc habeat Beneficiatum perpetuum, qui eius curam gerat, et Sacramentum possit caute custodiri, et ibi lampas perpetuo accensa habeatur. »

Item: « Quod in aliqua certa Cappella decenter ornata, ad solum Divinum cultum ab Episcopo dedicata, et ab eodem visitanda, servatis aliis servandis, possit celebrari super Altare portatile. » Die 23. Martii 1593.

52. MEDIOLANEN.

« Serventur Rubricae Breviarii Romani quoad Officium, quo vero ad Missam, serventur Rubricae Missalis, ut scilicet, post celebratam Missam de die infra Octavam celebrentur aliae de Sancto. » Die 25. Maii 1593.

53. OSCEN.

Nomine Decani, et Capituli Ecclesiae Oscen. supplicatur, per Illmos DD. Cardinales super sac. Ritibus declarari: An Episcopus cum duobus de Capitulo possit circa caeremonias aliqua ordinare, et stabilire?

Ad praedictam petitionem Sac. Rit. Congreg. respondendum censuit: « Concedi posse Episcopo, ut ipse iuxta cap. 12. sess. 24. de reform. cum duobus Canonicis, quorum unus ab ipso, alter a Capitulo eligatur, in iis, quae ad debitum in Divinis Officiis regimen spectant, et caeteris,

quae necessaria erunt pro ipsius Ecclesiae utilitate, certam formulam praescribere valeat usque ad Synodum provincialem proxime habendam, quae tamen regulis Pontificalis Romani, ac Breviarii, et Missalis nuper reformatorum Rubricis non adversetur. » Die 6. Iulii 1593.

54. TOLETANA.

Cum in Oppido Orani Toletanae Dioecesis Dominicani, et Franciscani, necnon Fratres Mercedis in Processionibus turmatim, permixtique incedant, supplicatum fuit, ut S. C. ordinem praescribere dignaretur, quo dictis Religiosis incedendum sit.

Et S. C., re tota iussu SSmi Domini Nostri diligenter perspecta, et mature discussa, censuit: « Scribendum, atque expresse mandandum esse Vicario praedicti Oppidi Orani, ut posthac curet praefatorum Ordinum, ac etiam aliorum, siqui futuris temporibus illuc convenerint, Fratres in omnibus tam publicis, quam privatis Processionibus ita procedere, ut Ordines ipsi inter se minime confundantur, sed unus ab alio separatus, et singulorum Ordinum Fratres bini cum omni decencia, ac modestia incedant: quod si forte hactenus eiusmodi confusionem controversiae de praecedentia exortae pepererunt, observandam curet fel. rec. Gregorii XIII. Constitutionem super Fratrum mendicantium, et Confraternitatum laicorum praecedentia, edita die 15. Iulii 1583. quae incipit: *Exposcit*, videlicet, ut ii praecedant, qui alias in quasi possessione praecedentiae, seu iuris praecedendi illic fuerint; si vero non probetur, aut non constet de quasi possessione praecedentiae huiusmodi, tunc ii praecedant, qui antiquiores illo in loco sunt. » Die 6. Iulii 1593.

55. BARBASTREN.

Pro Abbate, et Monachis Monasterii S. Victoriani. — Abbas, et Monachi Monasterii S. Victoriani Nullius, seu Barbastren. Dioecesis asserunt, praedictum Monasterium, utpote in deserto loco situm, exponi noctu praecipue furum, maleque viventium invasionibus, et propter reddituum tenuitatem Monachos alibi commorantes rhedis vectos ad Horas Canonicas inibi celebrandas ferri, non sine maximo periculo, noctis praecipue tempore, quo nebulones praedicti, et in eos grassari, et Ecclesiam depredari possunt: quapropter postulant sibi concedi matutina ibi sub noctem recitandi facultatem. Et S. C. respondit: « Extruant oratores Sacellum privatum, commodum, ubi matutinum hora consueta celebrari possit: tempus vero ad id ab Ecclesia praescriptum non alteretur. » Die 20. Iulii 1593.

56. CALAGURITANA.

In Causa Collegiatae Ecclesiae de Victoria Calaguritanæ Diocesis super Vesperis solemniter celebrandis, Sac. Rituum Congregatio habita die 20. Iulii 1593. censuit: « Hebdomadarium, seu alium, qui officium faciat, in Vesperis solemnibus indui debere pluviali a principio Vesperarum, et sic indutum permanere usque ad finem. Quod eo magis observandum est, ubi assistentes quoque pluviali induti essent. Abusu quocumque non obstante. » Die 20. Iulii 1593.

57. ROSSANEN.

Praepositus Ecclesiae S. Petri Terrae Corigliani Rossanen. Diocesis conquestus est, quod in aliis inferioribus eiusdem loci Ecclesiis die Sabbati Sancti aliqui citius Officium incipere, campanasque pulsare audent, quam ipsa caeterarum Matrix S. Petri Ecclesia: quapropter supplicavit Sacrae Congregationi, ut super hoc inconvenienti opportune, prout iura postulant, providere dignaretur. Et S. C. respondendum censuit: « Celebraretur Officium ab aliis quibuscumque Rectoribus Ecclesiarum pro eorum arbitrio: campanas vero nemo pulsare audeat, priusquam Ecclesia Praepositi Oratoris. » Die 20. Iulii 1593.

58. TOLETANA.

Ad petitionem Confraternitatis SS^mi Corporis Christi Oppidi de Fuente nobella Toletanae Diocesis, ut liceat differre in Dominicam infra Octavam Corporis Christi Processionem, quam ex instituto facere debent Feria sexta eiusdem Octavae, idque, ut Confratres, qui in ipsa Feria, utpote non Festa in rebus rusticis occupantur, ad celebritatem convenire possint: et S. C. censuit respondendum: *Nihil*. Die 20. Iulii 1593.

59. VALENTINA.

In Parochiali Deniae Ecclesia Valentinae Diocesis adest ex legato pio, obligatio celebrandi quasdam Duplas institutas ad honorem aliquorum Sanctorum, de quibus recitabatur Officium cum solemnitatibus Vesperarum in Vigilia, et Missae in Festo ante reformationem Breviarii per fel. rec. Pium V. factam; postquam dubitatum fuit, an, propter concursum dictarum Duplarum cum Feriis, vel Festis in Calendario descriptis, binae Vesperae duaeque itidem Missae celebrandae essent, vel potius aliqua commemoratio in Vesperis facienda? Et S. C. respondendum censuit: « Per Breve SS^mi D. N. declarari posse satisfieri per commemorationem in Vesperis de die occurrente, iuxta formam Breviarii faciendam illius Sancti, cuius duplex, antiqua obligatione, celebrare tenentur, dummodo is Sanctus, vel in Martyrologio Apostolico, vel

in particulari Ecclesiae illius descriptus sit, ac accedente consensu, et approbatione Ordinarii. Missa vero celebretur, ut solet. » Die 20. Iulii 1593.

60. OXOMEN.

Ad petitionem Episcopi Oxomensis, qui, ad tollendas omnes controversias, quae oriri poterunt cum eius Capitulo. Supplicavit S. R. C., ut dignaretur declarare quibusnam potissimum diebus praedictum Capitulum teneatur comitari Episcopum tam euntem ad Ecclesiam, quam ab ea recedentem. Eadem S. C. respondendum censuit: « Aut servetur, quod alias decretum fuit in Causa Hispanen. (Die 20. Octobris 1592.) cuius decisionis Copia detur Oratori; aut, si Decretum particulare cupit, quod partem afficiat, eam citet ad informandum. » Die 3. Augusti 1593.

61. SARZANEN.

Presbyteri Parochialis Ecclesiae Spetiae sub invocatione S. Mariae Sarzanen. Diocesis exponunt, Presbyterum Alexandrum Biassa Sacerdotio recens insignitum velle in Choro omnibus praecedere contra antiquam consuetudinem servandi ordinem antianitatis in Ordine Sacerdotali. Et S. C. respondendum censuit: « Consuetudini allegatae consonat ius commune, ideo censet Congregatio, quemlibet iuxta suae receptionis tempus locum habere oportere. » Sed hac de re scribatur ad Episcopum. Die 3. Augusti 1593.

62. COMEN.

Declaratio cuiusdam Decreti. — « Si Cappellani Ecclesiae adscripti sint, aut aliquo modo Ecclesiae inserviant uti de gremio, praeter celebrationem Missae in suis Cappellis, comprahenduntur. » Die 24. Augusti 1593.

63. PAPIEN.

Pro Episcopo Papiensi. — Vox illa — *Velo*: significat velamen album, sed ille mos equitandi in Processionibus recessit ab aula, praeterquam in ingressu Episcopi ad suum Episcopatum, quo casu licet equitare equum album, seu albo velamine coopertum. Die 24. Augusti 1593.

64. AGRIGENTINA.

Pro Ecclesia Agrigentina. — « Cum ex descriptis in Calendario Agrigentinae Ecclesiae Sanctis, nonnulli neque in Calendario Romano, neque in Martyrologio universali reperiantur, priusquam ad ulteriora procedatur, exhibeant Procuratores Agrigentini publica Documenta, quibus constare possit, an vere tales sint, ut eorum Festivitates sint celebrandae, et quonam modo allegatae consuetudines introductae sint, aut quando, et unde ortum habuerint. » Die 7. Septembris 1593.

65. CALAGURITANA.

Pro Dignitatibus, et Decano. — In Ecclesia Dei ordo praecipue servandus est. Itaque cum maxime indecens sit, maiores inferioribus ministrare; censuit S. C. quod, « celebrantibus Canonice, seu Portionariis, Dignitates praedictae, neque Evangelium, neque Epistolam cantare debent; quae Dignitates celebranti Episcopo assistere, et inservire tenentur. » Die 7. Sept. 1593.

66. SEGUNTINA.

Congregatio Sac. Rituum censuit, « quod D. Marchio de Berlanga, si aliquando usus est umbella, seu baldachino in Ecclesia, abstineat omnino posthaec: locus vero eidem D. Marchioni tribuendus est in Ecclesia dignior, et honorificentior, sed absque gradibus, et extra Presbyterium. » Die 7. Septembris 1593.

67. ORDINIS S. FRANCISCI.

Habita fuit Congregatio Sac. Rituum, in qua proposita Causa praecedentiae inter RR. Patres Procuratores Generales Fratrum Minorum de Observantia, et Fratrum Minorum Conventualium Ordinis S. Francisci, auditis partibus, visisque, et examinatis iuribus per utrasque exhibitis: C. censuit: « Fratres Minores Observantes suum Procuratorem Generalem legitime haecenus habuisse, et ex fidibus, quas ipsi exhibuerant, constare dictum eorum Procuratorem Generalem in Cappella Pontificia ante Procuratorem Generalem Minorum Conventualium sedisse. *Quamobrem etiam censuit: Dictum Procuratorem Generalem Minorum Observantium in hac quasi possessione sedendi manutenendum esse, si ita SSmo D. N. placuerit.* » Die 26. Novembris 1593.

68. HYDRUNTINA.

Archipresbyter, et Archidiaconus Ecclesiae Parochialis S. Petri Galarini Dioecesis Hydruntinae conquestus est, Vicarium Foraneum dictae Terrae praetendere locum, et stallum certum in Choro, et in Processionibus, seque velle ingerere in caeremoniis, et servitio Ecclesiae, aliisque in rebus ad eisdem Archipresbyterum, et Archidiaconum spectantibus: quapropter recursum ad hanc S. C. habuerunt, ut providere desuper dignaretur. Et eadem C. censuit: « Supradictum Archipresbyterum Ecclesiae Parochialis Casalis novi praecedere debere Vicarium a Vicario Generali deputatum, Foraneum, eique primam sedem in Choro, praerogativas, ac praerogativas omnes in Ecclesia debere: ipsi vero Vicario tamquam simplici Sacerdoti locum inter alios juxta receptionis suae tempus esse assignandum. » Die 14. Decembris 1593.

69. VENETA.

Congregatio Sac. Rituum censuit: « Concedi posse Fratribus Ordinis Minorum Conventualium Venetiis commorantibus, in sua Ecclesia tamen vulgo dicta delli Frati, liceat in Nocte Nativitatis D. N. I. C. inchoare Matutinum ad populi commoditatem post pulsatam primam horam, eoque solemniter, et cum debitis caeremoniis decantato, statim Missam celebrare, etiamsi debitam horam praevenerint. » Die 14. Decemb. 1593.

70. VISEN. IN PORTUGALLO.

Essendo stato letto in Congregazione il Memoriale di V. S. per il quale domanda, che le Dignità, Canonici, e Capitolo della sua Chiesa, quando ella assiste alli Divini Officii nel Coro inferiore, debbano anche essi assistere nel medesimo Coro, questi miei Signori Illmi han detto, « che io scriva a V. S., che espona il fatto più pienamente; et però resterà contenta di avvisare la diversità, che è da un Coro all' altro, la distanza, et se il Coro inferiore è capace del Capitolo, et d' altri che debbano assistere al Coro con le sedie distinte, per non generare confusione; et parendole, ne potrebbe mandare una pianta, che come sarà ben inteso il fatto, questi miei Signori Illmi provvederanno conforme alla ragione, et convenienza del servizio di Dio, et di quella Chiesa. » Il Signore Iddio la felicità. Da Roma alli 17. d'Aprile 1593.

71. NUNTIO APOSTOLICO TAURINENSIS.

SSmi D. N. iussu proposita, et examinata sunt in Congregatione Sac. Rituum nonnulla Dubia una cum literis, et Ecclesiae Taurinen. typo a D. V. missis, quorum definitiones cum ad Sanctitatem Suam relatae fuerint, easdem approbavit, atque etiam iussit, ut tam ad D. V. quam ad S. Sedis Apostolicae Nuncium transmitterentur: ut in futurum nullum amplius habeant haesitandi locum, sed certo sciant, quid sibi faciendum sit cum eiusmodi sese occasio praebuerit. Eorum itaque omnium exemplum cum his literis mitto D. V., et eidem a Deo omnia feliciter evenire cupio. Roma XV. Cal. Aprilis 1593.

Archiepiscopo Taurinen. — *Perillustris, et admodum Rev. Domine.* — « Accepi D. V. literas, et eodem fere tempore libellos petitionis eius ad SSmum D. N. missos. Quibus quidem propositis, et in pluribus Congregationibus mature discussis, S. C. censuit: nihil immutandum esse in iis, quae alias decrevit, sed tantummodo declarandum, Dominationem Vestram, dum pontificaliter celebrat, uti posse faldistorio in loco decenti, idest in cornu Epistolae posito, etiam



presente Nuncio Apostolico, et Sedem Episcopalem in Choro erigendam omnino esse: quae si in medio inter Dignitates commode erigi non possit, in alio digniori loco dicti Chori pro loci opportunitate construatur, ita ut Dignitatibus praecedat, et a superiori parte Ciborium habeat, ab inferiori autem duobus sit gradibus elata, et hac quidem praesente Nuncio ob Sedis Apostolicae reverentiam, vel faldistorio utatur, illo autem absente, uti poterit alia pontificali sede. » Roma XVIII. Cal. Iunias 1593.

72. LUNEN. SARZANEN.

Nostra Sac. Rituum Congregatio, perspectis, et cognitis SSmo D. N. iussu, quae in libello hoc nomine Presbyterorum S. Mariae de Spetia exponebantur, intelligens consuetudinem ab ipsis allegatam conformem esse sacris Canonibus, qui iubent singulis ex uniuscuiusque ordinationis tempore dandum esse locum, censuit: « Amplitudinem tuam his literis esse commendandam, ut, ea consuetudine restituta, locum cuilibet, iuxta suae ordinationis tempus, debitum assignet; eumque ordinem pro sua prudentia inviolate posthac conservandum curet, nisi dignitatis alicuius praeminentia, aut praerogativa personalis aliud non postularet. Si quid tamen Amplitudini Tuae ad hanc rem occurrerit rescribendum, statim nostram Congregationem faciant certiore. » Romae Idibus Octobris 1593.

73. CALAGURITANA.

Quum alias S. R. C. pro Ecclesiis de Victoria Calaguritanae Dioecesis decrevisset, ut sequitur: Decernimus, et declaramus Hebdomadariam, seu alium, qui officium faciet in Vesperis solemnibus indui debere pluviali a principio Vesperarum, et sic indutum permanere usque ad finem, quod eo magis observandum est, ubi assistentes quoque pluviali induti sunt - Rectores quatuor Ecclesiarum ex dicto Decreto sese gravatos esse dixerunt, eo quod laesum remaneat ius praecedentiae, qua vigore sententiarum Rotalium se super alios asserunt gaudere sedendi in digniori loco; habitoque ad S. Cong. pro convenienti provisione recursu.

Eadem sic rescribendum censuit: « Ad supplicem libellum Capituli Rectorum, et Beneficiorum universitatis Parochialium Oppidi de Victoria Calaguritanae Dioecesis S. R. C. censuit Decretum alias factum perinde intelligendum esse, ac si in eo apposita esset clausula — sine praediuicio sententiarum Rotalium, et iudicii ibi pendentis — *declarans praeterea* se eodem Decreto de sacris tantum vestibus, quae Sacerdos celebrans Vesperas indui debet, non de ullo praee-

dentiae ordine praescribere voluisse. » Die 8. Februarii 1594.

74. URBIS.

Quaeritur: an Canonicus, qui in Ecclesia Cathedrali locum tenet Vicarii, et gerit personam Cardinalis Archipresbyteri, debeat in Choro habere digniorem locum, et praeferrri etiam iis Canonicis, qui sunt Episcopali dignitate insigniti?

Item: Si contigerit aliquando Vicarii Papae Suffraganeum, qui in illa Ecclesia iurisdictionem non habet, devotionis tantum causa adesse in Choro, non autem actu exercendi aliquod Pontificale munus, an tunc debeat ei praeferrri Canonicus, qui tenet locum Vicarii, et refert personam Archipresbyteri Cardinalis, suffragante praesertim vetere illius Ecclesiae consuetudine?

Ad dubia proposita nomine « Canonici locum Vicarii obtinentis in Ecclesia, quae Archipresbyterum habet Cardinalem, S. R. C. censuit: Huiusmodi Vicarium, si iurisdictionem habet, praecedere debere omnes in eadem Ecclesia, etiam eum Episcopum, qui Suffraganei officio in Urbe fungitur, et alios quosque devotionis causa Divinis Officiis in Choro interessentes. Die 8. Februarii 1594.

75. AURIEN.

Vicarius Generalis, Sede vacante Cathedralis Auriensis Civitatis, et eiusdem Ecclesiae Archidiaconus exposuerunt natam esse inter ipsos controversiam de praecedentiae praerogativa in celebratione Missarum solemnium, in sedibus choralibus, in Processionibus, et in quocumque actu Ecclesiastico; consultaque super hac re Sac. Congregatione.

Eadem S. R. C. censuit: « Supradicto Vicario Generali tribuendum esse locum digniorem, et praecedentiam in omnibus actibus tam in Ecclesia, quam extra Ecclesiam super omnes Dignitates, et Canonicos.

Praeterea declaravit: Ad eundem Vicarium non pertinere Missas ab Episcopo celebrari solitas, eo absente, vel alias impedito, celebrare, sed ad Dignitates, et Canonicos iuxta loci consuetudinem. » Die 26. Aprilis 1594.

76. CANARIEN.

Ex parte Episcopi, et Capituli Canariensis proposita fuerunt S. R. C. infrascripta dubia.

1. Utrum Dominus Episcopus possit compellere Fratres Mendicantes, quorum Monasteria consistunt intra septa moenium dictae Civitatis ad interessendum omnibus Processionibus solemnibus Corporis Christi, et aliis infra annum fieri solitis?

2. An Fratres praefati teneantur antecedere

omnes de Capitulo in ordine Processionis, ita ut inter ipsos Capitulares non debeant immisceri, et in isto casu, cessante Apostolico privilegio, possint se iuvare alicuius temporis praescriptione?

S. R. C. respondendum censuit.

Ad 1. « Episcopum compellere posse supradictos Fratres Ordinis Praedicatorum, et Ordinis Minorum de Observantia ad Processiones iuxta decretum Sacri Concilii Tridentini 25. sess. de Regularibus cap. 13., et declarationem a Sac. eisdem Concilii Congregatione editam.

Ad 2. « Ut confusio omnis tollatur, eosdem Fratres suo quemque Ordine separatim a Capitulo Ecclesiae Cathedralis, caeterisque Clericis saecularibus incedere debere, non obstantibus allegatis. » Die 10. Maii 1594.

77. NEAPOLITANA.

Ad petitionem nobilis viri Gomesii de Amevea Praesidentis Summariae Neapolis, Congregatio Sacr. Rituum censuit, « D. Gometii a Mesena pii, ac praestantis viri supplicationi satisfieri posse, ita ut ei liceat sacras Reliquias domi suae in aliquo loco decenti religiose asservare, easque cum voluerit, devote, ac debita cum veneratione etiam ad collum deferre. » Die 24. Maii 1594.

78. NEAPOLITANA.

Visum est S. R. C. « Dominum Archiepiscopum Neapolitanum contentum esse posse, ut Magistri Annuntiationis eiusdem Civitatis, in repositione SSñi Sacramenti, quae fit in Octava Corporis Christi post Vesperas, possint deferre praedictum SSñum Sacramentum extra Ecclesiam, et procedere iuxta extensionem murorum eiusdem Ecclesiae, et domus, ita ut semper ab uno latere dictos muros habeant: dummodo tamen non interveniant alii Religiosi, neque laicorum societates, praeter illos eiusdem Ecclesiae, et domus, vel ab ipsa dependentibus. » Die 11. Iunii 1594.

79. TIRASONEN.

Ad Dubium nomine Episcopi Tirasonen. propositum: an scilicet Archidiaconus Ecclesiae Cathedralis teneatur assistere, et in sede sine respaldo, seu appoggio sedere in aliis Ecclesiis, ad quas praedictus Episcopus adire contigerit?

S. R. C. censuit: « Supradictum Archidiaconum compelli posse per Episcopum Tirasonen., ut pontificaliter celebranti, aut alia Pontificalia exercenti, non solum in Cathedrali, sed in praescriptis etiam Ecclesiis sibi assistat, et inserviat; eumque sic assistentem, ac ministrantem scabello, sive sella rasa, quam vocant, prout ministrum decet, contentum esse debere. » Die 20. Decembris 1594.

80. VERONEN.

Mentre nella nostra Congregazione de' Sacri Riti si sta vedendo il negozio della precedenza tra cotesti Reverendi Canonici, et li Proveditori della Città fuori di Chiesa, è parso alla gran prudenza, et carità di N. S. molto conveniente per vedere, che durante la cognizione della Causa, non segua costì qualche disordine, et perciò ha particolarmente comandato, che se ne scriva a V. S. per dirle, « che tenghi esortato efficacemente il Capitolo, et se stessa ancora, a guardarsi di dar trattato materia alcuna di scandalo circa la sudetta precedenza fuor di Chiesa, et a fuggir ogni occasione di nuovo disgusto, aspettando con la debita pazienza, et modestia la risoluzione della Congregazione, poichè si penserà di pigliarla con ogni brevità; per il quale effetto, siccome sono stati già uditi li Canonici, et Agenti del Capitolo, così lo saranno anche nell'avvenire a piena soddisfazione loro, quante volte vorranno. Io adunque in esecuzione dell'ordine di Sua Beatitudine scrivo la presente, esortando lei, che in ciò non manchi di usare dal canto suo diligenza, et avvertenza, che la Santità Sua abbia occasione di commendare l'opra, che ella ci avrà fatto, et il modesto procedere del Capitolo non di disgustarsi, et di restar obbligata a risentimento, et dimostrazione contro di loro. » Da Roma alli 11. di Marzo 1594.

81. MANTUANA.

Soddisfarò con questa a due richieste da V. S. per sue lettere, et per mezzo del suo Agente; et quanto alla prima circa il luogo, che deve avere il Vicario del Vescovo nel Sinodo Dioecesano anche in presenza dell'istesso Vescovo, le fo sapere, che si trova dichiarato non solo per Decreti di più Congregazioni, ma anco per Brevi Apostolici, « che il Vicario deve avere il primo luogo immediatamente dopo il Vescovo, et prima del Capitolo, » et per maggior soddisfazione di V. S. le mando qui alligata la copia di un Breve di Gregorio XIV. di fel. mem. spedito sopra di ciò ad istanza di Monsig. Illmo di Siviglia, che contiene anco qualche cosa d'avantaggio a favore del suo Vicario.

Quanto alla seconda richiesta, cioè, « come si ha da governare V. S. con le Dignità, et col Capitolo della sua Chiesa circa le funzioni ecclesiastiche, et pontificali, le mando similmente qui alligata la copia di un Breve di N.S. Clemente VIII., col quale Sua Santità, approvando, et confermando quanto in questa materia fu lungamente discusso nella nostra Congregazione de' Sacri Riti tra il

medesimo Sig. Cardinale de Seviglia, et il Capitolo di quella sua Chiesa, comanda, che s' eseguiscono, et osservino le risoluzioni della Congregazione; nelle quali spero, che V. S. avrà quanto le può bisognare, pur occorrendole dubbio in qualche cosa, che non vi sia compresa, le piacerà di darne avviso, che si procurerà di risolverglielo.» Da Roma alli 3. di Aprile 1594.

82. AUSTRIA.

Il Memoriale dato in nome di V. S. Ill^{ma}, et rimesso da Sua Santità alla nostra Congregazione dei Sacri Riti, « è stato letto con molta consolazione di tutti questi Signori miei Ill^{mi}, et mia, vedendosi chiaramente quanto bene corrispondano le opere, et effetti alla speranza grande, che sempre s' è avuto della prudenza, et zelo di V. S. Ill^{ma} nel buon governo di cotesta sua Chiesa, con l' introdurvi hora l' uso del Messale, et Breviario Romano conforme a quello, che dalla S. M. di Pio V. nella riforma di essi, s' è desiderato, che riuscisse universalmente per tutto il Mondo: al che gioverà molto l' esempio, che ne darà la Chiesa di V. S. Ill^{ma}, la quale perciò potrà a piacer suo, et quanto prima sarà meglio, che tale è il parere di questi miei Signori Ill^{mi}, eseguir questo suo pio, et santo pensiero di far ricevere, et ristampare per uso della sua Chiesa li Messali, et Breviarii Romani, confidando questi miei Signori Ill^{mi}, che in questo lei farà usar diligenza tale, che la stampa riesca ben corretta, et emendata conforme in tutto alla nuova riforma, et stampa delli Messali, et Breviarii Romani senza alterazione alcuna. »

Quanto all' aggiunta delle Messe, et Uffici de Santi particolari Patroni delle Chiese, questi miei Signori Ill^{mi} dicono: « esser necessario, che li Santi suddetti sieno descritti nel Martirologio Romano, o almeno nel particolare di cotesta Chiesa, qual sia sicuro, et approvato, et avvertire insieme, se si pretende pigliare la Messa, et Ufficio dal Comune del Messale, et Breviario Romano, perchè in tal caso V. S. Ill^{ma} lo potrà far senz' altro, ma quando si desidera havere Messe, et Uffici proprii, et particolari, sarà necessario, che si veggano, et approvino prima che si stampino, da questa Santa Sede, la quale non suol concedere al presente, per Decreto già fatto, altro di proprio, che le lezioni della Vita dei Santi, de' quali si avrà da recitare l' Ufficio, che nel resto bisognerà contentarsi di pigliare ogni cosa dal suddetto Comune, et questo, oltre che oggi è necessario, sarà ancora molto più lodevole per conformarci col giudizio della Chiesa universale. Intanto non

s' haverà da ritardare l' opera principale della stampa de' Messali, et Breviarii, poichè le lezioni proprie dei Santi sudetti, dopochè saranno esaminate, et approvate qui, si dovranno stampare separatamente, et aggiungersi nel fine dei medesimi Breviarii, come sogliono far molte Religioni degli Uffici propri dei Santi loro particolari. Così aspettando questi miei Signori Ill^{mi}, et massime io, come servitor suo particolare, d' intender maggiore, et più felice progresso del buon governo di V. S. Ill^{ma}, in cotesta sua nobilissima Chiesa ec. » Di Roma alli 10. Maggio 1594.

83. PERUSINA.

Avendo inteso la dimanda di V. S. circa il benedir le Campane del Palazzo del Magistrato di cotesta Città, mi son posto molto volentieri a farci studio, et qui incluso le mando un foglio, nel quale consultatamente le dico quanto m' occorre in tal materia. Roma 16. Luglio 1594.

Tenor folii, de quo loquitur praedicta Epistola.

Primo. Si dubita, se essendo le Campane del Campanile del Palazzo Apostolico di Perugia in luogo profano (sebbene in detto Palazzo vi sono due Cappelle, nelle quali si dice Messa), et suonando oltra l' hore, anco talhora all' arme, agli consigli pubblici, alle lezioni dello studio, alle allegrezze, et in ogni occasione pubblica indifferente, si convenga accomodare l' istessa benedizione, che si fa alle Campane delle Chiese, secondo il rito del Pontificale?

2. Si dubita, se si deve presumere detta benedizione sendo dette Campane fatte l' una in tempo d' Urbano VI., l' altra in tempo di Sisto IV., poichè essendo stata la Città in quei tempi piena di turbolenze, si può credere, che i Vescovi non vi facessero residenza?

3. Casochè si devono benedire, se conviene, che Monsignor Vescovo vada sopra il Campanile a far detta benedizione, non potendosi levare dal detto luogo dette Campane senza grandissima spesa?

S. R. C. ad primum dubium respondit: « Non videntur posse benedici solemniter Campanae, quae solum deserviunt profanis usibus; nam, ut ex ipsa benedictione, quae habetur in Pontificali, colligi potest, Campanae benedicuntur in usum tantum ecclesiasticum, ut caetera vasa sacra: et ideo inunguntur, variisque caeremoniis consecrantur fere ad eum modum, quo consecrantur Altaria. »

Ad 2. Dubium: « Campanae de quibus agitur non videntur praesumi posse esse benedictae non solum quia factae sunt tempore bellorum, et schis-

matum, sed etiam quia sunt institutae ad profanos usus. »

Ad 3. Dubium: « Non videtur ullo modo decere, ut Episcopus in habitu pontificali ascendat turrim, ut Campanas solemniter ritu benedicat: posset tamen Sacerdos aliquis ritum ascendere, et aqua benedicta Campanas aspergere. » Die 16. Iulii 1594.

84. **CONVERSANA.**

V. S. vedrà dall' incluso Memoriale quel che ha supplicato cotesto Capitolo, et Clero alla Santità di Nostro Signore, dal quale sendo stato mandato esso Memoriale a questa Congregazione de Sacri Riti, è parso a questi miei Ill^{mi} Signori « di rimettere al giudizio, et alla prudenza di V. S. questa provisione: perciocchè sendo Ella in fatto, et sapendo le facultà, et le qualità di ciascuno, potrà permettere, che i poveri possano portare habitum lungo dell'ordinario, fuori della Città, et in luoghi fangosi, purchè nella Città, et ne' luoghi insigni vadano in abito lungo, conforme alla Costituzione di Sua Beatitudine. » Da Roma alli 23. Agosto 1594. : Hoc responsum datum fuit ad sequentem petitionem. » Avendo il sommo Pontefice ordinato, che i Preti vestissero di lungo, » il Capitolo, et Clero di Conversano ricorsero » a Sua Santità, acciò, stante la lor povertà, » gli permettesse vestire habitum corto ne' giorni » di lavoro, et rimesso il Memoriale alla S. Congregazione dei Riti fu scritto. »

85. **ARIMINEN.**

Essendo stati veduti, et esaminati gli Uffici della Croce, et della Beatissima Vergine, che si recitano dalle due Confraternità dei laici di S. Croce, et di S. Girolamo in cotesta Città, nel modo, che V. S. m' inviò insieme con una sua alli mesi passati, s' è giudicato da questi miei Signori Ill^{mi}, « che non si debbano concedere; non convenendo, che ad istanza de' laici si abbiano ad alterare in alcuna parte gli Uffici antichi fatti, et approvati da questa Santa Sede. Sicchè V. S. potrà far loro intendere la risoluzione di questa Sagra Congregazione, ordinando, che si conformino nel recitare li suddetti Uffici con l' uso della Chiesa universale. Et quando pur volessero per devozione loro dire altre preci, orazioni, et Uffici, lo facciano dopoi appartatamente, senza interrompere l' ordine delli già approvati. » Da Roma li 3. Settembre 1594.

86. **BAREN.**

Ad petitionem Prioris, et Capituli Ecclesiae S. Nicolai Baren. S. C. censuit: « Ipsum Priorem S. Nicolai Baren. omnino teneri ad publicas Pro-

cessionones accedere. Eo autem absente, seu aliqua iusta, legitimaque causa impedito, ipsius Vicarium una cum Canonicis, et Capitulo suae Ecclesiae; nonnullis tamen pro necessario eiusdem Ecclesiae servitio ibidem relictis. » Die 24. Ianuarii 1595.

87. **CORDUBEN.**

Congregatio Sac. Rituum censuit: « Servandum esse Decretum alias editum in Causa Hispalen. a SS^{mo} D. N. Literis in forma Brevis desuper expeditis confirmatum; ut nimirum Decanus, Dignitates, Canonici, et Capitulum supradictae Ecclesiae Corduben. accedant ad cubiculum, ubi Episcopus induitur Cappa, eumque ad Ecclesiam venientem debito cum honore comitentur, atque ab Ecclesia redeuntem saltem usque ad ostium domus associent. Idque faciendum esse quotiescumque Episcopus accedit ad Ecclesiam cum cappa pontificali, ut solemniter celebret, vel ut assistat Divinis Officiis, aut Processioni, vel ut aliud quippiam ex pontificalibus exerceat. Ei vero privatim, hoc est sine cappa pontificali venienti ad Ecclesiam, nonnulli ex Dignitatibus, et Canonicis ad ostium eiusdem Ecclesiae occurrere, et in reditu similiter usque ad ostium Ecclesiae ipsum comitari debere; contraria consuetudine non obstante. » Die 24. Ianuarii 1595.

88. **LAURETANA.**

Congregatio Sac. Rituum censuit: « Servandum esse laudabilem suprascripti loci, aliarum Civitatum Provinciae, atque finitimarum Ecclesiarum consuetudinem Pontificalis Romani regulis, et rationi consentaneam, ut nimirum supradicto Episcopo pontificaliter Missam celebranti, aqua ad ejus manus abluendas, per Priores eiusdem Civitatis ministretur. » Die 24. Ianuarii 1595.

89. **PALENTINA.**

Ad petitionem Petri Gasca de la Vaga Cappellae maioris Ecclesiae B. Mariae Magdalenae Oppidi de Valladolid Palentinae Dioecesis, an liceat aliis personis, sive masculis, sive foeminis sedes fixas intra praedictam Cappellam habere?

C. S. R. censuit: « Non licere. » Die 24. Ianuarii 1595.

90. **CONCHEN.**

Decanus, et Capitulum Cathedralis Ecclesiae Conchen. exposuerunt Regulares diversorum Ordinum ius sibi arrogare velle incedendi in Processionibus permixtim inter Beneficiatos, et Curatos eiusdem Civitatis.

Et S. R. C. censuit: « Regulares omnes tam Civitatis, quam Dioecesis Conchen. in Processionibus ante Clerum saecularem distincte, ac se-

paratim ab eodem Clero, debito inter se ordine servato, sub suis Crucibus incedere debere.» Die 29. Novembris 1595.

91. MIRANDEN.

S. R. C. censuit: « Concedi posse suprascripto Episcopo Mirandensi Literas Apostolicas in forma Brevis, quibus detur ei facultas compellendi Canonicos, et Dignitates per muletas, et poenas etiam per censuras Ecclesiasticas, ut sibi celebranti, atque Pontificalia exercenti, ex Decreto Concilii Tridentini assistant, et inserviant iuxta Pontificalis, et Missalis Romani Rubricas. Die 24. Ianuarii 1595.

92. HYDRUNTINA.

L' Arciprete, et Arcidiacono della Terra di S. Pietro Gallatino hanno esposto a questa nostra Congregazione de' Riti, che il Sig. Fabrizio Lanaro Conte del Sacco Affittuario dell' Intrate Baronali di detta Terra pretende, che verso la persona sua si usino alcune cerimonie, come vedrete nell' incluso Memoriale, il quale sendo stato letto in Congregazione; questi miei Signori Ill^{mi} hanno giudicato: « Che delle sudette cerimonie non ne convenga alcuna ad esso Signore come Affittuario, ma solo come a Conte se gli dia l' incenso all' Offertorio, et la pace immediatamente dopo la prima Dignità, o quello, che in assenza sua farà capo al Coro. Et così potrete fare eseguire, facendo avvertito di questa risoluzione detto Signore, et essortandolo a contentarsi di quello, che se gli conviene, et non voler pretendere l' altre cerimonie, che solo al proprio Vescovo, et Prelato sono riserbate. » Da Roma li 13. di Marzo 1595.

93. MEXICANA.

« Pro Monialibus Mexici apud Indos orientales petentibus, ut possint recitare Officium Romanum, potest concedi Officium Romanum, tum quia rationes ab oratricibus adductae videntur iustae, tum quia S. M. Pius V. in Bulla confirmationis Missalis, et Breviarium ab eo editi, hortatur omnes ad recitationem Officii Romani, quamvis alia Officia toleret. » Placuit. Die 27. Maii 1596.

94. BRUNDUSINA.

Ad instantiam Archidiaconi Brundusinae Civitatis petentis, ut non liceat Oeconomus Regio, vacante Sede Episcopali, sibi arrogare supra dictum Archidiaconum praecedentiam.

In Congreg. Sac. Rituum habita in Palatio nostrae solitae residentiae in Urbe sub die 3. mensis Iulii anni 1596. inter caetera fuit decretum, ut infra, videlicet.

« Oeconomus nullum ius habet in spiritualibus, neque in Ecclesia: et ideo Dignitates, et Ca-

nonici praecedere debent Oeconomum; cui tamen locus honorificus dumtaxat debetur. Et factum super hoc verbo cum SS^{mo} D. N. PP., suae vivae vocis oraculo approbavit, et confirmavit. » Datum Romae die 24. mensis Octobris 1597.

95. AQUILEIEN.

Patriarca Aquileiensis Ecclesiae S. C. supplicat, ut declaret, quis locus dandus sit Coadiutoribus Episcoporum Suffraganeorum in Synodo Provinciali? Et S. R. C. rescribendum censuit.

« Coadiutores cum futura successione in Synodo Provinciali sedeant iuxta tempus eorum promotionum. » Die 30. Septembris 1596.

96. AQUILEIEN.

Coadiutor Patriarchae Aquileien. Congregationi praeteritae supplicem libellum porrexit, et iterum modo porrigit, ut, licet nondum Pallio fuerit insignitus, possit tamen tam Aquileiae, eiusque Dioecesi, quam etiam alibi, de consensu quidem Ordinariorum ibi iurisdictionem habentium, Pontificalia exercere. Et S. R. C. respondendum censuit.

« Congregationi visum fuit, posse Pontificalium exercitum concedi. » Die 30. Septembris 1596.

97. COMEN.

Alexander Giovius Comen. Civitatis Clericus in Romano Seminario Scholaris exponit, per eius Civitatis Episcopum tempore fel. rec. Gregorii XIII. Breviarium fuisse reformatum, quod in illa Ecclesia, et Dioecesi recitari consueverat, mandatumque fuisse, ut omnes Clerici eius iurisdictioni subiecti, eiusmodi Officium sub poenis arbitrariis, praeter peccati culpam, quacumque ex causa recitare deberent. Nunc vero praedictus Clericus in Romano Seminario moram faciens, Romanum Officium cuperet recitare, ne si aliquid circa suae Dioecesis Officium sibi dubium oboriatur, nec qui illud declaret, inveniat: porrecta de hac re Datariae supplicatio, huic Congregationi remissa fuit, cui respondere placuit.

« Romae Romanus mos servetur, et ideo Romanum poterit Officium recitare. » Die 30. Septembris 1596.

98. ORD. CARMELIT. DISCALCEATORUM.

Asserunt Carmelitani Discalceati, se consuetudinem habere Feriis V. Festo novem lectionum non impeditis, Missam de SS^{mo} Sacramento celebrandi, qui mos a fel. rec. Sixto PP. V. approbatus fuit, atque confirmatus; indulgentiaeque etiam concessae iis, qui Missae eo ipso die intersunt; et Breve Apostolicum fuit expeditum. Nunc petunt, ut possint eodem die in suis Monasteriis Officium sub ritu duplici, et Missam solemnem celebrare. Et S. R. C. respondendum censuit.

« Nihil de novo concedendum; eo tamen privilegio, quod S. M. Sixtus V. indulsit, utantur, eo tamen modo, ut iura permittunt. » Die 30. Septembris 1596.

99. SAVONEN.

Pro parte Episcopi Savonen. duo Dubia declaranda fuerunt proposita, videlicet.

Primum. In Pontificali Romano sub titulis de Consecratione, et Reconciliatione Ecclesiarum praecipitur, in huiusmodi caeremonia peragenda provideri; ut Ecclesia commode circumdari possit: quod saepe factu non est possibile, vel quia Ecclesiae Saecularium domibus, aut Urbis moenibus adhaerent, vel quia apud Montes sunt sitae. Querit: quid sibi faciendum?

2. Viget in ea Cathedrali consuetudo, ut Canonici praecedant iuxta antiquitatem, sive antianitatem, nullo ad ordinem, quo sunt insigniti, habito respectu. Videtur itaque haud convenire, ut Subdiaconus Canonicus, utpote antiquior, resideat in Choro supra Canonicum Diaconum, et similiter ut Diaconi antiquiores super Sacerdotem ultimo loco provisum?

S. R. C. respondendum censuit.

Ad 1. « Circumdetur Ecclesia eo modo, quo commode fieri potest. »

Ad 2. « Abusus narratus est contra ius, et ideo reformandus; si quid tamen in contrarium habent interesse praetendentes, afferant; nam providebitur, ut iuris. » Die 30. Septembris 1596.

100. ALECINA.

Episcopus Alecii cum prohibuisset, ne in Ecclesia S. Viti Oppidi Lequilis Alecien. Dioecesis. Missa celebraretur, nisi post medietatem Missae solemnis parochialis, a Felice Cascione S. Viti Rectore recursum fuit ad hanc Congregationem, quae decrevit: Licere cuilibet Sacerdoti Missam celebrare, orta iam die, atque ita observandum scripsit Episcopo, qui denuo S. C. supplicavit, varias adnectens causas, cur praedictam prohibitionem sustinere nititur, rescriptum fuit.

« S. R. C. stat in decisio, eo magis cum causae ex adverso allegatae facile refellantur. » Die 10. Ianuarii 1597.

101. BRAGEN.

Archiepiscopus Bragen. in Hispaniis exponit, tam in veteri, quam in novo Pontificali, cum de primo Metropolitanus in suorum Suffraganeorum Urbes ingressu verba facit, mandari Suffraganeum Episcopum illi obviam fieri processionaliter cum Clero, et Canonicis; atque idem alias a S. Rota decisum fuit anno 1538. in Causa inter Metropolitanum Hydruntinum, et Aliciensem Episco-

pum: supplicat igitur ad omne dubium tollendum, ut S. C. suam declarationem velit apponere. Et S. R. C. respondendum censuit.

« Quotiescumque Archiepiscopus incedit solemniter, debet Episcopus Provincialis illi processionaliter obviam ire. » Die 10. Ianuarii 1597.

102. CALAGURITANA.

Abbas, et Canonici Collegiatae Ecclesiae S. Mariae Zennaruzzae Calaguritanae Dioecesis in aspero, frigidoque monte sitae, exponunt, solere in ea Ecclesia media nocte Matutina recitari; atque idcirco brumali tempore propter imbres, magnasque tempestates multos Saecularium Officium relinquere, multasque infirmitates causari; quapropter petunt, ut liceat Matutinum recitari post Completorium diei praecedentis. Et S. R. C. rescribendum censuit: *Nihil.* Die 10. Ianuarii 1597.

103. CORNETANA.

Confraternitas Confalonis S. Crucis Civitatis Cornetanae in Congregatione diei 7. Augusti praeteriti anni 1596. supplici libello exposuit, se, uti priori loco erectam, caeteras, et praecipue eam de Misericordia, in processionibus, aliisque functionibus praecedere solitam. S. C. respondit produci, et audiri partium iura; quibus visis, ac consideratis S. R. C. respondendum censuit.

« Manuteneatur Confraternitas Confalonis in suo iure praecedendi Confraternitatem Misericordiae; tum ob possessionem in qua existit, tum etiam ob antiqua documenta, quae exhibuit. » Die 10. Ianuarii 1597.

104. GIENNEN.

Parochiani Ecclesiae S. Crucis Giennen. Civitatis, postulant Episcopo imperari per Sac. Rit. Congregationem, ne eiusdem Ecclesiae ministros adigat ad commodanda aliis paramenta sacra, quae iidem Parochiani ob Ecclesiae paupertatem suo aere, et elemosynis fieri curaverunt. Et S. R. C. censuit respondendum.

« Possunt supplicata concedi, et mandetur Episcopo, etiam sub censuris, ut a talibus de caetero obstineat. » Die 10. Ianuarii 1597.

105. MIRANDEN.

Decanus, et Capitulum Miranden. iterum supplicat impertiri licentiam recitandi Matutinum post Completorium a die prima Novembris ad diem primam Maii, idque propter nimia ejus loci frigora. Et S. R. C. censuit rescribendum. *Nihil.* Die 10. Ianuarii 1597.

106. PISTORIEN.

Operarii S. Iacobi in Civitate Pistoriae cum aliis supplicassent pro concessione Officii particularis de S. Iacobo, ut recitatur in Hispania praec-

ter hymnos, qui Italiae non convenirent, responsum fuit, non esse relinquendum Officium Romanum; sed, si aliud ex devotione recitare velint, recitent: de hymnis nihil actum; ac proinde nunc petunt, ut mutentur hymni Et S. R. Censuit respondendum: « Utantur hymnis de communi Apostolorum, cum non sit abque maxima causa ab usu Romano recedendum. » Die 10. Ianuarii 1597.

107. SEGORBIEN.

Decanus, et Capitulum Segorbien. in Hispania exponunt ex antiqua consuetudine cantare solitos de die Matutinum in Vigiliis Festorum Corporis Christi, Transfigurationis Domini, et Visitationis B. M. V., deinde concurrentibus ad Officia ad fidem recenter conversis cecinisse non modo praedicta, sed etiam in Festis Assumptionis, et Conceptionis B. M. V., SS. Petri, et Pauli, S. Augustini, et per totam Octavam Corporis Christi, supplicant ob spirituales progressum dictorum conversorum illic maxime confluentium, ut liceat Matutinum, ut supra, cantare tam in dictis Festis, quam in caeteris anni solemnitatibus.

Et S. R. C. respondendum censuit. « Nihil, sed per Octavam Corporis Christi tantum potest tolerari. » Die 10. Ianuarii 1597.

108. SENOGALLIEN.

Abbas Terrae Montis Novi Senogallien. Dioecesis praetendit non solum sibi, sed suis etiam Clericis deberi praecedentiam supra Priorem S. Severi, qui tamen allegavit consuetudinem contrariam sibi faventem, quamvis contentus esset a sinistris ipsius Abbatis incedere. Cum in anteaetis Congregationibus responsum fuisset pro Priore, Abbas consuetudinem negans, primam iterum renovavit instantiam.

Et S. R. C. respondendum censuit: « Servetur solitum, et probetur allegata consuetudo. » Die 10. Ianuarii 1597.

109. SIGONTINA.

Episcopus Sigontinus in Hispania exponit Gubernatorem Castri Molini Iudicem temporalem saecularem suam sedem posuisse super gradibus Altarium in Ecclesiis illorum locorum, ibique sedere in Divinorum Officiorum auscultatione. Episcopus per literas ei prohibuit, ne in tali loco sedeat, sed inter alios laicos cum debita praecedentia. Gubernator ad laicos consilii Iudices recursum habuit, qui eum in sua possessione manutenendum pronunciarunt. Quapropter Episcopus supremam SSm̃i auctoritatem implorans, petit definiri ab eodem SSm̃o, non licere Gubernatori praedicto eo in loco sedem habere. SSm̃us ad Congregationem negotium remisit, quae respondendum censuit: « Lo-

cum a correctore (*legendum Gubernatore*) usurpatum in Presbyterio super scabello Altaris minime illi convenire S. C. censuit, atque ideo a SSm̃o D. N., si placebit huic malo, quod in dies latissime serpit, occurrendum Brevi Apostolico, prout alias factum fuit in eadem Dioecesi cum Marchione Berlanghae, qui est hodie Gubernator Mediolani. Die 10. Ianuarii 1597.

110. TARENTINA.

Archidiaconus Tarentinus S. C. supplicat pro declaratione infrascriptorum Dubiorum.

Primum circa Missarum solemnium celebrandarum distributionem; eam spectare ad solum Archidiaconum, qui adducit Decretum Sacr. Congr. quod ait.

Congregatio censuit: « Quoque spectare ad Archidiaconum uti primam Dignitatem post pontificalem, et, eo impedito, vel absente, ad sequentem, et sic successive Missas inter alias Ecclesiae Dignitates, Canonicos, et Sacerdotes distribuere. Si quis autem se gravatum sentiret etc. »

2. An in Processione in die Corporis Christi spectet ad Vicarium deferre Sanctissimum Sacramentum?

3. Circa celebrationem Missarum Pontificalium, stante Decreto eiusdem Congregationis, quod ait: Congregatio censuit: « Archidiaconum aliquot Missas Pontificales celebrare, caeteras vero distribuendas per ipsum (*ut supra*) inter reliquas dictae Ecclesiae dignitates, et Canonicos etc. »

4. Ad quem spectet distribuere, et ordinare processiones intra, et extra Civitatem; cum Archidiacono faveat consuetudo, Decretum in Visitatione factum ab Archiepiscopo Tarentino, et Decretum Congregationis Episcoporum?

5. In benedicendis, et distribuendis in die Purificationis candelis, absente, vel impedito Archiepiscopo, Vicario ne, an Archidiacono id onus incumbat?

Congregatio Sac. Rit. censuit respondendum.

Ad 1. « Servetur huiusmodi Decretum alias a Congregatione latum. »

Ad 2. « Servetur huiusmodi Decretum alias latum, et Vicarius in hoc nallatenus se intromittat. »

Ad 3. « Servetur huiusmodi Decretum, et ad scrupulos quoscumque tollendos, *declarat S. C.* Missas per Archidiaconum celebrandas esse in diebus Iovis, Veneris, et Sabbati Sancti, in die Paschatis Resurrectionis, in Festis S. Cataldi Patroni Ecclesiae, in die Pentecostes, et Nativitatis Domini nocte, et die. »

Ad 4. « Munus sit Archidiaconi, non autem Vicarii, in quibuscumque Processionibus intra,

et extra Civitatem faciendis, illas ordinare, et distribuere.

Ad 5. « Archidiaconi, non autem Vicarii pariter munus erit, absente, vel impedito Archiepiscopo, candelas benedicere, ac distribuere in die Purificationis B. M. V.

Ea propter tibi Rev. Archiepiscopo Tarentino, tuoque Vicario in solidum, ac toti Curiae, tenore praesentium Apostolica autoritate iniungimus, ac mandamus, quatenus statim, nulla mora postposita, praecise, et peremptorie una citatione pro tribus etc. omnia supradicta Decreta ab hac Sac. Congregatione lata, et a SSmo D. N. suae vivae vocis oraculo approbata, ad unguem, iuxta eorum seriem continentiam, et tenorem exequi debeatis, ac exequi etiam facere curetis a toto Capitulo, et Clero Cathedralis Ecclesiae Tarentinae, alias etc. Et praesentes remaneant apud Archidiaconum praesentantem, dimissa tamen copia authentica, et collationata ad futuram rei memoriam. Datum Romae ex Aedibus nostrae solitae residentiae apud Ecclesiam S. Laurentii in Lucina. Die 16. mensis Ianuarii 1597.

111. VALENTINA.

Abbas, et Fratres Monasterii Montis Sancti Ordinis Cisterciensis. Valentinae Dioecesis, situm in Montae Terrae Xativae exponunt: in eadem Terra intollerabilem esse aeris frigiditatem, ipsosque Fratres solere ante Solis ortum Matutinum recitare in Choro, quo ut eant, transeundum est per locum sub diu existentem, imbribus, ac frigori expositum; supplicant igitur, ut liceat post completorium recitare Matutinum a die prima Novembris ad diem primam Maii. Et S. R. C. censuit respondendum: *Nihil.* Die 10. mensis Ianuarii 1597.

112. ORD. COELESTINORUM.

Fratres Coelestini Parisiensis Civitatis exponunt se ex fundatione Regionum Secretariorum teneri quolibet die Dominico Officium defunctorum recitare, non obstante quod sequatur Festum semiduplex, vel octava, quod repugnare videtur Constitutionibus ecclesiasticis. Quapropter supplicant dispensari, vel posse dictum Officium recitare alio die non impedito.

Et S. R. C. respondendum censuit: « Dummodo ordinarium Dominicae Officium celebretur, nulla ratio obstat, quod mortuorum Officium etiam in Choro ab Oratoribus dicatur; et maxime aequum sit, ut piorum voluntates debitis huiusmodi obsequiis non fraudentur. » Die 9. Martii 1597.

113. SARZANEN.

Episcopus Sarzanen. exposuit SSmo, se in visitatione Montium Pontis tremuli reperisse, quod

Parochiales Ecclesiae S. Benedicti in Villa Pontoli, Assumptionis in Villa Alboreti, S. Michaelis in Villa Brai unitam illi S. Georgii in Villa Brat, S. Mariae in Valdina, quae non multum inter se distant, quamvis a Cathedrali 30. millia passuum distat, nullam aliam recognoscentes Matricem, tempore benedicendi Fontes unaquaeque suum Fontem per unicum Sacerdotem benedicit Olea sancta, vel ex aliena Dioecesi, vel promiscue ex quacumque commodiori, et saepe etiam vetera sumunt, iisque pro novis utuntur. Quapropter supplicat, ut liceat erigere aliquam ex illis Ecclesiis in Matricem, ubi fiat benedictio Fontis, et distributio novorum sanctorum Oleorum pro omnibus aliis subiectis Ecclesiis. SSmus remisit ad Congregationem Illmorum Cardinalium super Sacris Ritibus, qui diligenter examinent, et si opus fuerit, Sanctitati suae referant.

In Congregatione Sac. Rituum habita sub die 9. Martii 1597. fuit decretum, ut infra, videlicet. *Congregationi concedendum visum fuit.*

Facta super hoc relatione in Scriptis SSmo D. N., approvavit Decretum, et in haec verba rescripsit: « Sed fiat expeditio Romae, quia Episcopus de iure communi non potest alterare statum Ecclesiarum. Et videndum erit, quae iurisdictio sit concedenda Plebano in reliquos Parochos. » Die dicta 9. Martii 1597.

114. SAVONEN.

Ioannes Antonius Sarta, et Gaspar Speuturno Canonici Cathedralis Ecclesiae Savonen. praetendunt, ex antiqua eiusdem Ecclesiae consuetudine praecedere aliis Canonicis post se receptis, etiamsi Ordine maioribus. Episcopus Savonen., S. C. super hoc consulens, habuit pro rescripto: Abusus narratus est contra ius, et ideo reformandus; si quid tamen in contrarium habeant interesse praetendentes, afferant, nam providebitur, prout iuris. Iterum praedictis Canonicis pro asserta praecedentia instantibus, S. R. C. respondendum censuit.

« Servetur cap. Statuimus de Maior. et obediunt, quod respondit iam Congregatio, non obstante asserta consuetudine in contrarium, quae abusus magis debet appellari. » Die 9. Martii 1597.

115. SULMONEN.

Pro parte Capituli, et Canonicorum Ecclesiae Cathedralis Sulmonen. factae fuerunt infrascriptae instantiae.

1. Quod Vicarius, praesente Episcopo, se inter Episcopum, et Canonicos eiusdem Civitatis, aliasque personas, qui non sint Canonici eiusdem Capituli, intromittit.

2. Quod Episcopus nequeat obligare Canonico-

rūm ullum, ut sibi inserviat, nisi in Pontificalibus, et cappa pontificali, non autem in habitu privato.

3. Quod Canonici non teneantur assistere Vicario generali, quando Missam solemniter celebrare vellet.

4. Quod Episcopus praecipiat Parochis, et Cappellanis eiusdem Civitatis, ut in Processionibus, et funeralibus incedant ante Canonicos iuxta stylum Romanum.

5. Quod Episcopus non permittat eosdem Parochos, sive Cappellanos sese intromittere in ministerio incensi, et aquae benedictae super cadavera, interveniente Capitulo.

S. R. C. respondendum censuit.

Ad primam. « Praecedat Vicarius. »

Ad 2. « Ut alias Decretum fuit in causa Hispanen. »

Ad 3. « Non teneri. »

Ad 4. « Nihil innovetur, et informetur. »

Ad 5. « Videtur conceden. » Die 9. Martii 1597.

116. VINDASCINI COMITATUS
seu CARPENCTORACTEN.

Rector Comitatus Vindascini varias causas exponit, cur Episcopus Carpenctoracten. non debeat praecedere, recursumque habens ad S. C. huiusmodi ius sibi vindicare conatur.

Et S. R. C. respondendum censuit: « Nihil, sed servetur decisio saepius facta, ita tamen, quod in Congregationibus, seu parlamentis dumtaxat, in quibus status conveniunt, et Rector praesidet uti summum caput, Episcopus vero interest, tamquam Praelatus ecclesiasticus, eundem Episcopum debeat Rector antecedere. » Die 9. Martii 1597.

117. URBIS.

Vicarius S. Mariae Maioris in Urbe exponit, Dominum eiusdem Urbis Governatorem praetendere honorem porrigendi aspersionem cum aqua benedicta SSmo D. N. ad eandem Ecclesiam accedenti, etiam praesente dicto Vicario, si nullus adsit ex Sac. R. C. Cardinalibus. Quapropter supplicat declarari ad quem id oneris spectare videatur?

Et S. R. C. respondendum censuit: « Ingressi SSmo D. N. aliquam ex tribus Patriarchalibus Urbis Ecclesiis, aspersionem aquae benedictae non a Governatore eiusdem Urbis, qui nullam habet regulariter iurisdictionem spirituales, sed a Vicario eius Ecclesiae, aut, eo absente, ab antiquiore, dignioreque Canonico tamquam Capituli capite praebatur. » Die 9. Martii 1597.

118. CARPENCTORACTEN.

Episcopus Carpenctoracten. exponit, Generalem Armorum Avenionensium praetendere, ut

Episcopus illi obviam extra Civitatem equitans occurrat, et incedat ad sinistram, quod ab aliis etiam eorum locorum Episcopis exigere contendit.

Et S. R. C. declaravit, ut sequitur: « Episcopus, cuius maxima est dignitas, debet ubique in Ecclesia, Civitate, et Dioecesi Carpenctoracten. Generalem Armorum Avenionis antecedere. Quod ex simili ratione cum Archiepiscopo Avenionensi per Congregationem servari mandatum fuit. » Die 28. Martii 1597.

119. MONTIS PILOSI.

Canonici Cathedralis Ecclesiae Montis Pilosi petunt declarari, an sit servanda eiusdem Ecclesiae consuetudo, ut Canonici Dignitatibus inservant quando pontificaliter celebratur?

Et S. R. C. respondendum censuit: « Vetus consuetudo absque ratione, et temere, non est mutanda. Servetur itaque ea in Ecclesia usus hactenus receptus; quod, siquid habent in contrarium, oretenus dicant. » Die 28. Martii 1597.

120. NOVARIEN.

Archiconfraternitas Montis Pietatis Civitatis Novarien. petit declarari, an Episcopus possit iisdem prohibere, ne peragant Processionem cum delatione SSmi Sacramenti in Feria VI. maioris Hebdomadae, vigore Brevis Pii V. fel. rec. a Gregorio XIII. san. mem. confirmati?

Et S. R. C. respondendum censuit: « Uti poterit Confraternitas Brevis a fel. rec. Pio V. concessio: nec est contra ritum ecclesiasticum SSmum Sacramentum eo tempore deferri eo modo, quo in sepulchro iacet. » Die 28. Martii 1597.

121. PANORMITANA.

Societas Alborum Civitatis Panormitanae recursus alias habuit ad S. Congreg. contra alias Societates sibi usurpantes habitum similem; rescriptumque obtinuit sub die 7. Augusti 1596. Servetur omnino ea habituum distinctio, quae a primaeva uniuscuiusque institutione fuit adhibita, quae aliquo modo, aut artificio interveni non permittatur, et ad maiorem facilitatem interposuit inhibitionem Domini Auditoris Camerae: nunc vero nonnullae Societates petierunt ab A. C. moderari inhibitionem, et A. C. mandavit reduci ad terminos iuris. Quapropter praedicta Societas Alborum supplicat mandari Domino A. C. ne se intromittat in rebus S. R. C. spectantibus, praefatamque moderationem surreptitio impetratam declarari.

Et S. R. C. censuit: « Ut A. C. nullatenus in negotiis ad dictam Congregationem quomodo-cumque spectantibus se intromittat, ea inconsulta, sed revocare debeat inhibitionem ad terminos iuris reductam. » Die 28. Martii 1597.

122. ACHERUNTINA.

Capitulum, et Clerus Metropolitanae Ecclesiae Acheruntinae supplicant pro declaratione infra-scriptorum Dubiorum, videlicet.

Primum. An, celebrante, Archidiacono, vel Cantore, possint compelli Canonici ad eis inseruiendum, et assistendum?

2. An Canonicus Doctor ultimo receptus debeat praeferrī in sedendo, votando, et similibus, Canonico non Doctori primo recepto: et an inter Presbyteros de Clero simplex Presbyter Doctor debeat praeferrī simplici Sacerdoti non Doctori primo promotō?

3. Praesupposito quod in dicta Metropolitana adest Corpus S. Canonis Pont. et Mart., Patroni Ecclesiae Acheruntinae, (cuius Officium duplex sub certis propriis Antiphonis, et Lectionibus celebratur; prout per annos sexcentos per Archiepiscopos, et Capitulum fuit celebratum, et admissum:) an Capitulum praedictum sine scrupulo possit adhuc recitare dictum Officium?

S. R. C. respondendum censuit.

Ad 1. « Canonici non tenentur, nisi Episcopo celebranti inservire, si alii Sacerdotes adsint. »

Ad 2. « Nihil. »

Ad 3. « Si narrata vera sunt, libere recitare Officium possunt, si ad Congregationem transmissum cognoscetur nihil absurdi in illud irrepsisse, quod facile dubitari potest tanto temporis cursu. » Die 8. Maii 1597.

123. OPPIDANA.

Censuit Congregatio: « Ut, citra praeiudicium iurium ambarum partium, pendente Causarum, et litium decisione faciendā, servetur concordia inita inter R. Priorem, et Monachos Monasterii S. Catharinae Ordinis Coelestinorum Terrae Terrenovae Provinciae Calabriae ultra Dioecesis Oppidanae ex una, et Rectorem, ac Clerum dictae Terrae ex altera, et signanter circa delationem SSi Sacramenti in eius Festo, ut processionaliter exeat ab Ecclesia S. Mariae Clericorum saecularium, et ducatur ad Ecclesiam Divae Catharinae Monachorum Coelestinorum, ibique solemniter Missae Sacrum fiat, quo peracto, reducat ad Ecclesiam praefatam S. Mariae. Cum hoc sacris ritibus non repugnet. Si quid vero in contrarium per Rectorem, et Clerum praetenditur, S. C. ipsos in eorum iuribus audiet. » Die 8. Maii 1597.

124. VENETA.

Pius Bentivolus auctor vitarum SS. Venetorum cum alias supplicasset deputari aliquem, qui eas cum Peritorum consilio revideret, et adprobaret,

fuit deputatus Rñus Episcopus Laudensis Nuncius Apostolicus; post quinque annos cum dictus Nuncius tam propter sua negotia, quam propter absentiam Theologorum, et Doctorum, quos huic revisioni deputaverat, illam perficere non potuerit, instat Orator pro deputatione ad hoc opus Illi D. Cardinalis Priuli cum Congregatione ab eodem eligenda.

Et S. R. C. rescribendum censuit, « quo magis S. R. C. prudentiae, ac pietati Illi Domini Cardinalis Priuli Patriarchae Venetiarum confidit, eo libentius delegat illi facultatem, quae petitur adhibendi pro suo arbitrio peritos, ac religiosos viros ad recognitionem libri de Vitis Sanctorum Venetorum. Et facta relatione in scriptis SSi D. N. super hoc, illud approbavit. » Die 8. Maii 1597.

125. URBIS.

Ad quaedam Dubia in Sacra Congregatione proposita, quorum tenor in foliis reperi non potuit, fuit responsum, ut sequitur, videlicet.

Pro Protonotariis: « Feria VI. in Parasceve Sanctissimo D. N. fimbrias deferre ad cubicularios intimos pertinet, cum eo die Summus Pontifex sit absque pluviali; qua in renullum Protonotariis praeiudicium videtur afferri, qui solemnitatibus aliis eidem Summo Pontifici cum Pluviali, et mitra eo in ministerio solent inservire. »

126. ASTEN.

Praepositus Ecclesiae Cathedralis Asten. per tres sententias conformes obtinuit remitti in suo stallō, quod prius ab Archidiacono fuerat occupatum: et Archidiaconus coactus est in ultima sede Chori se collocare, multique ex Canonice suum antiquum stallum relinquentes Archidiaconum sequuti, prope illum consedere, quod est contra veterem eius Ecclesiae consuetudinem, iuxta quam antiquiores Canonici prope sedem Praepositi gradatim assidere solent. Supplicat igitur praefatus Orator, ut quisque secundum suam anterioritatem, et eiusdem Chori consuetudinem debeat, ut antea, in suo loco sedem habere.

Et S. R. C. rescribendum censuit: « Scribatur ad Episcopum, ut curet consuetudinem solitam servari; qua in re, si quid habuerit, quod difficultatem faciat, interim supersedeat, dum Congregationem faciat certiore. » Die 21. Iun. 1597.

127. BENEVENTANA.

Quamvis S. R. C. visum fuerit, Vicarium temporalem, et Consules Beneventanae Civitatis thurificandos esse, eisque pacem dandam post Rñum Archiepiscopum, Dominum Governatorem, Dignitates, et Canonicos Cathedralis Civitatis eiusdem, moderni tamen Consules eandem moverunt diffi-

cultatem, ideoque supplicatum fuit pro supradicti Decreti observatione.

Et S. R. C. respondendum censuit: « Non est ullo modo a Decreto alias facto in C. S. R. recedendum, et Magistratus debet Divinis Officiis in Ecclesia Metropolitana, quae eius Civitatis caput est, omnino interesse. » Die 21. Iunii 1597.

128. CIVITATIS CASTELLI.

Canonici Cathedralis Civitatis Castelli exponunt, ex immemorabili prorsus eiusdem Cathedralis consuetudine prius Canonicos, et postea saecularem Magistratum thurificari solere, quod et Decreto, et Epistola S. C. die 9. Martii 1593. fuit confirmatum. Nunc vero renuunt Priores, et Confalonarius, non sine Gubernatoris assensu, ad Cathedralis accedere, nisi ante Canonicos thurificentur: quare supplicant eidem Congregationi: dignetur praecipere Gubernatori, ut obliget expresse dictos Confalonarium, et Priores ad accedendum Ecclesiae Cathedrali pro Divinis Officiis auscultandis, et sint contenti incensatione post praefatos Canonicos, iuxta antiquissimam eius loci praxim.

Et S. R. C. respondendum censuit: « Decretum alias factum, quod iustissimum omnino servetur. *Censuitque Congregatio* Magistratum Divinis Officiis Ecclesiae Cathedralis diebus solemnibus (attento vetere usu) interesse debere. Displicuit praeterea Congregationi vehementer licentia Gubernatoris, qui in executione antedicti decreti contra omne ius mandavit supersederi, et facto super hoc verbo cum SS^{mo} D. N. omnino suae vivaec vocis oraculo approbavit, et confirmavit. » Die 21. Iun. 1597.

129. RECINETEN.

Cum Recinetensis Civitatis Ecclesia Cathedralis olim a S. M. Sixto PP. V. suppressa, fuit restituta, placuit Prioratibus pro tempore aquam ad lotionem manuum Episcopo solemniter celebranti porrigere: at cum postea conarentur hunc morem abolire, occursum est Decreto S. C., quae etiam Breve SS. D. N. desuper expediri curavit. Recinetenses, ne viderentur id facere coacte nil attendentes Breve, mox decreverunt velut ex se ipsis, dandam esse aquam ad manus, quod usque adhuc praestiterunt. Nunc vero recenter consilium inivere in quo statuerunt formam, et modum, quo eadem aqua sit praebenda, adiecto poenali, et infamiae decreto contra aliter factientes: quapropter Episcopus Lauretan., et Recineten. ad S. C. pro medio opportuno recursum habuit.

Et eadem S. C. rescribendum censuit.

« Detestata est Congregatio Magistratus Recineten. temeritatem, qua Decreto alias facto, Breve Apostolico non solum ausus est contraire;

sed decernere praeterea, ut illi parentes infamia notarentur; novosque ritus caeremoniarum pro eorum libito praescribere: ea propter serventur, et exequantur Decreta per Congregationem alias lata, et Breve Apostolicum desuper expeditum. » Die 21. Iunii 1597.

130. TARENTINA.

Vicarius Tarentinus exponit, editum fuisse ab hac Congregatione Decretum, in quo declaratur pertinere ad Archidiaconum deferre SS^m Eucharistiae Sacramentum in processione diei SS^m Corporis Christi, absente Archiepiscopo. Quod Decretum cum iuri, et consuetudini adversetur, et ideo sit subreptitiae obtentum, instat praedictus Vicarius pro supersessoria ab eiusdem executione.

Et S. R. C. respondendum censuit « Poterunt audiri, sed interim non retardetur executio aliorum Decretorum pro Archidiacono latorum. » Die 21. Iunii 1597.

131. CAESENATEN.

Andreas Fornacius Rector S. Demetrii Diocesis Caesanaten. exponit, centum ab hinc annis celebratam fuisse dicti Sancti Festivitatem die 10. Augusti, ad quam multi concurrentes eleemosynas erogabant, quae pro Rectoris stipendio inserviebant: quatuor ab hinc annis Lucas de S. Damiano Curatus S. Ioannis Baptistae Ravennaten. Diocesis in sua Ecclesia Praecursori praefato dicata instituit celebrationem Festi S. Demetrii, cuius neque Reliquias habet, neque titulum: quapropter supplicat, ut opportunum apponatur remedium.

Et S. R. C. respondendum censuit: Scribendum ad Vicarium Apostolicum Ravennaten., ut praecipiat Lucae de S. Damiano Curato Ecclesiae S. Ioannis Baptistae Diocesis Ravennaten., quod desistat, et rei totius statum ad S. C. ipse perscribat. » Die 18. Iulii 1597.

132. ACHERUNTINA.

Archipresbyter Ferrandinae Acheruntinae Diocesis supplicii libello exposuit Archiepiscopum Acheruntinum multa, alias ab Archipresbytero praedicto fieri solita in eius praecidium, commisisse Vicario Foraneo; nam publicatio dierum Festorum, Indulgentiarum, et Iubilaei, monitoria pro rebus deperditis, informationes de vita, et moribus, deque natalibus, etiam pro extraneis matrimonium contrahere volentibus, Archiepiscopi iussu fiunt nunc a Vicario Foraneo; idemque Vicarius procedit contra transgressores Festorum, et poenas exigit, et licentiam diebus praedictis laborandi petentibus impertitur; decimas personales Parochis debitas taxat, atque reformat. Cum

consuetudo vigeat, ut Archipresbyteri diebus solemnibus celebraturi assistentes sibi eligant, Archiepiscopus modo Cantori, qui est in officio inferior, praedictam electionem commisit, necnon mandata inobedientibus inflicta pro solutione certarum cerae librarum ab Archipresbytero fieri solita, per Vicarium Foraneum imponi, expediri- que iussit, et tam in dicta Terra, quam per totam Dioecesim, suum Procuratorem ad Mensae Metropolitanæ redditus exigendos constituit, cui facultatem dedit fruendi massa communi, et distributionibus quotidianis etiam Ecclesiae non praesenti, praecipiens illum caeteris etiam antiquioribus Sacerdotibus praeferi, ab eoque mandata fieri, et iurisdictionem exerceri. Supplicat igitur praefatus Archipresbyter, ut S. C. praenarratis inconvenientibus dignetur opportunum afferre remedium.

S. C. censuit: « Ut Archiepiscopus ab expositis in supplici libello omnino de caetero abste- neat, et cur praedicta fecerit S. C. rationem red- dat. » Die 2. Septembris 1597.

133. ELBOREN.

Pro parte Decani, et Capituli Elboren. sup- plicatur declarari infrascripta Dubia, videlicet.

1. An in Missa solemni Archiepiscopo sine Cappa pontificaliter assistenti Sacerdos pluviali indutus illius manu prius osculata aspersionum debeat porrigere, an potius facta reverentia illum aspergere?

2. An Archiepiscopo Horis canonicis praesenti, cum Canonici in fine Completorii aqua bene- dicta asperguntur, idem sit praestandum, et a quo, et quomodo?

3. An Archiepiscopus sine cappa pontificali, vel cum ea in Missa solemni assistens, habere de- beat duos Assistentes?

4. An Archiepiscopus accedens ad Ecclesiam sine cappa pontificali, debeat facere confessionem cum Celebrante a sinistris, et duobus Assisten- tibus a dexteris?

5. An solemniter Celebrans debeat versus Ar- chiepiscopum facere confessionem, non autem versus Altare?

6. An Archiepiscopo, cum fuerit sine cappa pontificali in Missa solemni, ea sint solemni ritu praestanda a Ministris Altaris, et a Canonicis, quae Pontificale Romanum ei, si fuerit cum cappa pontificali, exhibenda praescribit?

7. An Canonici ad accipiendos cineres, ramos palmarum, et candelas statutis diebus per annum de manu Archiepiscopi, vel alterius qui id offi- cium celebret, sine mucetis laneis, et nigris (qui-

buis ordinario habitu in Choro superpelliceo lineo utuntur) debeant accedere?

8. An dignitates, vel Canonici, cum Archie- piscopo sine cappa pontificali existenti quoquo mo- do assistunt, id sine eisdem mucetis facere debeant, an cum illis?

9. An Archiepiscopo sine cappa pontificali in- cedente, debeant Canonici, et Capitulum ad eius- dem cubiculum accedere?

10. An in aspersione aquae benedictae diebus Dominicis fieri solitae Celebrans, qui sine Ministris vagatur per Chorum habens in manu hyssopum, ut cuique secundum eius gradum aquam porrigat, possit per unum ex Ministris populum aspergi facere?

S. R. C. respondendum censuit.

Ad 1. « Declarent usum illius Ecclesiae. »

Ad 2. « Declarent, ut supra. »

Ad 3. « Si habeat cappam habebit Assisten- tes; secus, si sine cappa. »

Ad 4. « Nihil. »

Ad 5. Fiat versus Altare, et quando dicit, *et tibi Pater*; vertat se ad Praelatum. »

Ad 6. « Nihil sine cappa. »

Ad 7. « Accedant in habitu, prout assistunt in Missa. »

Ad 8. « Nil sine cappa. »

Ad 9. « Canonici non tenentur ad Archiepi- scopi cubiculum accedere, nec ipsum sine ponti- ficali cappa existentem associare. »

Ad 10. « Missae Sacrum faciens per Chorum tantum a Ministris associatus aspergat. Per Ec- clesiam vero, et ad populum poterunt Ministri ipsi aspergere in Sacrificio illo. » Die 2. Septem- bris 1597.

134. FUNDANA.

Pro parte Episcopi Fundani fuerunt proposita infrascripta Dubia, videlicet.

1. An Capitulum Collegiatae S. Mariae Civi- tatis Fundanae debeat dare praecedentiam Capi- tulo Ecclesiae Cathedralis invitato, vel ad Festum Titularis, seu alterius, vel ad funeralia, in eam- dem Collegiata?

2. An, cum utrumque Capitulum inviatur ad Processionem funeralium, debeat Capitulum Col- legiatae accedere ad Cathedralem, ut se cum Ca- pitulo Cathedralis eiusdem coniungat, vel liceat id facere in quadam via?

Quoad primum caput, censuit S. C., « Ca- nonicos Cathedralis Ecclesiae Fundanae praecede- dere debere Canonicos, caeterosque Ecclesiae Col- legiatae tam in funeralibus officiis celebrandis, quam in aliis actibus, etiam intus Collegiatam. »

Quoad secundum : « Canonici , et Capitulum Ecclesiae praedictae Collegiatae in funeralium Processionibus congregentur in Ecclesia Cathedrali , et inde cum Canonicis Cathedralis discedant , et incedant , consuetudine in contrarium asserta non obstante. » Die 2. Septembris 1597.

125. IUVENACIEN.

Iosephus de Mena alias recursum habuit ad S. C. contra Episcopum Iuvenacien. , qui eum compulerat ad interessendum Choro , postquam Archidiaconatum , quo fungebatur , renunciaverat. Et S. C. censuit rescribendum : « Scribatur ad Episcopum Iuvenacien. , quare Oratorem ad narrata adstringit ? et interim abstinere ab huiusmodi iussu. » Cum vero Episcopus non visus est illi acquiescisse supradicto Decreto ; iterum Orator adiit S. C. pro nova in posterum provisione.

Et Sac. C. « Stat in alias decretis sub die 8. Februarii praeteriti 1597. , et proinde dictum Iosephum de Mena Oratorem non teneri ad narrata ; nec quoquo modo adstringi posse tam per praesentem Episcopum , quam eius in futurum Successores. » Die 2. Septembris 1597.

136. ULYSBONEN.

Orta controversia inter Decanum , et Cantorem Ecclesiae Ulysbonen. super quibusdam praeminentiis , quae in regimine Chori solent exerceri , recursum est ad S. C. , ut declaret , ad quem eorum pertineant infrascripta , videlicet.

1. Mandare incipere. 2. Mandare cantare. 3. Mandare recitare alta , vel submissa voce paullatim , vel celeriter. 4. Minuere Lectiones. 5. Sonare *Te Deum laudamus* totum , aut partem. 6. Locum dare in Choro. 7. Excitare dormientes , quando punctator non attendit. 8. Vocare Beneficiatos , ut vadant ad adiuvandum cantare. 9. Determinare dubia , de quo recitandum est. 10. Mandare recitare de Sancto , aut de Feriis. 11. Regere Processiones intus et foris. 12. Mulctare Beneficiatos , et Thesaurarios , qui desunt in Processionibus. 13. Punire pueros Chori , et eis imperare. 14. Non consentire in Choro sine Cotta. 15. Facere notam , per quam omnes inserviant in Hebdomada. 16. Mandare dicere Missam quando deest notatus , et eodem modo Evangelium , et Epistolam. 17. Dare signum , et ictum incipiendi Lectiones Nocturnorum defunct. 18. Dare ictum , et signum exeundi e Choro ?

Censuit C. : « Concedi posse Decano Ulysbonen. tria ultima capita in eius supplici libello petita , nempe mandare incipere , et dare ictum , et signum incipiendi Lectiones Nocturnorum , et facere signum exeundi a Choro. Caetera vero ad Cantorem spectare. » Die 2. Septembris 1597.

137. RECINETEN.

Il Vescovo di Recanati ha esposto a questa Congregazione de' Sacri Riti , che li Priori di quella Città sono stati soliti , quando il Vescovo celebra , o assiste pontificalmente nelle Cappelle , d'andare alla credenza , e mettersi il velo sulle spalle , et pigliare il bacile , et il bocale , et dar l'acqua alle mani del Vescovo , et così hanno osservato , conforme al Breve di Sisto V. (san. me.) fondato sopra un Decreto di questa Congregazione ; et di più ne fecero Decreto li stessi Priori. Hora il Magistrato , et li Priori (mossi non si sa da che rispetto) ricusano d'osservar questo solito costume , et hanno fatto decreto nel loro pubblico consiglio , che si faccia altramente da quel che per l'addietro si è fatto. Anzi contro a trasgressori hanno posta pena di cinque scudi , et che siano scritti nel libro degli infami , come vedrà V. S. Ill^{ma} dalla copia del Breve , et del Consiglio , et del Memoriale del Vescovo. La Congregazione ha sentito con molto fastidio questo arrogante procedere dei Priori , et gli ha giudicati degni di rigoroso castigo , come potrà V. S. Ill^{ma} vedere dal Decreto fatto sotto li 21. di Giugno , il quale mando colle altre scritture qui congiunto , giudicando essa Congregazione , esser cosa molto inconveniente , che i vassalli di S. Chiesa mostrino sì poca obbedienza per il malo esempio , che con tale occasione si darebbe alle Nazioni esterne , et per altre ragioni ancora , oltra quel che si deve parimente alla conservatione del decoro della dignità Vescovale. Et avendo io di tuttociò informato Nostro Signore in nome di questi miei Signori Ill^{mi} , Sua Beatitudine mi ha comandato , che io ne dia conto a V. S. Ill^{ma} (Cardinali Legato Provinciae Marchiae) la quale trovando , che sia certo , potrà come prudentissima risolvere nel negozio quel che giudicherà più per il giusto etc. Di Roma alli 26. Luglio 1597.

138. AQUILEIEN.

In controversia praecedentiae inter Capitulum Foroiulien. , et Capitulum Utinen. Aquileien. Archidioecesis , iuribus caeterisque hinc inde adductis , mature , atque accuratissime consideratis C. censuit : « Capitulum Collegiatae Civitaten. sive Foroiulien. esse antefendum. » Die 10. Februarii 1598.

139. SALAMANTINA.

Inter Capitulum , et alias Ecclesias Salmaticen. Civitatis orta est controversia , praetendente Capitulo illis non licere uti Cruce argentea sine manica : factoque ad S. R. C. recursu :

Congr. censuit (partibus inde auditis) « De-

lationem manicae neque tribuere iurisdictionem, aut praeminentiam, neque adimere: ritui vero non repugnare, quominus Regii Cappellani Ecclesiae S. Marci Salamantin. possint uti, vel non uti dicta manica. Et facta verbo cum SSmo D. N. placuit, et suae vivae vocis oraculo adprobavit, et confirmavit. » Die 10. Februarii 1598.

140. URBIS.

Sacrista in Cappella SSmi D. N. sedeat in gradibus Altaris post Auditorem Rotae servientem de Mitra, et post eum pacem accipiat, et thurificetur. Die 10. Februarii 1598.

141. ROSSANEN.

Ad petitionem Archipresbyteri Terrae Coriolani Rossanen. Dioecesis, ut non possit prohiberi a Praeposito eiusdem Terrae, quominus die Sabathi Sancti in sua Ecclesia hora sibi benevisa, etiam ante Ecclesiam Praepositurae, Campanae pulsentur, et Officia fiant.

S. R. C. respondendam censuit: « Populi devotioni, et commoditati convenit, ut in omnibus Ecclesiis Missae Officium celebretur indistinctum, campanaeque pulsentur, ideo id fieri non prohibet, *Congr. decrevit tamen*, per huiusmodi pulsationem Campanarum, et Officii celebrationem simul, vel prius, vel post factam, nemini praeiudicium, seu ius praeminentiae esse illatum. » Die 20. Februarii 1598.

142. ABULEN.

Decanus Ecclesiae Abulen. exposuit consuevisse olim Canonicos ante versum - *Pretiosa* - in Prima facere processionem pro defunctis, inde convocare Capitulum, et, eo peracto, prosequi Primam: qui mos, cum visus sit repugnare rubricis ecclesiasticis, intermissus est, et post Primam integre absolutam processio facta, et Capitulum celebratum. Sed cum in praeiudicium rerum ecclesiasticarum multi nunc deserant Capitulum, supplicat, ut liceat pristinam consuetudinem reassumere.

Et S. R. C. respondendum censuit. « Si adsunt negotia necessaria pro Capitulo poterunt convocari Capitulares, etiam poenis appositis, sed non impediatur processio post Primam. » Die 7. Aprilis 1598.

143. CASTRI MARIS.

Confratres S. Mariae in Portu Civitatis Castri Maris Stabien. fundatae a Piscatoribus asserunt se per Breve SSmi D. N. obtinuisse licentiam piscandi diebus festis de praecepto post auditam Missam, et Divinis Officiis celebratis, impendendo tamen ad Cappellae beneficium lucri piscatorii medietatem. Vicarius eiusdem Civitatis praetendit Oratoribus piscari non licere, nisi post solemnem

Missam Cathedralis, habitoque ad Congregationem recursum, Eadem respondendum censuit: « Audita privata Missa. » Die 7. Aprilis 1598.

144. LEGIONEN.

Pro parte Episcopi, et Capituli Legionen. supplicatur declarari infrascripta Dubia, videlicet.

An, quando Episcopus Capitulum, et Clerus Cathedralis Legionen. accedit ad Ecclesiam S. Isidori processionaliter in die Festivitatis eiusdem Sancti, vel alias quaecumque ob aliquam necessitatem, et causam, Prior, et Clerici Regulares S. Augustini commorantes in Monasterio eiusdem Ecclesiae possint impedire, et recusare dictam Processionem, vel potius debeant, et teneantur illam intra eorum Ecclesiam reverenter admittere, et recipere, ibidemque dictos Episcopum, et Capitulum pontificaliter, vel alias Missas votivas, et Litanias cantare, dicere, et celebrare?

2. An quaecumque dictum Capitulum processionaliter iter faceret prope dictam Ecclesiam, et Monasterium S. Isidori, dicti Clerici Regulares teneantur, et debeant Campanas eorum Ecclesiae pulsari facere, et partem viarum eis tangentem, et pertinentem tergere, praeparare; et ab omni immunditia expurgari facere, prout fit in aliis viis Civitatis?

S. R. C. decrevit, ut infra, videlicet.

Ad 1. « Tenentur Prior, et Clerici Regulares Monasterii S. Isidori obviam ire, et recipere Processionem in die Festi S. Isidori, et Litaniarum maiorum, vel publicam aliquam ob causam, vel si vigeat consuetudo. »

Ad 2. « Tenentur Clerici Regulares praedicti in transitu Processionis Campanas pulsare, ac vias mundare in praefatis diebus tantum, et ob narratas causas. Verum si dicti Prior, et Clerici Regulares in aliquo se gravatos circa omnia praedicta senserint, Sacram adeant Congregationem, quae providebit, ut iuris. » Die 7. Aprilis 1598.

145. HISPANA.

Clerus Hispanus asserit in maiori illarum Ecclesiarum parte vigere consuetudinem obtinendi Dignitates cum Canonicatu, vel portione, aut dimidia portione; ideoque tenentur praestare servitia spectantia tam ad Dignitates cum Canonicatu, quam ad portionem, vel dimidiam portionem. Visum est indecens Dignitates praeminentiam caeteris habentes talia munia obire: sed tamen hinc evenit, ut ea servitia non praestantes emolumentis minime gauderent, ex quo cum orta sit controversia, et ante diversos Iudices agitata, tandem recursum est ad SSmi D. Nostri supremam auctoritatem; negotioque ad S. R. C. remisso,

eadem Congr. censuit: « Dignitates posse asserta minuta servitia omittere, dummodo alios eiusdem Ordinis inferiorum servitiorum (ne Ecclesia debito defraudetur obsequio) ad id muneris adhibeant, et distributiones quotidianas, vel alia emolumenta, causa dictorum servitiorum debita, minime lucentur; sed actu inservientibus accrescant, et distribuantur. » Die 7. Aprilis 1598.

146. ROSSANEN.

Sendo stato significato a questa Congregazione de' Sagri Riti, et cerimonie un abuso introdotto dalle quattro Dignità di cotesta Catedrale, quali pretendono di precedere nelle Processioni, et in altri atti il Canonico, che celebra, e che fa l'offitio quando si trova parato; ha causato molta meraviglia a questi miei Signori Illm̃i, quali perciò hanno risoluto, « che io vi scriva, et commetta, che dobbiate levare detto abuso, et operare per ogni modo, che nell'avvenire il Canonico, che fa l'Offitio, mentre sarà parato dell'abito conveniente all'Offitio, che farà, o di Pianeta, o di Piviale, preceda, et stia nell'ultimo luogo dopo tutto il Capitolo, et così farete eseguire. Ma in evento, che questi Canonici non avessero esposto quà il vero, fatelo sapere, perchè la Congregazione vuole essere informata da chi espone la verità etc. » Die 7. Aprilis 1598.

147. EGITANIEN.

Pro Episcopo Egitianen. Lectum fuit Memoriale, in quo petebat a Sacra Rituum Congregatione resolutionem infrascriptorum Dubiorum. Quibus Dubiis, et petitionibus eadem S. R. C. die 10. Iunii 1602. respondit, ut infra videlicet.

Ad 1. An ipse Episcopus possit prohibere Canonicis, ne Capitulum, seu Congregationes faciant dum in Ecclesia Horae Canonicae cantantur, et Missa maior celebratur, non obstante quavis praetensa in contrarium consuetudine?

Respondit: Episcopum posse id prohibere, iuxta aliam similem declarationem factam ab eadem Sacra Congregatione in una Ulixiponen. sub die 17. Novembris 1600., in qua declaravit, non esse celebrandum Capitulum dum Missa, seu Horae Canonicae in Ecclesia celebrantur: idque etiam fuit decretum in Conciliis Basileense, Coloniense, et Mediolanense, et aliis: ita ut Canonici contravenientes puniantur in amissione quotidianarum distributionum, nisi adesset urgentissima causa, vel maxima necessitas. »

Ad 2. In quo narratur, quod cum in Oppido Abrantes duae sint Ecclesiae Parochiales, quarum utriusque Rectores, et Parochiani praetendunt, quod Episcopus teneatur incipere Visitatio-

nem a sua Ecclesia. An Episcopus possit Visitationem incipere ab ea Ecclesia, quae sibi magis placuerit, non obstante quavis dictarum duarum Ecclesiarum, seu earum Rectorum, et Parochianorum praetensione?

Respondit: « Episcopum posse Visitationem incipere ab ea Ecclesia, quae sibi magis placuerit, reservatis iuribus, et sine praeiudicio praetensionis alterius Ecclesiae.

Ad 3. An Episcopus possit cogere Rectores Parochialium Ecclesiarum suae Dioecesis, ut vinum, hostias, paramenta, et caetera ad celebrandum necessaria subministrent Presbyteris in eorum Parochiis commorantibus, et in eorum Ecclesiis celebrare volentibus, iuxta antiquam consuetudinem?

Respondit: « Episcopum non posse cogere praedictos Rectores, sed hortari, et Rectores recte facturos si monitionibus, et hortamentis Episcopi pareant.

Ad 4. An Episcopus possit cogere Regulares, ut in commemorationibus ultimis, quae fiunt in Missis privatis, et non solemnibus, nec duplici ritu celebratis, videlicet pro Papa, pro Episcopo, pro Rege, pro Principe, et Prole Regia, et cuncto Populo Christiano etc., iuxta antiquam consuetudinem Regni, ut omnino ipsi Regulares faciant commemorationem Episcopi, seu Antistitis Ordinarii, quia id Regulares non faciunt, sed loco Antistitis suum Ordinem commendant?

Respondit: « Episcopum Regulares ad hoc faciendum cogere non posse.

Ad 5. An Episcopus in Ecclesiis Parochialibus Oppidi de Castello Blanco suae Dioecesis, duo Tabernacula lignea in aere pendentia fere supra Altaria, ubi Missae celebrantur fabricata, et ubi rumores, et strepitus fiunt cum scandalo populi, possit ad formam non scandalosam, et in toto Regno solitam reduci facere?

Respondit: « Episcopum posse id facere vel in generali Visitatione, vel prout melius sibi videbitur. »

Ad 6. An Episcopus possit prohibere, ne Commendator, et Praefectus de Castello Blanco, et Praefectus de Abrantes sedes apud Altaria Cappellae maioris portare faciant, ibidemque sedeant Divinis Officiis interessentes, adstantibus suis familiaribus cum scandalo populi, non obstante quacumque consuetudine in contrarium pro dictis Commendatore, et Praefectis faciente?

Respondit eadem S. C.; « Episcopum posse id facere ad tollenda scandala, vel in Visitatione generali, vel prout melius sibi videbitur, maxi-

me si sedes praedictae locentur in Presbyterio , prout praesupponitur. »

148. LAURETANA.

Pro parte Episcopi Lauretani quaesitum fuit : An faciente Officium Vesperarum uno ex Beneficiatis dictae Ecclesiae parato cum Pluviali , et cum assistentia duorum Clericorum eiusdem Ecclesiae Pluvialibus similiter paratorum , thurificandi sint ipsi duo Clerici ante Beneficiatos non paratos in Choro sedentes ?

Congr. S. R. respondit : « ratione paramentorum thurificandos esse Clericos praedictos paratos , ante Beneficiatos non paratos in Choro sedentes. » Die 10. Iunii 1602.

149. BITUNTINA.

Pro Clericis Regularibus S. Silvestri in Civitate Bituntina commorantibus quoad funera , et sepulturas , Congregatio S. R. decrevit : « in omnibus servandum esse Decretum in simili Causa ab ipsa Congregatione alias factum pro iisdem Clericis contra Episcopum , et Capitulum Ecclesiae Lycien. Et propterea non licere Clero Ecclesiae Bituntinae , invitis praedictis Clericis , in eorum Ecclesia Missas , seu Officium Defunctorum celebrare : sed , associato funere ad eorum Ecclesiam , redire debere iuxta formam dicti Decreti Lycien. » Et ita declaravit. Die 10. Iunii 1602.

150. NOLANA.

Cum Ecclesia Summana Nolanae Dioecesis nuper erecta fuerit in Collegiata insigni a SSmo D. N. Clemente Papa VIII. , petiit dum Nolam accedit ad obedientiam praestandam Episcopo in die S. Marci , et alias quaecumque praeferrere aliis Ecclesiis non Collegiatis , nec insignibus , quod Episcopus bis recusavit , praeferrere dictae Ecclesiae Summanae Ecclesiam simplicem S. Magdalenae de Lauro sub praetextu cuiusdam Decreti a Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium emananti.

Congregatio S. R. inhaerendo Decretis alias factis , « quod Ecclesiae Collegiatae in omni actu semper praeferrere sint Ecclesiis simplicibus et non Collegiatis , declaravit , Ecclesiam Summanam tamquam Collegiatam et Insignem praeferrendam esse aliis Ecclesiis non Collegiatis , nec insignibus , et quod scribatur Episcopo Nolano , ut Decreta dictae Sac. C. R. observet , non obstante praedicto Decreto Congregationis Episcoporum , quia non comprehendit hunc casum : et illa verba Decreti , nec circa praecedentiam potiri debere aliqua praerogativa in praedictum aliarum Ecclesiarum , intelligenda sunt de aliis Ecclesiis similibus , idest Collegiatis antiquioribus , vel

insignioribus. » Et ita declaravit die 10. Iunii 1602.

151. PLACENTINA.

Pro Monachis S. Sixti Congregat. Cassinen. Placentiae commorantibus narratum fuit , quod ipsi Monachi numquam in eadem Civitate , nec alibi soliti sint accedere ad alias Processiones , praeterquam ad Processionem SSmi Sacramenti. Nunc vero Episcopus vult eos cogere , ut accedant etiam ad Processiones , quae fieri solent pro Rogationibus maioribus , et minoribus singulis annis , ad quas nunquam antea accesserunt : Et propterea petierunt , non astringi ultra eorum solitum , et consuetum.

Congr. Sac. R. respondit : « Monachos praedictos non esse ullo modo cogendos accedere , nisi ad Processionem SS. Sacramenti , iuxta antiquam eorum consuetudinem ; quam tam dictis Monachis Placentiae commorantibus , quam aliis eiusdem Congregationis Casinen. ubique conservandam esse censuit , et declaravit. » Die 10. Iunii 1602.

152. MESSANEN.

Ad petitiones porrectas pro parte Vicarii Generalis Civitatis Messanen. circa modum dandi pacem inter Missarum solemniam ipsi Vicario , qui in Choro apud stallos Canonicorum sedere solet.

Sacra R. C. censuit , « non esse recedendum ab ultimo statu , iuxta regulas Caeremonialis Episcoporum , introducto dandi pacem cum osculo tam ipsi Vicario , quam caeteris omnibus viris Ecclesiasticis in Choro sedentibus , » et ita declaravit die 8. Iulii 1602.

153. ANDRIEN.

Pro Canonicis et Capitulum Ecclesiae Cathedralis Andrien. Congregatio Sac. Rituum declaravit , « dictos Canonicos , et Capitulum non esse cogendos ab Episcopo , ut praeter eorum solitum et consuetum cantent tres Nocturnos pro quolibet defuncto , qui ad eorum Ecclesiam ad sepeliendum deducitur : sed satis esse , si unum Nocturnum decantent , prout hactenus consueverunt. » Die 8. Iulii 1602.

154. VALVEN.

Canonici et Capitulum Ecclesiae Valven. petierunt : An Abbates benedicti , qui alias in Synodo Dioecesana habuerunt praecedentiam ; atenta declaratione Congregationis Sac. Concilii , et novi Caeremonialis Episcoporum : quod Canonici processionaliter , et capitulariter procedentes , praecedant ipsis Abbatibus , debeant adhuc eisdem Abbatibus cedere , vel super illos praecedentiam habere ?

Sac. C. R. respondit: « non esse recedendum a Decreto Congregationis Sacri Concilii, et dispositione Libri Caeremonialis Episcoporum. » Die 8. Iulii 1602.

155. COIMBRIEN.
Ad preces pro Episcopo Coimbrien. porrectas, Sac. Rit. Congreg. inhaerendo Decretis alias factis, declaravit, « Canonicos teneri ad observationem Cap. XV. lib. 1. Caeremonial. Episcoporum, et ipsum Episcopum associare debere in habitu canonicali a domo suae habitationis ad Ecclesiam Cathedralem quoties in diebus festivis, et solemnibus cum Cappa ad celebrandum, vel Pontificalia exercendum, aut Divinis Officiis interessendum accedit: cum habitatio ipsius Episcopi, licet non sit contigua, tamen non multum distet ab Ecclesia Cathedrali, ut in precibus porrectis praesupponitur. » Et ita declaravit die 8. Iulii 1602.

156. CALARITANA.
In Causa praecedentiae inter Fratres Mercenarios, et Fratres Carmelitanos Civitatis Calaren. in Sardinia, Congr. S. R. declaravit: « Fratres Carmelitanos manutenendos esse in possessione praecedendi Fratribus de Mercede, iuxta formam Decreti facti a Visitoribus Apostolicis, et Decisionis Rotae exhibitae: et cogendos esse opportunis remediis dictos Fratres de Mercede, ut ad publicas, et consuetas Processiones accedant, et praecedentiam Carmelitanis relinquunt; et ut ita Episcopus Calaritanus exequi faciat, eadem Sacra Rituum Congregatio ordinavit. » Die 8. Iulii 1602.

157. AESINA.
Ad petitiones porrectas pro parte Philippi Canonici, et Priorum Aesinae Civitatis, qui conquerebantur de quibusdam Canonicis Diaconis, qui male interpretando librum Caeremonialis Episcoporum, praetendebant illius vigore a dexteris, et sinistris, quasi assistentes Episcopi procedere, quotiescumque ipse Episcopus ad Ecclesiam cum Cappa, ut Divinis Officiis assisteret, accedebat; nec cum aliis Canonicis in loco suo procedere volebant, et ita impediabant locum Priorum, qui haec tenus Episcopum ad Ecclesiam accedentem associaverunt.

Sac. Rit. Congr. respondit: non recedendum esse a dispositione libri caeremonialis, qui aperte quid in simili casu faciendum sit declarat Lib. 1. cap. XV., nec prohibet, quin Magistratus possit medium inter duos ipsius Magistratus Priores Episcopum ad Ecclesiam accedentem associare: Quod si in Ecclesia AEsina consuetum sit, servari posse; Canonicis vero Diaconis locum praedictum non

convenire, nisi quando Episcopus paratus cum mitra ad Ecclesiam accedit. » Et ita declaravit die 3. Augusti 1602.

158. PATAVINA.
Canonici, et Capitulum Ecclesiae Patavinae S. R. Congr. exposuerunt, quod in dicta Ecclesia ad quadraginta Presbyteri reperiuntur, Capellani nuncupati, qui ex antiqua immemorabili consuetudine, ac statutis, et ordinationibus capitularibus ab Ordinariis, et Visitoribus Apostolicis confirmatis, varias functiones ecclesiasticas pro servitio Episcopi, Chori, et Canonicorum facere consueverunt; veluti psallere in choro, inservire Episcopo, et Canonicis in Missis, et Divinis Officiis, eisdemque assistere cum pluviali, dum solemniter Missas, seu Vesperas celebrant, praetone antiphonas, thurificare chorum, et populum, ac similia. Quae omnia nunc facere dicti Capellani, non sine scandalo, recusant, sub praetextu, quod in novo Caeremoniali Episcoporum functiones praedictae, non Capellanis, sed vel Acolythis, vel Beneficiatis, vel Cantoribus assignentur.

S. R. Congr. reiectis vanis, et frivolis eorumdem Capellanorum praetensionibus declaravit: « ipsos Capellanos teneri ad observationem omnium praedictarum, et aliarum quarumcumque functionum ecclesiasticarum, quas hactenus ex antiqua consuetudine facere, et servare consueverunt. » Et ita servandum esse decrevit, et ordinavit die 3. Augusti 1602.

159. URBIS.
Circa dubium propositum. An Canonicus Ecclesiae Collegatae in ordine presbyterali constitutus, qui tamquam presbyter a principio locum habuit supra Diaconos, debeat cedere locum digniorem Canonicis Diaconis praedictis, si postea ordinentur Presbyteri?

Congr. S. R. respondit: « nihil innovandum esse; et illum Canonicum debere praecedere, qui prius tamquam Presbyter praecedentiam habuit, licet Canonici Diaconi postea facti sint Presbyteri: quia attenditur prioritas Ordinis, et non Canonicatus, » et ita declaravit die 3. Augusti 1602.

160. EGITANIEN.
Pro Episcopo Egitanien. in Congregat. S. R. quaedam dubia fuere proposita, de quibus ab eadem S. C. decisio, seu resolutio petebatur.

1. An Episcopus pro statuendis legibus synodalibus, seu dioecesanis, attentata aeris intemperie, et nociva sanitati ipsius Episcopi, possit in alium locum salubriorem, et comodiorem, pro dictis legibus determinandis, et statuendis ad se

vocare duos Canonicos procuratores Capituli, et duos alios procuratores Cleri? S. R. Cong. respondit, « posse, dummodo duo Canonici praedicti longiori tempore, quam a Concilio praescribitur, a sua Ecclesia non abfuerint. »

2. An quoties Episcopus cum cappa ad Ecclesiam, ut divina officia celebret, seu illis assistat, progreditur, Canonicis eum a loco suae habitatio- nis, quem non distare maiori spatio ab Ecclesia, quam viginti passibus asseritur, associare teneantur? Sacra Cong. respondit: « teneri, dummodo distantia sit brevis, prout praesupponitur. »

3. Circa locum Vicario generali dandum, dum ab Episcopo pro negotiis urgentibus tractandis ad Capitulum destinatur, cum locus certus pro Vicario in Capitulo hactenus non sit determinatus, licet in processionibus Capitulum praecedere so- leat. Sac. Cong. respondit: « Vicario Generali convenire locum supra omnes Canonicos tam in Congregationibus capitularibus, et sessionibus, quam in processionibus, dummodo Canonici sacris vestibus parati non incedant. »

4. An Episcopus in Civitate, aut Suburbio extra Ecclesiam Cathedralis Pontificalia exercere volens, possit de Capitulo aliquos secum deducere, qui sibi assistant, remanentibus aliis in Choro, qui satis sint ad divina officia celebranda? Sac. Cong. inhaerendo decretis alias in simili casu factis, et decretis S. C. Concilii censuit, « posse. »

5. An Episcopus possit prohibere, ne pro ad- mittendis noviter provisus in Ecclesia de aliqua Dignitate, Canonicatu, vel Beneficio exigatur sum- ma pecuniarum cum chirothecis, prout hactenus consuetum fuit? Sac. Cong. respondit: « Episco- pum non posse id prohibere, si pecuniae vertantur in utilitatem, et servitium Ecclesiae; si vero vertantur in Canonicorum, seu aliorum privatam utilitatem, posse prohibere. »

6. An Episcopus possit cogere laicos, et mi- nistros saecularium, qui cum vexillo confuse, et sine ordine ad processiones, quae per civitatis, et loca dioecesis fiunt, accedunt, ut ordinate, et cum candelis procedant, vel potius ad proces- siones non accedant? Sac. Rituum Cong. respon- dit: « non posse cogere, sed hortari. » Et ita declaravit, et ad praedicta dubia ut supra re- spondit die 3. Aug. 1602.

161. EGITANIEN.

Pro parte Episcopi Egitanien. iterum institu- tum fuit super primo dubio in praecedenti Cong- regatione proposito, et pro concessione longio- ris temporis quam a Concilio praescribitur, cum id tempus non sufficiat ad leges synodales sta-

tueudas, in quibus determinandis diu laboratur, cum omnia exacte examinentur coram Episcopo, et dictis Procuratoribus, et aliis Doctoribus: et cum dictae leges respiciant utilitatem publicam totius Dioecesis, petatum fuit, ut dictis duobus Canonicis licentia concederetur abesse ab Ecclesia per totum tempus, quod huiusmodi negotium du- rabit: maxime cum in Ecclesia pro eius servitio triginta existant personae.

Sac. Cong. respondit: « tempus indefinitum non esse dictis Canonicis concedendum, sed, at- tentis narratis, posse concedi tempus sex men- sium, » censuit et declaravit. Die 30. Aug. 1602.

162. CALARITANA.

Ad instantiam Archiepiscopi, et Canonicorum Calaritanæ Ecclesiae Sac. Rituum Congregationi expositum fuit, quod ultra solitos assistentes Ar- chiepiscopi, dum solemniter celebrat Missas, seu Vesperas, duo alii Canonici, et quatuor Benefi- ciati pluvialibus parantur, qui sic induti hâstas argenteas deferentes solent intonare Introitum, Graduale, et Psalmos, ac Antiphonas decantan- das Canonicis intimare. Quibus Canonicis, et Be- neficiatis Incensum, et Pax dabatur post Deca- num, et omnes alios Canonicos: licet postea, ut eisdem Canonicis, et Beneficiatis paratis Incen- sum, et Pax daretur ante Decanum, et alios Ca- nonicos, introductum fuerit. Quare tam pro parte Archiepiscopi, quam Decani, et totius Capituli, ad lites evitandas, petatum fuit, quid in hoc casu servandum sit?

Eadem Sac. Cong. respondit: « Incensum, et Pacem dandam esse duobus dictis Canonicis paratis ante Dignitates, et Canonicos non para- tos, Beneficiatis vero quatuor paratis immediate post omnes Canonicos, et ante omnes Beneficiatos non paratos. » Et ita declaravit die 30. Aug. 1602.

163. PATAVINA.

Ad instantiam Beneficiorum, et Capellano- rum Ecclesiae Cathedralis Patavinae, qui unum Presbyterum ex ordine Capellanorum in secundum Magistrum Caeremoniarum elegerunt iuxta formam libri Caeremonialis Episcoporum, quia in dicto libro locus certus non assignatur, ubi dictus Ma- gister Caeremoniarum incedere debeat in proces- sionibus, supplicatum fuit pro declaratione dic- ti loci.

Sac. Cong. respondit: « Magistris Caeremo- niarum non dari certum locum in Processionibus, sed eos ubique assistere, et discurrere debere, ubi opus est, in ordinandis, et disponendis dic- tis Processionibus, » et ita declaravit die 30. Au- gusti 1602.

164. SUTRINA.

Pro parte Canonicorum Cathedralis Ecclesiae Sutrinae Civitatis Sac. Rituum Congregationi expositum fuit, Curatum S. Silvestri eiusdem loci praetendere praecedentiam super ipsos Canonicos, quoties aliquis suae Parochiae defunctus ad sepeliendum in Ecclesia Cathedrali duceretur; et petitum, an conveniat?

Sac. Rituum Congregatio respondit, « non convenire, et praecedentiam deberi Canonicis, et non Curato, » et ita declaravit die 30. Augusti 1602.

165. CASTILIAE, ET LEONIS.

Pro parte Ecclesiarum, Presbyterorum, seu Clericorum saecularium Regni Castiliae, et Leonis in Hispania Sac. Congregationi Rituum expositum fuit, quod licet in Libro Caeremoniali Episcoporum statutum sit, ut in generalibus Processionibus, Fratres, seu Monachi, vel Ordines Regulares antecedant, et Presbyteri, seu Clerici saeculares (quem Ordinem S. Petri vocant) subsequantur, et ultimum locum, obtineant, nec mixti cum Regularibus incedant, prout, per abusum antea faciebant: Idque per Breve Apostolicum a SS^{mo} D. N. Clemente VIII. tertio etiam declaratum, et confirmatum fuerit: tamen Regulares ipsi renuunt id observare; nec, ut solebant prius, ad Processiones accedunt, vel si accedunt, quasi per contemptum, aliquos paucos Fratres novitios, seu conversos, et ex vilioribus ad easdem Processiones mittunt.

Eadem Sac. Rituum Congregatio, facto de praedictis omnibus verbo cum SS^{mo} D. N. Papa, et de eius expresso ordine, et mandato, declaravit: « praedictos omnes Religiosos teneri ad observantiam dicti Libri Caeremonialis, et litterarum Apostolicarum in forma Brevis expeditarum super observatione praemissorum omnium, et singulorum; et ordinavit, ut moneantur omnes Generales, Provinciales, et quicumque alii dictorum Regularium Superiores, ut praedicta omnino, etiam sub poenis arbitrio eiusdem Sacrae Congregationis infligendis, observari faciant; et numerum debitum, decentem, et consuetum Fratrum ad Processiones mittant. Non obstante quacumque asserta, seu praetensa consuetudine in contrarium, quam abusum esse, et non consuetudinem, eadem Sac. Congregatio declaravit, et quibuscumque aliis non obstantibus. » Et ita eadem Sacra, et plena Congregatio de expresso ordine praelibati SS^{mi} D. N. Clementis PP. VIII. pronuntiavit, decrevit, et declaravit, et insuper ordinavit, « ut praesens Decretum intimetur omnibus Generalibus, Provin-

cialibus, et aliis quibuscumque Superioribus ditorum Ordinum. » Romae die 30. Aug. 1602.

166. AESINA.

Canonici Diaconi Aesinae Civitatis petierunt a Sac. Rituum Congregatione declarari, - ut ipsis Diaconis, et non Canonicis Presbyteris competat assistentia quando Episcopus procedit cum cappa in Processionibus. -

Eadem Sac. Rit. Congreg. respondit, « nullam Episcopo convenire assistentiam neque Diaconorum, neque Presbyterorum, quando procedit cum cappa, nec est sacris vestibus paratus, » et ita declaravit. Die 30. Aug. 1602.

167. SALERNITANA.

In Metropolitana Ecclesia Salernitana recitantur Divina Officia, ac celebrantur sacrae Missae nonnullorum Sanctorum particularium, qui in Breviario Romano descripti non sunt, vel quorum Officia, non eodem modo recitantur: quorum aliqui dictae Ecclesiae sunt Patroni, aliqui illi praefuerunt, aliqui miraculis ibi fulgent, aliquorum vero Corpora, vel insignes Reliquiae, ibi etiam requiescunt.

Item, quia Basilicae ejusdem Ecclesiae, superior in B. Virginis, et inferior in S. Matthaei Apostoli, et Evangelistae, cujus corpus ibi reconditum est, honorem dedicatae sunt: ideo extra tempus Adventus, et Quadragesimae, et quando non occurrunt Vigiliae, et quatuor Tempora, vel Festa novem Lectionum; singulis sabbatis in B. Mariae, et singulis quintis Feriis in B. Matthaei honorem Officia ad instar semiduplicium Festivitatum recitantur, et Missae celebrantur tum a Presbyteris, et Clericis de gremio eiusdem Ecclesiae, vel eidem adscriptis, quam ab aliis etiam Regularibus in praedicta Civitate, vel Dioecesi commorantibus, in quibus celebrandis, vel recitandis varii ritus secundum propriam cuiuslibet voluntatem hactenus fuerunt introducti, et servati. Ut unus, et idem in psallendo modus, ab omnibus ibidem servari possit, supplicatur declarari a S.R.C.

1. An qui sunt de gremio, vel adscripti servitio dictae maioris Ecclesiae, qui alias non tenentur recitare Officium in Choro, sed tantum private ratione sacrorum Ordinum, seu Beneficiorum, teneantur saltem private recitare primordiorum Sanctorum, necnon Sabbati, et Feriae V. diebus praedictis B. Virginis, et S. Matthaei Officia, prout in Choro huiusmodi Ecclesiae maioris recitantur?

2. Quid de aliis Clericis tam saecularibus, quam regularibus in praedicta Civitate, vel Dioecesi commorantibus?

3. Quid de Canonicis, et aliis de gremio, vel adscriptis servitio dictae maioris Ecclesiae, extra Civitatem vel Dioecesim iustis ex causis existentibus? Item, quid de aliis Clericis, itemque Regularibus, qui tamen eorum habitationem, vel beneficia ibi habent?

4. Si aliqui ex praedictis non tenentur, si vo-
luerint se conformare, ac Matris Ecclesiae praedictae vestigia sequi in praefatis Officiis recitandis, ac Missis celebrandis, possint id licite facere, et satisfaciant eorum obligationibus de Horis Canonicis recitandis, ac Missis celebrandis?

Ultimo. An iisdem modo, et precibus recitari debeant praedicta Officia, et huiusmodi Missae celebrari ab iis, qui recitare, seu celebrare tenentur, vel intendunt, prout in Choro dictae Maioris Ecclesiae recitantur?

Ad supradicta Dubia Sacra Rituum Congregatio respondit, ut infra. Ad 1. et 2. « non teneri. » Ad 3. « si sunt Canonici, et Beneficiati, decere. » Ad 4. « si percipiunt fructum ab Ecclesia, posse. » Ad 5. et ultimum, « debere eos, qui sunt de gremio Ecclesiae recitare Officium, prout recitatur in Choro. » Et ita respondit, et declaravit die 30. Augusti 1602.

168. MELPHIEN.

Ad dubia proposita pro parte Episcopi Melphien. Sacra Rituum Congregatio respondit, ut infra videlicet.

Ad 1. De Assistentia duorum Canonicorum tantum, et non de Presbytero, toleranda, nec ne? Respondit, « servandam esse regulam Libri Caereimonialis. » Ad 2. et 3. de assistentia faciendi Episcopo, quando assistit paratus cum pluviali, et mitra ad Vesperas, seu Missas, et quando assistit cum Cappa. Idem respondit, « nempe servandas esse regulas praescriptas in dicto Libro Caereimoniali. » Ad 4. de hastis Baldachini deferendis in Ecclesia. Respondit, « decere, ut servetur Liber Caereimonialis, si pacifice, et sine magno scandalo eius usus introduci poterit. » Ad 5. et 6. de sede Gubernatoris, « nihil pronunc decernendum iudicavit. » Et ita ad supradicta Dubia respondit. Die 30. Augusti 1602.

169. TARENTINA.

Cantor Ecclesiae Tarentinae, qui est secunda Dignitas in eadem Ecclesia, exposuit, quod absente Archiepiscopo, et Sede vacante, Archidiaconus, qui est prima Dignitas, solet in die Purificationis benedicere, et distribuere Candelas; et Feria IV. Cinerum benedicere, et distribuere Cineres; et qualibet tertia Dominica cuiuslibet mensis deferre processionaliter SS. Sacramentum,

et similiter in die festivitatis eiusdem: quae omnia, absente Archidiacono, solet facere ipse Cantor: et nihilominus nonnulli ex dictae Ecclesiae Canonicis praetendunt, quando sunt hebdomadarii, excluso ipso Cantore, dictas functiones facere in grave ipsius praeiudicium: quare petit a Sacra Rituum Congregatione, ut in possessione praedicta exercendi munia, et functiones supradictas in absentia Archidiaconi manuteneatur: nec liceat ipsi Archidiacono praedicta munia alteri Canonico, invito ipso Cantore, demandare. Eadem Sacra Rituum Congregatio censuit, « servandam esse consuetudinem ad favorem Cantoris, quatenus adsit. Verum autem adsit necne, probet apud Ordinarium. » Et ita declaravit. Die 28. Septembris 1602.

170. CREMEN.

Capitulum, et Canonici Cathedralis Ecclesiae Cremen. a Sacra Rituum Congregatione declarationem infrascriptorum circa assistentiam faciendam Episcopo petierunt; et an ipsi Canonici teneantur associare Episcopum in reditu ab Ecclesia usque ad eius Cameras, unde ipsum ad Ecclesiam venientem associaverunt, attento quod id facere non consueverunt, nec Caereimonialis dicit Canonicos debere in reditu associare Episcopum usque ad eius mansiones, prout faciendum esse declarat, dum venit ad Ecclesiam, sed satis esse in reditu, si Episcopum saltem usque extra portam Ecclesiae associet.

Eadem Sacra Rituum Congregatio respondit, « a solito non esse recedendum, et formam Caereimonialis servandam esse, qui lib. 2. cap. 1. declarat quousque in reditu teneantur Canonici Episcopum associare. » Quo vero ad assistentiam Presbyteri, et duorum Canonicorum, « servandam esse formam eiusdem libri Caereimonialis, in quo declaratur quid agendum sit circa dictam assistentiam tam celebrante, quam non celebrante Episcopo. Nec ullum generari praeiudicium Dignitatibus, si post Canonicos, qui in assistentia sunt, licet ipsis Dignitatibus inferiores thurificentur, quia ratione assistentiae, et non Dignitatis procedit. » Die 28. Septembris 1602.

171. ELBOREN.

Capitulum Ecclesiae Elborensis exposuit, quod licet alias SSm̄us D. N. per literas suas in forma Brevis expeditas sub die 20. Februarii 1601. declaraverit, quod in toto Regno Hispaniae tam in processionibus, quam in funeralibus, et in quibuscumque aliis actibus publicis, Clerus saecularis praecederet quoscumque Regulares tam Monachos, quam Fratres cuiuscumque Ordinis: tamen in di-

eta Civitate Elboren. nonnulli ex dictis Regularibus in eorum propriis Ecclesiis, et Monasteriis praetendunt praecedentiam super ipsos Clericos saeculares: Et ideo dictum Capitulum petiit declarari, quod etiam in propriis Religiosorum Monasteriis, et Ecclesiis, ac ubicumque praecedentia Clericis saecularibus servetur. Et praefatus SS^{ms} D. N. mandavit expediri Breve, iuxta mentem Sacrae Congregationis Rituum.

Quae quidem Sacra Rituum Congregatio, « praecedentiam omnino Clero saeculari supra Monachos, Fratres, seu Religiosos quoscumque in omni loco, etiam in propriis ipsorum Religiosorum Monasteriis, et Ecclesiis deberi, » declaravit. Die 28. Septembris 1602.

172. EGITANIEN.

Episcopus Civitatis Egitanien. in Sac. Rituum Congregatione quaedam Dubia proponi fecit, de quibus resolutionem petiit pro bono, et quiete suae Ecclesiae, et ut Canonicos possit in eorum officio continere.

1. An, praesupposita consuetudine, quod Canonici possint ab Ecclesia longiori tempore, quam a Concilio praescribitur abesse, Episcopus talem usum aut consuetudinem, ad praescriptum praedicti Concilii reducere possit? Eadem Sacra Rituum Congregatio respondit, « posse. »

2. An tempore vacationis concessae Canonicis, possint omnes simul per tempus sibi concessum ab Ecclesia abesse? An vero alii post alios, ne servitium Ecclesiae tempore vacationis omnino deseratur? Congregatio respondit: « non omnes simul a servitio vacare debere, sed alios post alios, ordine servato; ita ut Ecclesia servitio non defraudetur. »

3. An Canonici praesentes, et non impediti teneantur per se ipsos suis muneribus, et officiis satisfacere, vel per substitutos? Congregatio respondit, « Canonicos per se ipsos servire, et sua munia exercere debere, et non per substitutos. »

4. An Episcopus possit cogere Canonicos in Choro, ut extollant vocem, maxime eos, qui in hoc culpabiles sunt, nec volunt cum aliis communicare in cantu? Congregatio respondit, « decere, ut Canonici voce non impediti alte cantant in Choro, coadiuvantes alios, et posse Episcopum illos ad id faciendum hortari. »

5. An, dum celebratur Missa sollemnis, seu Conventualis, vel praedicatur, aut Horae Canonicae in Choro cantantur, possit aliquis Canonicus celebrandi causa private, recedere a Choro, et nihilominus quotidianas distributiones lucrari? Congregatio respondit, « licitum esse Canonicis

celebrandi causa a Choro recedere, nec ob id distributiones quotidianas perdere. »

6. An Canonicus fabricae administrationi deputatus, propter hanc causam toto anno ab Ecclesiae servitio eximatur, et nihilominus distributiones integre lucretur? Congregatio respondit, « teneri Canonicum praedictum Ecclesiae inservire, sicut tenentur omnes alii Canonici; et si facere id contemnat, mulctandum esse in amissione distributionum, sicut mulctantur alii non servientes. »

7. An pueri in privatis Missis Sacristiae, et Choro inservientes cum cottis, debeant saltem Ordines minores habere, vel primam Tonsuram, et pure laici ab huiusmodi ministerio arcendi sint? Congregatio respondit, « convenire praedictos pueros saltem primam Tonsuram habere, dummodo per aetatem eiusdem Tonsurae sint capaces. »

Et ita in omnibus supradictis dubiis eadem Sacra Rituum Congregatio ut supra respective respondit, et declaravit die 23. Novembris 1602.

173. GADICEN.

Canonici Ecclesiae Gadicen. exposuerunt, quod Portionarii eiusdem Ecclesiae praetendunt, quod Canonici teneantur illis ministrare cantando Epistolam, et Evangelium quando celebrant etc.

Sacra Rituum Congregatio, cum indecorum, et indecens sit digniorem inferiori ministrare, ut alias declaravit in una Hispalen. sub die 1. Junii 1601., censuit: « Canonicos Ecclesiae Gadicen., Portionariis, aut dimidiis Portionariis, aliisque inferioris ordinis Presbyteris Missas, et Divina Officia celebrantibus pro Diacono, vel Subdiacono inservire, aut alias ministrare nullo modo debere, neque sub soliti, aut consuetudinis praetextu, maxime si legitime praescripta non sit, ullatenus ad id cogi, aut compelli posse, » et ita declaravit die 23. Novembris 1602.

174. SPALATEN.

Archiepiscopus Spalaten., qui, Deo adiuvante, intendit singulis diebus praedicare in sua Ecclesia tempore Quadragesimae, petiit, quo habitu id facere debeat.

Sacra Rituum Congregatio respondit, « habitu quotidiano, et ordinario id faciendum esse, nempe cum rochetto, et mozzetta, addita Stola, nisi solemniter prius celebraverit, quia tunc servanda est forma libri Caeremonialis, » et ita declaravit die 23. Novembris 1602.

175. VICENTINA.

Moniales S. Thomae in Civitate Vicentina, quae insignem Reliquiam, nempe Spatulam, et Brachium S. Mariae Cleophae in eorum Monasterio habere asseruerunt, petierunt licentiam celebrandi

officium de dicta S. Maria sub ritu dupl. in die festivitatis eiusdem.

Sacra Rituum Congregatio respondit, « posse Moniales praedictas, si reliqua est insignis, ut praesupponitur, celebrare Officium de dicta Sancta sub ritu duplici, sicut petunt, » et ita declaravit die 23. Novembris 1602.

176. ASTEN.

Praepositus generalis Clericorum Regularium S. Pauli decollati Sacrae Rituum Congregationi exponi fecit, quod cum dicti Clerici in Civitate Asten, obtinuerint quamdam Ecclesiam Parochialem, Canonici Regulares Lateranenses praetendunt praecedere Parocho dictae Ecclesiae in publicis Processionibus, in quibus non omnes Clerici collegialiter, sed unus eorum tamquam Curatus, et Parochus in loco suo inter alios Curatos procedit.

Sacra Congregatio Rituum respondit, « nullam habere, nec posse praetendere Canonicos Lateranenses praecedentiam supra dictum Clericum Regularem S. Pauli quando in Processionibus tamquam Parochus inter alios Curatos in loco suo procedit, » et ita declaravit die 23. Novemb. 1602.

177. SALERNITANA.

Capitulum, et Canonici Salernitanae Ecclesiae, qui ex privilegio Apostolico singulis diebus Sabbati non impeditis recitant Officium B. M. sub ritu semidupl., petierunt declarari: An in secundis Vesperis, in quibus Officium sit a capitulo de Dominica, hymnus concludendus sit cum vers. *Gloria tibi Domine etc. Qui natus es de Virgine etc.* vel alias, ut notatur in hymno Dominicae? Et quid si in Dominica occurrat festum dup., cum nihilominus semper faciant Commemorationem de S. M.?

Sacra Rituum Congregatio respondit, « non esse hymnum terminandum cum vers. *Gloria tibi Domine etc.* cum Officium fiat a Capitulo de Dominica, et non de B. V., et tanto magis id servandum esse in aliis festis duplicibus, quae incidunt in Dominica, in quibus hymnus terminatur prout notatur in hymno festi, » et ita declaravit die 23. Novembris 1602.

178. THEATINA.

Fuit alias a Sacra Rituum Congregatione declaratum, Canonicos debere associare Episcopum a domo suae habitationis ad Ecclesiam Cathedrali in habitu Canonicali, quotiescumque Episcopus illuc cum Cappa accedit, ut Divinis Officiis assistat, vel solemniter celebret. Quod etiam in libro Caeremoniali Episcoporum cavetur; et ideo « idem servandum esse a Canonicis Civitatis Theatinae, quotiescumque Episcopus cum Cappa ad

Ecclesiam ex causa praedicta accedit, non obstante, quod eius habitatio asseratur distare ab Ecclesia per passus sexaginta, cum modicum spatium non habeatur in consideratione. » Et ita eadem Sacra Congregatio censuit, et declaravit die 14. Decembris 1602.

179. PACEN.

Petrus Mexia Ecclesiae Pacen. Canonicus Sacrae Rituum Congregationi exposuit, quod, cum Canonici, et Capitulum soleant singulis diebus Dominicis, et aliis quibusdam festivitibus per annum post horam Tertiae Processiones quasdam intra Ecclesiam facere; dum ante Altare SS. Sacramenti transeunt, ex inveterata consuetudine, seu potius abusu, non genuflectunt, sed tantum caput inclinant; ipse vero Orator, ob reverentiam tanti Sacramenti usque ad terram genuflectit: ceteri Canonici id aegre ferentes, ipsum, ob hoc, tamquam inveteratas Ecclesiae consuetudines servare nolentem, mulctare praetendunt. Quare petit: an id licite facere possint?

Sacra praedicta Congregatio respondit, « non solum non licere Canonicis, qui non genuflectunt ante SSimum Sacramentum mulctare eos, qui genuflectunt, quin potius ipsi non genuflectentes ab illis, qui genuflectunt, mulctandi essent, cum omnes fideles ante SSimum Sacramentum transeuntes genuflectere teneantur. Et ita per omnes Canonicos dictae Ecclesiae Pacen. in futurum servari, non obstante quacumque eorum praetensa in contrarium consuetudine, quam corruptelam potius, et abusum esse declaravit, » eadem Sacra Rituum Congregatio praecipit, et mandavit. Die 14. Decembris 1602.

180. CONIMBRICEN.

Cum alias saepe Sacra Rituum Congregatio declaraverit, « non debere Canonicos Capitulum celebrare, dum in Choro cantantur horae Canonicae, seu Missa Conventualis celebratur: Idem etiam servandum esse decrevit a Canonicis Conimbricen. Ecclesiae, » et ita ad instantiam R. P. D. Alphonsi de Castroblanco eiusdem Ecclesiae Episcopi declaravit. Die 14. Decembris 1602.

181. FUNCHALEN.

Cum Cantor Ecclesiae Funchalen. in Medera Insula Regni Portugalliae praetendat ad ipsum spectare dirigere Processiones solemnes, ex eo quod ratione suae dignitatis deferre soleat baculum, Episcopus dictae Civitatis petit a Sacra Rituum Congregatione: An hoc ad dictum Cantorem pertineat, vel potius ad Vicarium? Eadem S. R. C. respondit, « Officium Cantoris esse dirigere Chorum: Processiones vero publicas, et privatas

Capituli et Cleri ordinare, et dirigere ad Episcopum, et eius Vicarium pertinere, » et ita declaravit. Die 14. Decembris 1602.

182. BOVEN.

Episcopus Boven. Sacrae Rituum Congregationi exposuit, quod licet Ecclesiam suam ex ritu Graeco ad Latinum reducerit, tamen Canonici adhuc intendunt recitare Matutium post Vesperas iuxta ritum Graecum, non autem mane, prout faciunt Latini, et ideo super hoc petit declarari, quid magis conveniat.

Sacra Rituum Congregatio respondit, « convenire, ut Canonici in omnibus se conforment ritui Latino, » et ita declaravit. Die 14. Dec. 1602.

183. MARUGIEN. NULLIUS.

Cantor Terrae Marugii Nullius Dioecesis in Hydrunto, exposuit Archipresbyterum eiusdem Terrae Substitutum sibi elegisse, quem in ejus absentia Missas solemnes celebrare vult, quas ipse Archipresbyter, si adesset, celebraret, et quae, ipso absente, ad Cantorem, et alias Dignitates, seu antiquiores Presbyteros dicti loci pertinerent. Ne non praetendere, ipsum Archipresbyterum, ut dictus eius Substitutus sedeat, et honoris incensi et pacis habeat in loco proprio ipsius Archipresbyteri supra omnes alios, in grave praeiudicium Dignitatum, et ceterorum Presbyterorum antiquiorum dictae Terrae.

Sacra Rituum Congregatio « id minime licere, respondit, sed Missarum celebrationem in absentia Archipresbyteri, vel etiam in eius praesentia, si ipse celebrare noluerit, ad Dignitates, seu antiquiores Presbyteros, non autem ad Archipresbyteri substitutum pertinere, cui tamquam substituto nec locum ullum, nec incensi, aut pacis honorem convenire » censuit, et declaravit. Die 14. Decembris 1602.

184. FIRMANA.

Cum in libro Caeremoniali Episcoporum in Cap. de Litanis et Processionibus statutum sit, ut in Litanis maioribus, et minoribus, Processio a Cathedrali, seu aliqua alia Ecclesia, ad aliam dirigatur; Illūus et Rñus D. Cardinalis Bandinus Archiepiscopus Firmanus tres Ecclesias in diversas partes prope moenia Civitatis capaces, et commodas deputavit, ut ibi Rogationum Processiones, quae triduum ante festum Ascensionis Domini fiunt, terminentur, et iuxta eiusdem libri dispositionem, ibidem Missa sollemnis cantaretur. Cum autem dictae Ecclesiae sint Regularium, nempe alia Canonicorum Lateranensium, altera Fratrum S. Francisci, et tertia Fratrum S. Augustini, praetendant ipsi Regulares huiusmodi Missas can-

tare, et impedire ipsum Archiepiscopum, quominus possit per suos Canonicos, quos secum in Processione ducit, Missas praedictas celebrare facere. Quare pro parte dicti Illūi D. Cardinalis Archiepiscopi petitum fuit a Sacra Rituum Congregatione « An id iure Religiosi praedicti facere, seu praetendere possint? »

Eadem Sacra Rituum Congregatio respondit, « nullo modo posse Regulares impedire, quominus Archiepiscopus per suos Canonicos Missam solemnem cantari faciat etiam in Ecclesiis Regularium, et exemptis Civitatis, seu Dioecesis, quo huiusmodi Processiones terminantur: nec ad Regulares praedictos, sed ad Archiepiscopum, seu Canonicos, iuxta dispositionem dicti libri Caeremonialis, dictarum Missarum celebrationem pertinere, » censuit, et declaravit. Die 25. Ianuarii 1603.

185. ELBOREN.

Decanus, et Capitulum Ecclesiae Elboren. sede vacante, Vicarium Generalem existentem confirmavit, et tres alios Viros de Capitulo, Gubernatores nuncupatos, deputavit, quibus totius Dioecesis regimen, sede vacante, incurreret, et deputationis huiusmodi Literae nomine Decani, et Capituli expeditae fuerunt, prout etiam ipsi in suis Decretis, ac mandatis iurisdictionem a Decano, et Capitulo obtinere fatentur. Cum autem dicti Vicarius, et Gubernatores primas sedes etiam super Decanum in actis publicis, ratione dicti Gubernii, et Iurisdictionis praetenderint: pro parte eiusdem Decani a Sac. Rit. Congr. quaesitum fuit, « an dictis Gubernatoribus Capitularibus tam in sedendo, quam in incedendo, vel in aliis actibus publicis locum praecedentiae supra ipsum Decanum, et alios Capitulares ipsis antiquiores, aut digniores possint occupare? »

Sac. Rit. Congr. respondit, « dictis Gubernatoribus Capitularibus nullo modo convenire praecedentiam supra Decanum, nec supra alios Capitulares ipsis antiquiores, aut digniores, nec id potuisse, nec posse praetendere, sed in omnibus actibus publicis, in stallis, seu locis, et sessionibus propriis, ubi stabant, seu sedebant, aut incedebant antequam Gubernatores deputati fuissent, stare, sedere, vel incedere debere, » censuit, et declaravit. Die 25. Ianuarii 1603.

186. MARUGIEN. NULLIUS.

Ad instantiam Cantoris Terrae Marugii nullius Dioecesis in Hydrunto expositum fuit, Vicarium eiusdem Terrae in spiritualibus praetendere, ad ipsum privative quoad dignitates, et alios dicti loci Presbyteros spectare celebrationem Missarum solemnium: in quibus etiam cogere praetendit ipsas

Dignitates, ut sibi celebranti ministrent, cantando Epistolam, et Evangelium.

Sacra Rit. Congr. respondit, « Missarum solemnium celebrationem ad Dignitates, non autem ad Vicarium spectare: nec Vicarium Dignitates cogere posse, ut sibi celebranti ministrent, » censuit, et declaravit, et ita in Terra praedicta Marugii servandum esse decrevit et ordinavit. Die 25. Ianuarii 1603.

187. BRUNDUSINA.

Vicarius Generalis Brundusinae Civitatis, non obstante Decreto alias a Sac. Rit. Congr. facto sub die 2. Martii 1602., vigore cuiusdam assertae consuetudinis, praetendit Missas solemnes celebrare sede vacante, vel absente, aut impedito Archiepiscopo, quae non ad ipsum Vicarium, sed ad Dignitates, et Canonicos pertinent, iuxta formam dicti Decreti. Quare pro parte Archidiaconi eiusdem Ecclesiae petitum fuit, iterum declarari, ut omni tempore tam absente, quam impedito Archiepiscopo, et sede vacante ad Dignitates, non autem ad Vicarium, etiam quod sit de gremio Capituli, pertineat dictas Missas celebrare.

Sacra Rituum Congr. respondit, « debere Vicarium obedire Decreto iam super hoc facto, et quatenus recuset, cogendum esse remediis opportunis coram Auditore Camerae, » et ita censuit, et declaravit. Die 25. Ianuarii 1603.

188. TROPIEN.

Saepe a Sac. Rit. Congr. declaratum fuit Vicarium foraneum non posse, nec debere ratione Vicariatus huiusmodi praecedere Archipresbyterum, Canonicos, seu Presbyteros ipso Vicario in Ecclesia potiores, seu antiquiores, et ideo « idem servandum esse in Terra Ajelli Tropien. Dioecesis » ad instantiam Archipresbyteri eiusdem Terrae eadem Sac. Rituum Congr. censuit, et declaravit, « non obstante quacumque Episcopi in contrarium provisione. » Die 25. Ianuarii 1603.

189. AESINA.

Cum Aesinae Ecclesiae Canonici asseruerint, consuevisse eos Dominicis diebus cantare Missas, non autem Vesperarum officium facere, et Episcopum, praeter solitum, cogere illos, ut etiam Dominicis diebus officium Vesperarum faciant; et petierint ultra solitum non adstringi,

Sac. Rit. Congr. respondit, « convenire ut Canonicus, qui Missam celebravit, faciat etiam officium Vesperarum in diebus Dominicis, et ordinationem Episcopi circa hoc omnino servandam esse decrevit, non obstante quacumque in contrarium allegata consuetudine, » et ita censuit, et declaravit. Die 25. Ianuarii 1603.

190. ANDRIEN.

Societas SS^mi Sacramenti in Cathedrali Ecclesia Andrien., cuius Confratres semper consueverunt in Processionibus SS^mi Sacramenti intorticia accensa deferre, ut cum nunc in die solemnissimo festivitatis eiusdem, eadem intorticia accensa deferre ab Episcopo prohibeantur, sub praetextu, quod tali die, iuxta formam novi Caeremonialis. Clerici et Capellani illa deferre debeant, petierunt a Sacra Rituum Congregatione manuteneri in possessione deferendi eadem intorticia accensa tam in Processionibus SS^mi Sacramenti, quae fiunt per annum, quam in solemnissima Processione, quae fit in die festivitatis eiusdem SS^mi Sacramenti.

Eadem S. R. C. « id non prohiberi ex Libro Caeremoniali, respondit, in quo potius omnes tam laicos, quam Clericos, ad honorandum tantum Sacramentum, intorticia, seu candelas accensas deferre debere, quatenus id fieri possit, declaratur: quem ordinem, prout dicitur in Libro Caeremoniali in titulo de festo SS^mi Corporis Christi, et Processione mandavit: Nec posse super praemissis dictos Confratres ab Episcopo molestari, » declaravit. Die 12. Aprilis 1603.

191. NEOCASTREN.

Vicariis foraneis, ratione dicti Vicariatus, supra Archipresbyteros, Canonicos, seu Presbyteros Collegiatarum, vel Parochialium Ecclesiarum, nullam deberi praecminentiam, saepe Sacra Rituum Congregatio declaravit, et « idem servandum esse in Terra Madae Neocastren. Dioecesis inter Vicarium foraneum, et Archipresbyterum dictae Terrae, » eadem Sacra Rituum Congregatio censuit. Die 12. Aprilis 1603.

192. CIVITATIS PENNAE.

Fuit alias declaratum a Sacra Rituum Congregatione, ut Vicarius Generalis praecedere debeat omnes Dignitates, et Canonicos, dummodo non sint parati sacris paramentis, et dummodo Vicarius non sit ex numero Dignitatum, vel Canoniorum eiusdem Ecclesiae, et velit tamquam Dignitas, vel Canonicus in Choro assistere, distributiones quotidianas lucranda causa, quia tunc sedere debet in stallo, seu loco suae Dignitatis, vel Canonicatus. In reliquis omnibus Vicarium Generalem praecedere debere, Sacra Rituum Congregatio censuit, et « idem servandum esse cum Vicario Generali Civitatis Pennae, quem esse Archipresbyterum, et secundam Dignitatem asserunt, » declaravit. Die 12. Aprilis 1603.

193. UGENTINA.

Procurator Ordinis Carmelitanorum exposuit,

quod licet in Terra Persicciae Ugentinae Dioecesis Fratres eiusdem Ordinis Carmelitanorum habeant Monasterium, et residentiam antiquam, nihilominus Fratres Minores observantiae, qui novissime in eadem Terra venerunt, et apud Ecclesiam S. Mariae Angelorum Conventum obtinuerunt, praecedentiam super ipsos Carmelitanos praetendunt contra formam Bullae fel. rec. Gregorii Papae XIII.

Sac. Rit. Cong. respondit, « servandam esse Bullam praedictam Gregorii Papae XIII. fel. rec., in qua disponitur, quod priores in loco debeant praecedere » et ita declaravit. Die 23. Maii 1603.

194. HISPALEN.

Ad dubium propositum pro parte Beneficiarum Parochialium Ecclesiarum Hispalen. Civitatis. An, scilicet in die S. Marci, in quo fiunt Processiones pro Litanis maioribus, et in eadem Civitate Processio dirigatur, et terminatur ad Ecclesiam Beato Marco dicatam, Missa ibi de Litanis, quae dicitur secunda feria Rogationum, prout haecenus consueverunt, seu potius de S. Marco, celebranda sit?

Sacra Rituum Congregatio respondit, « Missam de S. Marco celebrandam esse, » et ita censuit, et declaravit. Die 23. Maii 1603.

195. PISAUREN.

Capitulum, et Canonici Cathedralis Ecclesiae Civitatis Pisaurum. Sacr. Rituum Congregationi exposuerunt, quod licet tam ipsi Canonici, quam etiam Mansionarii, Curatus, et Capellani dictae Ecclesiae Cathedralis in omnibus Processionibus, quae fiunt per annum, sive publicis, sive privatis, sive etiam pro funere defunctorum, praecedentiam semper habuerint supra Curatos Ecclesiarum Parochialium dictae Civitatis, nihilominus dicti Curati praetendunt nunc, contra solitum stilum, praecedentiam super ipsos Canonicos, et alios Presbyteros dictae Ecclesiae Cathedralis.

Eadem Sacra Rituum Congregatio, « nihil innovandum, sed consuetudinem antiquam, quae iuri, et Caeremoniali libro conformis est, servandam esse » censuit, et declaravit. Die 23. Maii 1603.

196. NOLANA.

Pro parte Cantoris, ac Archidiaconi Ecclesiae Nolanae, in qua, ultra quatuor Dignitates, Praebendae Canonicorum distinctae sunt, nempe Presbyterales, Diaconales, et Subdiaconales. Quaesitum fuit: An Episcopus possit cogere Dignitates, ut sibi hinc inde assistant; et casu, quo Episcopus non Dignitates, sed Canonicos Diaconos ad assistendum sibi, ut decet, eligat: An dicti Canonici assistentes in receptione Candelarum, Cinerum, et Palmarum ceteris Canonicis, ac etiam

Dignitatibus, ratione dictae assistentiae, praefereendi sint?

Sacra Rituum Congregatio, respondit, « servandam esse formam Libri Caeremonialis, in quo statuitur, ut quando praebendae sunt distinctae, Canonici assistentes eligantur ex numero Diaconorum. Et quod in receptione Candelarum, Cinerum, et Palmarum, quilibet accedat ordine suo, hoc est primo loco Dignitates, deinde Canonici Presbyteri, tum Diaconi, et demum Subdiaconi: nec in praemissis habendam esse rationem assistentiae, licet quoad incensum, et pacem, ipsi Canonici assistentes, etiam ordine inferiores praefereendi sint ceteris omnibus etiam Dignitatibus. Et ita in Civitate Nolana servandum esse, » eadem Sacra Congregatio censuit, et declaravit. Die 23. Maii 1603.

197. EGITANIEN.

Pro parte Cantoris Egitanien. Ecclesiae, quaedam dubia Sacrae Rituum Congregationi exposita sunt, quorum primum fuit. An vox, et locus in Capitulo debeat Dignitatibus, qui praebendam habent aequalem cum Canonicis, et ex communi massa deductam possident: ita ut ad hoc, ut vox, et locus detur, necessarium sit, ut Canonicatus, et Praebenda coniunctim in eadem persona concurrant, nec sufficiat habere praebendam sine Canonicatu, vel Canonicatum sine praebenda? Sacra Rituum Congregatio respondit, « servandam esse consuetudinem hactenus in Ecclesia Egitanien. servatam. »

2. An ex consuetudine, quae viget, et servatur in Ecclesia Egitanien. recitandi Officium Defunctorum singulis secundis feriis non impeditis, vel tertiis, aut sequentibus, quando secundae, vel tertiae feriae impeditae sint; satisfiat obligationi in Breviario assignatae, ut prima die cuiuslibet mensis non impedita recitetur dictum Officium? Sacra Rituum Congregatio « remisit dubium hoc maturius considerandum ad Illmum et Rmum D. Cardinalem SS. Quatuor in alia Congregatione referendum, et terminandum. »

3. An in die prima Novembris Officium Defunctorum recitari debeat, non obstante quod sit impedita festo omnium Sanctorum? Dubium « responsione non indigere, » Sacra Congregatio respondit, « cum clarum sit id, quod universaliter servatur ab Ecclesia. Sufficere nempe, ut non prima, sed secunda Novembris celebretur Officium, et Commemoratio omnium Fidelium defunctorum. »

4. Si ultima dies mensis sit Dominica, vel festiva, an Vesperae Defunctorum pro die sequenti prima mensis recitandae sint, vel Matutinae, et Laudes Defunctorum sine Vesperis? « Vesperas

Defunctorum post Vesperas Dominicae, vel festivitatis ultima die mensis recitandas esse, » Sac. Congr. respondit.

5. Si dies obitus alicujus Defuncti cadat in die Dominico, vel festivo, an pro eo Officium dicto die solemniter celebrandum sit, vel potius transferendum in diem sequentem cum eadem solemnitate? idemque quaeritur de die tertio, septimo, et trigesimo. Sac. Congr. respondit, « posse in die Dominico, vel festivo celebrari Officium, et Missam Defunctorum pro Defuncto, cuius corpus adhuc sepultum super terram retinetur; secus si iam sepultum sit, quo casu in die sequenti, vel alio non impedito eadem solemnitate celebrari poterit, ut cavetur in Rubricis Missalis, et Breviarii. Idemque respondit de tertio, septimo, et trigesimo die, ut scilicet transferatur, et celebretur cum eadem solemnitate, prout cavetur in dictis Rubricis. »

6. An Cineres, qui super capita fidelium imponuntur feria quarta Cinerum debeant esse aqua maditi in modum luti, ut consuetum est in Ecclesia Egitanien., vel potius aridi in modum pulveris? Sacra Rituum Congregatio respondit, « Cineres aridos debere esse, et in modum pulveris in Ecclesia universali. » Et ita declaravit, et ad supradicta omnia dubia, ut supra, eadem Sac. Rit. Congr. respondit. Die 23. Maii 1603.

198. COIMBRIEN.

Ad dubia proposita pro parte Capituli Ecclesiae Coimbrien. Sac. Rituum Congr. respondit ut infra, videlicet:

Ad 1. An Episcopus sedens in Choro, dum versus Altare genuflectit, ita genuflectat, ut totaliter terga Capitulo vertat? « Non indigere responsione, cum clarum sit longe melius esse vertere renes Canonicis, et Capitulo, quam Altari. »

Ad 2. An Sedes Episcopi in Choro existens fixa, et immobilis, seu amovibilis, vel portatilis esse debeat? Respondit, « Sedem Episcopi debere esse fixam, et immobilem iuxta dispositionem Libri Caeremonialis in titulo de sedibus Episcopi etc. licet iuxta dispositionem loci possit amoveri, et in alio loco opportuno, et decenti locari. »

Ad 3. An dieta sedes serico ornanda sit tam quando Episcopus pontificaliter celebrat, quam quando Divinis Officiis assistit? Respondit, « semper convenire, ut sedes Episcopi sit ornata serico, vel alia materia coloris convenientis tempori, iuxta regulam lib. Caeremonialis in dicto titulo de sedibus Episcopi. » Et ita eadem Sacra Congr. respondit, et declaravit die 23. Maii 1603.

199.

LAMACEN.

Expositum fuit pro parte Episcopi Lamacen. solere Canonicos et Dignitates ipsius Ecclesiae ministrare Episcopo Mitram, Gremiale, Thuribulum, et alia necessaria, quod nunc facere recusant, sub praetextu, quod ea munia a Cappellanis Episcopi fieri debere liber Caeremonialis Episcoporum decernat. Sicut etiam sceptrum argenteum gestare cum Pluviali in quibusdam diebus festivis, ut solebant, amplius nolunt, praetendentes id agendum esse a mediis Canonicis, et Tertiariis, ex praescripto eiusdem lib. Caeremonialis. Quia vero liber praedictus non tollit antiquas, et laudabiles caeremonias in Ecclesiis a Canonicis servari solitas, licet ubi caeremoniae non recte peraguntur, quid agendum sit ubique, doceat. Sac. Rit. Congr. « circa praemissa Dignitates, et Canonicos Lamacensis Ecclesiae debere antiquas, et laudabiles praedictas consuetudines servare, » censuit, et declaravit. Die 5. Iulii 1603.

200.

CALAGURITANA.

Cum inter Capitulum Ecclesiae Collegiatae Civitatis de Logroño Calaguritanae Dioecesis ex una, et Capitulum generale Rectorum Parochialium Ecclesiarum ex altera partibus, circa eorum praecedentias, seu praeminentias pendeat lis in Rota coram R. P. D. Iusto, et iuxta sententiam Laudi invictae mem. Caroli V. Imperatoris sub die 21. Aprilis 1535. Rota censeat in omnibus inter Collegiatam, et Parochiales servandam esse aequalitatem, praeterquam in manu dextera, quae semper tam in processionibus, et in incedendo, quam in stando, et sedendo Ecclesiae Collegiatae reservata fuit: et ortum fuerit dubium circa modum thurificandi, dandi pacem, et accipiendi Palmas inter dietas Ecclesias, nempe a qua parte inchoandum sit, et prosequendum, et cum huiusmodi sint propria Sacrae Congregationis Rituum, Rota eiusdem Sacrae Cong. sententiam super praemissis, antequam ad decisionem Causae deveniat, habere procuravit.

Sacra vero Cong. praedicta, audita relatione Illm̄i, et Rm̄i D. Card. de Monte, cui haec Causa ad referendum ab eadem Congregatione commissa fuerat sub die 23. Maii proxime praeteriti, et attentis narratis, et praesupposito Laudo praedicto, et partibus hinc inde informantibus auditis, iudicavit, « convenire, ut thurificatio, et pax dentur, et continentur ab ea parte, a qua est turnus, idest, si turnus competat Collegiatae inchoetur a latere dextero, idest, a Decano Collegiatae inclusive: si vero turnus competat Rectoribus Parochialium Ecclesiarum, inchoetur a latere

sinistro, et a Rectore Turni, et prosequatur ab ea parte usque ad Clericos earumdem Parochialium inclusive. »

« In accipiendis vero Palmis servetur ordo Processionis, et incedant bini, videlicet unus de Collegiata a dexteris, et alius de Capitulo generali a sinistris, et ille primus accipiat Palmam, qui est in turno, ad effectum, ut in omnibus, excepta dextera, ut supra servetur aequalitas; et acceptis Palmis singuli ad loca sua revertantur. Et ita pro majori decentia actus servandum esse, » eadem Sac. Congr. censuit, et iudicavit. Die 5. Iulii 1603.

201. FAVENTINA.

Pro parte Gubernatoris Faventinae Civitatis, qui Protonotarius est, et in habitu Protonotarii eum Rocchetto incedit, a Sac. Rituum Congr. quaesitum fuit: An ipse Gubernator ante Canonicos immediate post Episcopum, vel Canonici ante ipsum, ut praetendunt, thurificandi sint?

Eadem Sac. Rit. Cong. « Gubernatorem praefatum in habitu Ecclesiastico cum Rocchetto, et Mantelletto incedentem, et Divinis assistentem, immediate post Episcopum, et ante Canonicos thurificandum esse, » censuit, et declaravit. Die 5. Iulii 1603.

202. HISPALENSIS.

Recusare Portionarios Hispalensis Ecclesiae ea munia in Ecclesia subire, et ministrare, quae subeunda, et ministranda esse per Beneficiatos, seu Mansionarios liber Caeremonialis Episcoporum declarat, eo sub praetextu, quod haec vox Portionarius in libro praedicto non reperiatur; Sacrae Rituum Congreg. pro parte Dignitatum, et Canonicorum eiusdem Ecclesiae Hispalens. expositum fuit, et petiit: An Portionarii praedicti sub vocabulo Beneficiatorum, seu Mansionariorum comprehendantur? Cum autem Portionariorum ordo immediate sequatur post ordinem Canonicorum, sicut Beneficiatorum, Mansionariorum ordo post Canonicos sequitur, et quaestio sit nominis tantum, quae iuxta diversorum locorum usum dictione variantur, licet in effectu sint eadem.

Sac. Rit. Congr. « Portionarios, Beneficiatos, seu Mansionarios repraesentare declaravit, et ad omnia munia servanda teneri, ad quae iuxta formam libri Caeremonialis Beneficiati tenentur, » et ita censuit, et declaravit die 5. Iulii 1603.

203. ELBOREN.

Narratum fuit, ex immemorabili consuetudine Elborensis Ecclesiae, solitum esse eiusdem Ecclesiae sedis vacantis tempore per Decanum, et Capitulum eligi tres personas Capitulares, quibus

cura Archiepiscopatus in locum Archiepiscopi committitur, et Gubernatores Archiepiscopatus nuncupantur, qui in Palatio, seu Domo Archiepiscopali pro audiendis, et terminandis, quae concernunt eorum iurisdictionem, et officium saepe conveniunt. Decanus autem absque eo quod sit unus ex praedictis Deputatis, voluit tamquam Decanus in praedictis audientis assistere, et cum dictis Gubernatoribus in primo loco sedere, et votare. Quare, an id facere possit, et permittendum sit, pro parte dictorum Gubernatorum quaesitum fuit.

Sac. Rituum Congr. respondit, « id minime Decano, seu cuivis alio Canonico non deputato licere, licet in Choro, et dum omnes simul capitulariter conveniunt, Decanus, et ceteri Canonici praecedentiam iuxta solitum, etiam ipsis Gubernatoribus praesentibus, habere debeant, » prout alias ab eadem Sac. Cong. ad instantiam Decani declaratum fuit. Et ita censuit, et declaravit die 5. Iulii 1603.

204. MONTISPILOSI.

Solitum esse semper in Civitate Montispilosi per Baronemmet, sive Vice-Baronem eiusdem Civitatis in solemnibus Processione SSmi Sacramenti hastam unam baldachini deferri, et in proxime praeterita eiusdem SSmi Sacramenti solemnitate a Vice-Barone moderno id recusatum esse, Sacrae Rituum Congregationi pro parte Episcopi eiusdem Civitatis expositum fuit, asserentis non sine scandalo adstantium Vice-baronem praedictum hastam Baldachini supra SSmum Sacramentum per substitutum suum deferre fecisse, Vice-barone praesente, et post Baldachinum subsequente: quod an in posterum tolerandum sit, Episcopus postulavit.

Eadem Sacra Rituum Congregatio respondit, « debere Baronem, seu Vice-baronem per seipsum, et nullo modo per substitutum hastam Baldachini supra SSmum Sacramentum deferre, prout alii Barones, et Vice-barones hactenus fecerunt, vel si id facere recusent, ad Processionem non accedere, » et ita censuit, et declaravit die 5. Iulii 1603.

205. TIFERNATEN.

Cum domus Episcopi Tifernaten., licet non contigua Ecclesiae Cathedrali, eidem tamen sit satis vicina, ut notissimum est, et Sacrae Rituum Congregationi constat:

Eadem Sacra Rituum Congregatio, ut alias saepe in similibus ita nunc ad instantiam Episcopi praedicti declaravit, « teneri Capitulum, et Canonicos in habitu canonicali accedere ad domum praedictam, ipsumque Episcopum cap-

pa indutum a camera, seu loco deputato in eadem domo ad Ecclesiam Cathedralem associare, quotiescumque Episcopus ad eandem Ecclesiam solemniter celebraturus, vel, ut Divinis Officiis assistat, accesserit, et finita Missa seu Officio, ipsum in eodem habitu ad eundem locum reducere. Quotiescumque vero Episcopus in Ecclesia Cathedrali pro sua devotione Missam planam celebrare voluerit, debere duos Canonicos eiusdem Ecclesiae iuxta antiquam, et laudabilem consuetudinem hactenus servatam eidem assistere, et ministrare. »

« Quod si post Missam planam velit Episcopus etiam Missae solemnem, vel Conventuali, seu Divinis Officiis assistere, non esse opus, ut ab universo Capitulo, et Canonicis associetur a dicto Altari, ubi celebravit, ad sedem Episcopalem, sed satis esse, si a duobus Canonicis praedictis, qui eidem in Missa ministrarunt, comitetur. »

« Cum vero Episcopus ad aliam Ecclesiam suae Civitatis accedere voluerit, non posse semper Canonicos cogere, ut eidem assistant, sed ita demum, si ob aliquam publicam solemnitatem, vel celebraturus, vel Episcopales functiones executurus, vel ad Ordines conferendos accesserit. Quo casu etiam curare debet, ut in Ecclesia Cathedrali remaneant Canonici, et Ministri necessarii pro eius servitio, » et ita in omnibus supradictis Sacra Rituum Congregatio censuit, et declaravit. Die 5. Iulii 1603.

206.

COIMBRIEN.

Cum alias ad instantiam R. P. D. Alphonsi de Castroblanco Coimbrien. Episcopi sub die 8. Iulii 1602. Sacra Rituum Congregatio declaraverit, Canonicos teneri ad observationem Cap. XV. lib. 1. Caeremonialis Episcoporum, et debere ipsum Episcopum a domo suae habitationis ad Ecclesiam Cathedralem in habitu canonicali associare quotiescumque in diebus festivis, vel solemnibus cum cappa ad celebrandum, vel Pontificalia exercendum, aut Divinis Officiis interessendum accedere voluerit; et pro parte eorumdem Canonicorum in eadem Sacra Congregatione semel, atque iterum institutum fuerit pro revocatione, seu moderatione supradicti Decreti sub praetextu, quod non modo domus Episcopi non esset Ecclesiae contigua, sed etiam longius ab ea distaret, quam Episcopus exposuerit, et praeter longitudinem, viam esse arduam, et difficilem aquis plenam, et fere ad processionis usum impracticabilem asseruerint. Et cum eadem Sac. Rituum Congregatio veram informationem super praemissis habere procuraverit, et demum habuerit per literas eiusdem Episcopi et

fides publicas Notariorum, ex quibus neque viam arduam, aut difficilem, seu aquis plenam, neque tam longam esse, ut Canonici asserebant, clare constitit, ideo, « a praedicto Decreto non esse recedendum *iudicavit*, et ad illud omnino servandum Canonicos teneri, *declaravit*, eisque in posterum super praemissis perpetuum silentium imposuit, et imponi mandavit. » Die 5. Iulii 1603.

207.

GOTIAN.

Solitum esse Regios Governatores Status Gotiani in Sardiniae Regno tam ex antiqua consuetudine, quam ex privilegio Regum habere praecedentiam supra omnes Barones titulos, ac supra Magistratum; et Incensum, et Pacem ante omnes Rectores, et Parochos, et alios quoscumque viros Ecclesiasticos inferiores dicti Status, Sacrae Rituum Congregationi narratum fuit: Quam quidem consuetudinem Rector Villae Benetutti eiusdem Status Gotiani, cum moderno Regio Governatore Ioanne Cedrelles servare recusavit, et Incensum, ac Pacem ipse Rector sibi, et ceteris omnibus Ecclesiae Presbyteris, et Clericis ante praedictum Governatorem dari iussit contra debitum, et solitum: quare petiit dictus Governator nihil innovari, et consuetudinem praedictam servari, maxime cum Caeremoniali libro noviter impresso non repugnet.

Sacra Rit. Congregatio, audita super praemissis relatione Illmi et Rmi D. Cardinalis Antoniani, cui alias hoc negotium ab eadem Sacra Congregatione commissum fuerat, « consuetudinem praedictam servandam esse declaravit, et ordinavit, et si quid Curatus praedictus Villae Benetutti in contrarium praetendit, compareat, et iura sua deducat, sed interim nihil innovare praesumat; » et ita censuit, declaravit, et ordinavit die 5. Iulii 1603.

208.

VIRDUNEN.

In Monasterio, seu Domo Virginum oblatae S. Mauri Virdunen. Catherinae Abbatissae eiusdem Monasterii, Ursulam Coadiutricem cum futura successione Sedis Apostolicae auctoritate datam fuisse narratum est, ac inter ipsam Coadiutricem, et Priorissam eiusdem Monasterii contentionem praecedentiae ortam fuisse Sacrae Rituum Congregationi expositum fuit, et petiit, cuinam earum praecedentia tam in processionibus, quam in sessionibus, et aliis similibus publicis, seu privatis actibus debeatur?

Eadem Sacra Rituum Congregatio respondit, « Coadiutricem in omnibus Priorissae praefendam esse, » et ita censuit, et declaravit die 5. Iulii 1603.

209.

CALAGURITANA.

In controversia super praecedentia inter Ferdinandum Garciam Rectorem Parochialis Ecclesiae S. Crucis Civitatis Naerae, et Bartholomaeum Cossam dimidium Beneficiatum eiusdem Ecclesiae, ac Vicarium deputatum ab Abbate Monasterii S. Mariae Ordinis S. Benedicti, qui iurisdictionem spiritualem in dicta Ecclesia exercet.

Censuit Congregatio Sac. Rituum, ut alias saepe in similibus, « dictum Vicarium dimidium Beneficiatum quoties cum cotta in Choro, aut in Capitulo, et in aliis actibus assistit, ut distributiones quotidianas lucretur, debere sedere in loco suae receptionis, prout sedebat antequam esset Vicarius deputatus. Quoties vero tamquam Vicarius vult praecedere, cottam, sive habitum ecclesiasticum dimittere debere, » declaravit. Die 2. Augusti 1603.

210.

SUTRINA.

Curatam S. Silvestri in Civitate Sutrina praecedentiam praetendere supra Canonicos, et Capitulum Ecclesiae Cathedralis eiusdem Civitatis expositum fuit, quoties dicti Canonici, et Capitulum invitati, funus alicuius defuncti ad dictam Ecclesiam S. Silvestri associant.

Sacra Rituum Congregatio declaravit: « Canonicos, et Capitulum Ecclesiae Cathedralis semper et ubique quoscumque Curatos, etiam in eorum propriis Ecclesiis, praecedere debere, et ita in Civitate Sutrina servari » mandavit. Die 2. Augusti 1603.

211.

TULLEN.

Subpraefectum, seu Governatorem in temporibus pro Rege Christianissimo in Civitate Tullen., contra solitas antiquas, et laudabiles Ecclesiae Tullen. consuetudines, thus, sive incensum, ac Evangelii textum, et pacis osculum in Missae maioris celebratione in Ecclesia Cathedrali, sibi post Episcopum privatim danda, seu offerenda esse contendere sub eo praetextu, quod nonnullae Ecclesiae vicinae id, quod ipse Governator petit, aliis similibus Regiis Governatoribus a paucis annis citra dederint, seu obtulerint, Sacrae Rituum Congregationi pro parte Decani, et Capituli ejusdem Ecclesiae Tullen. narratum fuit, et petitum, an id, quod dictus Governator postulat, praestare debeant?

Eadem Sacra Rituum Congregatio; « nihil circa praemissa innovandum, et antiquas, et laudabiles praedictae Ecclesiae Tullen. consuetudines servandas esse » censuit, et declaravit. Die 2. Augusti 1603.

212.

LAUDEN.

Laudensis Ecclesiae Canonici, et Capitulum

Sacrae Rituum Congregationi exposuerunt, ex antiqua, et inveterata consuetudine, etiam ante reformationem Breviarii fe. re. Pii Papae V., solitos esse tempore quadragesimae recitare Psalmos Graduales feria tertia post Completorium, qui feria quarta ante Matutinum, iuxta Rubricas dicti Breviarii reformati, recitandi sunt; et feria quinta post Completorium Psalmos Poenitentiales, qui, secundum dictas Rubricas, feria sexta post Matutinum recitari debent. Quam eorum antiquam, et inveteratam consuetudinem, ut in posterum sine aliquo conscientiae scrupulo continuare possint, licet penitus dictis Rubricis Breviarii reformati conformis non sit, licentiam petierunt.

Sacra Rituum Congregatio censuit, « Canonicos, et Capitulum praedictum allegatam consuetudinem, quatenus vere, ut narratum est, adsit continuare posse, » et ita declaravit die 2. Augusti 1603.

213. CASTILIAE, ET LEONIS.

Clerum Saecularem in universo Regno Castiliae, et Leonis, Fratribus, Monachis, et Regularibus quibuscumque praefendum esse in omnibus Processionibus, et aliis actibus publicis, declaratum fuit tam per Breve SSmi D. N. Papae, quam per Decreta Sacrae Congregationis Rituum: sed cum aliquando contigerit, eundem Clerum saecularem ad Ecclesias Regularium ex quavis causa accedere, nonnulli ipsius Regni Regulares praecedentiam Clero saeculari in eorum propriis Ecclesiis dare recusarunt, quasi sub Breve, et Decretis praedictis casus iste comprahensus non fuerit.

Quare eadem Sacra Rituum Congregatio, ad tollendam omnem dubitandi rationem, « in omni loco, etiam in propriis Ecclesiis, et Conventibus Fratrum, Monachorum, et Religiosorum quorumcumque in universo Regno Castiliae, et Leonis Clerum saecularem eidem Fratribus, Monachis, et Religiosis praefendum esse » censuit, et declaravit. Die 6. Sept. 1603.

214.

ALBINGANEN.

Canonicos Albinganensis Ecclesiae, qui prius nullum Ordinem Sacrum annexum habebant, ex Decreto Visitae Episcopi eiusdem Civitatis ordinatos, et distinctos fuisse in Presbyteros, Diaconos, et Subdiaconos Sacrae Rituum Congregationi expositum fuit, ac narratum, quod nonnulli ex praedictis Canonicis in Diaconali Ordine constituti, sub praetextu antianitatis praecedentiam super Canonicos Presbyteros praetendunt, et alii in Ordine Subdiaconali eodem praetextu Diaconis praecedere contendunt. Quibus auditis.

Sacra Rituum Congregatio, ut alias saepe, ita etiam nunc declaravit, « Ordinem in omnibus, maxime autem in Ecclesia servandum esse, ut qui digniores Ordine sunt, minus dignis praeferrantur: et ideo Canonicos Presbyteros Albinganensis Ecclesiae Diaconis, et Diaconos Subdiaconis praeferrandos esse, etiamsi Presbyteri Canonicatum post Diaconos, et Diaconi post Subdiaconos obtulerint, » censuit, et declaravit. Die 6. Septembris 1603.

215. MONOPOLITANA.

Pro parte Episcopi, et Ecclesiae Monopolitanae Sacrae Rituum Congregationi expositum fuit, in eadem Ecclesia quatuor esse Dignitates, nempe Archidiaconum, Archipresbyterum, et duos Primicerios ad Chorum regendos destinatos, qui propterea unus hinc, alius inde in principio Chori stare, seu sedere consueverunt, ceteros Canonicos, qui praebendas distinctas non habent, sedere, seu stare solere hinc inde immediate post praedictos duos Primicerios, et secundum antianitatem locum digniorem obtinere. Quando autem contigit Episcopum celebrare, vel Missis, aut Vesperis solemnibus assistere, dubitatum fuit, an dicti duo Primicerii, qui in Choro destinati sunt, ad assistentiam vocandi sint, vel quis, seu qui ex Dignitatibus, vel Canonicis praedictis in officio assistentiae, tam quando Episcopus celebrat, quam quando non celebrat, eidem ministrare debeant, cum non satis clare casus iste in libro caeremoniali Episcoporum expressus sit.

Sacra Rituum Congregatio praedicta censuit: « Primicerios non esse a loco, et officio suo assistendi, et regendi Chorum dimovendos; sed in officio assistentiae apud Episcopum, quando celebrabit solemniter, vocandam esse primam Dignitatem, qui, ut praesupponitur, Archidiaconus est, et is, si in presbyterali Ordine erit constitutus, officium Presbyteri assistentis exercet, ut caveatur in Caeremoniali praedicto lib. 1. cap. 7. Duo vero praedicti, et digniores Canonici immediate sequentes post Primicerios, officium duorum Diaconorum assistentium hinc inde apud Episcopum exercent, ut praescribitur in cap. 8. dicti libri caeremonialis. Quod si Archidiaconus non erit Presbyter, ipse a dextris Episcopi officium primi Diaconi assistentis exercet, a sinistris vero primus Canonicus immediate sedens post Primicerium; et Archipresbyter in hoc casu officium presbyteri assistentis exercet, Episcopo vero non celebrante, sed Vesperis, aut Missis solemnibus praesente, semper ab Archipresbytero, qui, ut supponitur, est secunda Dignitas, officium Presbyteri assi-

stentis agendum, et a duobus primis Canonicis immediate sequentibus post Primicerios duorum Diaconorum assistentium officium exercendum esse, » eadem Sacra Congregatio Rituum censuit, et declaravit. Die 6. Septembris 1603.

216. LAURETANA.

Vicarium Ecclesiae Lauretanae simplicem Clericum in habitu ordinario clericali cum pileo nigro in Choro, et Processionibus, etiam quando Canonici sunt parati, praecedentiam praetendere supra omnes Dignitates, et Canonicos, et inter illos in eodem habitu in digniori loco, praeter debitum ritum caeremoniarum incedere velle, Sac. Rituum Congregationi expositum fuit.

Quae quidem Sac. Rit. Congregatio, ut alias in similibus, ita etiam nunc in Lauretana Ecclesia servandum esse censuit, et declaravit, « ut scilicet Vicarius supra Dignitates, et Canonicos paratos nullam habeat praecedentiam, sed tantum illis praecedat, quando sunt in habitu canonicali ordinario, et sine paramentis. Quare ad scandala, et indecentia removenda, eadem Sac. Rit. Cong. mandavit, ut Vicarius praedictus cum Canonicis paratis non incedat, et quod huiusmodi Decretum in Lauretana Ecclesia publicetur, et Choro affigatur, ac inviolabiliter servetur, » praecepit, et ordinavit. Die 6. Septembris 1603.

217. EGITIANIEN.

Pro parte Episcopi Egitanien. Ecclesiae a Sac. Rituum Congregatione duo petita fuerunt. Alterum est, quod cum Ecclesiae Cathedralis praedictae Episcopus, et Capitulum, ob gravem urgentemque necessitatem promiserint, et statuerint singulis annis die 15. Augusti post Vesperas solemnes Assumptionis B. M. V., alias Vesperas solemnes in honorem B. Rochi Confessoris ad Altare, ubi est eiusdem Beati imago, celebrare; et die sequenti etiam Missam solemnem ibidem de eodem cantare: et quia nimis laboriosum, et valde difficile eis videtur duas Vesperas solemnes, et duas Missas similes eodem die celebrare, supplicaverunt, ut dictae promissioni eorum satisfacere possint celebrando semel tantum Officium, et Missam de Beato Rocho die 16. Augusti cum commemoratione Octavae B. M. V.: Eadem S. Rit. Congr. « nihil innovandum, sed solitum servandum esse, » respondit.

Secundo, quod cum iidem Episcopus, et Capitulum ob generalem pestilentiam in Regno Portugaliae Ecclesiam a fundamentis in eadem Civitate erexerint, et B. Sebastiano inelyto Martyri dedicaverint, ad quam singulis annis bis accedunt, et solemniter in honorem dicti S. Sebastiani Missam, et Officium celebrant, nempe die 20. Ianuarii in

festo eiusdem Sancti, et secunda Dominica Augusti: Et quia in Officio, quod de S. Sebastiano recitatur, Oratio est communis cum S. Fabiano, supplicaverunt, ut eis licitum sit in dicta Ecclesia B. Sebastiano dicata dictis duobus anni diebus Orationem de S. Sebastiano tantum recitare, cum in Cathedrali Ecclesia etiam Officium, et alia Missa de SS. Fabiano, et Sebastiano a parte Capituli, quae ibi remanet, celebretur iuxta formam Breviarii et Missalis Romani. Congregatio vero « nihil concedendum esse » iudicavit, et ita respondit die 6. Septembris 1603.

218. EGITANIEN.

Stante Ecclesiae Cathedralis Egitanien. consuetudine, seu statuto, quod singulis hebdomadis, secunda, vel tertia feria officio novem lectionum non impeditis, defunctorum Officium peragatur: Cantor eiusdem Ecclesiae a Sac. Rituum Congregatione quaesivit. An recitando Officium Defunctorum modo praemisso satisfiat Rubricae generali, in qua praecipitur, quod Officium praedictum Defunctorum prima die cuiuslibet mensis non impedita Officio novem lectionum recitetur.

Eadem Sac. Rit. Cong. respondit, « ad effectum consequendi Indulgentiam centum dierum de iniuncta poenitentia Officium Defunctorum esse recitandum prima die cuiuslibet mensis non impedita Officio novem Lectionum, ut ex verbis Constitutionis fel. rec. Pii Papae V. in principio Breviarii impressae in §. *Atque ut Fidelium voluntates etc.* clare colligitur, » et ita declaravit die 6. Septembris 1603.

219. ORIOLEN.

Cum in Civitate Oriolen. Fratres Carmelitani praecedant multis aliis Fratribus tam in publicis, quam in privatis processionibus etc. Episcopus dictae Civitatis eisdem Fratribus praecedentiam hoc modo dare voluit, ut scilicet ipsi Carmelitani a dextris, ceteri vero minus digni a sinistris eorum incederent. Quod cum sit contra usum universalem, pro parte dictorum Carmelitanorum petitum fuit declarari a Sac. Rit. Congr., quomodo dictis Fratribus praecedentia sit danda.

Eadem Sac. Rituum Cong. censuit, « praecedentiam dandam esse secundum usum universalem in toto fere Orbe terrarum servatum, ut scilicet Religiones minus dignae praecedant, et digniores postea subsequantur, » et ita censuit, et declaravit, et in Civitate Oriolen. servari mandavit. Die 15. Novembris 1603.

220. ILLERDEN.

Decanus, et Capitulum Illerdensis Ecclesiae, qui, ut asseruerunt, ex privilegio, et concessione Apostolica Canonicatum suppresserunt, et fructus

eiusdem cum praebenda cuidam Theologo Regulari ad nutum amovibili assignaverunt, ut legeret, et praedicaret etc., cui etiam distributiones quotidianas dederunt etc., petierunt, ut dictus Theologus Regularis non teneatur in Choro cum ceteris Canonicis assistere.

Sac. Rituum Congr., auditis petitionibus praedictis, censuit, « praebendam, et Canonicatum praedictum conferendum esse in perpetuum, et in titulum Clerico saeculari, qui praedicet, legat, et cum ceteris Canonicis munus praebendae Theologalis adimpleat, iuxta formam Concilii Tridentini, quia nullo modo convenit, ut Frater regularis cantet Officium in Choro cum Canonicis, et Presbyteris saecularibus, » et ita censuit, et declaravit die 15. Novembris 1503.

221. MEDIOLANEN.

Pro parte Praepositi, Capituli, et Canonicorum Collegiatae Ecclesiae Sanctorum Cyri, et Materni in Oppido Desii Mediolanen. Dioecesis. Sac. Rit. Congr. expositum fuit, solitum esse in eorum Ecclesia Canonicos sedere in Choro per Ordinem secundum anterioritatem, seu antianitatem admissionis ad Canonicatum, nullo habito respectu ad qualitatem personae, si una sit magis qualificata, quam alia. Novissime autem cum eiusdem Ecclesiae Canonicatum obtinuerit Ioannes Baptista Pirannia Doctor in Theologia, ratione sui Doctoratus, ipsum praetendere primum locum in Choro supra Sacerdotes et Canonicos antiquiores.

Eadem Sac. Rit. Cong., « vanam, et inanem esse praetensionem dicti novi Canonici declaravit, cum longe dignior sit ordo sacer Presbyteratus, quam gradus Doctoratus; et ideo illum in loco suae admissionis ad Canonicatum, et non supra alios sedere, et incedere debere, » censuit, et declaravit. Die 29. Novembris 1603.

222. MUTINEN.

Annibal Borellus Canonicus Ecclesiae Cathedralis Mutinen., cum dictum suum Canonicatum cum Parochiali Ecclesia permutaverit, quae permutatio cum effectum habere non potuerit, ad suum Canonicatum redire procuravit, et per sententiam rotalem obtinuit: sed Canonici illi non suum antiquum stallum, sed ultimum locum dare voluerunt, ab eoque, quasi tunc novum Canonicatum obtinuerit, certam summam pecuniarum pro admissione a novis Canonicis solvi solitam exigere procuraverunt. Quare ad Sac. Rit. Congregationem recursum habuit, ab eaque petiit declarari, non novissimum locum, sed antiquum sibi assignandum esse, ipsumque non teneri ad solvendum pecunias, quae a novis Canonicis pro

admissione solvuntur etc. et latius prout in Memoriali.

Eadem Sacra Rituum Congregatio, auditis precibus praedictis, et visis copiis decisionum, et Sententiae DD. de Rota, censuit, et declaravit, « praedictum Annibalem Borellum restituendum esse ad locum, seu stallum suae antiquae provisionis, Praebendae et Canonatus, quae obtinebat ante permutationem factam cum Ecclesia Parochiali, quae non habuit effectum, prout Rota declaravit: nec potuisse Canonicos de iure cogere dictum Annibalem ad solvendum localia solita pro nova hae admissione vigore rotalis sententiae, cum iam semel in prima eius admissione fuerint per eum soluta, et haec non sit nova provisio, sed ipse redeat ad suum Canonatum: et ideo in omnibus, et per omnia tam in loco, et iuribus, quam in Praebenda, Canonatu, et stallo antiquis, quae obtinebat ante permutationem, eadem *Sacra Rituum Congregatio* eundem Annibalem restituendum esse, » declaravit, et restitui mandavit. Die 29. Novembris 1603.

223.

SUTRINA.

Decretum alias factum pro Capitulo Cathedralis Ecclesiae Sutrinae Civitatis, quod Canonici, et Capitulum dictae Ecclesiae Cathedralis in processionibus, et funeralibus semper et ubique praecedere debeant quosecumque Curatos etiam in eorum propriis Ecclesiis, non habere locum, *Sac. R. C. declaravit*, quando Canonici sine Cruce, et consensu Capituli, uti singuli incedunt. Die 20. Decembris 1603.

224.

PISAUREN.

Cum ad instantiam Capituli, et Canonorum Cathedralis Ecclesiae Civitatis Pisauren. in Sacra Rituum Congregatione declaratum fuerit Canonicos, et Capitulum una cum Mansionariis, Curato, et Cappellanis Ecclesiae Cathedralis debere praecedere in omnibus processionibus, et defunctorum funeralibus, quibuscumque Curatis d. Civitatis, iuxta antiquam consuetudinem eiusdem Civitatis, quae caeremoniali libro conformis est: Et Curati sub praetextu cuiusdam Decreti Synodalis, quod numquam fuit usu receptum, ad Sacram Episcoporum Congregationem recursum habuerint, et litteras ab ea obtinuerint pro observatione dicti Decreti Synodalis, et demum ab eadem Sacra Congregatione Episcoporum Causa commissa fuerit ad eandem Sac. R. Congregationem: audita relatione Illmi et Rmi D. Cardinalis Galli, cui haec Causa ab ipsa Rituum Congregatione commissa fuerat, et re inter Patres mature discussa, et examinata.

Eadem Sacra Rituum Congregatio censuit, et declaravit, « consuetudinem antiquam, et diu

observatam in procedendum servandam esse tam in processionibus, quam in funeralibus, non obstante allegato Decreto Synodali, quod usu receptum non fuit: et Curatum Ecclesiae, ad quam corpus defuncti defertur, quando adest Capitulum Ecclesiae Cathedralis, debere praecedere quoscumque alios Presbyteros, non autem dictae Ecclesiae Cathedralis, et non cum Mansionariis, et inter illos, aut post illos. In Ecclesia vero ad quam funus defertur, ad Curatum ipsius Ecclesiae pertinere officium facere circa corpus defuncti. » Die 20. Decembris 1603.

225.

COMEN.

Cum alias Episcopus Comensis declarari petierit, an Decretum in Sacra Rituum Congregatione factum sub die 4. Iunii 1602. quod Vicariis foraneis per Dioeceses constitutis nulla debeatur praecedentia, seu praesinentia ratione dicti officii in sessionibus, processionibus, choro, et aliis functionibus sacerdotalibus, habeat locum quando Vicarius foraneus, tamquam delegatus Episcopi, et de eius mandato, quolibet mense convocat Congregationes Presbyterorum, et aliorum Sacerdotum loci etc.

Eadem Sacra Rituum Congregatio, audita relatione Illmi et Rmi D. Cardinalis SS. Quatuor, cui hanc causam alias commiserat, et coram quo diu, utraque parte informante, examinata fuit; censuit, et declaravit, « Decretum praedictum non habere locum in dictis Congregationibus, quae de mandato Episcopi quolibet mense per Dioeceses fiunt, in quibus Vicarius foraneus tamquam Delegatus Episcopi praesinentiam habere debet supra quoscumque Archipresbyteros, Praepositos, et alios loci Presbyteros. Et ita inter Archipresbyterum Ripae Comen. Dioecesis, et Vicarium foraneum eiusdem loci servari praecipit, firmo tamen remanente Decreto, alias facto, in reliquis omnibus, » et ita censuit, et declaravit. Die 20. Decembris 1603.

226.

SAONEN.

Cum alias in Sacra Rituum Congregatione decretum fuerit, Canonicos Diaconos, et Subdiaconos etiam antiquiores in tempore, debere cedere locum digniorem Canonicis Presbyteris, etiam post Diaconos, vel Subdiaconos admissis, idque in Ecclesia Saonen. servandum esse decreverit, cum clausula tamen, quod Canonici, qui de supradicto Decreto sensissent se gravari comparerent etc. Quod quidem Decretum nec fuisse intimatum, nec umquam in dicta Ecclesia Saonen. usu receptum asseritur, nisi demum ad instantiam Canonici Ioannis Baptistae Ferri, vigore litterarum subre-

ptitio modo per ipsum ab eadem Sacra Rituum Congregatione obtenturum : unde Canonici , et Capitulum dictae Ecclesiae comparuerunt , et iura sua in eadem Sacra Congregatione produxerunt , et causa ab eadem Sacra Rituum Congregatione Illmo, et Rmo D. Cardinali de Gioiosa commissa fuit , et semel atque iterum in eadem Sacra Congregatione proposita , et discussa. Quare audita relatione praedicti Illmi et Rmi D. Cardinalis de Gioiosa , et attenta consuetudine immemorabili pro parte Canoniorum , et Capituli probata , nempe quod licet Praebendae Canoniorum , et Dignitatum aliae sint Presbyterales , aliae Diaconales , aliae Subdiaconales , tamen omnes Canonici , et Dignitates Ordine sunt Presbyteri , et omnes functiones Presbyterales exercent , cantando Missas per turnum etc. , et ab immemorabili tempore omnes Canonici habuerunt locum iuxta eorum admissionem ad Canoniatum , nullo habito respectu , an eorum Praebendae essent Presbyterales , Diaconales , vel Subdiaconales ; cum etiam servitium Ecclesiae melius adimpleatur quando omnes Canonici sunt Presbyteri , idque a Concilio Tridentino laudetur , et approbetur :

Eadem Sacra Rituum Congregatio declaravit , « per supradictum Decretum non fuisse sublatam immemorabilem Ecclesiae Saonen. consuetudinem , et ideo illam servandam esse censuit , et declaravit. Et ut praedictus Canonicus Ferrus ad locum suae admissionis redeat , » mandavit , et ordinavit. Die 10. Ianuarii 1604.

227. ELVEN.

Pro parte Episcopi Elven. quaedam dubia in S. R. C. proposita , et examinata fuerunt.

1. An Canonici , attenta distantia domus Episcopalis ab Ecclesia Cathedrali per spatium centum decem passuum , teneantur ipsum ducere , et et reducere a domo ad Ecclesiam , et ab Ecclesia ad domum , prout cavetur in libro caeremoniali Episcoporum , et prout hactenus fecerunt , licet nunc id facere recusent ? Sacra Rit. Cong. iuxta resolutiones alias in similibus factas , censuit , et declaravit , « Canonicos teneri ad associandum Episcopum , quoties ipse cum cappa ad celebrandum Divina Officia , vel ut liliis assistat ad Ecclesiam accedit. Debere tamen Episcopum curare , ne occasione huius comitatus Ecclesia omnino deseratur , ita ut in ea nulli , vel pauci Canonici , vel Presbyteri pro servitio Ecclesiae remaneant : quod prudentiae , et discretioni ipsius Episcopi eadem S. R. C. moderandum reliquit. »

2. An ipse Episcopus possit prohibere , ne Canonici mozzettam cum cucullo deferant , quem

habitum sibi ipsi auctoritate propria , ut asseritur , usurpaverunt ? Sac. Rit. Cong. respondit : « audiendos esse Canonicos , de quorum praeiudicio agitur , et ideo monendos esse , ut compareant per se , vel per procuratorem in curia , et coram Illmo, et Rmo D. Card. SS. Quatuor iura sua producant , et doceant , qua auctoritate praedictum habitum deferant , seu deferre praesumant. »

3. An ipse Episcopus possit cogere Canonicos , ut sibi Cappas pro usu Chori parent iuxta morem multarum Ecclesiarum ? Sacra Rituum Congregatio respondit , « non posse Episcopum hoc facere , cum nec Canonici , nec alii Cappam deferre possint sine expressa , et speciali licentia Sedis Apostolicae. »

4. An possit Episcopus parare sibi sedem in cornu Evangelii cum tribus gradibus , illamque ornare etc. ? Sac. Congregatio respondit , « servandam esse formam libri caeremonialis Episcoporum in titulo de Sedibus Episcopi lib. 1. capit. 13. »

5. An cum ipse Episcopus assistit Divinis cum Cappa lata , debeat salutare Canonicos , qui ante ipsum transeunt , detegendo caput , vel satis sit illis manu benedicere ? « Satis esse manu benedicere , » Sacra Congregatio respondit.

6. An possit prohibere Clericis , et Presbyteris , ne accedant ad funeralia , in quibus Confraternitates Laicorum praecedentiam super ipsos Clericos , vel Presbyteros , sub praetextu consuetudinis praetendunt ? Sacra Congregatio respondit , « Clerum semper debere praecedere quibuscumque Laicorum Confraternitatibus , et si quid in contrarium servetur , abusum , et non consuetudinem esse declaravit. »

7. An Episcopus possit prohibere , ne Canonici , vel maior pars eorum simul vacationem trium mensium , quae ex privilegio conceditur , ab Ecclesia accipiant , ne Ecclesia destituatur omnino a debito servitio per dictum tempus ? Sacra Congregatio respondit « servandam esse in hoc resolutionem Sacrae Congregationis Concilii. » Et ita , ut supra , ad omnia praedicta dubia eadem Sacra Rituum Congregatio respondit. Die 10. Ianuarii 1604.

228. SALAMANTINA.

Episcopus Salamantinus in Sacra Rituum Congregatione proponi fecit , Capitulum , et Canonicos suae Cathedralis Ecclesiae non solum recusare onus ministrandi sibi , et inserviendi , quando extra Ecclesiam Cathedralis ad alias suae Civitatis Ecclesias accedit ad celebrandum , vel Ordines Sacros conferendos , seu Parochias visitandum ; sed

etiam de facto prohibere Canonicis sponte accedere, et ministrare volentibus, ne ipsi Episcopo extra Cathedralē Ecclesiam inservire, seu ministrare praesumant. Quod an eis licitum sit, postulavit.

Eadem Sacra Rituū Congregatio respondit, « non solum id Capitulo, et Canonicis non licere, quin immo teneri Canonicos, et cogi posse ab Episcopo, ut sibi ministrent, et inserviant, non modo in Cathedrali, verum etiam in quibuscumque aliis suae Civitatis Ecclesiis, ad quas, ad publicas, vel solemnes Episcopales functiones exercendas, Episcopum ire contigerit, » et ita censuit, et declaravit. Die 10. Ianuarii 1604.

229. SALAMANTINA.

Pro parte eiusdem Episcopi Salamantini a Sacra Rituū Congregatione quaesitum fuit: An Caeremoniale Episcoporum nuper editum tollat immemorabiles Ecclesiarum consuetudines?

Eadem Sacra Rit. Congr. respondit, ut alias saepe, « Caeremoniale praedictum abusus tollere, non autem immemorabiles consuetudines, maxime si consuetudo immemorabilis legitime praescripta sit. » Et ita censuit, et declaravit. Die 10. Ianuarii 1604.

230. SALAMANTINA.

Quaesitum etiam fuit pro parte eiusdem Episcopi Salamantini: An Decretum a Sacra Rituū Congregatione emanatum, quod Canonici, vel Dignitates etiam sub praetextu consuetudinis, nisi legitime fuerit praescripta, non teneantur ministrare in divinis, cantando Epistolam, vel Evangelium, Portionariis, vel dimidiis Portionariis, aut aliis inferioribus Missas solemnes celebrantibus, habeat locum, quando Canonici, vel Dignitates praedicti una cum Dignitate, vel Canoniatu possident praebendas, vel portiones, quae adnexum habent onus praedictum cantandi dictas Epistolas, seu Evangelia: vel possint munia praedicta per alios subire, et adimplere, vel ab illis excusari, dimittendo distributionem ordinariam, quam pro dictis ministeriis habuissent?

Eadem Sacra Rituū Congregatio respondit, « posse Dignitatem, vel Canonicum munia praedicta per alium adimplere cum licentia Episcopi, dummodo ipse Canonicus, vel Dignitas provideat de serviente, seu ministrante pro eo, » et ita censuit, et declaravit. Die 10. Ianuarii 1604.

231. BONONIEN.

Pro parte Fratrum S. Mariae Gratiarum Civitatis Bononiensis quaesitum fuit: An stantibus Rubricis Breviarii, in quibus cavetur, quod quando recitatur Officium parvum B. Mariae non est opus

amplius de ea facere commemorationem in Officio currenti, locum habeant dictae Rubricae in Ecclesiis B. Mariae dicatis, maxime cum ex eisdem Rubricis Breviarii colligatur, commemorationes Patronorum Ecclesiae non esse omittendas?

Eadem Sacra Rituū Congregatio respondit, « numquam satis laudes, et commemorationes in honorem B. M. V. recitari posse. Et ideo laudabile, ut in Ecclesiis eidem dicatis de ea fiat commemoratio in Officio currenti, etiamsi Officium eius parvum prius recitatum fuerit. » Et ita censuit, et declaravit. Die 10. Ianuarii 1604.

232. ALEXANDRINA.

Ad infrascripta dubia proposita pro parte, et ad instantiam Abbatis Saecularis, et Collegiatae Ecclesiae S. Petri in Broglio Alexandrin.; Sacra Rituū Congregatio, audita relatione Illm̄i et Rm̄i D. Cardinalis Galli, respondit, ut infra, vide licet:

Ad 1. An Episcopus possit extra suam Cathedralē, etiam in Ecclesiis exemptis, et S. Sedi Apostolicae immediate subiectis, intra fines tamen suae Dioecesis existentibus, dum Missae, aut Vesperis solemnibus, quacumque ex causa interest, eosdem Canonicos ex dicta sua Cathedrali assistentes assumere, et Canonicorum circulos ad *Gloria in Excelsis* etc. habere? Respondit, « Episcopum posse sibi assumere suos Canonicos in Ecclesia exempta, et ibi celebrare, et habere cum eisdem circulos ad *Gloria etc.* »

Ad 2. An etiam possit Ecclesiae Saecularis Collegiatae, et ab Ordinario exemptae, ac S. Sedi Apostolicae immediate subiectae, Abbas titularis usum Mitrae habens dum in sua Abbatiali Ecclesia sibi pleno iure subiecta, divinis solemniter interest, huiusmodi assistentiam a suis Canonicis, in quos iurisdictionem exercet, habere? Respondit, « posse Abbatem Episcopo absente, suos Canonicos assumere, et eandem in Canonicos Collegiatae iurisdictionem exercere, quam Episcopus in suos. »

Ad 3. Quid sit agendum, quando contingat Episcopum processionaliter cum Capitulo Cathedralis Ecclesiae accedere ad dictam Ecclesiam Abbatialē, ut supra exemptam, et in eadem Missae solemnī, aut Vesperis interesse, circa sedes Episcopi loci Ordinarii, et Abbatis exempti, necnon Canonicorum utriusque Capituli? Respondit, « Episcopalem sedem in cornu dextero Chori, sive Ecclesiae collocandam esse uno gradu eminentiorem cum ornatu congruo, et situ aliquatenus superiori respectu sedis Abbatis, et a latere Episcopi sequantur immediate Canonici Cathedralis Ecclesiae;

in sinistro veru cornu ponendam esse sedem Abbatibus uno gradu humiliores absque ornatu, et loco aliquatenus inferiori, adeo ut non sit opposita sedi Episcopali; et apud Abbatem ordine sedeant ipsius Collegiatae Ecclesiae Canonici. »

Ad 4. de thurificatione, respondit. « Thurificandum esse primo Episcopum triplici ductu thuribuli, et post Episcopum immediate Canonicos Cathedralis Ecclesiae, duplici ductu; deinde Abbatem duplici ductu, et demum Canonicos eius Ecclesiae Collegiatae unico ductu thuribuli. »

Ad 5., et ultimum de Confessione facienda ab Episcopo cum Sacerdote, de incenso imponendo, et benedicendo, et de solempni benedictione post Vesperas, seu post Missam danda. Respondit, « omnia haec ad Episcopum pertinere. » Et ita eadem Sac. Rit. Cong. censuit, et declaravit, et ad supradicta dubia in omnibus, ut supra, respondit. Die 7. Febr. 1604.

233. COMPOSTELLANA.

Cum in Ecclesia Dei alia Ministrorum in divinis inservientium, alia Populi Divina audientis loca esse debeant, Sacra Rituum Congregatio, viso et considerato Memoriali nomine Decani, et Capituli Ecclesiae Compostellanae porrecto, censuit, « non licere, nec permitti debere laicis, dum divina Officia in ipsa Ecclesia peraguntur, inter Praebendatos, ac Ministros, in Choro, vel Presbyterio stare, vel sedere, nec licere Magistratibus, aut Iudicibus laicis proprias Dignitatum sedes, aut Canonicorum stalla in Choro praedicto, aut Presbyterio occupare etiamsi aliquando id eis permissum fuerit. Die 4. Februarii 1600.

Suprascriptum Sacrae Rituum Congregationis Decretum tam in Archiepiscopali Compostellana Ecclesia, quam etiam in Processionibus, et in aliis Ecclesiis, ad quas ire, seu assistere Capitulum, et Canonicos eiusdem Ecclesiae Compostellanae contigerit, observandum esse eadem Sacra Rituum Congregatio censuit, et declaravit. Die 21. Februarii 1604.

234. COMPOSTELLANA.

In controversia super praecedentia inter Praecentorem Ecclesiae Compostellanae, et Vicarium Generalem, qui etiam dictae Ecclesiae Canonicus existit, censuit Congregatio Sacrae Rituum, Vicarium Generalem, quoties ut Canonicus in Choro, ut quotidianas distributiones lucretur, et in Capitulo, seu aliis actibus interesse intendit in habitu, et apparatu Canonicali, in loco suae receptionis sedere, aut incedere debere: quoties autem ut Vicarius vult praecedere Canonicos, Canonicae habitum dimittere debere: et ita observan-

dum esse, donec allegatam consuetudinem immemorabilem ipse Vicarius probaverit, qua probata, et mature considerata Congregatio respondebit.

Decretum supradictum alias in Sacra Rituum Congregatione examinatum, approbatum, et ab Illmo et Rmo D. bo: me: Cardinali Gesualdo subscriptum, eadem Sacra Rituum Congregatio iterum approbavit, confirmavit, et ut supra in omnibus observari mandavit. » Die 21. Febr. 1604.

235. BRACHAREN.

Pro parte Archiepiscopi Bracharen. in Sacra Rituum Congregatione expositum fuit, Dignitates, et Canonicos suae Ecclesiae recusare assistere Episcopo Suffraganeo ab ipso Archiepiscopo deputato ad reconciliandam Ecclesiam, vel atrium illius, quando aliquo casu polluitur; nec velle ad dictas reconciliationes accedere. Quare quaesitum fuit, « An dictae Dignitates, et Canonici ad interessendum, seu assistendum cogi possint? »

Sacra Rituum Congregatio respondit, « teneri Canonicos et Dignitates Episcopo Suffraganeo assistere quoties praedictas, vel similes functiones Episcopales nomine proprii Archiepiscopi exercet. » Et ita censuit, et declaravit. Die 21. Febr. 1604.

236. URBIS.

Quaesitum fuit: An canonicus celebrans in aliqua Ecclesia Collegiata de Urbe, praesente proprio Vicario illius Ecclesiae ad Missam Conventualem, teneatur in fine Missae ante benedictionem reverentiam facere ipsi Vicario?

Congregatio Sacrae Rituum respondit, « non teneri. » Et ita declaravit. Die 21. Febr. 1604.

237. BARNABITARUM.

Clerici Regulares Congregationis S. Pauli decollati, Barnabitae nuncupati, in Sac. Rit. Congregatione exposuerunt, ipsos non esse solitos facere Officium circa corpora defunctorum, quae quandoque in eorum Ecclesiis sepeliuntur, immo id eis ex eorum constitutionibus prohiberi, cum nec corpora defunctorum associant ad sepulturam, nec cantum firmum habeant. Quare, ut Officium huiusmodi a Curato, seu Parocho defuncti fiat, prout in Ecclesiis omnium Clericorum Regularium in Urbe fit, instanter petierunt.

Sacra Rituum Congregatio, « Constitutiones, et Iura dictorum Clericorum Regularium servanda esse, nec ab illis recedendum esse, » censuit, et declaravit. Die 20. Martii 1604.

238. BRACHAREN.

Pro parte Capituli, et Canonicorum Ecclesiae Bracharen. a Sacra Rituum Congregatione duo quaesita fuerunt. 1. An in Dominicis, et festivis quibusdam diebus quasdam Processiones facere

possint per Ecclesiam, iuxta eorum inveteratam consuetudinem, et pro satisfactione onerum iniunctorum: cum de dictis Processionibus in libro caeremoniali Episcoporum nuper edito, et accepto in dicta Ecclesia Bracharen. nulla mentio habeatur?

2. An in functionibus publicis, quae fiunt absque interventu Archiepiscopi, ab aliquo alio Episcopo, non tamen Suffraganeo, sed ab Ordinario ad id deputato, teneantur Dignitates, et Canonici eadem obsequia praestare, quae deleganti praestare tenentur?

Sacra Rituum Congregatio primi dubii decisionem, seu declarationem Ordinario remisit. Ad 2. « Canonicos, et Dignitates teneri, » respondit. Die 20. Martii 1604.

239. SEGUNTINA.

Pro parte Portionariorum Ecclesiae Seguntinae Sac. Rit. Cong. expositum fuit quemdam Ostiarium, seu Sceptraferum, vulgari sermone *Porti-guerum* nuncupatum, hominem laicum, solere cum veste longa, et scepro argenteo comitari Sacerdotem una cum Diacono, et Subdiacono paratis, tam quando a Sacristia ad Altare maius pro Missa celebranda accedunt, quam quando inde, finita Missa, ad Sacristiam redeunt; ac etiam dum quibusdam diebus dicti Celebrantes cum duobus assistentibus paratis pluvialibus, et cum Decano, Canonicis, ac toto Capitulo, praecedente Subdiacono cum Cruce, per Ecclesias Processiones faciunt, vel pro defunctis, vel alia de causa, ipsum Ostiarium solitum esse incedere inter Subdiaconum deferentem Crucem elevatam cum manica, et Diaconum, ac Presbyterum celebrantem, et duos praedictos Assistentes pluvialibus indutos; et cum videatur indecens, et indecorum, hominem laicum inter Clericos paratos incedere; petierunt per eandem Sac. Congregationem locum decentem assignari, et decerni pro dicto Ostiario seu Sceptrafero; videlicet, si ita placuerit Illm̄is DD., ante Crucem, prout in Ecclesia Toletana servatur.

Quae quidem S. R. C., habita prius super praemissis informatione ab ipso Episcopo Seguntino, qui etiam per litteras fidem fecit, quod in Ecclesia Toletana dictus Ostiarius, non inter Clericos, seu Ministros paratos, sed ante Crucem incedit: « debere etiam in Ecclesia Seguntina eo modo, prout fit in Toletana, dictum Ostiarium, seu Sceptraferum non inter Clericos, seu Ministros paratos, sed ante Crucem incedere, non obstante quavis in contrarium consuetudine, » censuit, et declaravit. Die 20. Martii 1604.

240. LUCERINA.

Cum in Ecclesia Lucerina in Apulia Dignitates, et Canonici ea, quae ad ipsos spectant iuxta formam libri caeremonialis Episcoporum noviter editi exequantur, et octo Clerici eiusdem Ecclesiae, vulgari sermone Abbates nuncupati, ea munera obire recusent, quae a Clericis, seu Beneficiatis obeunda essent, idem liber caeremonialis disponit.

Sac. Rit. Cong. « dictos Clericos per Episcopum, et alios, ad quos spectat, ad ea munia subeunda iuxta formam dicti libri caeremonialis debitis, et opportunis remediis cogendos esse, » censuit, et declaravit. Die 10. Aprilis 1604.

241. MEDIOLANEN. DESII.

Cum alias in Sac. Cong. Rituum ad instantiam Canonicorum Ecclesiae Collegiatae Sanctorum Cyri, et Materni in Oppido Desii Mediolanen. Dioecesis declaratum fuerit Canonicum Doctorem noviter admissum ratione sui Doctoratus non debere praecedere alios Canonicos antiquiores: et postea pro parte Io. Baptistae Pirannia Canonici Praebendae Theologalis eiusdem Ecclesiae in eadem Sac. Rit. Congregatione allegatum fuerit, ipsum Io. Baptistam locum praetendere supra alios Canonicos, non tamquam simplicem Doctorem in Theologia, sed tamquam Canonicum Praebendae Theologalis cum particulari assignatione loci supra omnes Canonicos in prima sede Chori, post Dignitates, iuxta formam Decreti in Synodo Dioecesana facti per bo. me. Carolum Card. Borromaeum, et prout alii Canonici eiusdem Praebendae Theologalis, ipsius Io. Baptistae praedecessores habuerunt. Et habita de praedictis omnibus informatione a R. P. D. Seneca,

Eadem Sac. Rit. Cong. declaravit, « servandum esse Decretum Synodale praedicti Rm̄i. D. bo: me: Caroli Cardinalis Borromaei, et eidem Ioanni Baptistae Pirannia locum assignandum iuxta formam dicti Decreti Synodalis, et prout habuerunt alii Canonici eiusdem praebendae Theologalis sui praedecessores, » et ita censuit, et declaravit. Die 8. Maii 1604.

242. ORIEN.

Marcellus Lombardus Sacerdos, et Ioannes Donatus Antonianus Diaconus, ambo in Ecclesia Orien. Canonicatum obtinuerunt: Diaconus Presbyterum in expeditione literarum, et capienda possessione Canonicatus praevenit, licet Presbyter in data anterior eidem esset. Quaesitum fuit, quis eorum anteriorem, seu digniorem locum habere debeat?

Sac. R. C. respondit, « Canonicum Sacerdo-

tem praefendum esse, » et ita declaravit. Die 19. Iunii 1604.

243. MANTUANA.

Ecclesiae Mantuae Canonicos ex antiqua, et immemorabili consuetudine, statutis etiam eiusdem Ecclesiae confirmata, solitos esse, dum solemniter celebrant, praeter Diaconum, et Subdiaconum, unum Cappellanum assistentem cum pluviali habere, quam assistentiam solis Praelatis, non autem Canonicis dandam esse, ex praescripto libri caeremonialis, Magistrum caeremoniarum eiusdem Mantuae Ecclesiae asseruisse, Sac. Rit. Cong. narratum fuit, et petitum: An dicta immemorabilis consuetudo continuanda sit, necne?

Eadem S. R. Cong., « librum caeremonialem Episcoporum in praemissis non obstare, *respondit*, et ideo praedictam Ecclesiae Mantuae immemorabilem consuetudinem servandam esse, et nihil innovandum, » censuit, et declaravit. Die 19. Iunii 1604.

244. ELBOREN.

Petitionem SSmo D. N. factam ab Archiepiscopo Elboren., ut quod ipse sine consensu Capituli sui fecit, aperiendo quamdam parvam fenestram, quae, ex aedibus suis in Ecclesiam respicit in loco satis alto, et decenti, quam etiam transenna munivit, ut inde, non visus ab aliis, divina Officia quandoque audire possit, et per eam aspicere, an per Canonicos, et eiusdem Ecclesiae Presbyteros, et Clericos recte, et decenter Ecclesiastica munia executioni demandentur, Apostolica auctoritate confirmaretur.

S. R. C. « pro usu, et persona Archiepiscopi tantum concedi posse, » censuit, et declaravit. Die 19. Iunii 1604.

245. BURGEN.

An Cappellani, qui Cappas, seu pluvialia in Ecclesia Burgen. Canonicis in quibusdam solemnitatibus ministrant, capite detecto, ut hactenus consueverunt, vel cooperto, ut modo praetendunt, ministrare debeant? pro parte Capituli Burgen. petitum fuit.

S. R. C., « capite detecto Capellanos ministrare debere, iuxta solitum, *respondit*, et ita in posterum servari, » mandavit. Die 19. Iunii 1604.

246. EUGUBINA.

Quaesitum fuit pro parte Episcopi Eugubini in S. R. C.

1. An Abbas, et Monachi S. Petri de Eugubio Congregationis Montis Oliveti, possint, absque licentia Episcopi, facere Processionem deferendo per Civitatem SSimum Sacramentum, praesertim cum Ecclesia S. Petri sit curata?

2. An Abbas possit solemniter benedicere populo celebrando Pontificaliter in dicta Ecclesia?

3. An in Processionibus, quae fiunt per Civitatem possit dictus Abbas deferri facere coram se Mitram, et Pastorale?

Eadem S. R. C. ad supradicta Dubia respondit ut infra, videlicet.

Ad 1. Posse Abbatem facere Processionem cum suis Monachis, et absque aliis Religiosis, dummodo non exeat limites Parochiae. » Ad 2. « Posse Abbatem, dum Pontificaliter celebrat in sua Ecclesia, Populo solemniter benedicere, sed non in praesentia Episcopi. » Ad 3. « Negative, quia Abbas extra suam Ecclesiam, et Conventum non potest uti Mitra, et Baculo Pastoralis. » Et ita, ut supra, censuit, et declaravit. Die 17. Iulii 1604.

247. CUSENTINA.

Ad tollendam omnem dubitandi rationem S. R. C. declaravit, « Decretum alias factum in eadem S. C. sub die 23. Martii 1593., in quo censuit non esse ullo modo ad Regium Governatorem Provinciae Calabriae inter Missarum solemnia librum Evangeliorum deferendum, ut ab ipso osculetur; intelligendum esse tam in Missis solemnibus, sive cantatis, quam in Missis privatis, seu lectis, et tam in Ecclesiis publicis, quam in Capellis privatis, tam in Palatio Regiae Audientiae, quam in quocumque loco. » Et ita servandum esse censuit, et declaravit. Die 17. Iulii 1604.

248. CORTONEN.

Episcopus Cortonen. S. R. C. exposuit, Ecclesiam suam non esse adhuc consecratam, nec ob multa impedimenta, quae circum circa Ecclesiam reperiuntur ab extra, posse comode consecrari cum circuitionibus, et caeremoniis, quae praescribuntur, et ponuntur in libro Pontificali de Consecratione Ecclesiae. Quare petit licentiam consecrandi dictam Ecclesiam eo modo, quo melius fieri possit.

Eadem S. R. C., attentis impedimentis narratis, censuit, « licentiam petitum posse concedi, prout concessit, dummodo in omnibus quantum fieri licet, et permittitur, Episcopus in Consecratione dictae Ecclesiae se conformet regulis, et rubricis dicti libri Pontificalis. » Et ita declaravit. Die 17. Iulii 1604.

249. SAONEN.

Pro parte Canonicorum assistentium Episcopo Saonen. quaesitum fuit: An, dum Episcopus cum cappa Missis, seu Divinis Officiis assistit, teneantur ipsi Canonici Assistentes eidem ponere, et deponere biretum, quoties caput aperiendum, seu tegendum est?

S. R. C. respondit, « id minime convenire, sed Episcopum sibi ipsi caput tegere, et detegere debere. Quia assistentia proprie Episcopo convenit quando est paratus cum Mitra; et tunc Assistentes ei Mitram ponere, et deponere debent, » et ita declaravit. Die 21. Augusti 1604.

250. POLICASTREN.

Pro parte Marchionis Cameratae Policastren. Dioecesis in S. R. C. expositum fuit, Fratrem Vincentium Ordinis Praedicatorum Episcopum Bethlem, et olim Coadiutorem Episcopi Marren., praetendere in dicto Oppido Cameratae omnes praeceminentias, quae debentur Episcopo proprio in sua Ecclesia, in praeiudicium ipsius Marchionis etc.

Eadem S. R. C., « Episcopo praedicto, qui nullam iurisdictionem in dicto Oppido Cameratae habet, praedicta, et alia similia, quae proprie Episcopo in sua Ecclesia, et Dioecesi debentur, non convenire, » censuit, et declaravit; « et, ut in futurum a praedictis, et similibus absteineat, maxime in praesentia ipsius Marchionis, » ordinavit.

Alia vero in Memoriali contenta remisit ad S. C. Episcoporum et Regularium. Die 21. Aug. 1604.

251. PLACENTINA.

Regulares in Civitate Placentina, praeter debitum ritum, et regulam praescriptam in libro Caeremoniali Episcoporum, ac etiam in contemptum Ecclesiae Cathedralis, Sabbato sancto pulsare campanas, antequam in Ecclesia Cathedrali pulsentur, S. R. C. narratum fuit.

Eadem S. R. C., « non licere Regularibus id facere, » declaravit, et ut in futurum a praedictis absteineant, » praecepit, et mandavit. Die 21. Augusti 1604.

252. ANDRIEN.

Pro parte Capituli, et Canonicorum Ecclesiae Cathedralis Andrien. S. R. C. expositum fuit, Canonicos Collegiatae Ecclesiae S. Nicolai in eadem Civitate praetendere contra solitum, debitum, et antiquum usum, in Processione SSmi Sacramenti incedere inter Clericos, et Canonicos eiusdem Ecclesiae Cathedralis, ita ut post Crucem primo loco Clerici Cathedralis, deinde Canonici Collegiatae, et demum Canonici Cathedralis incedere debeant; et cum ipsa Collegiata non soleat, nec debeat in dicta Processione deferre Crucem, praetendere nihilominus loco Crucis, contra solitum, quaedam Insignia erigere, et deferre.

Eadem S. R. C., « a solito non esse recedendum, » censuit, et declaravit, ut Canonici Collegiatae Ecclesiae in primo loco post Crucem Cathedralis incedere debeant, et post eos in ultimo, et digniori loco Clerici, et Canonici Ecclesiae Ca-

thedralis, inter quos nec Clerici, nec Canonici aliarum Ecclesiarum debeant se miscere. Neque Canonicis Collegiatae Ecclesiae licere contra solitum erigere Insignia. » Et ita in omnibus supra dictis in praedicta Ecclesia Civitat. Andrien. servari praecepit, et mandavit. Die 21. Aug. 1604.

253. VIRDUNEN.

Cum alias in S. R. C. sub die 5. Iulii 1603. ad sedandas differentias praecedentiae ortas inter Ursulam Coadiutricem cum futura successione Catharinae Abbatissae Monasterii, seu Domus Virginum Oblatarum S. Mauri Virdunen., et Priorissam eiusdem Monasterii, declaratum fuerit Coadiutricem in omnibus Priorissae praefendam esse. Dubitatum fuit, an dicta Ursula Coadiutrix eandem praecedentiam habeat tam in Processionibus, quam in Choro, et in aliis actibus publicis, etiam in praesentia ipsius Catharinae Abbatissae. »

Eadem S. R. C. declaravit, « praeceminentiam, et iurisdictionem Coadiutricis cessare in praesentia Abbatissae, et ideo, praesente Abbatissa, Priorissam esse ipsi coadiutrici praefendam, » censuit. Die 16. Octobris 1604.

254. ARIMINEN.

Fratres Cappucini Terrae Varuchii Ariminen. Dioecesis, cum eorum Ecclesia dedicata, seu consecrata fuerit die 8. Septembris in festo Nativitatis B. M. V., eadem die Officium et Missam Dedicationis Ecclesiae celebrare solent: sed ob devotionem erga B. Mariam, ut eius Nativitatis festum celebrare possint, petierunt, ut eis liceat die 8. Septembris celebrare festum Nativitatis ipsius B. Mariae cum Commemoratione de Dedicatione; et festum Dedicationis transferre in diem sequentem, illudque solemniter celebrare cum Commemoratione Octavae B. M., et per totam Octavam celebrare festum ipsius B. M. cum Commemoratione Dedicationis.

S. R. C., « non esse ordinem adhuc servatum mutandum, » censuit, sed festum Dedicationis, cum sit ex solemnioribus, celebrandum esse ea die, qua venerit, cum commemoratione tamen de Nativitate B. M. ipsa die, et per totam Octavam. Devotioni vero erga B. M. fratres satisfacere posse celebrando duas Missas Conventuales, unam de Dedicatione, alteram de B. M., » et ita censuit, et declaravit. Die 16. Octobris 1604.

255. LICIEN.

Vicariis Foraneis per Dioeceses Episcoporum constitutis, ratione sui Vicariatus huiusmodi, in Choro, Sessionibus, Processionibus, et aliis similibus ecclesiasticis functionibus nullam prae-

minentiam, seu praecedentiam super alios antiquiores, seu digniores ipsius loci Presbyteros, Dignitates, seu Canonicos competere, saepe S. R. C. declaravit. « Et ita inter Vicarium Foraneum Terrae Squinzani Licien. Dioec. et Archipresbyterum eiusdem loci servandum esse, » censuit, et declaravit. Die 16. Oct. 1604. Decretum hoc confirmatum fuit die 15. Februarii 1614.

256. ENTOMILIEN.

Pro parte Episcopi Entomilien. quaedam Dubia declaranda in S. R. C. proposita fuerunt. Et 1. An toleranda, et continuanda sit consuetudo Societatis, seu Confraternitatis Disciplinantium eiusdem Civitatis, quae Feria V. maioris hebdomadae, hora quarta noctis solet processionaliter accedere devotionis causa, ad visitandum Altare maius Ecclesiae Cathedralis, quo mulieres etiam concurrunt, unde scandala oriri possunt? S. R. Cong. respondit, « tolerandam esse laudabilem consuetudinem Confraternitatis Disciplinantium, sed ad evitanda scandala, prohibendum esse Mulieribus, ne nocte in Ecclesiam ingrediantur, vel per Civitatem discurrant. »

2. An Syndici Civitatis eiusdem in Missis solemnibus triplici ductu Thuribuli, sicut Episcopus, thurificandi sint, sicut in eadem Civitate introductum esse affirmavit? Eadem S. R. C. respondit, « unicum tantum, et digniorem Personam, idest Episcopum, triplici ductu esse thurificandum, Syndicos vero, et alios Episcopo inferiores satis esse, si duplici ductu thurificentur. »

3. An ipse Episcopus possit moderare consuetudinem, sive abusus, ne unus civis duo vel tria, aut plura scamna pro suo servitio collocet, et aliorum loca occupet? Eadem S. R. C. respondit, « posse Episcopum moderare arbitrio suo scamna, et loca laicorum in Ecclesia, et providere, ne unus solus multa loca occupet, ita ut pro aliis locus non relinquatur. » Et ita eadem S. R. C. censuit, et declaravit, et ad supradicta dubia respondit. Die 11. Decembris 1604.

257. ELBOREN.

Pro parte Capituli Ecclesiae Elboren. S. R. C. expositum fuit, nonnullos viros laicos, vel etiam Canonicos, non tamen de gremio Capituli, nec Cotta, aut alio habitu ecclesiastico indutos, occupare in Capella maiore dietae Ecclesiae, quae angusta est, et vix ad Canonicos, et alios Capitulares recipiendum capax, dum ibi Vesperae, et Divina Officia celebrantur, loca, et stalla Canoniceorum, et aliorum de gremio Capituli, inibi habitu Ecclesiastico, idest Cappis, Rocchetto, vel Cottis iuxta cuiusque Dignitatem, et qualita-

tem, secundum usum dietae Ecclesiae indutorum, et petitum fuit, ut huiusmodi abusus eadem S. R. C. tollere dignaretur.

Cum autem in Ecclesia Dei alia Canoniceorum, et Ministrorum in Divinis inservientium, alia populi audientis loca esse debeant, ut in alia simili causa Ecclesiae Compostellanae declaratum fuit sub die 4. Februarii 1600. et sub die 21. Feb. 1604. eadem S. R. C. censuit, et declaravit, « non licere, nec permitti debere laicis, nec etiam Clericis, qui non sint de gremio Capituli, in Ecclesia Elboren. occupare loca, seu stalla Canoniceorum, et aliorum de Capitulo habitu ecclesiastico indutorum, neque praedictis laicis, vel etiam ecclesiasticis, aut amicis, et familiaribus Archiepiscopi, habitu ordinario, et nigro indutis, licere in Capella praedicta maiore inter Canonicos, et alios de gremio Capituli habitu Ecclesiastico indutos sedere, etiamsi aliquando id eis permissum fuerit; » et ita declaravit, et exequi mandavit. Die 8. Ianuarii 1605.

258. CALLIEN.

Pro parte Praepositi Callien. S. R. C. expositum fuit, quod licet Praepositura huiusmodi in Ecclesia Callien. sit antiquissima, et prima Dignitas post Episcopalem, et ab immemorabili tempore, qui eam obtinuerit, solitus fuerit, in absentia Episcopi, Missas, et alias functiones ecclesiasticas celebrare, et exercere; nihilominus Archidiaconus, moderna Dignitas, quae ab annis 70. citra in dicta Ecclesia erecta est, in cuius erectione Archidiaconus ipse renunciavit omnibus privilegiis iuris communis, cum clausula: Remanente in suo robore Dignitate Praepositurae: praetendit ad ipsum de iure in absentia Episcopi, non autem ad Praepositum, Missarum, et aliarum praedictarum functionum ecclesiasticarum celebrationem pertinere.

Eadem S. R. C. « Praepositum in sua possessione manutenendum, et nihil innovandum esse, » censuit, et declaravit. Die 8. Ianuarii 1605.

259. ALTAMURAE NULLIUS.

Cum Ecclesia Collegiata S. Nicolai Graecorum in civitate Altamurae Nullius Dioecesis Provinciae Baren., ritu graeco a SS. D. N. suppresso, ad latinum ritum reducta sit, et in ea duo tantum clerici graeci, Dignitatem in ea habentes, relicti fuerint, nempe Horatius Campanilis Cantor, et Angelus Antonius Protomastrus Thesaurarius cum facultate, ut possint, eorum vita durante, ritum graecum continuare, et illis deficientibus, in eorum locum Presbyteri latini subrogandi sint: et eum dicta in Ecclesia ad praesens Officium more

latino celebretur, et ipsi Clerici graeci in Choro tamquam Dignitates cum aliis Presbyteris latinis assistant, petierunt a S. R. C. licentiam recitandi Officium more latino.

Eadem S. R. C. censuit, « licentiam petitam dictis duobus Clericis graecis concedi posse, prout concessit, dummodo ipsi graeci in omnibus ritui latino se conforment; » et ita declaravit. Die 29. Ianuarii 1605.

260. TRANEN.

Vicariis Foraneis per Dioeceses Episcoporum constitutis, ratione sui Vicariatus huiusmodi, in Choro, Sessionibus, Processionibus, et aliis similibus ecclesiasticis functionibus, nullam praerogativam, seu praecedentiam super alios antiquiores, seu digniores ipsius loci Presbyteros, Dignitates, seu Canonicos competere, saepe Sacra Rituum Cong. declaravit. « Et ita inter Vicarium Foraneum Terrae Corati Tranen. Dioecesis, et Archiepiscopum eiusdem loci, servandum esse, » censuit, et declaravit. Die 29. Ianuarii 1605.

261. BENEVENTANA.

Consueverunt Rm̄i D. Archiepiscopi Ecclesiae Beneventanae, ultra Vicarium Generalem, habere etiam Auditorem, qui in praesentiarum Canonicus eiusdem Ecclesiae, ac etiam Iudex, et Examiner Synodalis est. Dubitatur modo: an idem Canonicus, ex eo quia Auditor Archiepiscopi existit, in Congregationibus, et Sessionibus, quae fiunt tam ratione examinis promovendorum ad Ordines, et Beneficia, quam aliis ex causis, alios Canonicos, qui Iudices, vel Examinatores Synodales similiter existunt, praecedere, vel inter ipsos in loco promotionis suae sedere debeat, maxime Rm̄o D. Archiepiscopo, vel eius Vicario Generali praesentibus?

S. R. C. respondit: « Canonicum praedictum Auditorem Archiepiscopi in sessionibus, et congregationibus cum aliis Canonicis coram Archiepiscopo, vel eius Vicario Generali, debere sedere, vel stare non super alios Canonicos, sed in loco suae promotionis, » et ita declaravit. Die 29. Ianuarii 1605.

262. VALLISOLETANA.

Stante Statuto Ecclesiae Vallisoletanae, ut in praecipuis festivitibus D.N. Iesu Christi, et Bm̄ae Virginis Mariae, ac in festo omnium Sanctorum, non celebrante Episcopo, prima Dignitas, et in illius defectu secunda, et sic successive; in defectu vero Dignitatum, antiquiores Canonici secundum ordinem prioritatis Missam maiorem celebrare, et in primis, ac in secundis Vesperis Capitulare teneantur. Quaeritur, an idem ordo sit servandus in feria quarta Cinerum, in Dominica

Palmarum, feria quinta in Coena Domini, feria sexta in Parasceve, ac in Benedictione Candelarum in die Purificationis, quando illius festum transfertur, et non solum, quoad Celebrantem, sed Diaconum, et Subdiaconum, de quibus etiam disponit Statutum: vel potius Hebdomadarii in dictis diebus Officium facere teneantur? Supplicatur instante Capitulo pro resolutione.

« Celebrationes Missarum, et Officiorum solemnium, quae ad Episcopum, si praesens esset, pertinerent, ipso absente non ad Canonicum hebdomadarium, sed ad primam Dignitatem, vel secundam, et successive illis deficientibus ad digniorem, et antiquiorem Canonicum pertinere » S. R. C. declaravit. « Et ita in Civitate Vallisoletana non solum in solemnitatibus in Statuto expressis, sed etiam in omnibus, in quibus Episcopus, si praesens esset, celebraret, et Officium faceret, servandum esse » censuit, et declaravit. Die 11. Iunii 1605.

263. VISEN.

Pro parte, et ad instantiam Episcopi Visen. in S.R.C. infrascripta dubia proposita fuerunt, quibus particulariter responderi supplicavit, videlicet.

1. An Praelati Archiepiscopi, seu Episcopi possint esse Iudices ad declaranda dubia super sacris Ritibus, et Caeremoniis exorta? S. R. Cong. « Negative » respondit.

2. Dubitatur inter Dignitates, et Canonicos: an quando Episcopus Divinis Officiis interest, nec Pontificalia exercet, eidem assistere debeant Canonici Presbyteri, et Diaconi, vel etiam Dignitates? Eadem S. R. C. respondit, « servandam esse formam Caeremonialis in Cap. de assistentia duorum Canonicorum lib. primo cap. 8. »

3. An in Regno Portugalliae recitari possit Officium de festis particulariter concessis per Breve Apostolicum Regno Hispaniae, ut est festum Expectationis, et alia similia, attento quod Regna sunt diversa, quamvis sub unius Regis potestate existant? Eadem S. R. C. « negative » respondit.

4. An in Ecclesia Visen. recitari possit Officium de Communi pro Sanctis, quorum festivitates ab immemorabili tempore celebrare consueverunt, quamvis non sint canonizati, prout est S. Elisabeth Regina, S. Theotonius, et alii similes? Eadem S. R. C. « affirmative » respondit, « dummodo adsit immemorabilis consuetudo. » Et ita in omnibus, ut supra, censuit, declaravit, et respondit. Die 11. Iunii 1605.

264. HISPALEN.

Abbatissa, et Moniales Conceptionis B.M.V., alias de Pace, Ordinis S. Augustini in Civitate

Hispalen. a fundatione earum Monasterii solitas fuisse recitare Officium Sanctorum dicti Ordinis, quando occurrunt, absque alterius Officii recitatione, S. R. C. exposuerunt: quod licet semper sine scrupulo servaverint, tamen quia novissime a quodam eorum Visitatore monitae fuerunt, non posse id, tuta conscientia, sine Sedis Apostolicae dispensatione, continuare; eidem S. R. C. supplicare fecerunt, ut, ad omnem scrupulum tollendum, eis dictam licentiam, et dispensationem concedere dignaretur. Quibus auditis

Eadem S. R. C., « stante antiqua consuetudine a fundatione Monasterii introducta, *censuit, et declaravit*, dictas Abbatissam et Moniales, tuta conscientia, posse continuare in recitatione Officii Sanctorum sui Ordinis, quando occurrunt, absque eo, quod aliud Officium dicta die recitare teneantur, prout continuandi in dicta earum consuetudine antiqua facultatem et licentiam eis dedit. » Die 11. Iunii 1605.

265. PRO REGULARI PROMOTO AD EPISCOPATUM.

Cum quidam Frater Professus Ordinis S. Augustini Heremitarum promotus fuerit ad Episcopatum in Indiis, quaesitum fuit a S. R. C.

1. An talis Episcopus Divina Officia, iuxta formam sui Ordinis, an vero iuxta formam traditam, et assignatam Dioecesi a Sede Apostolica, recitare teneatur? Eadem S. R. C. respondit, « Episcopum debere Officium recitare, et Divina Officia celebrare iuxta ritum suae Dioecesis. »

2. An occurrente una eademque die festum alicuius Sancti suae Dioecesis, et festum alterius Sancti sui Ordinis, de quo celebrandum sit? Eadem C. respondit, « celebrandum esse festum de Sancto Dioecesis. »

3. An Capellani sive Regulares sint, sive Saeculares, qui alternis vicibus cum Episcopo Regulari Officium recitare solent, debeant se conformare Episcopo circa recitationem Officii? Eadem S. R. C. « affirmative » respondit, et ut supra, in omnibus servandum esse censuit, et declaravit. Die 11. Iunii 1605.

266. HISPANIARUM.

Quia in Ecclesiis Regnorum Hispaniae, ex antiqua, et immemorabili consuetudine, multa diverso modo sunt ab eo, quod in Caeremoniali Episcoporum declaratur, et ordinatur, partim ex Apostolica concessione, partim ex Ministrorum varietate, partim etiam ex diversa Ecclesiarum, Altarium, et Chori situatione: Ideo ad instantiam, et pro parte omnium Ecclesiarum in Hispaniae Regnis S. R. C. supplicatum fuit declarari,

librum praedictum Caeremonialem Episcoporum, nuper editum, non tollere immemorabiles Ecclesiarum consuetudines.

Eadem S. R. C., ut alias saepe, ad instantiam particularium, ita nunc ad instantiam omnium Ecclesiarum in Hispaniae Regnis, « dictum librum Caeremonialem immemorabiles, et laudabiles consuetudines non tollere » declaravit. Die 11. Iunii 1605.

267. OSCEN.

« Preces ordinatas ab Episcopo Oscen., ut ad impetrandam pluviam in omnibus suae Dioecesis Ecclesiis in Missa conventuali recitentur post Orationem Dominicam, antequam Sacerdos dicat: Libera nos quaesumus Domine etc., non esse eo tempore recitandas, ne Sacrificium Missae interrumpatur: » S. R. C. ad instantiam Ecclesiarum eiusdem Dioecesis Oscen. declaravit. Die 11. Iunii 1605.

268. BRUNDUSINA.

« Decretum alias factum sub die 2. Maii 1602. pro Archidiacono, Dignitatibus, et Canonicis Ecclesiae Brundusinae, quod ad ipsum, non autem ad Vicarium Generalem spectet celebratio Missarum, et aliarum functionum Ecclesiasticarum, absente, vel impedito Archiepiscopo, habere locum tam Sede vacante, quam plena, » S. R. C. declaravit. Die 11. Iulii 1605.

269. NOVARIEN.

Duo Presbyteri ambo Capellani titulares in Ecclesia Parochiali Terrae Traeciae Novarien. Dioec. de praecedentia inter ipsos contenderunt, quorum alter, cum non esset Presbyter ordinatus, prius possessionem dictae Capellaniae accepit, alter vero post eum iam Presbyter ordinatus, tamquam Presbyter locum super Capellanum non ordinatum obtinuit, qui postea ordinatus voluit illum praecedere, cui Episcopus Novarien., ut asseritur, annuit. Sed cum hoc negotium in S. R. C. propositum fuerit.

Eadem S. R. C. respondit, « illum praecedere debere, et locum digniorem obtinere, qui prius Presbyter ordinatus fuit, et non qui prius, cum non esset Presbyter possessionem Capellaniae accepit. » Et ita declaravit. Die 16. Iulii 1605.

270. SALERNITANA.

Capitulum, et Canonici Ecclesiae Salernitanae S. R. C. exponi fecerunt, eos habere in eorum Ecclesia nonnullas particulares, et antiquas caeremonias a Pio IV. fel. rec. approbatas, quae libro caeremoniali Episcoporum noviter impresso non sunt conformes; et ideo ab eadem S. R. C. declarari petierunt, eos non esse obligatos ad observationem dicti libri caeremonialis.

Quae quidem S. R. C. respondit: « omnes Ecclesias, Metropolitanas, Cathedralis, et Collegiatas, dictum librum caeremonialem in omnibus ad unguem servare debere, praeter quam in illis, quae de antiqua, immemorabili, ac laudabili consuetudine, alio, vel diverso modo ab eo, quo in caeremoniali praescribitur, observantur: » et ita censuit, et declaravit. Die 16. Iulii 1605.

271. NARNIEN.

Canonici, et Capitulum Ecclesiae Cathedralis Narnien. SS.ño D. N. et S. R. C. exposuerunt, Priores, et Magistratum eiusdem Civitatis contra antiquam dictae Civitatis consuetudinem, et contra id, quod in libro caeremoniali Episcoporum statuitur, praetendere inter Missarum solemnium purificationis honorem, et pacem ante ipsos Canonicos tam in Cathedrali Ecclesia, quam in aliis Ecclesiis eiusdem Civitatis, ad quas Capitulum Ecclesiae supradictae, et praedictum Magistratum ire contingit. Quod cum a Canonicis, et Capitulo iura Ecclesiastica tuentibus non fuerit permissum; ipsum Magistratum debitum, et solitum obsequium erga Episcopum ad Ecclesiam accedentem in solemnioribus festivitatibus amplius praestare, et ad Ecclesiam Cathedralis ire recusasse, non solum ad solitas solemnitates per annum, et ad Conciones tempore Adventus, et Quadragesimae, sed neque ipsa die, qua Priores novi sui Magistratus Officii possessionem sumunt, et in Canonicorum, Capituli, Fabricae, et Ecclesiae praedictae, prohibuisse eis debitum, et consuetum cerae tributum a Consulibus artium, et Massariis Castrorum, et Villarum suburbanium persolvi; ac etiam in solemnissima SS. Sacramenti Festivitate, et Processione solitum obsequium, et reverentiam praestare, et tubicines Palatii ad Processionem honorandam mittere recusasse, et quod privatis civibus, sine contradictione exhibere solent, recusasse etiam Priores, seu eorum aliquem ad locum capitularem accedere, quando opus fuit pro auctorizanda cassatione Instrumentorum per Notarios defunctos rogatorum iuxta eorum ordinationes, seu statuta, et velle cogere Capitulum totum, ut ad eorum Palatium accedat pro huiusmodi Instrumentorum cassatione; aliaque plura in praedictum, et odium dicti Capituli, et Ecclesiae Cathedralis, Magistratum praedictum fecisse, et attentasse, eidem S. R. C. ab eisdem Canonicis, et Capitulo narratum fuit.

Quae quidem S. R. C., cui etiam specialiter hoc negotium terminandum ab eodem SS. Domino Nostro Papa commissum fuit, animadvertens maxime convenire, ut iura ecclesiastica tueantur,

et laudabiles consuetudines in Dei, et ministrorum eius honorem conserventur: et quae in libro caeremoniali Episcoporum nuper edito statuuntur ubique terrarum, et praecipue a subditis Romanae Ecclesiae, et in Civitatibus Sedi Apostolicae subiectis inviolabiliter serventur, partibus in iure, et in facto informantibus bene auditis, « praedictum Magistratum, et Priores Civitatis Narnien. thuris, et pacis honorem dictis Capitulo, et Canonicis iuxta antiquam consuetudinem, et regulam in dicto Caeremoniali statutum cedere debere tam in Ecclesia Cathedrali, quam in aliis Ecclesiis, ubi Capitulum, et Canonici praedicti simul cum Magistratu conveniunt, censuit, et declaravit, ipsum Magistratum debere Episcopo ad Ecclesiam accedenti debitum obsequium praestare, et in diebus solemnibus per annum, et tempore Quadragesimae, et Adventus ad Ecclesiam Cathedralis ad Divina Officia, et Conciones audiendas ire, et consuetudinem antiquam per novos pro tempore Priores omnino servandam esse, eundi scilicet prius ad Ecclesiam Cathedralis, quam possessionem Officii in Palatio capiant. Nec licere Magistratui prohibere solitum tributum Ecclesiae, vel Canonicis, seu Fabricae debitum a Consulibus artium, et Massariis Castrorum, et Villarum. Magistratum supradictum in Processione SS. Sacramenti solitum obsequium praestare teneri, et tubicines publicos ad illam honorandam mittere, et unum ex Prioribus debere ad locum Capitularem ire, ut eorum moris est, quoties opus fuerit, pro auctorizanda cassatione praefatorum Instrumentorum. Nec Magistratum quidquam in praedictum Episcopi, Ecclesiae, Capituli, et Canonicorum innovare, seu attentare posse, eadem S. C. censuit, et declaravit. Et si quae innovata sint, in pristinum reduci mandavit. Et praedicta omnia ad unguem servanda Magistratum teneri, et per Governatorem Civitatis Narnien., et alios Superiores Ecclesiasticos, et temporales opportunis remediis cogendos esse, » censuit, voluit, et ordinavit. » Die 16. Iulii 1605.

272. GOANA IN INDIIS.

Cum alias a fel. rec. Clemente PP. VIII. Frater Dominicus Torradus Ordinis S. Augustini, qui in Civitate Goana in Indiis Orientalibus commoratur, electus fuerit Episcopus Fulsicalen. in partibus Infidelium, ut in administratione Sacramentorum Archiepiscopo Goan. tamquam Suffraganeus coadiuvare posset: et in illis remotissimis regionibus Episcoporum numerus a Sacris Canonibus requisitus in Consecratione Episcopi minime reperitur, nec ad praesens reperiri possit; pro parte

dicti Archiepiscopi Goan . . . SSmo Domino Nostro supplicatum fuit , ut ipse Archiepiscopus Goan. cum assistentia duarum Dignitatum Ecclesiae Goan. loco Episcoporum possit munus Consecrationis eidem Electo Fulsicalen. impendere. Et cum SSmus Dominus Noster negotium terminandum ad S. R. C. remiserit.

Eadem S. C. , « attentis narratis , et Episcoporum penuria in illis remotissimis partibus , et ad favorem Fidelium Civitatis , Dioecesis , et Provinciae Goan. , ut commodius ibi Sacramenta tam ab Archiepiscopo , quam ab eius Suffraganeo ministrari possint , et valeant , censuit pro hac vice tantum , et de speciali gratia posse concedi eidem Episcopo Goan. facultatem , et licentiam consecrandi in Episcopum praefatum Fratrem Dominicum electum Fulsicalen. cum assistentia duarum Dignitatum Ecclesiae Goan. loco duorum Episcoporum , » Et ita declaravit. Die 16. Iulii 1605.

273.

BRIXIEN.

Capitulum , et Canonici Ecclesiae Brixien. praetendere Officiales eiusdem Civitatis vulgo *la banca* nuncupatos , contra antiquam Ecclesiae Brixien. consuetudinem , et contra conventionem novissime factam inter eos , et Clerum per annos sex continuos servatam , thuris , et pacis honorem , et praecedentiam super Dignitates , et Caonicos Sac. Rit. Cong. exposuerunt , et declarationem super praemissis petierunt.

Eadem S. R. C. respondit : « Conventionem factam inter Officiales Bancae , et Capitulum servandam esse , et quatenus illam Officiales praedicti servare recusent , antiquam Ecclesiae Brixien. consuetudinem circa praemissa , quae libro caeremoniali conformis est , quibuscumque non obstantibus , servandam esse » censuit , et declaravit. Die 16. Iulii 1605.

274.

SALAMANTINA.

Ad quaesita pro parte Episcopi Salamantin. S. R. C. ita respondit , videlicet.

« Capitulum , et universos Canonicos obligatos esse ex debito , non ex urbanitate associare Episcopum ab eius cubiculo ad Ecclesiam Cathedralam cum cappa Pontificali euntem ad celebrandum , vel Divinis Officiis assistendum , eumque , finito Officio , debere associare usque ad primum atrium , seu portam Domus ipsius , dummodo Ecclesia contigua domui sit , vel non multum ab ea distans. »

« Dictam vero obligationem non procedere , quando Episcopus cum cappa ex sua domo ad Cameram Capitularem pro aliquo negotio digreditur , nisi ex eorum urbanitate. »

» Teneri autem Canonicos , et Choristas expectare Episcopum ad Ecclesiam accedere volentem , nec Officia inchoare nisi post eius adventum , dummodo hora Officii certe intimata sit , nec ultra signum datum pro inchoando Officio Episcopus moretur , et diutius Chori Ministros , et Canonicos expectare faciat : Aspersorium vero cum aqua benedicta ministrare Episcopo Ecclesiam ingredienti , ad primam Dignitatem , seu primum Canonicum , et alios successive pertinere , » eadem S. R. C. respondit , et declaravit. Die 16. Iulii 1605.

275.

BRUNDUSINA.

Cum alias a S. R. C. declaratum fuerit Missarum solemnium celebrationes , quas Archiepiscopus , si praesens esset , faceret , eo impedito , absente , vel defuncto , non ad Vicarium generalem , sed ad Dignitates , et Canonicos in Civitate Brundusina pertinere. Dubitatum fuit : An alternatim id faciendum sit , vel successive. Congregatio respondit : « Successive id esse agendum , idest : Si prima Dignitas impedita sit , secunda celebret ; si secunda , tertia ; si omnes Dignitates sint impeditae , vel absentes , tunc ad primum Canonicum , vel secundum successive earumdem Missarum celebrationem pertinere , » declaravit.

Et insuper quia Vicarius eiusdem Ecclesiae habet etiam in eadem Ecclesia Dignitatem ; quaesitum fuit : An possit distributiones quotidianas lucrari assistendo in Choro cum pallio communi tamquam Vicarius , et non cum Cotta tamquam Dignitas ? C. respondit , « dictum Vicarium distributiones quotidianas lucrari non posse , nisi in Choro assistat cum Cotta , et habitu Dignitati suae convenienti , prout assistunt caeterae Dignitates , et Canonici. Locum vero Vicarii , in quo tamquam Vicarius ad Officium , et conciones sedeat , illum esse debere , quem idem Vicarius haberet praesente Archiepiscopo , nec licere sibi sedem cum tapete , et pulvino sericeis parare in loco , in quo sederet Archiepiscopus , si praesens esset. In Processionibus vero , in quibus Vicarius non in habitu Canonicali tamquam Dignitas , vel Canonicus , sed in habitu suo ordinario tamquam Vicarius incedit , praecedentiam ei deberi super omnes alias Dignitates , et Canonicos , etiamsi aliquis eorum habeat Dignitatem Protonotarii , et in habitu Protonotarii incedat : sed quatenus etiam dentur distributiones Canonicis Processionibus interessentibus , illas Vicarium lucrari non posse , nisi in habitu Canonicali incedat , » eadem Sac. Rit. Cong. declaravit. Die 16. Iulii 1605.

276.

RUTHENEN.

Cum in Cathedrali Ecclesia Ruthenen. Archi-

diaconus, qui in dicta Ecclesia non est prima Dignitas, electus Episcopus titularis in partibus infidelium deputatus fuerit Coadiutor Episcopi Ruthenen. cum futura successione, et cum retentione Archidiaconatus praedicti, dubitatum fuit, an, Coadiutoria praedicta durante, etiam in praesentia Episcopi ipse Coadiutor Archidiaconus debeat ob dignitatem, et ordinem Episcopalem tam in Choro quam in Processionibus, et in quibuscumque aliis actibus publicis, ac etiam in loco Capitulari absente Episcopo, habere locum supra omnes alias Dignitates, et Canonicos etiam ipso tamquam simplici Archidiacono digniores, et antiquiores.

S. R. C. respondit, « placere sibi in hoc consuetudinem trium Ecclesiarum Patriarchalium Urbis, nempe S. Ioannis Lateranen., S. Petri, et S. Mariae Maioris, in quibus si aliquis Canonicus habuerit Dignitatem, seu Ordinem Episcopalem cum retentione Canonicatus, praecedit omnes alios Canonicos, etiam ipso in Canonicatu anteriores, et digniores; et ita etiam servandum esse in Ecclesia Ruthenen., in casu proposito » censuit, et declaravit. Die 24. Septembris 1605.

277.

ASTEN.

Episcopus Astensis S. R. C. exposuit se iustam rationem habere consecrandi Ecclesiam Castellinaldi suae Dioecesis, ubi Sacra ministrarentur Sacramenta, sed quia commode ob coniunctos montes consecrari non potest cum circuitionibus, et omnibus caeremoniis, quae praescribuntur in Libro Pontificali de Consecratione Ecclesiae, petit licentiam consecrandi dictam Ecclesiam eo modo, quo melius fieri poterit, prout in simili casu ab eadem Sac. Cong. pro Ecclesia Corthonen. concessum fuit.

Eadem S. R. C., attento impedimento narrato, censuit, « licentiam petitam posse concedi, prout concessit, dummodo in omnibus, quantum fieri licet, et permittitur, Episcopus in consecratione dictae Ecclesiae se conformet regulis, et rubricis dicti Libri Pontificalis. » Et ita declaravit. Die 24. Septembris 1605.

278.

TROPIEN.

Ante publicationem novi Caeremonialis Episcoporum solitum fuisse in Ecclesia Tropien., ut Cantor, qui est tertia Dignitas, in Vesperis primam Antiphonam, secundam vero Decanus prima Dignitas, reliquas per ordinem successive aliae Dignitates, et Canonici praecintonarent, S. R. Cong. expositum fuit. Sed quia ex dispositione dicti Caeremonialis statutum est, ut prima Antiphona a celebrante praecintonetur, reliqua a Canonicis ab utraque parte Chori, incipiendo a dignioribus,

Cantor, qui ante Caeremonialem primam Antiphonam intonabat, praetendit, ut sibi, et non Decano secunda praecintonaretur. Quaesitum fuit: an Decano, vel Cantori praedicta secunda Antiphona praecintonanda sit?

Eadem S. R. C. respondit, « servandam esse formam Caeremonialis praedicti lib. 2. cap. 3., ubi, quomodo dictae Antiphonae praecintonandae sint, praescribitur, » et ita censuit, et declaravit, ac servari mandavit. Die 24. Septembris 1605.

279.

TRANEN.

Licet pluries a S. R. C. declaratum fuerit Vicariis Foraneis per Dioeceses constitutis, nullam super Archipresbyteros, Dignitates, Canonicos, seu Presbyteros deberi praecminentiam ratione dicti Vicariatus, neque in Choro, neque in Processionibus; tamen Vicarium Foraneum Terrae Corati Tranen. Dioecesis praetendere, dicta intelligenda esse decreta quando Vicarius assistit in Choro cum Cotta, et non quando assistit cum pallio communi; eidem S. R. C. pro parte Capituli, et Cleri dictae Terrae Corati expositum fuit, et petitum, ut praemissa declarare dignaretur.

Eadem S. R. C., declaravit, « Decretum, seu decreta praedicta de Vicariis Foraneis intelligenda esse indistincte, tam quando Vicarius est cum Cotta, quam quando est sine Cotta, tam in Choro, quam in processionibus, quibus in locis Vicarius Foraneus debet tamquam unus ex Presbyteris, seu Canonicis dictae Ecclesiae in loco sibi convenienti iuxta provisionem, seu ordinem suum sedere, stare, et incedere cum Cotta, prout alii Canonici, seu Presbyteri sedent, stant, et incedunt, alias non lucrabitur distributiones quotidianas; neque Vicarius ratione Vicariatus praedicti debet thuris honorem, et pacis osculum recipere ante Dignitates, Canonicos, seu Presbyteros ipso digniores. *Et ita declaravit*, et per dictum Vicarium Foraneum Terrae Corati servari *mandavit*. » Die 24. Septembris 1605.

280.

LEGIONEN.

Clerus Villae Leonis Legionen. Dioecesis S. R. C. exposuit, quod licet per ipsam S. C. declaratum fuerit, ut in Processionibus publicis, in quibus universus Clerus Regularis, et Saecularis interesse consuevit, Regulares non incedant mixti cum Clero Saeculari, sed antecedant singuli sub Cruce sua: tamen Fratres Dominicani, et Franciscani eiusdem loci in dicti decreti contemptum ad Processiones praedictas venire recusaverunt: et moniti, ut venirent, quasi per contemptum, et vilipendium paucos quosdam conversos fratres suos servientes, ex rudioribus, et vilioribus

miserunt, non sine magno totius Villae praedictae murmure, et scandalo: et ideo pro parte dieti Cleri Saecularis S. praedictae R. C. supplicatum fuit, ut debitum remediis dictos Fratres cogat ad dietas Processiones accedere.

Eadem S. R. C. « dictos Fratres debitum remediis ab Ordinario, Superioribus, et aliis, ad quos spectat, cogendos esse censuit, ut scilicet ad omnes Processiones generales, ad quas de consuetudine, vel iuxta formam Concilii Tridentini, accedere debent, accedant, et in loco decenti ante Clerum Saecularem singuli sub sua Cruce, et non mixti cum dicto Clero Saeculari incedant. » Et ita censuit, et declaravit, ac exequi mandavit. Die 24. Septembris 1605.]

281. AUGUSTEN.

Consuetum esse in Ecclesia, et Dioecesi Augusten., ut, si dies Commemorationis omnium Defunctorum venerit in Dominica, celebretur ipsa die Dominica, et non transferatur in feriam secundam sequentem; et ut in Missis Defunctorum Sacerdos det in finem benedictionem Populo; et quia Episcopus dictam consuetudinem tollere procuravit, Clerus eiusdem Civitatis, et Dioecesis a S. R. C. quaesivit, an Episcopo id liceat facere?

« Abusum esse, et non consuetudinem, eadem S. R. C. respondit, ut Commemoratio omnium defunctorum celebretur in die Dominica, et ut in Missis pro Defunctis in fine detur a Celebrante Benedictio, et ideo reformationem Episcopi circa praemissa laudavit, ut scilicet ad usum Romanae et universalis Ecclesiae praedicta reducantur, prout reducenda esse » censuit, et declaravit. Die 24. Septembris 1605.

282. GIENNEN.

Pro parte Ecclesiae Collegiatae, et Primariae in oppido de Ubeda, seu Civitatis Ubeda Giennen. Dioecesis S. R. C. expositum fuit, Cappellanum maiorem, et alios Cappellanos Ecclesiae, seu Cappellae S. Salvatoris, noviter post omnes alias Ecclesias in dicto Oppido erectas, contra antiquam dieti Oppidi, et Ecclesiarum totius Hispaniae universalem consuetudinem, et contra regulas Libri Caeremonialis, praetendere in Processionibus generalibus habere locum inter Canonicos, et Beneficiatos dietae Ecclesiae Collegiatae, et cum illis incedere: videlicet Cappellanus maior praedictus praetendit incedere immediate post Dignitates, et ante omnes Canonicos dietae Ecclesiae Collegiatae, alii vero Cappellani minores eiusdem Cappellae S. Salvatoris praetendunt incedere immediate post Canonicos, Priores, et Beneficiatos, et ante Cappellanos eiusdem Ecclesiae Collegiatae, et aliarum

omnium dieti Oppidi Ecclesiarum, quae fundatione antiquiores sunt ipsa Cappella S. Salvatoris, ex quo, cum ordinis non modica perturbatio in dicto Oppido seu Civitate Ubedae oriatur, praedicti Dignitates, Canonici, et Capitulum eiusdem Ecclesiae Collegiatae, petierunt declarari ab eadem S. R. C. quo loco dictus Cappellanus Maior S. Salvatoris, et alii eiusdem Cappellae Cappellani minores in Processionibus generalibus incedere debeant.

Eadem S. R. C. « consuetudinem dieti oppidi, seu Civitatis Ubedae, quam conformem esse generali consuetudini omnium Ecclesiarum Hispaniae, narratum est, et est secundum regulas Caeremonialis Episcoporum Lib. 2. cap. 32., servandam omnino esse censuit, ut scilicet Cappellanus maior S. Salvatoris cum aliis suis Cappellanis minoribus incedat in loco ei conveniente iuxta tempus fundationis suae Ecclesiae, seu Cappellae, et nullo modo incedat ante, vel inter Canonicos praedictae Ecclesiae Collegiatae, neque Cappellani minores eiusdem Cappellae S. Salvatoris ante Cappellanos praedictae Collegiatae, vel mixti cum eis incedere praesumant, sed in loco eis debito, ut supra dictum est, cum suo Cappellano maiore, Ecclesiae vero Collegiatae, et omni eius Clero, ordinatim ultimus, et dignior locus servetur, iuxta regulas dieti libri Caeremonialis, » et ita censuit, declaravit, et servari mandavit. Die 24. Septembris 1605.

283. ULIXBONEN.

Pro parte Archiepiscopi Ulixbonen. petatum fuit: An liceat Sacerdotibus Missas celebrantibus mutare, vel addere aliqua ex his, quae sunt in Missali ordinario? V. G. Poterunt ne Fratres, vel Monachi cuiuscumque Ordinis, ubi dicitur summus Pontifex noster Paulus, et Antistes noster Ioannes, tacere Antistitem Ordinarium, et nominare Superiores suos tam in canone Missae, quam in Oratione? et dato quod teneantur semper nominare Ordinarium: Quaeritur quomodo, et a quo compellendi sint?

« Nihil omnino mutandum, adimendum, vel addendum per quoscumque Clericos, vel Presbyteros Saeculares, vel per Fratres, Monachos, aut cuiusvis Ordinis Regularis ex his quae in Missali ordinario tam in Rubricis, quam in nigro praescribuntur, et multo minus in Canone S. R. C. respondit. Qui secus fecerint, temeritatis notam incurrere, et animadversione dignos esse censuit, et eos Religiosos, qui Antistitis nomine tacito, eius loco in precibus, sive in Canone suae Religionis Superiorem nominant, contra charitatem facere, » declaravit. Die 12. Novembris 1605.

284. LAMACEN.

Quaesitum fuit a S. C. pro parte Capituli Ecclesiae Lamacen. : An Canonici, et Dignitates dictae Ecclesiae quando associant Episcopum portantem vestem consistorialem ab Ecclesia ad domum suae habitationis, debeant illum associare usque ad suum cubiculum, an tantum usque ad primum hostium suae habitationis.

Eadem S. R. C., ut alias in similibus, ita respondit, « Dignitates, et Canonicos teneri Episcopum cappa indutum etiam in reditu ab Officio associare saltem usque ad portam Domus suae habitationis. » Et ita declaravit. Die 12. Novemb. 1605.

285. VALUEN.

Praepositus Cathedralis Ecclesiae Valuen., qui primam Dignitatem in dicta Ecclesia obtinet post Episcopum, petiit declarari, ut in dictis diebus solemnibus, et festivis ad ipsum, et non ad Canonicos hebdomadarios pertineat Missas solemnes celebrare.

S. R. C., ut in aliis similibus, ita nunc respondit: « Missas solemnes, quas, si praesens esset, celebraret Episcopus, absente Episcopo, celebrandas esse a prima Dignitate, ceteras vero per annum a Canonice hebdomadariis iuxta consuetudinem Ecclesiae celebrandas esse. » Et ita declaravit, et in Ecclesia Valuen. servari mandavit. Die 26. Novembris 1605.

286. ANDRIEN.

Cum alias pro parte Capituli Ecclesiae Cathedralis Andrien. in S. R. C. expositum fuerit, Canonicos Ecclesiae Collegiatae S. Nicolai eiusdem Civitatis voluisse contra solitum, et ritum deferre Crucem in Processione SS. Sacramenti; et eadem S. C. sub die 21. Augusti 1604. declaraverit *a solito non esse recedendum*: postea vero dicti Canonici S. Nicolai obtulerint se paratos, contra assertionem Canonicorum Ecclesiae Cathedralis, probare eorum consuetudinem deferendi dictam Crucem in omnibus Processionibus, et de eiusdem S. C. mandato examen fuerit commissum in partibus, et per Vicarium Generalem dictae Civitatis Andrien. ad urbem transmissum. Et S. C. negotium hoc examinandum commisit Illmo, et Rmo Dño Cardinali Columnae, qui visis, et mature consideratis scripturis transmissis, et Testium examinatorum depositionibus, tam pro parte Canonicorum Cathedralis Ecclesiae, quam pro parte Canonicorum Collegiatae circa eorum consuetudinem deferendi Crucem in omnibus Processionibus, et praecipue in Processione SS. Sacramenti.

Eadem S. R. C., audita relatione praedicti Illmi, et Rmi D. Cardinalis Columnae, « Cum

Liber Caeremonialis Episcoporum, super quo maxime fundatur Capituli Cathedralis Ecclesiae intentio, nec Regularibus, nec Clero Saeculari in huiusmodi Processionibus prohibeat solita Insignia gestare, *declaravit*, licere dictis Canonice S. Nicolai in huiusmodi Processionibus, praecipue autem in Processione SS. Sacramenti deferre Crucem elevatam cum solito vexillo appenso, iuxta eorum antiquam consuetudinem, dummodo incedant in loco convenienti, id est ante Canonicos Ecclesiae Cathedralis, quibus ultimus, et dignior locus reservatur. » Et ita, non obstante dicto Decreto, servandum esse in futurum censuit, et declaravit. Die 14. Ianuarii 1606.

287. SUESSAE.

Episcopus Suessae S. R. C. exposuit suos Canonicos non solere Vesperas cantare nisi Dominice, et aliis festivis diebus, qui de Ecclesiae praecepto servantur: reliquis vero diebus, sive Officium de feria, sive de aliquo festo etiam duplici celebretur, simpliciter Vesperas sine cantu recitare: nec umquam in Choro Officium Defunctorum, Psalmos Graduales, seu Poenitentiales dicere in illis diebus, in quibus iuxta Rubricas Breviarii assignantur, et propterea petiit: An talem consuetudinem tollerare debeat?

Eadem S. C. « quoad Vesperas, et Officium satis esse, si Canonici illud recitent alta, clara, intelligibili, et distincta voce. »

« Quo vero ad Officium Defunctorum, Psalmos Graduales, et Poenitentiales servandam esse Constitutionem Pii PP. V. super Breviario, » respondit, et declaravit. Die 28. Ianuarii 1606.

288. ASCULANA.

Episcopus Asculanus, stante suppressione Canonicorum supranumerariorum, qui in dicta Ecclesia erant, et solebant Antiphonas praetintonare ad Vesperas, loco quorum Mansionarii successerunt, petiit a S. R. C. declarari, quibus competat onus praedictas Antiphonas praetintonandi? An Mansionariis praedictis, ut Canonici praetendant; an vero ipsi Canonici id praestare debeant, ut scilicet ille Canonicus Antiphonas praetintonet, qui die sequenti Epistolam in Missa erit cantaturus, iuxta dispositionem Libri Caeremonialis?

Eadem S. R. C. respondit, « Libri Caeremonialis dispositionem servandam esse, ut ille scilicet in Vesperis Antiphonas Episcopo, et Canonice praetintonet, qui in Missa solempni sequentis diei Epistolam erit cantaturus, » et ita declaravit. Die 28. Ianuarii 1606.

289. BAREN.

In Civitate Baren. solere Presbyteros Ecclesiae

S. Nicolai eiusdem Civitatis dum Mannam eiusdem S. Nicolai ad infirmos deferunt, illam deferre superpelliceo indutos solemniter cum luminaribus, lanternis, ac si Sacramentum extremae unctionis ad infirmos deferrent, S. R. C. pro parte Archiepiscopi dictae Civitatis expositum fuit, et peti- tum : an conveniat ?

Eadem S. R. C. « non modo Mannam S. Nicolai, sed neque extremae unctionis oleum solemniter cum superpelliceo, ac lanternis ad infirmos deferendum esse, » respondit, et declaravit. Die 28. Ianuarii 1606.

290. CARMELITANOR. DISCALCEATOR.

Pro parte Procuratoris Generalis Ordinis Carmelitanorum Discalceatorum propositum fuit in S. R. C. : An stante fundatione cuiusdam eorum Monasterii in Hispania cum onere, ut in Collecta, quae de consuetudine, et privilegio Apostolico pro Papa, Rege, eius prole, et exercitu dicitur in Missa, nomen eius Fundatoris Cardinalis defuncti addatur; et an conveniat, ut in eadem Collecta, et pro vivis, et pro defunctis oretur ?

Eadem S. R. C. respondit, « non convenire, nec potuisse Fundatorem Monasterii Religiosis ipsius Monasterii hanc legem imponere, ut in eadem collecta, quae ex privilegio Apostolico pro Rege tantum, et eius prole, populo, et exercitu dicitur, etiam ipsius Fundatoris nomen exprimitur, nec ad onus illud exequendum compelli posse Religiosos praedictos, cum praeter debitum ritum sit in una eademque Collecta, quae pro vivis dicitur, Fundatorum nomina exprimere. » Et ita declaravit. Die 28. Ianuarii 1606.

291. FIRMANA.

Cum in Civitate Firmana Prior Monasterii S. Catharinae Ordinis Canonicorum Regularium Lateranen. ex antiqua consuetudine, et privilegio Romanorum Pontificum usum habeat Mitrae, et Baculi, et aliorum indumentorum Pontificalium, quibus uti solet in quibusdam solemnitatibus, et praecipue in festo S. Catharinae Virginis, et Martyris: et nonnulli Priores praeteriti dicti Monasterii modum in celebrando, et utendo dictis indumentis Pontificalibus excesserint, volentes se in omnibus, et per omnia aequiparari Archiepiscopo eiusdem Civitatis Firmanae, quando solemniter celebrat, et pro parte eiusdem Archiepiscopi ad S. R. C. recursus fuerit, ut modum, et formam dicto Priori praescribat, quibus exercendo Pontificalia, et solemniter celebrando uti debeat.

Eadem S. R. C. ordinavit Magistris Caeremoniarum SS. D. N. Papae, ut modum, et formam in scriptis redigerent, a quibus dictus Prior Mo-

nasterii S. Catharinae, quando solemniter celebrat, recedere non debeat. Dicti vero Magistri Caeremoniarum mandatis eiusdem S. R. C. parendo, formam infrascriptam in scriptis redegerunt.

« Ut Prior praedictus, quando solemniter celebrabit, contentus sit sua sede, quae, ut asseritur, locata est, et esse debet in cornu Evangelii in plano Presbyterii cum duobus tantum gradibus parvis, et sine ullo suppedaneo, sugesto lapideo, vel ligneo, ac sine Baldachino desuper, sed cum postergali tantum ex aliquo panno, vel serico levi, sine auro, coloris convenientis solemnitati, quae celebratur. »

Item, « ut dictus Prior non habeat duos Diaconos assistentes quando celebrat, ut supra, sed contentus sit, et esse debeat Subdiacono, et Diacono, qui in Missa cantaturi erunt Epistolam, et Evangelium, et uno Cappellano cum pluviali, qui assistat ad librum, nec alios Ministros habeat praeter praedictos, nisi aliquos Clericos, et Ministros cum cotta, qui sibi de Mitra, et Baculo, et aliis necessariis ministrent, ac etiam Altari inserviant. »

Item, « ut in Altari sex tantum, et non septem candelabra cum totidem candelis, et sua Cruce locentur, nec Abacus alius praeterquam parva mensa in cornu Epistolae, super quam duo possint locari candelabra, Mitra, qua Prior utitur, Calix, Missalis, Thuribulum cum navicula, et alia necessaria pro actu celebrationis. »

Item, « ut dictus Prior sub Mitra, bireto parvo nigri, et non alterius coloris omnino uti debeat. »

Ita censeo ego Paulus Alaleo Magister Caeremoniar. SS. D. N. Papae.

Ita censeo ego Guido Ascanius Praevostus Magister Caeremoniar. SS. D. N. Papae.

Ita censeo ego Io. Paulus Mucantius Magister Caeremon. SS. D. N. Papae.

Quae quidem omnia eadem S. R. C. approbavit, et a praedicto Priore moderno S. Catharinae et aliis Prioribus eiusdem Monasterii pro tempore futuris in perpetuum servari mandavit. Die 28. Ianuarii 1606.

292. NERITONEN.

Cum alias in Ecclesia Neriton. inter Vicarium Generalem, et Dignitates, ac Canonicos differentia orta fuerit, ad quem eorum in absentia Episcopi pertineat celebrare Missas, et Officia Divina, et SS. Sacramentum in Processione deferre in die solemnitatis eiusdem, et alias functiones, et officia facere, et celebrare, quae, si praesens esset, ad Episcopum pertinerent. Et cum tam pro parte Vi-

carii, quam pro parte Dignitatum, et Canonico-
rum S. C. R. allegata fuerit, sed non probata con-
suetudo praedictae Ecclesiae; et eadem C. ordina-
verit, ut ambae partes coram Episcopo Ugentino
praetensam consuetudinem probarent, quae adhuc
probata non fuit. Et nihilominus Vicarius praedi-
ctus, non probata consuetudine, tentavit portare
in Processione SS. Sacramentum, Missas cantare,
et alias functiones praedictas facere, quae de iure,
et iuxta formam libri Caeremonialis, et Decreto-
rum eiusdem S. C., in absentia Episcopi, ad Di-
gnitates, et Canonicos, non autem ad Vicarium
pertinent.

Eadem S. R. C. ad tollendas dissensiones, et
pro quiete, et bono pacis eiusdem Ecclesiae, donec
Vicarius legitime probaverit praetensam, et ab
ipso allegatam consuetudinem, declaravit, « Mis-
sas solemnes, Processiones, Officia Divina, et
alias similes functiones, quas faceret Episcopus,
si praesens esset, et ad ipsum pertinent, Episco-
po absente, non ad Vicarium, sed ad Dignita-
tes, et Canonicos eiusdem Ecclesiae pertinere suc-
cessive, et non alternatim, id est, si Episcopus
praesens non erit, prima Dignitas celebret, vel
Officium faciat, quod ad Episcopum praesentem
pertineret; et ea impedita, vel absente, succedat
secunda Dignitas; et secunda impedita, tertia;
et omnibus Dignitatibus impeditis, vel absentibus,
primus Canonicus id exequatur, et sic per ordi-
nem successive faciendum esse, » declaravit; et
ita in Ecclesia praedicta Neritonen. servari man-
davit, die 25. Februarii 1606.

293.

NERITONEN.

Ex Decretis, et Constitutionibus synodalibus
Ecclesiae Neritonen. statutum esse, ut Chori Prae-
sidentis curam habeat indicendi per sonum Cam-
panae horam inchoandi Divina Officia, S. R. C.
pro parte Capituli eiusdem Ecclesiae narratum fuit,
et expositum, quod Vicarius generalis dictis con-
stitutionibus, et ordinationibus synodalibus non
obtemperando, horam ipse inchoandi Divina Of-
ficia indicere vult suo arbitrio, et prohibet Offi-
cium inchoari, donec ipse ad Ecclesiam veniat;
et aliquando post solitum signum datum, et trin-
nam campanae pulsationem congregatis omnibus
in Choro per horam unam, duas, et aliquando
amplius se expectare facit non sine murmure, et
Populi scandalo, ac maximo totius Capituli in-
commodo. Quare super praemissis opportune pro-
videri petierunt.

Eadem S. R. C. « non esse a constitutionibus
Synodalibus recedendum, censuit, et Officium sta-
tim inchoandum esse, datis solitis signis per so-

num Campanae, non expectato Vicario, vel aliis, »
declaravit. » Et ita in Ecclesia Neriton. servari
mandavit. Die 25. Februarii 1606.

294.

NERITONEN.

Multi Cives, et habitatores Civitatis Neritonen.
S. R. C. exposuerunt introductum esse lucri causa
per Sacristanos Ecclesiae Cathedralis eiusdem Ci-
vitatatis in benedictione Sponsi, et Sponsae usum
ornandi locum, ubi Sponsi benedicuntur in Eccle-
sia, cum tapetibus, pulvinaribus, et baldachino,
quod pallium vocant, pro quo pallio dando pa-
ctiones prius faciunt cum contrahentibus, et illud
non concedunt, nisi duos, tresve aureos, vel quanti
convenerint, prius ipsi Sacristiae solverint. Quare
dicti Cives petierunt, ut eisdem Sacristanis ordi-
netur, ne quidquam pro dictis palliis a Sponsis in
futurum exigant.

Eadem S. R. C. « nec pallium, seu baldachi-
num in huiusmodi benedictionibus Sponsis con-
venire debere censuit, nec quidquam exigendum
esse a Sacristanis pro tali pallio dando, *declara-
vit, et ordinavit*, ut in futurum nullo modo pro
Sponsis benedicendis pallium, seu baldachinum
paretur: nec Sacristae quidquam omnino exigere
audeant, seu praesumant pro tali benedictione. »
Et ita censuit, ordinavit, et in praedicta Ecclesia
Neritonen., et Civitate exequi mandavit, die 25.
Februarii 1606.

295.

BISUNTINA.

Stephanus Pierard, cum esset Abbas Mona-
sterii de Gratia Dei Ordinis Cisterciensis, fuit be-
nedictus cum bireto dumtaxat, eo quod Abbates
dicti Monasterii non habent privilegium utendi
Mitra. Postmodum fuit translatus auctoritate Apo-
stolica, et factus Abbas Monasterii S. Vincentii
Ordinis S. Benedicti in Bisuntina Civitate, cuius
Monasterii Abbas pro tempore existens habet usum
Mitrae. Dubitatum fuit: An idem Abbas Stephanus
iterum esset benedicendus, vel ex se ipso Mitram,
Sandalia, aliaque indumenta Pontificalia accipere
possit, quae Abbatibus usum Mitrae habentibus,
in benedictione traduntur?

S. R. C. respondit, « Abbatem praefatum non
indigere alia benedictione, sed posse per se Mi-
tram, et alia praedicta insignia, et indumenta
capere, » declaravit. Die 25. Februarii 1606.

296.

UMBRIATICEN.

Archipresbyter Oppidi Tiropolitani Umbriaticen.
Dioecesis S. R. C. exposuit solitum esse in dicto Op-
pido, ut defunctorum corpora, quae extra Ecclesiam
Parochialem sepelienda sunt, prius ad dictam Eccle-
siam Parochialem, et Matricem deferantur, ut ibi Of-
ficium super eis fiat, et deinde ad alias Ecclesias,

ubi iuxta defunctorum mentem, vel haeredum voluntatem sepelienda erunt, portentur. Nihilominus Fratres Minores Observantes dicti Oppidi praetendunt corpora defunctorum ad eorum Ecclesiam, seu ad alias Cappellas deferre, quando ibi sepelienda sunt, absque eo, quod prius deferantur ad Ecclesiam Matricem contra consuetudinem, et in grave ipsius Archipresbyteri praedudicium, et damnum. Quare super praemissis declarationem petiit.

Eadem S. R. C. declaravit, « posse corpora defunctorum iuxta eorum dispositiones, vel Haeredum voluntatem directe deferri ad Ecclesiam, vel Cappellam, ubi sepelienda erunt, absque eo quod prius ad Ecclesiam Matricem deferantur; dummodo Archipresbytero, seu Curato iura, et emolumenta solita sepulturae solvantur. » Et ita declaravit. Die 25. Februarii 1606.

297. UMBRIATICEN.

Eadem S. R. C., ut alias saepe in similibus, ita nunc declaravit, « Vicario foraneo ratione sui Vicariatus officii, nullam super Archipresbyterum, vel alios Presbyteros ipso antiquiores, et digniores praeeminentiam in Choro, aut in publicis Processionibus competere; » et ita etiam in Oppido praefato Tiropolitano servari mandavit, praecepit, et ordinavit. Die 25. Februarii 1606.

298. ATISSEN. NULLIUS.

S. R. C. expositum fuit pro parte Canonicorum Atini nullius Dioecesis, Praepositum eorum deputasse in suum Vicarium generalem unum ex ipsis Canonicis, qui ratione sui Vicariatus huiusmodi tam in Choro, et in omnibus actibus Capitularibus, et Canonicalibus, quam etiam in Processionibus primum locum obtinere vult, unde ad tollendas omnes lites, et dissensionis causas inter ipsum Vicarium, et alios Canonicos, petierunt declarari: An dictus Canonicus Vicarius semper, et in omni loco super omnes alios Canonicos praecedentiam habere debeat?

Eadem S. R. C. respondit: « dictum Vicarium, praesente Praeposito, et in omnibus Actibus Capitularibus, et quaecumque distributiones quotidianas lucratur, debere stare, vel incedere in suo stallo, vel loco Canonicali; absente vero Praeposito, tamquam Vicarius generalis in primo, et digniori loco. » Et ita censuit, et declaravit die 4. Martii 1606.

299. MINERBIN.

Pro parte Episcopi Minerbin. Administratoris Pontificalium in Ecclesia Valentin. S. R. C. expositum fuit, quod licet ipse antiquior Ordine, et promotione sit Episcopo Oriolen., nihilominus

in quadam Episcopi consecratione, ipse Oriolen. Minerbinum praecedere voluit, sub eo pretextu, quod Ecclesiam suam praedictam resignaverit: Ideo petiit declarari, quid conveniat?

Eadem S. R. C. respondit, « Ordinem, characterem, et titulum semper inhaerere Personae Episcopi consecrati, quae nunquam dimittit, nec dimittere potest, et ideo, licet administrationem Episcopatus quis dimittat, titulum, et ordinem semper retinere; et consequenter debere praecedere omnibus aliis Episcopis post ipsum electis, et consecratis, » censuit, et declaravit. Die 4. Martii 1606.

300. CORROPOLITAN. NULLIUS.

Priorem Monasterii Ordinis Coelestinorum Terrae Corropolitanae nullius Dioecesis, qui in Capitulo generali Congregationis eiusdem Ordinis ad triennium eligitur, ut praesit non solum Monachis dicti Monasterii, sed etiam Clericis saecularibus, et tamquam Ordinarius curam habeat in spiritualibus omnium animarum dietae Terrae, sub pretextu assertae antiquae consuetudinis, solere in Processionibus praeter Cruces Monachorum, et Cleri, ante se immediate ab uno Clerico Crucem deferri facere, quasi esset Archiepiscopus, vel Legatus, idque etiam Vicarium suum, ipso absente, facere consuevisse. Pro parte Cleri Saecularis dietae Terrae S. R. C. expositum fuit, et petiit declarari, an conveniat?

Eadem S. R. C., « non esse consuetudinem, sed abusum omnino tollendum, ut Prior dicti Monasterii, et eius Vicarius Crucem ante se deferri faciat, quae Archiepiscoporum, et Legatorum specialis praerogativa est: et ideo ordinavit, ut Prior, et Vicarius supradicti, a praemissis in futurum omnino abstineant: et si quid in contrarium praetendunt, compareant, suasque deducant rationes in eadem S. C., » quae ita censuit, declaravit, et exequi mandavit. Die 4. Martii 1606.

301. BRUNDUSINA.

Pro parte Archipresbyterorum Terrarum Salicis, et Guagnani Brundusinae Dioecesis Sacra Rit. Cong. expositum fuit, Vicarios dictorum locorum praetendere super ipsos Archipresbyteros, et alios Presbyteros in Choro, et Processionibus locum digniorem, et duplicatam portionem candelarum in funeribus, et alias praerogativas in grave damnum ipsorum Archipresbyterorum, aliorumque dictarum Ecclesiarum Presbyterorum praedudicium: nec non contra stilum debitum multare suo arbitrio Presbyteros, qui non veniunt ad horas Canonicas ultra amissionem distributionum quotidianarum. « Nullam competere praeeminentiam Vicariis

foraneis, ratione sui Vicariatus huiusmodi, neque super alios Presbyteros ipsis Vicariis antiquiores, et digniores *Sacra R. C. saepe declaravit*. Nec Vicariis licere ultra solitum punctum amissionis distributionum quotidianarum Presbyteros, seu Clericos mulctare, qui horis Canonicis non interfuerunt, censuit, et declaravit. Atque ita a Vicariis foraneis dictarum Terrarum Salicis, et Guagnani servari mandavit. Die 4. Martii 1606.

302. **STRONGOLEN.**

Comes Melissa, quae est Oppidum in Calabria, paucis abhinc diebus emit Civitatem Strongolen. prope Melissam existentem, et praetendit in Cathedrali Ecclesia non solum pacem sibi in Missa ante omnes Dignitates, et Canonicos defendendam, verum etiam librum Evangeliorum deosculandum porrigendum esse. Propterea Vicarius Episcopalis Strongolen. Illmas, et Rmas Dominationes vestras humillime deprecatur, ut quid in praemissis agere debeat, praescribere non dedignentur.

S. R. C. respondit, « servandam esse formam lib. Caeremonialis Episcoporum in Capitulis de ordine dandi pacem, et de ordine thurificandi, et de Missis, quae sine cantu ab Episcopo, vel eorum Episcopo celebrantur; ubi dicitur, quod liber Evangeliorum uni tantum, et digniori, hoc est, Episcopo osculandum porrigitur. Nec convenire, ut a viro laico, etiam loci Domino, osculetur. » Et ita servandum esse censuit, et declaravit die 4. Martii 1606.

303. **NEOCASTREN.**

Dignitates, et Canonici Neocastrensis Ecclesiae S. R. C. exposuerunt, solitum esse, Episcopo absente, vel impedito, ut una ex Dignitatibus Vesperas, et Missas celebret, quas Episcopus, si praesens esset, celebraret, et duo Canonici Celebranti ministrare consueverunt. Qui post editionem lib. Caeremonialis id facere recusaverunt, et propterea petierunt declarari, an teneantur?

Eadem S. C. respondit, « librum Caeremonialem non prohibere, quin Canonici Dignitati, seu alio Canonico celebranti assistere possint, et debeant, cantando Epistolam, et Evangelium; et ideo in hoc a solito non esse recedendum, » censuit, et declaravit, die 4. Martii 1606.

304. **TROPIEN.**

Cum alias ad instantiam Decani Ecclesiae Tropien. declaratum fuerit, servandam esse formam libri Caeremonialis circa praeintonationem Antiphonarum in Vesperis; et denuo, stante consuetudine dictae Ecclesiae, quod prima Antiphona Cantori, qui est prima Dignitas praeintonetur;

Episcopus petierit declarari: an dicta consuetudo servanda sit, vel potius dispositio libri Caeremonialis?

Eadem S. R. C. respondit: « Servandam esse formam Libri Caeremonialis, nisi allegata consuetudo ad favorem Cantoris immemorabilis sit. » Et ita declaravit, die 4. Martii 1606.

305. **NERITONEN.**

Pro parte Capituli Neritonensis Ecclesiae S. R. C. expositum fuit, nonnullos eiusdem Ecclesiae Canonicos, et Presbyteros contra solitam consuetudinem, et absque legitimo impedimento, recusare solitas functiones facere, et per se ipsos Missas, et Vesperas celebrare, prout alii eiusdem Ecclesiae Canonici, et Presbyteri facere solent, et debent, sed huiusmodi functiones per substitutum faciunt; et propterea petierunt declarari: An dictas functiones per se ipsos, vel per substitutos facere teneantur?

Eadem S. R. C., « Canonicos, et Presbyteros Missas, et Vesperas celebrare, aliasque solitas functiones facere recusantes, debitis remediis ad eorum munia exequenda per se ipsos, non autem per substitutos cogendus esse, » censuit, et declaravit, idque omnino in Ecclesia Neritonen. servari mandavit. Die 16. Aprilis 1606.

306. **ELBOREN.**

Pro parte Capituli Ecclesiae Elboren. quaedam Dubia declaranda in Sac. Rit. Congr. proposita fuerunt, videlicet:

1. Cum in praedicta Ecclesia extet quoddam statutum, cuius vigore potest Capitulum praedictum ob senectutem, seu temporalem, aut perpetuam infirmitatem eximere, et iubilare Praebendatos, seu Beneficiatos illius; quaeritur, an statutum praedictum extendatur ad Coadiutores, et Capitulum possit etiam Coadiutores eximere, et iubilare? Congregatio respondit: « statutum strictè esse intelligendum, et ideo non esse extendendum ad Coadiutores, » declaravit.

2. Utrum, dum Coadiuti reperiuntur infirmi, seu in servitio Sancti Officii sacrae Inquisitionis, aut in quovis alio Ministerio occupati, quorum occasione de iure, aut iuxta Ecclesiae praedictae statuta habentur pro praesentibus, remaneant Coadiutores per hoc exempti, et liberi ab obligatione residendi in Ecclesia, durante impedimento Coadiuti? Congregatio respondit: « Coadiutores non remanere exemptos, seu liberos ab obligatione residendi, quando Coadiuti sunt infirmi, vel alia causa impediti, per quam tamquam praesentes vigore statuti reputarentur. »

3. An idem servandum sit in casu diverso, ubi

scilicet Coadiutor est exemptus, an Coadiutus residere, et interesse debeat? Congregatio respondit, « Coadiutum residere debere quando Coadiutor est absens, vel ex quavis causa exemptus. »

4. An si existentibus Coadiutoribus in Choro, dum Horae Canonicae decantantur, superveniant Coadiuti, qui pro eorum devotione velint stare in Choro, remaneant ipsi Coadiutores exempti, et lucrari valeant distributiones quotidianas, licet in literis Coadiutoriarum non fuerit expressum, quod alternatim servire possint? Congregatio respondit, « non posse Coadiutores lucrari distributiones quotidianas, quando Coadiuti sunt praesentes ex quacumque causa. »

5. Quia de Ecclesiae consuetudine, quando deficit hebdomadarius in Choro, iunior (deficiente etiam aliquo quaternario) tenetur in eius locum officiare. Quaeritur utrum Coadiutores, qui iuxta statuta eiusdem Ecclesiae sedere debent post Canoniceum iuniorem, teneantur officiare in locum hebdomadarii absentis? Congregatio respondit, « Canoniceum iuniorem, iuxta Ecclesiae consuetudinem, et non Coadiutores debere Officium facere in locum hebdomadarii absentis, vel impediti. »

Et ita, ut supra, ad supradicta dubia eadem S. R. C. respondit, et declaravit. Die 15. Aprilis 1606.

307.

URBIS.

Inter Capitulum S. Petri, et Capitulum Sanctae Mariae Transtyberim et S. Laurentii in Damaso.

Sac. Rit. Congregatio, audita relatione Ill^{mi} D. Card. Farnesii, cui haec causa ab eadem S. C. commissa fuerat, omnibusque rationibus hinc inde deductis mature perpensis et consideratis, de voto omnium et singulorum Ill^{mor}. DD. Cardinalium in Congregatione praesentium, nemine eorum prorsus discrepante; decretum per modum provisionis alias in ead. causa ab eadem Congregatione factum sub die 19. Aprilis 1603., tamquam decretum huius causae decisivum in perpetuum servandum esse censuit, et declaravit, videlicet:

« Quod proxime dicta duo Capitula S. Mariae Transtyberim et S. Laurentii in Damaso illorumque Canonici Ecclesiam S. Petri ingredientibus, Capitulum S. Petri et Canonicos illius detecto capite decenter salutare debeant; ac vicissim Capitulum et Canonici S. Petri praedicta duo Capitula Sanctae Mariae et S. Laurentii, illorumque Canonicos, dum progrediuntur similiter detecto capite et aliquantulum ab eorum sedibus assurgendo, resalutare et humaniter atque honorifice, prout ecclesiasticos decet viros, recipere debeant in Processione solita celebrari in die festo S. Marci capitulariter acce-

dentibus una cum toto Clero ad Ecclesiam S. Petri; hoc etiam addito, quod dieti Canonici S. Mariae et S. Laurentii, transactis Canonicis S. Petri, debeant etiam detecto capite salutare Beneficiatos et Clericos eiusdem Basilicae S. Petri, et ipsi Beneficiati et Clerici teneantur omnino assurgere, et stantes detecto capite resalutare ipsos Canonicos S. Mariae et S. Laurentii. Et de eius Congregationis S. Rituum sententia et opinione, facta relatione SS^{mo} D. N. Paulo PP. V. in Consistorio secreto per nos infrascriptum Cardinalem Comen. hac die infrascripta, Sanctitas Sua sententiam Congregationis approbavit, laudavit et omnino ad unguem exequi mandavit; non obstantibus quibuscumque, sub poenis et censuris arbitrio S. C. imponendis. In quorum fidem praesentes per infrascriptum S. C. Secretarium fieri fecimus, et manu nostra propria subscripsimus, nostrique solita sigilli impressione muniri iussimus. » Datum Romae in aedibus solitae nostrae habitationis die 17. Aprilis 1607.

308.

LAURETANA.

Pro parte Episcopi Lauretani a S. R. C. quaesitum fuit.

1. An in consecratione sanctorum, et saecrorum Oleorum Feria V. in Coena Domini, cum duodecim Presbyteri adhibendi sint, nec tot, praeter Canonicos, in eius Ecclesia reperiantur, possint, et debeant Canonici inservire, et ministrare, ut numerum duodecim Presbyterorum conficiant? Congregatio respondit: « formam libri Pontificalis servandam esse, nec Canonicos a dicta functione exemptos esse, quatenus sine eis numerus sufficiens, non reperitur. »

2. An si festum Annunciationis B. Mariae venerit Feria V. vel VI., maioris hebdomadae, seu Sabato S., aut in Dominica Resurrectionis, vel duobus sequentibus diebus, licitum sit in sacra Domo Lauretana dictis diebus, saltem clausis ianuis, Missam de B. V. celebrare? Eadem Sac. R. Congr. *Negative*, respondit, et in Civitate, et S. Domo Lauretana ita servari mandavit. Die 9. Maii 1606.

309.

TERDONEN.

Pro parte Archidiaconi Terdonensis Ecclesiae, qui primam Dignitatem post Episcopalem in dicta Ecclesia obtinet, quaesitum fuit: An ad ipsum, vel potius ad Praepositum, vel ad aliam eiusdem Ecclesiae Dignitatem pertineat exercere Officium Presbyteri assistentis, quando Episcopus solemniter celebrat, et Episcopo absente, ad quem pertineat Vesperas, Missas Pontificales celebrare, quas, si praesens esset, ipse Episcopus celebraret?

S. R. C., « ad primam Dignitatem, iuxta for-

mam libri Caeremonialis, ea omnia pertinere, » respondit, censuit, et declaravit. Die 9. Maii 1606.

310. CAESARAUGUSTANA.

Cum in Ecclesia Caesaraugustana ob Archiepiscopi senectutem, saepe nonnulli suae Provinciae Episcopi Suffraganei, et saepius Episcopus Uticensus Coadiutor, Missas solemnes, et alias Pontificales functiones celebrare, et exercere consueverint, a S. R. C. quaesitum pro parte fuit eiusdem Archiepiscopi Caesaraugustani: An saltem Episcopis Suffraganeis celebrantibus duae ultimae eiusdem Ecclesiae Dignitates, et dicto Episcopo Uticensi celebranti, duo iuniores Canonici, praeter Diaconum, et Subdiaconum, assistere debeant.

Eadem S. R. C. respondit, « assistentiam duarum Dignitatum, vel Canonicorum tantummodo Episcopo loci Ordinario, et nulli alteri convenire, ut expresse cavetur in Caeremoniali Episcoporum lib. 1. cap. 8. in fine; et ideo dd. Episcopos Suffraganeos, et Episcopum Uticensem Coadiutorem in dicta Ecclesia Caesaraugustana solemniter celebrantes, contentos esse debere Ministris solitis, idest Diacono, et Subdiacono, ac uno Cappellano cum Pluviali, qui eis assistat ad librum. » Et ita censuit, et declaravit. Die 9. Maii 1606.

311. REATINA.

Alexander Contilius S. R. C. exposuit se quemdam lapidem cum quadam antiqua inscriptione emissa a Canonicis S. Laurentii Terrae Contiliani Reatinae Dioecesis, qui lapis alias consecratus fuit pro lapide Altaris, sed postea profanatus, et venditus sibi, qui, an tuta conscientia illum tenere posset, petit declarari.

Eadem S. R. C., « cum lapis sit profanatus, potuisse Canonicos illum vendere, et emptorem posse illum in loco tamen decenti, et honesto tenere tuta conscientia, » respondit, et ita censuit, et declaravit. Die 9. Maii 1606.

312. NERITONEN.

Ex antiqua consuetudine in Civitate Neritonen. solitum fuisse Canonicos, et alios eiusdem Civitatis Presbyteros, cum licentia tamen Ordinarii, baptizare nonnullos Infantes ad Parentum eorum instantiam; pro bono pacis, et quietis multarum dictae Civitatis familiarum S. R. C. expositum fuit, quod licet per Archiepresbyterum haec toleratum fuerit, nunc tamen amplius tollerare, et et permittere idem Archiepresbyter recusat. Quare Canonici, et Presbyteri eiusdem Civitatis instituerunt, consuetudinem antiquam in praemissis servari.

Et S. R. C., « consuetudinem praedictam in baptizandis Infantibus servandam esse censuit, dummodo id de licentia Ordinarii fiat, et sine

praeiudicio iurium, et emolumentorum Archiepresbytero debitorum. » Et ita declaravit, et exequi mandavit. Die 9. Maii 1606.

313. GRANATEN.

In Ecclesia Granaten. consuetudine receptum esse in distributione Pacis ut unus Cappellanus Pacem a Celebrante, vel assistente, qui illam Archiepiscopo deferre debeat, accipiat, et statim Pacem Praesidenti, et Consiliariis Regiis, qui viciniore Altari assistunt, deferat, et ita antequam Archiepiscopus, cuius sedes longius ab Altari distat, pacem recipiat, Regium Praesidentem, et Consiliarios illam accipere S. R. C. expositum fuit, et petitum: An conveniat?

Item cum Archiepiscopus ex consuetudine Sedem suam in choro inter Dignitates, et Canonicos dictae Ecclesiae habeat, quaesitum fuit: An ei liceat, Sede Choralis relicta, in alio arbitrio suo eligenda altari proximiori residere? et: An Dignitates, et Canonici, qui ei in Choro assistere solent, teneantur ei assistere ubicumque intra Ecclesiam Sedem suam posuerit, cum Divinis Officiis assistit?

Ad 1. S. C. respondit: « nullo modo convenit, ut Praesidens, et Consiliarii Regii pacem ante Archiepiscopum recipiant, et ideo debere Cappellanos expectare, donec Archiepiscopus pacem receperit, et tunc, et non prius illam Praesidenti, et Consiliariis deferre. »

Ad 2. « Licere Archiepiscopo extra Chorum sibi sedem erigere, ubicumque voluerit, et convenire, ut Canonici suum Praelatum sequantur, et, ut ei debita fiat assistentia iuxta formam Libri Caeremonialis. Sed si cum suis Canonicis Divinis Officiis assistere voluerit, locum pro ipsis etiam Canonicis parandum esse iudicavit. Inconveniens enim est, ut Archiepiscopus Divinis assistens a Canonicis longius separetur: et ideo si Chori forma mutari non potest, melius esset, ut sederet in choralis sede. At si Sedes Archiepiscopi, et Chorus ad formam in Libro Caeremoniali praescriptam reduci possit, S. R. Congr. id summopere laudaret. » Et ita declaravit, et ad supradicta quaesita respondit. Die 9. Maii 1606.

314. FAVENTINA.

Cum in Civitate Faventina dubitatum fuerit: An in Vesperis, seu Missis solemnibus, quae praesente, vel absente Episcopo, in Cathedrali celebrantur, Gubernator Civitatis, etiamsi non sit Praelatus, nec in habitu Praelati incedat, ante Canonicos thurificandus sit, et Pacis osculum habere debeat? et pro huiusmodi Dubii declaratione ad S. R. C. recursum fuerit.

Eadem S. R. C., inhaerendo Decretis alias in simili casu factis, « Gubernatorem, praesente Episcopo, immediate post ipsum Episcopum, et Canonicos eiusdem Episcopi assistentes, et ante alios Canonicos non assistentes, thurificandum, eique Pacis osculum deferendum esse, *declaravit*. Absente vero Episcopo, immediate post Vicarium Generalem eiusdem Ecclesiae. *Et ita censuit*, et tam in dicta Civitate Faventina, quam in quibuscumque aliis Civitatibus, simili casu veniente, » exequi mandavit. Die 9. Maii 1606.

315. PATAVINA PLEBIS SACCI.

Cum in Ecclesia Collegiata S. Martini Oppidi Plebis Sacci Patavinae Dioecesis nonnulli abusus introducti fuerint circa praeintonationem Antiphonarum ad Vesperas, et circa thurificationem; et Coadiutor Archidiaconi eiusdem Ecclesiae cum futura successione in S. C. R. praedictos abusus moderari iuxta regulas Caeremoniarum institerit.

Eadem S. R. C. hoc negotium terminandum, et declarandum Magistris caeremoniarum SS^{mi} D. N. PP. remisit. Qui quidem Magistri caeremoniarum, ut mandatis eiusdem S. C. parerent, ut decet, sequentem declarationem circa praemissa fecerunt, et in scriptis redigerunt, videlicet.

« Noi infraseritti Maestri di Cerimonie di nostro Signore giudichiamo conveniente, et conforme alle buone cerimonie, et a quello, che si determina nel Ceremoniale de' Vescovi, che nelle Chiese Collegiate, et nelle Cattedrali, in assenza del Vescovo, l'Antifone del Vespero si preintonino, la prima al Celebrante, e poi successivamente le altre alle Dignità, et Canonici, cominciando dal più degno, o sia Arciprete, o Archidiacono, o altra Dignità di qualsivoglia nome, perchè in questo non si deve eccettuare alcuno di quelli che si trovano presenti nel Coro.

« Et quanto a dare l'incenso; il celebrante solo deve essere incensato *triplici ductu thuribuli*, gli altri tutti o siano Arcipreti, o Archidiaconi, o Canonici devono essere incensati *duplici ductu thuribuli*; Et così giudichiamo conveniente, che si osservi nella Chiesa Collegiata di Pieve di Sacco Diocesi di Padova. Ed in fede della verità abbiamo sottoscritta la presente di nostra propria mano. »

Io Paolo Alaleone Maestro di Cerimonie di N. S. affermo quanto sopra.

Io Guido Ascanio Prevosto Maestro di Cerimonie di N. S. affermo quanto sopra.

Io Gio: Paolo Mucante Maestro di Cerimonie di N. S. affermo quanto sopra.

S. R. C. « Sententiam, et opinionem praedictam Magistrorum Caeremoniarum SS^{mi} D. N.

Papae approbavit, » et exequi mandavit. Die 9. Maii 1606.

316. BRUNDUSINA.

Cum in Ecclesia Brundusina locus particularis non sit assignatus pro Hebdomadario Officium faciente, et cum per hebdomadas tam Canonici, quam Clerici dictum Officium facere soleant, pro parte Archiepiscopi ad tollendas contentiones inter Canonicos, S. R. C. quaesitum fuit, quo loco dicti hebdomadarii stare, vel sedere debeant.

Eadem S. R. C. respondit: « primum locum convenire Hebdomadario Officium facienti super omnes Dignitates, et Canonicos, quando ipse Hebdomadarius est pariter Canonicus, vel ex numero Dignitatum; si vero est Clericus, debet, quando Officium facit, accedere in medio Chori. » Die 17. Iun. 1606.

317. URBEVETANA.

Cum ad instantiam Civitatis Urbevetae SS^{mi} D. N. supplicatum fuerit, ut in processione Sanctissimi Sacramenti, et in quibuscumque aliis eiusdem Civitatis Processionibus expectetur hora solita, nec alias, praeter antiquam consuetudinem, fiant ab Episcopo, et SS. D. N. memoriale dictae Civitatis ad S. R. C. remiserit.

Eadem S. R. C., « Episcopum horam Processionis tum SS^{mi} Sacramenti, quam aliarum quaecumque Processionum suo arbitrio indicare posse declaravit, et intimari facere Clero, Magistratui, et aliis quibuscumque interesse habentibus, qui omnes ordini, et mandatis Episcopi obedire tenentur. » Et ita censuit, atque mandavit servari. Die 17. Iunii 1606.

318. ELBOREN.

Pro parte Capituli Ecclesiae Elboreni. petitum fuit: An Decretum emanatum ad instantiam omnium Ecclesiarum in Hispaniae Regnis, quod scilicet liber caeremonialis Episcoporum non tollat laudabiles, et immemorabiles consuetudines, habeat locum etiam in Regno Portugalliae?

S. R. C., « dictum Decretum locum habere non solum in Regnis Hispaniae, et Portugalliae, sed etiam in quibuscumque aliis Regnis, et locis per totum Christianum Orbem, » declaravit. Die 17. Iunii 1606.

319. BARBASTREN.

Quaesitum fuit pro parte Decani, et Canoniorum Ecclesiae Barbastren.: An quinque Personae, vel tres tantum Episcopo assistere debeant quando facit Ordinationes etc. ? prout in memoriali, sub quo

S. R. C. respondit videlicet: « Quotiescumque Episcopus solemniter celebrat, sive Ordinationem

teneat, sive non, convenit, ut ei saltem illae Personae assistant, de quibus in Libro caeremoniali mentio habetur, et ideo in dubio proposito, ac aliis in supradicto memoriali narratis, formam dicti Libri caeremonialis servandam esse, » censuit, et declaravit. Die 17. Iunii 1606.

320.

NERITONEN.

Cum alias in S. R. C. sub die 4. Martii 1606. declaratum fuerit per Vicarium Ecclesiae Neritonen. Presbyteros, et Clericos eiusdem Ecclesiae per ordinem vocandos esse; itaut illos prius vocari faciant, qui prius in ordine recepti fuerint. Dubitatum fuit, quomodo intelligenda sint illa verba, *qui prius in ordine recepti fuerunt*: An scilicet intelligantur de ordinibus maioribus, vel minoribus: et quid si plures eorum uno, eodemque die Ordines receperint?

« Decretum supradictum intelligendum esse de Ordinibus maioribus, idest, ut illi praeferantur, qui prius Ordines maiores susceperint etiam illis, qui minores Ordines ante illos susceperunt: et quando plures eodem die ordinati sunt, illum praeferendum esse, qui prius in ordine nominatus, et ordinatus est, » eadem S. R. C. declaravit. Die 17. Iunii 1606.

321.

TROPIEN.

In Ecclesia Tropien. iuxta formam Concilii Tridentini Praebendas fuisse ab Episcopo distinctas in Presbyterales, Diaconales, et Subdiaconales, S. R. C. expositum fuit; et quia in eadem Ecclesia vigeat, et adhuc viget consuetudo, ut ille Canonicus tam in Processionibus, quam in Choro caeteris praeferatur, qui prius sui Canonicatus possessionem acceperit, nulla habita consideratione suae praebendae, an sit Presbyteralis, Diaconalis, vel Subdiaconalis: pro parte nonnullorum dictae Ecclesiae Canonicorum, qui praebendas Presbyterales obtinent, quaesitum fuit: Quis praeferendus sit, et digniorem locum tam in Choro, quam in Processionibus obtinere debeat?

S. R. C. respondit, « Ordinem Ecclesiasticae Hierarchiae servandum esse, ut primum, et digniorem locum obtineant Canonici Presbyteri, secundum Diaconi, tertium Subdiaconi; licet Diaconi, vel Subdiaconi ante Canonicos Presbyteros sui Canonicatus possessionem acceperint, non obstante quacumque consuetudine in contrarium, quam ab usum » eadem Sac. R. C. declaravit. Die 17. Iunii 1606.

322.

BRACAREN.

Pro parte Archiepiscopi Bracaren. a S. R. C. quaesitum fuit.

1. Quo tempore, et ordine pacem recipere de-

CARDELLINI. DECRETA AUTENTICA S. R. C. TOM. I.

beant Canonici Ministri, qui in Missa solenni ab eo cantata Evangelium, et Epistolam cantaverunt, et cum sint Sacerdotes, et iam Missam privatam celebraverint sacram Communionem de Archiepiscopi manibus non sumpserunt, nec eo tempore, accepta nempe communionem, pacem ab Archiepiscopo, ut dicitur in caeremoniali libro, accipere potuerint?

2. Quo tempore Archiepiscopo non celebranti, sed Missae ab aliquo Canonico celebratae assistenti, Diaconus, qui cantavit Evangelium, a Subdiacono pacem accipere debeat?

Eadem S. R. C. respondit, ad 1. « ut Diaconus, et Subdiaconus ministrantes, sacram Communionem de manibus Episcopi celebrantis accipiant, et deinde osculum pacis, ut in libro caeremoniali cavetur; sed si fuerint Sacerdotes, et iam celebraverint, ut in dubio dato praesupponitur, tunc postquam Canonicus Presbyter assistens cum Pluviali pacem ab Episcopo celebrante acceperit, ut illam per Chorum distribuat, Diaconum, qui cantavit Evangelium, debere pacem ab Episcopo accipere, et illam Subdiacono dare, Subdiaconum vero tunc illam duobus Diaconis assistentibus ministrare debere, » iudicavit.

Ad 2. respondit, « debere Diaconum a Subdiacono pacem accipere, quando ministrata pace caeteris Canonicis Choro existentibus, revertitur ad Altare. » Et ita censuit, et declaravit. Die 17. Iunii 1606.

323.

MANTUANA.

Cum Episcopus Mantuae prohibuerit ab usum inventum in undecim oppidis, seu terris suae Dioecesis, quae vel ex voto ob acceptas gratias, vel ex devotione solebant Feria V., et Feria VI. maioris hebdomadae de nocte facere Processiones, portando SS. Sacramentum discoopertum in Tabernaculo, prout fit in solenni festivitate eiusdem SS. Sacramenti.

C. S. R., « visis literis eiusdem Episcopi Mantuani, ipsum laudavit, et decretum ab ipso factum confirmavit: cum similes Processiones solennes cum SS. Sacramento tempore Passionis, et moestitiae non conveniant, nisi Feria V. in Coena Domini post Missam ad deponendum, et conservandum SS. Sacramentum pro Officio Ferae VI. sequentis: et similes Processiones de nocte facere, ut praemittitur, ab usum esse censuit, cum repugnet communi stylo, ritui, caeremoniis, ac misteriis universalis Ecclesiae, et ideo nullo modo esse eo tempore permittendas » declaravit, die 8. Augusti 1606.

324.

HISPALEN.

Cum alias in S. R. C. ad instantiam Archie-

piscopi Granaten. declaratum fuerit, nullo modo convenire, ut Praesides, et Consilarii Regii pacem ante Archiepiscopum recipiant, et debere Cappellanum, qui dictis Praesidi, et Consiliaris pacem defert, expectare donec Archiepiscopus pacem recipiat, et tunc, et non prius illam Praesidi, et Consiliaris praedictis deferre. « Id etiam, et multo magis servandum esse in Ecclesia Hispalen., dum Ill^{ms} D. Cardinalis Archiepiscopus Missae solemnⁱ, vel privatae assistit; ut scilicet nullus omnino ex Praesidentibus, et dictae Missae una cum Cardinali Archiepiscopo assistentibus, pacem ante ipsum Cardinalem Archiepiscopum recipiat; etiamsi illi, qui assistunt, sint Ministri Regii, Supremi, vel alterius inferioris Consilii, et separatim, vel conjunctim cum aliis officialibus assistant, vel etiamsi sint inquisitores haereticae pravitatis separati, vel cum aliis Officialibus conjuncti, etiam pro Tribunali sedentes, et assistentes in die publicationis edicti, vel quovis alio modo, » eadem S. R. C. respondit, censuit, et declaravit die 16. Septembris 1606.

325. COIMBRICIEN.

Canonici, et Capitulum Ecclesiae Coimbriciensis supplicant humiliter S. R. C., ut dignetur illis declarare infrascripta dubia, videlicet.

1. An Coadiutores Canoniorum debeant habere novam possessionem post mortem Coadiuti, un vera satis sit illis prima possessio habita vivente Coadiuto?
2. An Coadiutores sint vere Canonici, et pro talibus debeant haberi, et reputari, viventibus Coadiutis, an vero tantum post mortem Coadiuti?
3. An Coadiutores, quibus data non fuit nova possessio post mortem suorum Principalium, sint tuti annales, triennales, vel decennales possessores?
4. An Coadiutores in vim primae possessionis acceptae in vita Coadiuti, possint praecedere in Choro, Capitulo, et Processionibus publicis veros Canonicos, qui de novo ipsis Coadiutoribus succedunt?
5. An Coadiutores possint uti privilegiis concessis veris Canonici, velut optandi Beneficia, et similibus, pro dispositione Statutorum?
6. An Coadiutores possint lucrari distributiones quotidianas, absentibus Coadiutis?
7. An Coadiutores possint obligari tantum ad onera suorum Principalium, an vero ad onera etiam Canoniorum iuniorum?
8. Quomodo Punctator Chori se habere debeat cum Coadiutoribus, qui residere nolunt, quando Coadiuti legitime impediti ratione infirmitatis, vel alterius excusationis, volunt haberi pro praesentibus?

Ad supradicta dubia S. R. C., audita relatione Ill^{mi}, et R^{mi} D. Cardinalis Pamphilli, cui eadem ipsa dubia examinanda commiserat, « nisi aliud ex forma Coadiutoriae, vel statuto, seu consuetudine Ecclesiae legitime praescripta statuatur, » ita, ut sequitur, respondendum esse censuit, videlicet.

Ad 1. « Coadiutorem debere habere novam possessionem, nec sufficere primam possessionem vivente Coadiuto, superveniente tamen titulo Canoniciatus post obitum Coadiuti censi sibi mutasse causam possessionis, nisi aliud appareat. » Ad 2. « Coadiutores non esse vere Canonicos, nec pro talibus habendos esse viventibus Coadiutis, sed tantum post obitum Coadiuti; gaudere tamen omnibus privilegiis expressis in ipsa Coadiutoria. » Ad 3. « Coadiutores, quibus non est data nova possessio post obitum suorum Principalium, esse tutos annales, triennales, seu decennales possessores, si per annum, triennium, vel decennium, continuaverint in sua possessione post obitum Coadiuti. » Ad 4. « Coadiutorem in vim primae possessionis acceptae in vita Coadiuti, non praecedere in Choro, Capitulo, et Processionibus publicis veros Canonicos, qui de novo ipsis Coadiutoribus succedunt, sed durante vita Coadiuti debere remanere in ultima sede, post omnes Canonicos, sibi assignata tempore suae receptionis, et ingressus. » Ad 5. « Coadiutores posse uti privilegiis concessis veris Canonici, veluti optandi Beneficia, et similibus pro dispositione statutorum ad utilitatem tamen, et commoditatem Coadiuti. » Ad 6. « Coadiutores lucrari distributiones quotidianas, absentibus Coadiutis, ad commoditatem tamen, et utilitatem Coadiuti. » Ad 7. Coadiutores posse tantum obligari ad onera suorum Principalium, non autem etiam ad onera Canoniorum iuniorum. » Ad 8. et ultimum, « Coadiutorem non esse exemptum, seu liberum ab obligatione residendi, quando Coadiutus legitime impeditus ratione infirmitatis, vel alterius excusationis vult haberi pro praesente. Et ideo Punctatorem Chori posse punctare Coadiutum etiam legitime impeditum, quando Coadiutor non vult residere, ad damnum tamen ipsius Coadiutoris iuxta formam Coadiutoriae. »

Et ita eadem S. R. C. censuit, declaravit, et ad supradicta omnia dubia, ut supra, respondit, die 16. Septembris 1606.

326. BERTINOREN.

Pro parte Episcopi Bertinoren. quaesitum fuit: An Ecclesiae, in quibus corpora mortuorum sepulta sunt, consecrari possint, cum id videatur interdictum in Epistolis S. Gregorii Papae?

S. C. R. respondit: « posse rite consecrari, dummodo corpora sub Altare maiore sepulta non sint, vel sub confessione, ubi Sanctorum Corpora et Reliquiae Sacrae locari debent. » Et ita censuit, et declaravit. Die 7. Octobris 1606.

327.

MILITEN.

Pro parte Capituli Ecclesiae Militen. S. R. C. expositum fuit, Praepositos Monachos, seu Clericos Abbatiae SS^{mae} Trinitatis Ordinis S. Benedicti, quae in eadem Civitate Militen. sita, iurisdictionem habet, et curam animarum in quadam parte Civitatis, et Dioecesis exercet: quando corpora defunctorum ex iurisdictione Cathedralis Ecclesiae ad dictam Abbatiam, vel ad aliquam Ecclesiam suae iurisdictioni subiectam sepelienda deferuntur, praetendere praecedentiam super Canonicos, et Clericos eiusdem Cathedralis, statim atque territorium, seu iurisdictionem ipsius Abbatiae attingunt. Et quando ex iurisdictione Abbatiali ad iurisdictionem Ecclesiae Cathedralis Corpora deferuntur, dictos Clericos, seu Monachos Abbatiae, per totum eorum Territorium praecedentiam super Canonicos, et Clericos Ecclesiae Cathedralis praetendere. Quod cum maximam pariat confusionem: an deceat, vel conveniat? dicti Canonici, et Clerici Ecclesiae Cathedralis declarari petierunt.

Eadem S. R. C. respondit, « praecedentiam semper per totam viam convenire Canonicis, et Clericis Ecclesiae Cathedralis, a domo defuncti, usque ad Ecclesiam, in qua corpora defunctorum sepelienda erunt, sive ex iurisdictione Abbatiali, ad iurisdictionem Cathedralis, sive ex iurisdictione Cathedralis ad Abbatialem deferantur. In Ecclesia vero, ubi corpus sepelitur, Officium faciendum erit ab eo Curato, qui Ecclesiae praefuerit. » Et ita censuit, et servandum esse declaravit, die 18. Novembris 1606.

328.

SQUILLACEN.

Ad Dubium propositum pro parte Rectorum, seu Curatorum Parochialium Ecclesiarum Squillacensis Dioecesis: An scilicet corpora defunctorum benedicenda sint a Regularibus, in quorum Ecclesia sepelienda erunt, vel potius id pertineat ad Curatos, in quorum Parochia obierunt?

S. R. C. respondit: « Ad Curatos huiusmodi benedictionem pertinere, non autem ad Regulares extra eorum Ecclesiam, in qua tantum, quando corpora sibi sepelienda erunt, poterunt Regulares benedictiones, preces, seu officium super defunctos facere, et recitare. » Et ita declaravit. Die 18. Novembris 1606.

329.

ASTEN.

Cum Episcopus Astensis, ut asseritur, fecerit

Decretum circa assistentiam ei a Canonicis, et Dignitatibus praestandam, dum Divinis Officiis assistit: Ut scilicet in dicta assistentia iuxta consuetudinem antiquam Dignitate Canonice praeferrantur, dummodo ipsae Dignitates ad portam Ecclesiae una cum Canonicis, et caeteris de Capitulo ipsum Episcopum exceperint; quod si non fecerint, non solum voluit praedictas Dignitates ab huiusmodi assistentia abstinere, sed aliis etiam poenis mulctari, et illas non solum in Officio, et Missa Canonicos assistentibus cedere voluit, sed etiam in Processionibus: quod cum in maximum praeiudicium Dignitatum eiusdem Ecclesiae, et praeter ordinem debitum decretum fuerit; Praepositus eiusdem Ecclesiae prima Dignitas, in cuius praeiudicium hoc Decretum maxime cedit, petiit a Sac. R. C. moderari, et declarari.

Quae quidem S. R. C. his auditis declaravit, « in omnibus ordinem servandum esse, et maxime in Processionibus, ut ille Canonicus, seu Dignitas praeferratur, qui primum, seu digniorem locum habet in Capitulo. Et si contingat quandoque, ob absentiam Dignitatum, fieri assistentiam a Canonicis, supervenientibus Dignitatibus, debere Canonicos cedere locum digniorem, et assistentiae ipsis Dignitatibus, iuxta debitum ritum *caeremoniarum*, et antiquam Ecclesiae consuetudinem. Et ita servandum esse censuit, et declaravit. Die 18. Novembris 1606.

330.

URBIS S. HONUPHRII.

Prior Monasterii S. Honuphrii de Urbe Ordinis Heremitarum Sancti Hieronymi, Congregationis Beati Petri de Pisis, cum ex privilegio fe. rec. Gregorii XIII. dicti Fratres obtinuerint, ut Mulieres recto tramite possent comitari Processiones solennes, quae per claustra Monasteriorum eiusdem Religionis fieri contigerit, petiit declarari: quae nam intelligantur Processiones solennes? an illae, quae fiunt pro solemnibus Processione SS^{mi} Sacramenti, vel quando SS^{mu}m Sacramentum pro quacumque causa publica, vel privata defertur in Processione, et quae fiunt pro festo S. Marci, et pro Rogationibus, et in die Purificationis Beatae Mariae, et in Dominica Palmarum? an etiam illae intelligantur solennes Processiones, quae fiunt pro Rosario, pro B. Maria de Carmine, pro cordula S. Francisci, et cintura S. Monicæ, ut aliqui existimant?

S. R. C. declaravit, « solennes Processiones esse intelligendas primas hic nominatas, caeteras vero de Rosario, de Carmine etc. non esse solennes, nisi in propriis Ecclesiis, ubi a principio fuerunt institutae. » Et ita censuit, et declaravit, die 18. Novembris 1606.

331. URBIS S. MARIAE de ROTUNDA.

In causa Praecedentiae inter Canonicos S. Mariae Rotundae de Urbe: an scilicet Canonici antiquiores promotione, licet non sint Presbyteri, praecedere debeant, et primum ac digniorem locum in Choro, et Processionibus obtinere, vel Canonici Presbyteri, promotione tamen posteriores, primum, et digniorem locum super Canonicos antiquiores non Presbyteros obtinere debeant.

S. R. C., audita relatione Ill^{mi}, et R^{mi} D. Cardinalis de Monte, cui hoc negotium ab eadem S. R. C. commissum fuerat, « stante consuetudine antiqua dictae Ecclesiae, quod illi Canonici praecedant, qui prius Canonicatum obtinuerint, et quod ibi praebendae distinctae non sint, nec Concilium Tridentinum de Reform. Sess. 24. cap. 12. loquatur de Ecclesiis Collegiatis, sed de Cathedralibus tantum, et quod huiusmodi consuetudo vigeat etiam in aliis Ecclesiis Collegiatis Urbis, nihil pro nunc innovandum, sed consuetudinem servandam esse, » censuit, et declaravit, die 16. Decembris 1606.

332. NERITONEN.

Praepositus in Cathedrali Ecclesia Neritonen. secunda Dignitas I. V. D. et ex privilegio Protonotarius Apostolicus, petiit: an extra Chorum possit, et debeat praecedere Archidiacono, qui in eadem Ecclesia primam Dignitatem obtinet?

S. R. C. respondit: « Privilegia Protonotariorum, quatenus sint in usu, et ipsi Protonotarii in habitu Praelati incedant, esse servanda, » et ita declaravit, die 16. Decembris 1606.

333. ASCULANA.

Differentias vertentes inter Episcopum, et Canonicos Ecclesiae Asculanae alias a S. R. C. Ill^{mo}, et R^{mo} D. Cardinali Pio ad referendum commissas, audita relatione praedicti Ill^{mi}, et R^{mi} Dⁿⁱ Cardinalis Pii, de voto omnium, et singulorum Ill^{morum} et Rev^{morum} DD. Cardinalium in Congregatione praesentium: eadem S. R. C. ut infra terminandas, et decidendas esse censuit, videlicet: « Quod circa debitum obsequium a Canonicis Episcopo praestandum, quando ad Ecclesiam accedere vult, servetur Decretum alias in simili occasione factum pro Ecclesia Perusina » huiusmodi sub tenore, videlicet.

« Non quoties Episcopus ad Ecclesiam accedit, Dignitates, et Canonici eum ex Palatio suo excipere, et comitari, ac reducere tenentur, sed in solemnibus tantum diebus, quando ad Ecclesiam cum Cappa ad celebrandum, vel Pontificalia exercendum accedit. In caeteris autem diebus, quibus ad Ecclesiam ire debet, satis esse, si aliqui ex Dignitatibus, et Canonicis ei ad ostium Ecclesiae

occurrant, et in reditu eundem usque ad ostium similiter comitentur: Et ita alias in Congregatione supradicta resolutum fuisse: Neque aliter in novo Caeremoniali disponi, et in Ecclesia Perusina servandum esse respondit die 20. Decembris 1601.

« Quo vero ad Antiphonas in Vesperis Episcopo, et Canonicis praecintonandas, servetur forma Caeremonialis, ut scilicet Canonicus Subdiaconus, qui in crastinum Epistolam cantaturus erit, illas Episcopo, Dignitatibus, et caeteris Canonicis praecintonare debeat; quacumque allegata, seu praetensa dictae Ecclesiae consuetudine in contrarium non obstante. » Et ita, ut supra dictum est, in utroque capite in Ecclesia Asculana tam ab Episcopo, quam a Canonicis in futurum servandum esse eadem S. R. C. censuit, et declaravit. Die 16. Decembris 1606.

TIRASONEN.

334.

Ad Dubium propositum ad instantiam Ecclesiae Tirasonen: An scilicet in eadem Civitate, in qua est Ecclesia dedicata S. Vincentio, qui totius Regni de Aragonia Patronus est, sit celebrandum Officium de S. Vincentio tantum sub ritu duplici, vel potius de S. Anastasio simul sub ritu semiduplici, ut annotatum est in Breviario Romano sub die 22. Ianuarii.

S. R. C. respondit: « De S. Vincentio tantum sub ritu duplici esse celebrandum, quatenus sit Ecclesiae, et Civitatis Patronus: si vero non est patronus, de SS. Vincentio, et Anastasio simul, iuxta Rubricas Breviarii, et Missalis Romani, quas in casu proposito servandas esse censuit, celebrandum esse, respondit. » Die 16. Decembris 1606.

335.

NEOCASTREN.

Pro parte Decani Cathedralis Ecclesiae Neocastren. a S. R. C. petitum fuit. An ad primam Dignitatem, vel ad Vicarium Generalem, qui de gremio Capituli non est, absente Episcopo, spectet functiones facere, quas faceret Episcopus, si praesens esset, ut celebrare in diebus solemnibus, benedicere, et distribuere candelas, cineres, et palmas, lavare pedes Feria V. in coena Domini, portare SS^{mum} Sacramentum in Processione, et similia? Et an Vicarius Generalis sit thurificandus, et debeat accipere candelas, cineres, palmam, et adorare Crucem ante, vel post Capitulum?

S. R. C. quoad primum, ut alias in similibus, respondit, « non ad Vicarium, sed ad primam Dignitatem pertinere celebrare, et alias functiones facere, quas si praesens esset, Episcopus faceret. » Quoad secundum, « servandam esse consuetudinem loci; » et ita declaravit, die 16. Ianuarii 1607.

336. ASCULANA.

Cum Episcopus Asculanus observantiam libri Caeremonialis Episcoporum introducere, et servari procuraverit, et procuret, nec hactenus ibi consuetum fuerit in die Epiphaniae publicare Festa mobilia, prout in dicto Caeremoniali cavetur lib. 2. cap. 15., et Canonicos id munus exequi recusare affirmaverit, et propterea petierit a S. R. C. declarari, ad quem pertineat dicta Festa mobilia publicare?

Eadem S. R. C. respondit, « cessante consuetudine, id ad iuniorum Canonicum pertinere, » et ita declaravit. Die 16. Ianuarii 1607.

337. BOIANEN.

Archipresbyteri, et Curati Oppidorum, et Locorum Dioecesis Boianen. petierunt declarari, an Domini loci in temporalibus thurificandi sint, et pacem habere debeant immediate post Celebrantem, et ante universum Clerum, ut praetendunt?

C. S. R. respondit, « servandam esse formam libri Caeremonialis, » et ita declaravit, die 16. Ianuarii 1607.

338. BOIANEN.

Capitulum Ecclesiae Boianen. petiit declarari: An Episcopus possit ordinare, ut Officium, et Festum S. Bernardi Confessoris, et Episcopi dictae Civitatis, quod cum particulari, et speciali oratione ab omnibus eiusdem Ecclesiae praeteritis Episcopis approbata, ab immemorabili tempore in Ecclesia Cathedrali celebratur, celebretur etiam per totam Dioecesim?

C. S. R. respondit, « id non licere Episcopo, » et ita declaravit, die 16. Ianuarii 1607.

339. LAMACEN.

Ad instantiam Episcopi Lamacen. infrascripta dubia in S. R. C. decidenda proposita fuerunt.

1. Quae intelligantur festa solemnia, quibus Episcopus potest incedere, seu procedere ad Ecclesiam cum Cappa, seu Pluviali: et an in omnibus illis Festis, Canonici ipsum associare teneantur?

2. An Canonici Ecclesiae Lamacen., qui fuerint Examinatores Synodales, lucrentur distributiones quotidianas tempore, quo de mandato Episcopi in examine aliquorum sint impediti, ac si tunc in Choro, Divinisque Officiis interessent?

3. An Episcopum Pontificalia exercentem extra Cathedrali in alia Ecclesia Civitatis Lamacen., Canonici dictae Ecclesiae Cathedralis, vel aliqui eorum teneantur associare, ac illi Sacramentum Ordinis, vel Confirmationis, aut simile administranti assistere?

Eadem Sac. Rit. Congreg. ad supradicta dubia

respondit, ut infra. Ad 1. « Servandam esse formam Caeremonialis, ubi lib. 2. cap. 1. et 34. expresse declaratur, quae intelligantur festa solemnia, in quibus Episcopus, ad libitum, vel celebrare, vel Divinis Officiis cum Pluviali, vel Cappa assistere debet, et lib. 1. cap. 15. declaratur, quomodo Canonici, in dictis solemnitatibus Episcopum associare debeant. » Ad 2. « Negative, respondit, Canonicos examinatores scilicet non lucrari distributiones quotidianas, quia examen potest fieri ad libitum hora commoda extra tempus, quo tenentur assistere in Choro. » Ad 3. « Affirmative in necessariis, nempe, ut illi tantum Canonici, et Ministri Ecclesiae Cathedralis Episcopo assistant, qui necessarii ministerio sunt, et ob quorum absentiam in Ecclesia Cathedrali Chori servitium non deseratur. » Et ita in omnibus supradictis eadem S. C. respondit, et declaravit. Die 17. Martii 1607.

340. RAVENNATEN.

In causa praecedentiae inter Vicarium in spiritualibus, et Gubernatorem in temporalibus Civitatis Ravennaten., visis iuribus ex utraque parte deductis, ac omnibus diligenter consideratis.

S. R. C. declaravit, « semper, et ubicumque tam in sedendo, quam in incedendo in processionibus, et in omni loco, et actione, ubi simul convenire, vel incedere contigerit Vicarium praedictum, et Gubernatorem Civitatis Ravennaten., tam praesente, quam absente Illmo, et Rmo D. Archiepiscopo, praecedentiam dandam esse Vicario iuxta stilum, et dictae Civitatis Ravennaten. antiquam, et laudabilem consuetudinem, » et ita censuit, et declaravit, et exequi mandavit, die 28. Aprilis 1607.

341. SUESSAN.

In Chathedrali Ecclesia Civitatis Suessae ex antiquo, et immemorabili tempore consuetum esse, ut quando Vesperae cantantur, vel celebrantur ab uno ex Primiceriis, qui in dicta Ecclesia primam, post Pontificalem, Dignitatem obtinent, vel quando ab aliis Dignitatibus cantantur, videlicet ab Archidiacono, vel Decano; prima Antiphona primo Primicerio praeintonatur, secunda secundo Primicerio, reliquae aliis Dignitatibus per ordinem, S. R. C. expositum fuit; quod non eodem modo servatur, quando aliquis simplex Canonicus Vesperas celebrat, quo casu ex simili inveterata consuetudine Antiphonae non Primiceriis, et Dignitatibus, sed reliquis simplicibus Canonicis praeintonantur, licet modernus Magister Caeremoniarum ab Episcopo deputatus voluerit ordinem praedictum turbare, et praeintonare facere Antiphonas Primi-

ceriis etiam, quando cantantur Vesperae a Canonicis simplicibus: quare dicti Primicerii ab eadem S. R. C. petierunt, nihil circa praemissa innovari, sed antiquam, et immemorabilem dictae Ecclesiae consuetudinem servari.

Quae quidem S. R. C., « dictam immemorabilem consuetudinem dictae Ecclesiae Suessanae, quatenus adsit, servandam esse, et nihil circa praemissa a Magistro Caeremoniarum, vel quovis alio attentari, vel innovari posse, seu debere, » censuit, et declaravit, die 28. Aprilis 1607.

342. MEDIOLANEN.

Pro parte Capituli Ecclesiae Collegiatae Oppidi Ballete Mediolanen. Dioecesis S. R. C. expositum fuit, quod licet ex universali omnium Ecclesiarum Collegiatarum consuetudine, et ex Decreto Concilii Provincialis Mediolanen. IV. caveatur, quod absente, vel impedita prima Dignitate, Missarum celebrationes, aliaeque functiones, quas dicta prima Dignitas facere deberet, non ad Hebdomadariam Canonicam, sed ad aliam Dignitatem successive post primam, vel ad Decanum, seu digniorem vel antiquiorem Canonicam pertineant, prout etiam in simili casu S. R. C. declaravit: tamen duo dictae Collegiatae Ecclesiae praetendunt ad Hebdomadariam Canonicam haec omnia pertinere, neque consuetudini, et Concilio praedictis, nec minus sententiae Vicarii Generalis acquiescere voluerunt. Quare ad S. R. C. pro quiete, et pace eorum, recursum habuerunt caeteri omnes Canonici dictae Ecclesiae Collegiatae, ut opportuno remedio super praemissis, et aliis similibus, quae circa sacrorum ritum, et caeremoniarum observationem occurrere forsitan in dicta Collegiata possent, in futurum eis providere dignaretur.

Quae quidem S. R. C., « consuetudinem allegatam, et Concilium Provinciale IV. Mediolanense circa praemissa in dicta Collegiata Terrae Ballete ab omnibus Dignitatibus, Canonicis, Presbyteris, et Clericis dictae Ecclesiae servandam esse censuit, et declaravit. Nec non ordinavit, ut in omnibus actionibus ad ritus, et sacras caeremonias pertinentibus, dicta Ecclesia Collegiata Terrae Ballete conformet se cum aliis Ecclesiis Collegiatis eiusdem Provinciae Mediolanen., et caeremonias faciat iuxta eorum laudabiles, et antiquas consuetudines. » Et ita censuit, et ordinavit, et in dicta Collegiata Terrae Ballete exequi mandavit. Die 28. Aprilis 1607.

343. NEAPOLITANA.

Ad dubium propositum in S. R. C. pro parte Ill^{mi}, et R^{mi} D. Card. Aquaviva Civitatis Neapolitanae Archiepiscopi: An scilicet conveniat, ut

quando aliquis Episcopus in eadem Civitate Neapolitana, ipso Ill^{mo} D. Card. Archiepiscopo praesente, sermonem, vel concionem habuerit, antequam pulpitem, vel ambonem ascendat, petat ab ipso Card. Archiepiscopo benedictionem, sicut caeteri Concionatores non Episcopi facere solent.

Eadem S. R. C. respondit: « ob supremum Ordinem, et Dignitatem Episcopalem non convenire, ut Episcopus concionaturus ab Ordinario etiam Cardinali ante concionem benedictionem petat; » et ita censuit, et declaravit die 28. Aprilis 1607.

344. ILLERDEN.

« Nullo modo convenire, ut caput tegant Concionatores, quando praedicant, vel sermonem habent in Ecclesia, ubi super Altare SS. Sacramentum in Tabernaculo Crystallino publice, ut a Christifidelibus veneretur, et adoretur, exponitur, prout fieri solet infra Octavam festivitatis Corporis Christi, et quando per annum oratio continua quadraginta horarum indicitur, sed eos semper capite detecto, dum concionem habent coram SS. Sacramento stare debere, » S. R. C. ad instantiam Capituli Ecclesiae Illerden. respondit, et declaravit, die 28. Aprilis 1607.

345. BRACHAREN.

Cum in Ecclesia Bracharen. quando Archiepiscopus celebrat ultra Presbyterum, et duos Canonicos Diaconos assistentes, soleat etiam in scabello sedere, et Archiepiscopo assistere Archidiaconus, qui baculum Archiepiscopi sustinet, dubitatum fuit an dictus Archidiaconus tamquam Dignitas thurificandus sit ante, vel post eos, qui Episcopo, ut supra assistunt? et si post, an antequam inchoetur Chori thurificatio, vel dum thurificaretur, si ipse Archidiaconus maneret in Choro in suo stallo? et propterea ad tollendas inter Canonicos huiusmodi dissensiones, petiit Archiepiscopus a S. R. C. declarari, quo modo, et quando dictus Archidiaconus, qui baculum sustinet, thurificandus sit?

Eadem S. R. C., « Archidiaconum praedictum thurificandum esse immediate post Presbyterum, et duos Canonicos Diaconos assistentes, antequam Chori thurificatio inchoetur, » respondit, censuit, et declaravit. Die 28. Aprilis 1607.

346. LAMACEN.

Ex antiquissima, et immemorabili Ecclesiae Lamacen. consuetudine, quando Episcopus Missam planam pro sua devotione in Ecclesia Cathedrali celebrare voluerit, solere duos eiusdem Ecclesiae Canonicos, vel duae Dignitates eidem ministrare, atque assistere, et distributiones quotidianas lucrari, ac si in Choro horis Canonicis,

Divinisque Officiis interessent, pro parte Episcopi eiusdem Civitatis S. R. C. narratum fuit, et peti- tum: An dicta immemorabilis consuetudo servanda sit, et an possint alii Canonici praedictos duos Canonicos, vel Dignitates, etiam sponte in casu praedicto Episcopo ministrare volentes punctari, et quotidianis distributionibus privari?

Eadem S. R. C. respondit, «allegatam consuetudinem immemorabilem (*quatenus adsit*) servandam esse, nec posse Canonicos quidquam contra dictam immemorabilem consuetudinem facere, vel attentare.» Et ita censuit, et declaravit. Die 28. Aprilis 1607.

347.

MONTIS REGALIS.

Ex antiqua Ecclesiae Montis Regalis Taurinen- Provinciae consuetudine Archipresbyterum Presby- teri assistentis officium exercuisse, quando Epi- scopus solemniter celebravit, vel Divinis Officiis paratus interfuit, licet Archidiaconus prima Dignitas in eadem Ecclesia interfuerit. S. R. C. pro parte Francisci Vivaldi moderni Archipresbyteri eiusdem Ecclesiae expositum fuit, et narratum, quod Bartholomaeus de Crassis modernus Archidiaconus praetendit ad ipsum, non autem ad Archipresby- terum huiusmodi Officium assistentiae pertinere, cum primam Dignitatem in dicta Ecclesia obtineat, ut expresse in *Caeremoniali Episcoporum* cavetur *lib. 1. cap. 7.* sed quia *liber Caeremonialis* immemorabiles, et laudabiles consuetudines non tollit, ut pluries eadem S. R. C. declaravit, petiit dictus Archipresbyter dictam immemorabilem consuetudinem ad sui favorem introductam servari.

Eadem S. R. C. respondit, «consuetudinem praedictam immemorabilem, (*quatenus adsit*) esse servandam, et Archipresbyterum in sua possessione assistendi manutenendum esse,» prout servi, et manuteneri mandavit. Et ita censuit, et declaravit. Die 23. Aprilis 1607.

348.

CAPUANA.

Pro parte Archiepiscopi Capuani S. R. C. ex- positum fuit, in sua Ecclesia duas post Pontifi- calem adesse Dignitates, nempe Decanum, et Archidiaconum, et duos Primicerios, quos aliqui Dignitates, alii vero Officium potius, vel Perso- natus, et non Dignitates esse existimant. Qua de causa inter Canonicos dictae Ecclesiae controver- sia orta est: An in solemnibus celebrationibus, et Processionibus, dicti duo Primicerii debeant capere Pluviale, ut solent Dignitates, et prout in libro *Caeremoniali Episcoporum* cavetur; an vero debeant tamquam Presbyteri, et sicut alii Canonici Planetas accipere? Et quia Archidiaconus post Decanum in dicta Ecclesia primam obtinet Dignita-

tem, qui licet olim non esset Presbyter, nunc autem in ordine Presbyterali constitutus est, dubitatum fuit ab iisdem Canonicis: An absente Archiepiscopo, et Decano impedito, ipse Archidiaconus debeat celebrare, et alias functiones facere, quae, si praesentes, et non impediti essent, ad Archiepiscopum, vel Decanum pertinerent, vel potius Primicerii dictas functiones facere debeant, prout facere consueverunt, antequam Archidiaconus esset in ordine Presbyterali constitutus? Et propterea pro quiete, et bono pacis suae Ecclesiae, petiit Archiepiscopus praedictus supradicta dubia in S. R. C. declarari.

Quae quidem S. R. C. ad primum respondit: «convenire, ut duo Primicerii, licet dubitetur, an sint Dignitates, capiant in solemnibus Processionibus, et celebrationibus Pluvialia, sicut capiunt Decanus, et Archidiaconus.» Ad 2. «Ad Archidiaconum pertinere, et non ad Primicerios, absente Archiepiscopo, et Decano impedito, Missas solemnes celebrare, et alias functiones facere, quas, si praesentes essent, et non impediti, Archiepiscopus, vel Decanus facerent.» Et ita censuit, et declaravit, et in Civitate, et Ecclesia Capuana exequi mandavit. Die 28. Aprilis 1607.

349.

RIPANA.

Circa ordinem praecedentiae inter quatuor Vi- carios perpetuos praecedentiae inter quatuor Vi- carios perpetuos Praecedentiae Parochialium Civita- tis Ripanae S. R. C., audita relatione Ill^{mi}, et R^{mi} D. Cardinalis Pii, cui hoc negotium commi- serat, declaravit, «praedictos Vicarios debere inter se praecedere secundum ordinem receptionis, non autem secundum ordinem maioris dignitatis Ecclesiarum, quarum curam exerceant, ut fiebat ante erectionem dictae Ecclesiae Ripanae in Cathedrali: nec amplius attendendam esse dictam consuetudinem, cum mutatus sit status illarum Ecclesiarum, et simul in terminis iuris communis, ut ille Vicarius praecedat, qui prius Vicariatum obtinuit, sicut inter Canonicos, a quibus Vicarii praedicti dependent, ille praecedere debet, qui prius admissus est.» Et ita eadem S. R. C. censuit, et declaravit, et in Civitate Ripana servari man- davit. Die 28. Aprilis 1607.

350.

AUGUSTEN.

S. R. C. auditis iis quae ab Archidiacono no- mine Capituli et Cleri Augusten. allegata sunt tam in iure, quam in facto, et discussis obiectionibus Episcopi Augusten., sive eius Procuratoris legitime citati, omnibusque mature consideratis.

«Quoad benedictionem in Missis defunctorum, et celebrationem pro defunctis tam diebus Domi- nicis, quam aliis festivis, non esse recedendum

ab ultima declaratione facta post relationem Ill^mi, et R^mi D. Cardinalis Columnae 7. Octobris 1606. *nempe*, immemorabilem Ecclesiae Augusten. consuetudinem servandam esse, et nihil in ea, eiusque Dioecesi innovandum, » censuit.

« Quo vero ad Missalis, et Breviarii impressionem ad eiusdem Ecclesiae usum, Metropolitano Provinciae censuit committendum, quatenus visis, et consideratis, quae in dictis Breviario, et Missali corrigenda, seu emendanda erunt, iuxta annotationem exhibitam per eundem dictae Ecclesiae Augustanae Episcopum, et emendatis, quae in eis emendatione digna videbantur, nomine eiusdem Sac. Congregationis Capitulo praefato Ecclesiae Augusten. licentiam opportunam imprimendorum, Breviariorum, ac Missalium impertiatur, et, si quid aliud circa hoc occurrerit, debeat certiorare S. C. R. » et ita censuit, et declaravit die 19. Maii 1607.

351.

PLACENTINA.

Episcopus Placentinus infrascripta dedit dubia declaranda, et decidenda in S. R. C., videlicet:

1. Licet in Cathedrali Placentina praebendae Canonicales sint distinctae, et aliae sint Presbyterales, aliae Diaconales, et aliae Subdiaconales; tamen Canonici non servant inter se hunc ordinem, sed sedent, et incedunt respective, prout quisque est prior Canonicus, sive sit Sacerdos, sive Diaconus, sive Subdiaconus; et in processionibus, Missis, ac Vesperis Pontificalibus omnes induuntur Pluvialibus tam Dignitates, quam caeteri Canonici. Quare Episcopus Placentinus supplicat Denominationes VV. Ill^mas, ut dignentur per litteras mandare, ut de caetero, citra praeiudicium obtinentium, cedente, vel decedente aliquo ex ipsis Canonicis, illius Successor sedeat, et incedat respective secundum praecellentiam Ordinis suae Canonicali Praebendae adnexi, ita quod, remanentibus Dignitatibus in eisdem locis, in quibus de praesenti reperiuntur, caeteri omnes Canonici Sacerdotes sedeant immediate a parte Praepositi, Diaconi vero, et Subdiaconi a parte Archidiaconi; et Dignitates gestent Pluvialia, Sacerdotes Planetas, et Diaconi, et Subdiaconi Dalmaticas, et Tunicellas in Processionibus, et aliis actibus, ut supra. Quae dispositio etiam extendatur, et habeat locum in Collegiata Ecclesia S. Antonini, quae ibidem insignis existit, et in qua est idem abusus. Respondit, « maxime decet, et convenit, ut sedes, et loca Canonicorum disponantur, ut petitur, et videtur omnino tollendus abusus. »

2. In eadem Cathedrali sunt quinque Dignitates, videlicet Praepositus, Archidiaconus, Archi-

presbyter, Vice-Decanus, et Decanus, et quando Episcopus cantat Missam Pontificalem, aut Vesperas, Praepositus tamquam prima Dignitas servit de libro cum Pluviali, Archidiaconus vero, et Archipresbyter adstant utrinque induti Dalmaticis, et hoc ex antiquissima consuetudine, et illis impeditis, sive altero eorum, deserviunt aliae Dignitates per ordinem. Quaeritur, quando Episcopus celebrat Ordinationes generales, et alias functiones Pontificales, an magis conveniat, quod hoc munus eodem modo exequatur per eandem Dignitates, an per simplices Canonicos, prout fit de praesenti? R. « Cum in Ecclesia Placentina adhuc praebendarum ordo distinctus non sit, ita ut Praesbyteri anteponantur Diaconis, et Diaconi Subdiaconis, prout deceret, et maxime conveniret, servanda est consuetudo Ecclesiae, ut, Episcopo celebrante, prima Dignitas ei assistat, et de libro serviat, et duo sequentes Dignitates, duorum Diaconorum assistentium munus sustineant: quod quidem munus, quando Praebendae distinctae essent, non ad dignitates sed ad duos primos Canonicos Diaconos pertineret, ut expresse cavetur in lib. 1. Caeremoniali Episcoporum cap. 8. Quando autem Episcopus facit ordinationes generales, vel alias functiones Episcopales, si illas solemniter cum Missa cantata celebret, idem ordo servandus est, et iidem assistentes Episcopo inservire, et ministrare debent, qui in Missis solemnibus ministrare solent. Si vero Episcopus dietas functiones sine Missa solemniter facere voluerit, quia etiam tunc erit omnibus Paramentis Pontificalibus indutus, conveniens est, ut iidem, vel illis impeditis, saltem duo alii Canonici parati assistant, praeter Archidiaconum, qui vocat Ordinandos, et Presbyterum, qui de libro serviat, et alios Presbyteros, qui iuxta formam Pontificalis in Ordinationibus requiruntur. Alii vero Canonici ad publicas Ordinationes, quae sine Missa cantata fiunt, in habitu Canonicali assistere poterunt. »

3. In eadem Ecclesia ex vetustissima consuetudine Chorus incensatur hoc modo, videlicet. Primo Dignitates, et Canonici ex una parte sedentes in eminentioribus stallis, et secundo loco immediate Mansionarii, et Praebendarii sedentes ab eadem parte in stallis inferioribus ante praefatas Dignitates, et Canonicos; et idem fit mox ab alia parte. Qui ritus servatur etiam in danda pace, et sic miscentur, et confunduntur Dignitates, et Canonici cum Mansionariis, et Praebendariis. Quaeritur: an sit inhaerendum huiusmodi consuetudini, an vero incensum, et pax prius debeat dari Dignitatibus, et Canonicis, et Capitulo universo ab

utraque parte immediate, et deinde separatim successive Mansionariis, et Praebendariis? R. « Licet vetustissima sit consuetudo in Ecclesia Placentina circa thurificationem, tamen videtur moderanda, ita ut Dignitates, et Canonici omnes prius thurificentur, et pacis osculum accipiant, quam Mansionarii. Prius enim digniores, et postea minus digni thurificandi sunt. Et ideo recte fit, si prius Dignitates, et Canonici ab una parte Chori successive thurificentur, deinde aliae Dignitates, et Canonici ab alia parte, et postea Mansionarii ab una parte, et demum Praebendarii ab alia parte Chori sedentes, et ita omnino videtur servandum, non obstante quacumque consuetudine in contrarium. »

4. Dignitates, et Canonici sedent in Choro utrinque de more, et Praepositus tamquam prima Dignitas post Pontificalem tenet primum stallum, seu primum locum a cornu Epistolae. Quando vero Vicarius Episcopi convenit ad Divina, occupat primum stallum, seu primum locum ex immemorabili consuetudine, et Praepositus in isto casu occupat primum stallum, seu locum immediate sequentem. Quaeritur proinde: an Vicarius constituat, et faciat locum in Choro inter Dignitates, et Canonicos, et similiter dum sedent ad concionem, ita ut Praepositus, qui alioquin semper tenet primum stallum, et locum, absente Vicario, dicatur, Vicario praesente, ut supra, tenere secundum, et non primum locum in Choro, et ad concionem? R. « Cum Vicarius ex antiqua, et immemorabili consuetudine occupaverit semper primum locum in Choro, et ad concionem, et sederit supra Praepositum, qui est prima Dignitas, utique quando est praesens, ipsum primum locum Chori tenere dicendum est, et consequenter prius thurificandus est, et pacis osculum ante ipsum Praepositum accipere debet; sed non ex hoc inferitur, quod Praepositus non sit prima Dignitas in Choro, licet stallum suum, et primum locum honoris causa cedat Vicario generali, qui inter Canonicos, et Dignitates non dicitur occupare locum, licet sedeat in stallo, in quo, absente Vicario, ipse Praepositus sedere solet. »

5. Quia, ut in primo capite dictum fuit, Canonici sedent in Choro, et incedunt prout quisque prius Canonicatum obtinuit absque ordinum distinctione, et novum Caeremoniale mandat, quod primus Presbyter porrigat Episcopo in ingressu Ecclesiae Aspersorium, et dum assistit Missis, et Vesperis per alium cantatis, eidem porrigat naviculam, det incensum, et pacem. Ex quo crebro evenit, ut primus Presbyter, qui sit inter ultimos Canonicos, evocetur

ad tales functiones obeundas, quod videtur indecens. Supplicatur propterea, ut quousque Canonici redigantur, ut in primo capite petitum fuit, eadem functiones fiant per quemcumque tenentem primum locum, etiamsi sit Dignitas, prout servabatur ante publicationem Caeremonialis. R. « Donec distinguantur Praebendae in Ecclesia Placentina, convenit, ut a prima Dignitate, vel a Canonico, qui primum locum in Choro, et Processionibus obtinet, et vicinior Episcopo erit, Aspersorium ministretur, et Navicula, et non a primo Canonico in ordine Presbyterali, qui ratione promotionis longius forsitan ab Episcopo distabit, quam alii: et hoc tanto magis, quanto ita hue usque, et ante publicationem Caeremonialis servatum fuit. Quando vero Praebendae erunt distinctae, tunc omnino a primo Praesbytero, ut dicitur in Caeremoniali, erit agendum. »

6. Cum dicatur in Caeremoniali, quod in die Purificationis B. Mariae circa distributionem Candelarum, et in die Palmarum circa distributionem Palmarum ab Episcopo faciendam, dignior Canonicus paratus det Candelam, seu Palmam Episcopo. Quaeritur: an si adsit Vicarius generalis Episcopi, qui solet alias ante omnes Canonicos incensari, et sedere in primo stallo in Choro, et omnes praerogativas habere, ipse debeat accipere Candelam, seu Palmam ab Episcopo ante omnes alios Canonicos paratos post Celebrantem. Item in adoratione Crucis die Veneris Sancti, an debeat immediate post celebrantem adorare ante duos Canonicos assistentes Episcopo, vel post eos ante omnes alios Canonicos? R. « Si Canonici sunt sacris paramentis induti, dum accipiunt Candelas, et Palmas, Vicarius Generalis ratione paramentorum debet eis cedere locum digniorem, et post omnes Canonicos paratos accipere Candelam, et Palmam. In adoratione vero Crucis, et in aliis actibus, quando Canonici non erunt parati, debet Vicarius primum locum obtinere immediate post Celebrantem. »

7. An in Vesperis Pontificalibus, dum Episcopus ad *Magnificat* incensat Altare, Presbyter assistens debeat illi partem dexteram Pluvialis elevare, an vero id spectet ad Archidiaconum a dextris assistentem? R. « Non ad Presbyterum, sed ad Diaconos assistentes pertinet onus elevandi fimbrias Pluvialis hinc inde, quando Episcopus progreditur, et dum thurificat Altare. »

8. An Episcopo celebrante Vesperas septem Candelabra sint in Altari ponenda, cum in Caeremoniali non dicatur expresse de Vesperis? R. « In Missa tantum, et non in Vesperis, Episcopo celebrante, solet adhiberi septimum Candelabrum.

Missis autem defunctorum etiam ab Episcopo celebratis nunquam adhibetur septimum Candelabrum.»

9. Si in Missa coram Episcopo solemniter celebrata Diaconus Evangelii sit Canonicus; quaeritur, an ipse Episcopus thurificare debeat ad Offertorium, an vero Presbyter assistens? R. « Dignitas, vel Presbyter Canonicus, qui ministrat naviculam Episcopo, debet semper illum thurificare, quando assistit ad Missas, et non Diaconus Evangelii, licet sit Canonicus.»

10. Simplex Sacerdos Oratorium, seu Ecclesiam novam benedicturus, qua benedictione uti debeat? numquid eadem, qua Episcopus, ut in Pontificali? Sic, et de reconciliatione Ecclesiae pollutae per simplicem Sacerdotem facienda? R. « Non potest simplex Sacerdos sine mandato, et sine licentia Sedis Apostolicae benedicere Oratorium, vel reconciliare Ecclesiam pollutam, cum id spectet ad Episcopum; sed si licentiam habuerit, eadem benedictione uti debet, qua utitur Episcopus, ut in Pontificali.»

11. Quia in Rubricis Missalis mandatur, non debere dici *Gloria in excelsis Deo* in Missis Votivis, nisi in Missis Votivis in Sabbato, quid agendum in Sabbatis Adventus? R. « Circa *Gloriam in excelsis Deo* dicendam in Missis Votivis B. M. in Sabbato, idem faciendum esse censeo in Sabbatis Adventus, quod in aliis Sabbatis fit.»

12. Cum Missa Rosarii non fuerit posita in Missali novo reformato, an possit dici, et an in illa dicenda sit *Gloria in excelsis*, et an dicens consequatur Indulgentias? R. « Si Missa fuerit approbata a Sede Apostolica, vel a S. R. C., poterit celebrari, et dici cum *Gloria in excelsis*. Quoad indulgentias, me remitto ad litteras Apostolicas circa hoc concessas.»

13. Quando debeat accendi Cereus Paschalis, quibus diebus, quibus horis, num tantum Dominicis, an etiam aliis diebus Festis, et in Missis, et Vesperis, an etiam in Matutinis solemniter celebratis? R. « Cereus Paschalis regulariter accenditur ad Missas, et Vesperas solemnes in tribus diebus Paschae, Sabbato in Albis, et in diebus Dominicis, usque ad Festum Ascensionis D. N. I. Christi, quo die, cantato Evangelio, extinguitur ad Matutinum: et in aliis diebus, et solemnitatibus etiam solemniter celebratis non accenditur nisi adsit consuetudo, quod durante tempore Paschali accendatur, quae servanda esset.»

14. Quia dicitur in Rubricis Missalis, quod in Missis Votivis non dicitur *Gloria in excelsis*, nec *Credo*, nisi pro re gravi, et pro publica causa Ecclesiae: an sit res gravis propter pluviam pe-

tendam, pro serenitate, pro quacumque necessitate, pro Principe infirmo, et similibus, si Missa solemniter celebratur: an in istis Missis dicenda sit *Gloria*, et *Credo*, et quo colore uti debeamus, et an genuflectendum sit ad Orationes, ut in Missis Ferialibus ieiuniorum, et, an Organa debeant pulsari maxime praesente Episcopo, et Magistratu Civitatis; et, an Orationes, et Praefatio in cantu solemnium, vel ferialium sint cantandae? R. « In omnibus casibus propositis potest dici res gravis, quando ab Episcopo, et universo Clero, et civitate Missa Votiva solemniter celebratur cum interventu Magistratus, et populi. Quo casu poterit absque dubio dici *Gloria*, et *Credo*, excepto tantum, quando Missa celebratur cum paramentis violaceis, ut pro infirmis, vel aliquo actu similis moestitiae, vel poenitentiae, quia tunc non dicitur *Gloria*, nec *Credo*. Quoad colorem erit iuxta quietatem temporis, et Missae, quae celebratur. Et quando in Missa dicitur *Gloria*, et *Credo*, numquam ad Orationes genuflectitur. Et si Missa solemniter celebratur, Organa poterunt pulsari, et pariter Praefatio, et omnia solemniter sunt peragenda, si Missa solemniter celebratur cum *Gloria*, et *Credo*.»

15. An Sacerdos cantans Vesperas debeat incipere, *Deus in Adiutorium* in medio ante Altare, an vero in Presbyterio in sede, ubi sedere consuevit ad cornu Epistolae, et an ipsemet debeat intonare primam Antiphonam, hymnum, et Antiphonam ad *Magnificat*, et an pariter orationem debeat cantare stans in eodem loco? R. « Servanda est forma Caeremonialis lib. 2. cap. 3.»

16. An ad Primam, et Completorium *Miserere*, et *Confiteor* debeant dici a toto Choro, an ab uno tantum? Solet enim unus tantum, postquam Hebdomadarius dixit *Confiteor*, dicere *Miserere*, et *Confiteor*, licet in Rubricis dicatur, a Choro dicendum esse. R. « Ab universo Choro respondendum est iuxta Rubricas.»

17. Insuper, an conveniat quando Canonicus solemniter paratus cantat Vesperas, ut sedeat solus in loco consueto, an vero debeat duos habere hinc inde sedentes cum Pluvialibus, qui eum postea adiuvent ad Altaris thurificationem. R. « Servetur forma dieti capitis 3. lib. 2. Caeremonialis.»

18. An celebrante Episcopo Vesperas, quo tempore omnes Canonici sunt Pluvialibus induti, Acolytus debeat Canonicos omnes thurificare Pluviali indutus? R. « Servetur forma libri Caeremonialis.»

19. An Versiculi in diebus Dominicis, et Festis semiduplicibus, quando fiunt commemoratioes, debeant cantari ab uno tantum, an a duobus, sicut in Officio duplici cantatur Versiculus

ad *Magnificat* a duobus, et deinde si fiat commemoratio de semiduplici, Versiculus cantatur ab uno solo, et deinde *Benedicamus Domino* cantatur a duobus? R. « Versiculi semper a duobus sunt decantandi tam in duplici, quam semiduplici Officio, quam etiam in Commemorationibus. »

20. Placentiae adest Collegiata insignis Sancti Antonii nuncupata, cuius Canonici, eo quod in Processione Litaniarum Maiorum in die Sancti Marci, Episcopus incedit ad Processionem Pluviali, et Mitra ornatus, et similiter Canonici Ecclesiae Cathedralis ex praescripto libri caeremonialis incedunt Pluvialibus induti, institerunt etiam ipsi Canonici Collegiatae Ecclesiae, ut Pluvialia deferre possent in dicta Processione, praetendentes in hoc equiparandos esse Canonicis Ecclesiae Cathedralis. Et licet Caeremonialis liber non loquatur, nisi de Canonicis Cathedralis, tamen non videtur id eis prohibendum, cum praesertim longe distent inter se in Processione, itaut inter dictos Canonicos Cathedralis, et Canonicos Ecclesiae Collegiatae medii incedant plurimi alii Beneficiati, Seminaristae, et Clerici superpelliceis tantum induti. R. « Non convenit, ut Canonici Ecclesiae Collegiatae in Processionibus incedant parati, prout incedunt Canonici Ecclesiae Cathedralis. »

• L. Card. Montis Regalis. »

• Responsiones ad supradicta dubia proposita ad instantiam Episcopi Placentini per infrascriptum Caeremoniarum Magistrum, et S. R. C. Secretarium factas, et de ordine eiusdem S. C. revisas, emendatas, et subscriptas ab Illmo, et Rmo D. Cardinali Montis Regalis, eadem Sac. R. Cong. approbavit, et in Ecclesia Placentina servari mandavit » die 19. Maii 1607.

352. VERCELLEN.

Quaesitum fuit: An Archidiaconus, quae prima Dignitas est in Ecclesia Vercellen., quando tamquam Diaconus Tunicella paratus apud Episcopum in quibusdam solemnitatibus assistit, sit tamquam prima Dignitas thurificandus ante aliam Dignitatem, vel Canonicum, qui officio Presbyteri assistentis apud eundem Episcopum fungitur?

S. R. C. respondit: « servandam esse formam libri caeremonialis, ut prius Presbyter, deinde Diaconi assistentes thurificentur, » et ita declaravit. Die 23. Iunii 1607.

353. VERONEN.

Innocentius Papa VIII. fel. rec. concessit, et indulisit omnibus Christifidelibus, ut quicumque post mortem alicuius fidelis prima quarta feria cantare fecerit in Ecclesia S. Laurentii Civitatis Veronen. unam Missam defunctorum, animam

eiusdem fidelis a poenis Purgatorii per modum suffragii liberari possit, et valeat. Sed quia quandoque accidit, ut in prima quarta Feria post mortem alicuius fidelis, occurrat aliquod Festum duplex, et solemne, vel D. N. I. Christi, vel B. M., vel Apostolorum, seu aliorum Sanctorum, quibus diebus solemnibus, secundum regulas, et Rubricas Missalis, Missae defunctorum non sunt celebrandae; pro parte Augustini Bettini Rectoris dictae Ecclesiae S. Laurentii a S. R. C. quaesitum fuit: An ad liberandam animam dicti fidelis defuncti a poenis Purgatorii, possit in dicta Ecclesia S. Laurentii Missa cantari defunctorum etiam quod sit Festum solemne: cum in dicta Ecclesia aliae Missae conventuales, et de Festo currenti celebrentur, et praedictus casus in literis Apostolicis non sit expressus: vel potius liceat Missam praedictam defunctorum transferri in aliam primam feriam quartam, vel aliam primam feriam non impeditam immediate sequentem post Festum.

Eadem S. R. C. respondit: « non convenire, ut Missae defunctorum celebrentur, et cantentur in diebus solemnibus. Ne autem anima defuncti gratia, et suffragio praedicto privetur, procurandum esse a SSmo D. N. declarationem literarum dicti Innocentii VII. fel. rec., ut, casu praedicto veniente, possit in dicta Ecclesia S. Laurentii, prima feria non impedita post mortem alicuius fidelis Missa Defunctorum pro illius anima cantari, et eandem obtineat gratiam, ac si prima quarta feria, iuxta formam dictarum literarum celebrata, et cantata fuisset, » et ita respondit, et declaravit. Die 23. Iunii 1607.

354. BRACHAREN.

Licet alias in Sac. Rit. Congr. ad instantiam Archiepiscopi Bracharen. sub die 21. Februarii 1604. declaratum fuerit, Dignitates, et Canonicos teneri Episcopo Suffraganeo assistere, quoties functiones Episcopales nomine proprii Archiepiscopi exercet, et eidem eadem obsequia praestare, quae Archiepiscopo proprio easdem functiones facienti praestaturi essent, ut pariter in eadem Congregatione declaratum fuit sub die 20. Martii eodem anno 1604.: tamen quia novissime Dignitates, et Canonici eiusdem Ecclesiae Bracharen. ab eadem S. R. C. petierunt declarari: An in omnibus, et per omnia Episcopo Suffraganeo inservire, et ministrare teneantur, sicut tenentur ministrare, et inservire proprio Episcopo?

Eadem S. R. C. audita relatione Illmi, et Rmi D. Card. Montis Regalis, cui hoc negotium alias commiserat, declaravit ut infra, videlicet

• Non teneri Dignitates, et Canonicos obviam

ire Episcopo Suffraganeo ad Ecclesiam venturo usque ad eius cubiculum, sicut tenentur obviam ire proprio Archiepiscopo, sed satis esse, si aliqui Canonici ei obviam procedant usque ad portam Ecclesiae, et dignior ei aspersionum porrigat, eumque usque ad Altare, vel locum ad celebrandum, seu alias functiones exercendum destinatum, associent. »

« Item declaravit dictum Suffraganeum solemniter celebrantem non debere sedere in Sede Archiepiscopali, sed in faldistorio in cornu Epistolae locando; nec debere uti baculo Pastoralis, nisi quando tenuerit Ordinationes, vel alias functiones fecerit, in quibus, iuxta regulas Libri Pontificalis, eo uti debet, et necesse est; nec debere habere assistentiam duorum Canonicorum praeter Diaconum, et Subdiaconum, qui erunt cantaturi in Missa Evangelium, et Epistolam, sicut haberet proprius Archiepiscopus, si solemniter celebraret, sed satis esse si praeter Diaconum, et Subdiaconum, ei unus ex Dignitatibus, vel Canonice assistat ad librum, Pluviali paratus. »

« Similiter, celebrante Episcopo Suffraganeo, non teneri omnes Dignitates, et Canonicos sacra paramenta accipere, sicut tenentur celebrante proprio Archiepiscopo; sed praeter ministros supradictos, alios omnes assistere debere in habitu ordinario canonicali, et pariter celebrante Episcopo Suffraganeo, super Altare non esse ponendum septimum candelabrum, sicut ponitur celebrante proprio Archiepiscopo. »

In reliquis functionibus, quas exercet Episcopus Suffraganeus, vel alius Episcopus delegatus a proprio Archiepiscopo, velut in ordinationibus Clericorum, in consecrationibus, et reconciliationibus Altarium, et Ecclesiarum, seu Coemeteriorum, et in similibus, Dignitates, et Canonicos teneri assistere Episcopo Suffraganeo in habitu canonicali, quando legitime non erunt impediti, et ex eis sacra sumere debere paramenta tot Dignitates, et Canonicos, quot necessarii erunt iuxta Rubricas Pontificalis, et formam actus, quem dictus Episcopus Suffraganeus exercet. » Et ita in omnibus, ut supra, eadem S. R. C. censuit, et declaravit. Die 1. Septembris 1607.

355. THEATINORUM.

Pro parte Clericorum Regularium Theatinorum a S. R. C. declaratio infrascriptorum Dubiorum petita fuit, videlicet:

1. An eorum hebdomadarius, quando celebrat Vesperas, debeat accipere Pluviale a principio Vesperarum, illudque durantibus Vesperis, usque

ad finem retinere, vel satis sit illud accipere ad Capitulum, et retinere usque ad finem Vesperarum, prout hactenus consueverunt?

2. An debeant facere commemorationem de Patrono Ecclesiae, ubi morantur, cum in praeteritum nullam de eo, sed loco Patroni, de Cruce tantum fecerint commemorationem, in memoriam institutionis eorum Ordinis, qui in die Exaltationis SS. Crucis institutus fuit?

Eadem Sac. R. C. ad 1. « circa Pluviale defendendum ad Vesperas, respondit, servandam esse eorum consuetudinem. » Ad 2. « faciendam esse commemorationem de Patrono Ecclesiae, et de Cruce, » et ita declaravit, die 1. Sept. 1607.

356. TROIAN.

Canonici, et Clerus Ecclesiae Cathedralis Troian. de antiqua consuetudine solere singulis diebus, duplicibus tantum exceptis, ultra ordinarium, recitare Officium parvum B. M. in Choro, Sac. R. Cong. exposuerunt; quod cum nimis onerosum eis videatur, et contra formam Rubricarum Breviarii, et consuetudinem aliarum Ecclesiarum, quae Officium B. M. non recitant in solemnitatibus semiduplicibus, petierunt: An id etiam ipsi, non obstante dicta eorum consuetudine, facere possint tuta conscientia?

Eadem Sac. R. C., « Negative respondit, et dictam Ecclesiae Troianae laudabilem consuetudinem recitandi Officium parvum Beatae Mariae in Choro, etiam Dominicis diebus, et festis semiduplicibus servandam esse, » censuit, et declaravit die 1. Septembris 1607.

357. FANEN.

Episcopus, et Canonici Fanen. Civitatis S. R. C. exponi fecerunt, Gubernatorem eiusdem Civitatis, contra solitum praetendere honorem thuris immediate post Episcopum, et ante eisdem Episcopi Canonicos assistentes; Magistratum vero praetendere eiusdem thuris honorem, et Pacis osculum, et alia similia post Gubernatorem, et ante ipsos Canonicos. Et quia haec de causa nec ipse Gubernator, nec Magistratus, amplius (non sine totius Civitatis murmuratione) ad Missas, et Divina Officia audienda in Ecclesia Cathedrali, ut prius consueverant, accedunt: petierunt declarari ab eadem S. C. quid conveniat, et in dicta Civitate Fanen. circa praemissa servandum sit?

Eadem S. R. C., a solito, et regulis descriptis in libro Caeremoniali recedendum non esse censuit, « ut scilicet Gubernator non Episcopus, thurificetur immediate post Canonicos assistentes Episcopo, et ante omnes alios Canonicos: Magistratus vero, et Officiales Civitatis thurificentur post Ca-

nonicos, ut dicitur in libro Caeremoniali: nisi adsit Immemorabilis consuetudo, quod eodem tempore Canonici cum Magistratu thurificandi sint, quae servanda erit, et dictos Gubernatorem, et Magistratum debitis remediis cogendos esse, ut iuxta solitum, et consuetum morem ad Ecclesiam Cathedralē accedant, ad Missas solemnes, et Divina Officia audienda. » Et ita censuit, et declaravit, atque in Civitate Fanen. servari mandavit die 1. Septembris 1607.

358. SANCTAE SEVERINAE.

Cum ad impetrandam pluviam Capitulum, et Clerus Cathedralis Ecclesiae Cotronen. quamdam devotam Imaginem B. M. in Processione deferre soleant ad quemdam locum a civitate praedicta octo miliaribus distantem, et diversorum vicinorum locorum Confraternitates, et Clerus consueverint dictam Processionem associare; accidit de mense Aprilis proxime praeterito, ut dum dicta Processio fieret, ad eandem associandam inter alios accesserint Capitulum, Clerus, et Confraternitates Terrae Cutri Dioecesis Sanctae Severinae, et postea per viam supervenerint Clerus, Capitulum, et Confraternitates Ecclesiae Cathedralis Civitatis Insulae, qui locum digniorem volebant supra dictum Clerum Terrae Cutri, qui cum prius venisset, locum praedictum Clero Civitatis Insulae cedere recusabat; et propterea inter eos orta fuit non modica contentio: unde ad tollendas huiusmodi differentias, quae in futurum simili casu evente oriri possent, Vicarius Civitatis Sanctae Severinae petiit a S. R. C. declarari, cuiam ex praedictis praecedentia danda sit?

Eadem Sac. R. Congr. respondit, « semper in omnibus, dignioribus praecedentiam dandam esse, licet tardiuscule compareant, et cum Clerus Ecclesiae Cathedralis procul dubio dignior sit Clero Ecclesiae Collegiatae, vel Ecclesiae Parochialis, illum semper debere praecedere, et locum digniorem obtinere, » censuit, et declaravit die 1. Septembris 1607.

359. PAMPILONEN.

Cum in Ecclesia Beatae Mariae Irunis Uranzei Pampilonen. Dioecesis, ex Testamento quondam Martini de Alcate cum sufficiente dotatione institutum fuerit, ut singulis Sabbatis Missa solennis in honorem B. M. V. celebraretur, in aliis vero diebus, exceptis Sabbatis, et festis, quae de praeepto servantur, quotidie una Missa pro anima defunctorum celebraretur; Rector, et Beneficiati dictae Ecclesiae a S. R. C. petierunt: An liceat dictam Missam B. M. in Sabbato celebrare, quando eadem die occurrit aliquod Festum solem-

ne alterius Sancti, et possint Missas defunctorum cantare in diebus, in quibus occurrat festum duplex, quod de praeepto non servetur?

Eadem S. R. C. respondit: « utramque Missam esse in casu proposito celebrandam, alteram de Festo currenti, alteram de B. M. in Sabbato, vel defunctorum in aliis diebus, ut Testatoris voluntas adimpleatur, et licite elemosyna relicta lucrari possit; » et ita declaravit die 1. Septembris 1607.

360. CAPUANA.

Praetendere Clericos Seminarii Ecclesiae Capuanae, ex eo quod soleant in Choro recitare Officium parvum B. M. V., et assistere Archiepiscopo ad Missas, et Vesperas venienti in diebus solemnibus, et cum Clero Ecclesiae Cathedralis, quasi eius membrum in Processionibus ire, hanc praecedentiam retinere etiam in Processionibus generalibus supra omnes Curatos, Canonicos, et Clericos aliarum Ecclesiarum Collegiatarum, et Parochialium dictae Civitatis, pro parte Collegiatae Ecclesiae S. Benedicti eiusdem Civitatis Capuanae in S. R. C. narratum fuit; et petiit: an id conveniat, cum in libro Caeremoniali contrarium statuatur, ut scilicet Clerici Seminarii post Crucem, ante Curatos Parochialium, et Canonicos Collegiatarum Ecclesiarum, in Processionibus publicis incedant, prout etiam in Urbe servatur.

Eadem S. R. C. respondit, « Seminarium non esse membrum Ecclesiae Cathedralis, et propterea debere in publicis Processionibus generalibus antea, et cedere locum digniorem Curatis, Canonicis, et Clero Ecclesiarum Parochialium, et Collegiatarum iuxta formam dicti libri Caeremonialis. » Et ita declaravit, et in Civitate Capuana servari mandavit die 1. Septembris 1607.

361. FAVENTINA.

Quaesitum fuit in S. R. C., an Gubernator Civitatis Faventinae laicus, et uxoratus, sit thurificandus ante Canonicos, prout thurificatur quando est Praelatus.

Eadem S. R. C. respondit, « servandum esse Decretum alias in simili casu pro eadem Civitate Faventina factum sub die 9. Maii 1606., etiamsi Gubernator sit uxoratus. » Et ita declaravit die 17. Novembris 1607.

362. S. AGATHAE.

Archipresbyter Ecclesiae S. Iuliani, et alii Presbyteri, et Clerici Oppidi de Frasca Dioecesis S. Agathae S. R. C. exposuerunt, quod licet Baro, Dominus in temporalibus dicti Oppidi, semper in praeteritum, quando ad dictam Ecclesiam accessit ad Vesperas, seu Missas audiendas, thuris

honorem acceperit post Archipresbyterum et universum eiusdem Ecclesiae Clerum; tamen modernus Baro non solum praetendit thurificari ante Clerum, et Archipresbyterum, sed etiam ante ipsum celebrantem; et propterea dictus Archipresbyter, et Clerus declarari petierunt, quid in casu proposito agendum sit?

Eadem S. R. C., vanas esse Baronis praetensiones respondit, et a solito non esse recedendum, *declaravit*, quod in dicta Ecclesia S. Iuliani ab Archipresbytero, et Clericis omnino servandum esse, » censuit, *et ordinavit* die 17. Novembris 1607.

363. IUVENACEN.

Pro parte Archidiaconi Ecclesiae Iuvenacen., qui, ut asseritur, prima Dignitas est in eadem Ecclesia, a S. R. C. quaesitum fuit, ad quem spectet, absente, vel impedito Episcopo, Missas, et Vesperas Pontificales celebrare, et cantare, et Sanctissimum Sacramentum in Processione per civitatem portare in die festivitatis Corporis Christi, et per eius Octavam, et Missas infra annum ordinare, et distribuere?

Eadem S. R. C., ut alias saepe in similibus, respondit, « ad primam Dignitatem pertinere Vesperas, et Missas cantare, ac SSimum Sacramentum in Processione deferre in illis diebus, et solemnitatibus, in quibus Episcopus, si praesens esset, id faceret. »

« Quo vero ad distributionem Missarum infra annum, servandum esse ius commune, vel consuetudinem Ecclesiae, ut vel prima Dignitas, vel Archipresbyter, vel alius, ad quem de iure, vel de consuetudine spectat, illas per annum ordinet, et distribuat. » Et ita *declaravit* die 17. Novembris 1607.

364. CALAGURITANA.

Cum Ioannes Lopez de Excoriaca Calaguritanæ Dioecesis obtinuerit a SSiño D. N. ut in Cappella domus, seu Palatii sui, possit ipse quamdiu vixerit, pro suo, suaeque familiae commodo Sacrum Missæ celebrari facere singulis diebus, et temporibus, praeterquam in die Paschatis Resurrectionis D. N. I. C., et aliis solemnioribus anni festivitibus; dubitatum fuit quanam sint, et intelligantur, praeter diem Paschatis, aliae solemniores Festivitates: et propterea ad omnem dubitandi rationem tollendam, petiit illas declarari a S. R. C.

Eadem S. R. C. « solemnnes Festivitates esse, et intelligi censuit, praeter festum Paschatis Resurrectionis D. N. I. C., feriam V. in Coena Domini, festum Ascensionis D. N. I. C., festum SS. Apostolorum Petri, et Pauli, festum Annun-

ciationis, et festum Assumptionis B. M. V., festum omnium Sanctorum, festum Nativitatis, ac festum Epiphaniae Domini. » Et ita *declaravit* die 17. Novembris 1607.

365.

BURGEN.

In Archiepiscopatu Burgen. recitatur Officium semiduplex die 20. Decembris de S. Domenico de Silos nuncupato, cuius corpus existit in eadem Dioecesi. Dubitatur, si Antiphonae, quas occupat hic Sanctus, debeant anticipari, et in quo die; vel si sunt dimittendae omnino; et si sunt dicendae, si debeant dici ante diem, quem occupat festivitas Expectationis Partus, quae celebratur die 16. Decembris, et quas Antiphonas motus proprius dictae Festivitalis mandat dici die 15. eiusdem.

S. R. C. respondit, « servandas esse regulas Breviarii Romani, ut scilicet, si celebretur Officium solemniter de S. Domenico de Silos, possint omitti Antiphonae ad Laudes, sicut omittuntur in die S. Thomae, sed tam in primis, quam in secundis Vesperis, ad *Magnificat* omnino dicantur Antiphonae Maiores Feriae currentis. » Et ita *declaravit* die 17. Novembris 1607.

366.

BAREN.

In Metropolitana Ecclesia Baren. quatuor adesse Dignitates, nempe Archidiaconum, Archipresbyterum, et duos Primicerios S. C. narratum est, et pro parte Archidiaconi petitum, ad quem ex dictis Dignitatibus spectet SS. Sacramentum, absente, vel impedito Archiepiscopo, in solemnibus Festivitate, et per Octavam in Processione deferre, et Missas, ac Vesperas Pontificales cantare in diebus, in quibus Archiepiscopus, si esset praesens, vel non impeditus, cantaret, nec non Missas, et Vesperas infra annum distribuere.

Eadem S. R. C., ut saepe alias in similibus, ita nunc *declaravit*: « Munia praedicta, absente, vel impedito Archiepiscopo, ad primam Dignitatem, vel, ea impedita, ad secundam, et successive ad tertiam, vel quartam: et omnibus Dignitatibus absentibus, vel impeditis, ad primum, vel secundum Canonicum pertinere; dummodo in Festo SS. Sacramenti ipsa prima Dignitas, vel primus Canonicus praesens Missam cantet. Quod si praesens fuerit, et cantare noluerit, illa Dignitas, vel Canonicus SS. Sacramentum deferat, qui Missam celebrabit. Quod vero ad distributionem Missarum, et Vesperarum infra annum, servandam esse consuetudinem Ecclesiae. » Et ita *censuit*, et *declaravit* die 19. Ianuarii 1608.

367.

BITUNTINA.

Cum in Congregationibus, quae fiunt coram

Episcopo Bituntino, vel eius Vicario Generali pro examinationibus Ordinandorum, admittantur nonnulli Presbyteri Doctoratus gradu insigniti, una cum aliquibus Canonicis Ecclesiae Cathedralis, non graduatis, quaesitum fuit in S. R. C.: quis locum digniorem obtinere debeat in sedendo: An Presbyter graduatus non Canonicus, vel potius Canonicus non graduatus?

Eadem S. R. C. « Canonicos Cathedralis Ecclesiae etiam non graduatos, praefereudos esse omnibus Presbyteris non Canonicis etiam graduatis, » respondit die 19. Ianuarii 1608.

368. BRACHAREN.

Cum alias sub die 28. Aprilis 1607. ad instantiam Archiepiscopi Bracharen. declaratum fuerit, Archidiaconum, qui de baculo servit, et Archiepiscopo solemniter celebranti assistit, eique baculum, quando opus est, ministrat, thurificandum esse immediate post Presbyterum, et duos Diaconos Assistentes, antequam Chori thurificatio inchoetur. Cui Decreto cum idem Archidiaconus (ut asseritur) non acquieverit sub praetextu, quod eidem S. C. expositum non fuerit, ipsum Archidiaconum esse etiam Canonicum et primum Archidiaconum, et in Choro sedere a latere Decani, et consuevisse praecedere omnibus aliis Archidiaconis, Dignitatibus, et Canonicis ejusdem Ecclesiae, exceptis tantum Decano, et Cantore, quaesitum fuit ab eodem Archiepiscopo: An ratione dictarum praeminentiarum standum sit in Decretis, ita ut Archidiaconus praedictus dum sustinet Baculum, debeat thurificari non ante, sed post Presbyterum, et duos Diaconos assistentes Archiepiscopo celebranti?

Eadem S. R. C. « in Decretis standum esse censuit, quoties Archidiaconus sustinet Baculum, quia in thurificatione, et aliis similibus Presbyter, et Diaconi assistentes praefereudi sunt omnibus aliis Dignitatibus, et Canonicis, etiam Decano, et consequenter ipsi etiam Archidiacono sustinenti baculum. Qui tamen cum sedeat apud Archiepiscopum thurificandus erit ante Chori thurificationem, immediate post praedictos Presbyterum, et Diaconos assistentes. Praerogativas vero allegatas eidem Archidiacono reservandas esse, quando sedet cum aliis in Choro in suo stallo. » Et ita censuit, et declaravit die 19. Ianuarii 1608.

369. CORCYREN.

Cum Archiepiscopus Coreyren. in sua Ecclesia, et regulari, et saeculari Clero careat, ita ut non possit in confectione Sacrorum Oleorum feria V. in Coena Domini habere praecisum numerum Sacerdotum, Diaconorum, et Subdiacono-

rum iuxta regulam in libro Pontificali praescriptam, et cogatur ab Ecclesia Hydruntina olea sacra accipere, et expectare, quae saepe serius, quam necessitas postulat, Coreyram deferuntur, ne Ecclesia sua hac solemnitate, et caeremonia privetur, quae in conficiendis dictis Sacris Oleis adhibetur, petiit a SS. D. N. licentiam conficiendi dicta Sacra Olea, adhibitis tantum duodecim Presbyteris, et omissis Diaconis, et Subdiaconis, quos praecipit liber Pontificalis adhiberi. Et cum idem SSm̄us D. N. negotium hoc examinandum ad S. R. C. remiserit

Eadem S. R. C. « a regulis praescriptis in libro Pontificali circa confectionem Sacrorum Oleorum non esse recedendum, » censuit. Declaravit tamen « posse Archiepiscopum in sua Ecclesia, et Dioecesi Coreyren., uti oleo antiquo anni praecedentis, donec novum recipiat. » Et ita censuit, et declaravit die 19. Ianuarii 1608.

370. BRACHAREN.

Petiit Archiepiscopus Bracharen.: An dum ipse cum cappa post Vesperas cantatas Completorio assistit, debeat habere assistentiam Diaconorum etc. prout in Vesperis, ut hactenus consuevit?

S. R. C. respondit, « non convenire assistentiam Archiepiscopo, dum Completorio assistit, quacumque consuetudine in contrarium non obstante, et servandas esse in hoc regulas Coeremonialis, » censuit, et declaravit die 19. Ianuarii 1608.

371. CAMERACEN.

Cum nonnullae Ecclesiae, illarumque Caemeteria, et alia loca ecclesiastica Cameracen. Dioecesis, temporum, et belli iniuria, et personarum malitia polluta existant, et Guillelmus Archiepiscopus Cameracen. ad illa reconcilianda propter viarum discrimina, aliaque impedimenta, sine maximo incommodo accedere nequeat, supplicavit humiliter, ut ipsi concedatur, ut Ecclesias, illarumque Caemeteria, et alia loca praedicta sanguinis, vel seminis effusione, aut alias quovis modo polluta, per aquae benedictae aspersionem, ac aliis solemnitatibus, et caeremoniis servatis, per Abbates, Praepositos, Decanos, et Christianitatis nuncupatos Priores, aut alias Personas in Dignitate Ecclesiastica, et Presbyteratus ordine constitutas, ad id ab ipso Archiepiscopo deputandas, quoties opus fuerit reconciliari facere libere valeat. Et proposito huiusmodi negotio in S. R. C.

Eadem S. R. C. censuit: « Ecclesiae consecratae, et Coemeterii reconciliationem, proprio Episcopo impedito, vel absente, committendam esse alteri Episcopo. Simplicem vero benedictionem Ecclesiae, vel Coemeterii non consecrati posse com-

mitti alicui Presbytero in Dignitate Ecclesiastica constituto. » Et ita declaravit die 9. Februarii 1608.

372. CAMERINEN.

Ad infrascripta Dubia proposita in Causa Praecedentiae, seu Praeeminentiarum inter Capitulum, et Canonicos Ecclesiae Cathedralis, et Priorem, et Canonicos Ecclesiae Collegiatae S. Venantii Civitatis, Camerinen., S. R. C. attento instrumento concordiae, quod Prior S. Venantii debeat habere secundum locum in choro, videlicet immediate post Praepositum, vel eo etiam absente, immediate post primum Canonicum Ecclesiae Cathedralis, et audita relatione D. Cardinalis Peretti, cui haec causa demandata fuerat, et omnibus ex utraque parte productis, et allegatis consideratis, respondit ut infra, videlicet

Ad 1. dubium: An Archidiaconus intelligatur praesens in Choro, quando est in assistentia apud Episcopum in Vesperis, vel in Missa solemnibus, ita ut Prior S. Venantii debeat sedere in Choro non post, sed supra Praepositum? Resp., « Archidiaconum haberi pro praesente, dum assistit Episcopo tam in Ecclesia S. Venantii, quam in quocumque alio loco, in quo ipse Prior interveniat, vel intervenire soleat una cum Capitulo Ecclesiae Cathedralis. »

Ad 2. Nempe, a quo sit porrigendum aspersorium aquae benedictae Episcopo, dum ad praedictam Ecclesiam S. Venantii una cum Canonicis, et Capitulo Ecclesiae Cathedralis accedit: An a Priore S. Venantii, vel a prima Dignitate, vel primo Canonico Ecclesiae Cathedralis? Resp., « A Priore S. Venantii porrigendum esse. »

Ad 3. Circa consuetudinem celebrandi Vesperas solennes in die Paschae Resurrectionis in Ecclesia S. Venantii, R. « Continuandam esse consuetudinem, sed non esse prohibendum Canonicis, et Capitulo Ecclesiae Cathedralis, quin prius Vesperas in eorum Ecclesia cantent. Ut autem tempus competens remaneat pro Vesperis iuxta consuetum in Ecclesia Sancti Venantii celebrandis, Episcopum curare debere, ut quantocius in Ecclesia Cathedrali expediantur. » Et ita eadem Sac. R. C. respondit, censuit, et declaravit die 15. Martii 1608.

373. ANDRIEN.

Cantor, qui est prima Dignitas in Ecclesia Collegiata S. Nicolai Civitatis Andrien. S. R. C. exposuit, Primicerium, qui est tertia Dignitas in eadem Ecclesia, praetendere, absente, vel impedito Praeposito, prima Dignitate, ad ipsum pertinere Officium facere, et Missas celebrare, quando

ipse est Hebdomadarius; et consequenter in tali casu, succedere loco secundae Dignitatis, ad quam, impedita prima, pertinet dictas functiones facere, iuxta formam libri *Caeremonialis*; quare petitur declarari: An in casu proposito id conveniat.

Eadem S. R. C. respondit: « semper, quocumque casu ad secundam Dignitatem, et non ad tertiam pertinere dictas Missas, et Officia celebrare, absente, vel impedita prima Dignitate; licet tertia, vel alia Dignitas, seu Canonicus eo tempore habeat curam Chori, vel sit Hebdomadarius. » Et ita censuit, et declaravit die 15. Martii 1608.

374. ALEXANDRINA.

Episcopus, et Capitulum Ecclesiae Cathedralis Alexandrinae haec decidenda humiliter proponit S. C. Minorum Cardinalium super Caeremoniis deputatorum.

1. An Vicarius Episcopalis incensari debeat ante, vel post Canonicos Ecclesiae Cathedralis? Hactenus consuetudo fuit in dicta Ecclesia, quod in Missa Acolythus, vel alius Clericus, thurificet primo Vicarium, deinde Canonicos; verum, quia Caeremoniale disponit, quod in Missa Diaconus Evangelium thurificare debeat Chorum, et in Ecclesia Cathedrali Diaconus Evangelium sit unus ex Canonicis, recusant ipsi Canonici incensare prius Vicarium, quam Canonicos; adducentes, quod ipsi numquam hoc fecerunt, et quod consuetudo allegata est introducta, et observata ab Acolythis, vel Clericis simplicibus, quae illis praepiudicare non debet; atque ita vellent primo incensare Canonicos, deinde Vicarium. Vicarius respondit, quod ipse incensandus est secundum consuetudinem, ut disponit *Caeremoniale Lib. 1. cap. 23.*, et quod consuetudo est, quod incensetur ante Canonicos; nec refert si imposterum thurificatio fiat a Canonicis, quia si consuetudo est, quod prius thurificetur, debet hic ordo servari a quocumque, qui fungatur officio thurificandi: respondit etiam, consuetudinem hanc esse introductam illis, et eorum antecessoribus praesentibus, qui numquam contradixerunt: et ultimo adducit consuetudinem aliarum Ecclesiarum eiusdem Provinciae, videlicet *Mediolanen.*, *Papien.*, *Derthonen.*, et aliarum, in quibus sic servatur. R. « Servandam esse consuetudinem, ut Vicarius thurificetur ante Canonicos, sive is, qui thurificat, sit Acolythus, sive Clericus, sive etiam Canonicus. Nam eum in Missa unus ex Canonicis cantet Evangelium, et ad illum spectet, iuxta formam libri *Caeremonialis*, thurificare caeteros omnes Canonicos, debet utique thurificare Vicarium, qui praecedat Canonicos: et licet in praeteritum Vicarius non fuerit a Ca-

nonicis thurificatus, sufficit, quod fuerit thurificatus ante Canonicos, et ab eodem, qui caeteros omnes Canonicos thurificare solebat. »

2. An, si Vicarius incensandus sit ante Canonicos, idem observari debeat, quando Canonici sunt parati in Festis Pontificalibus? Haec dubietas oritur, quia *Caeremoniale novum sub dicto capite* disponit, quod Magistratus perpetui, qui incensari debent ante Chorum, incensentur post Chorum, si Canonici sint parati. Dubitatur quid servandum sit circa personam Vicarii? R. « Quod ratione Paramentorum Canonici parati debent thurificari ante Vicarium, maxime si Vicarius non utatur habitu Praelati, idest Rochetto, et Mantelletto. »

3. Quis debeat esse locus Vicarii sedendo in Choro? Hactenus observatum fuit, ut Vicarius sedeat in sede amovibili, quae collocatur prope sedem Episcopi; sedes autem Episcopi est a latere Evangelii ante Altare. Quaeritur: an, non obstante hac consuetudine, Vicarius sedere possit inter Canonicos in prima sede Chori, et an talis locus sit magis illi conveniens? R. « Circa locum Vicarii servandam esse consuetudinem Ecclesiae, et nihil innovandum. »

4. An conveniat in Festis Pontificalibus uti thuribus, uno, quo incensentur Canonici, et alio, quo incensetur Gubernator Civitatis eodem tempore, quo incensantur Canonici? Circa hoc consuetudo fuit in Ecclesia Alexandrina, quod Gubernator Civitatis, qui est perpetuus, et Officialis maxime dignus, et qui, praeter gubernationem Status, excellit Gubernatoribus aliarum Civitatum, incensetur ante Canonicos immediate post Episcopum. Verum quia *Caeremoniale* disponit, quod thurificari debeat post Canonicos, si sint parati, et Gubernator nolebat huic rei acquiescere, fuit introductum, quod duo adhibeantur thuribula: unum, quo incensentur Canonici parati, et aliud, quo incensetur Gubernator eodem tempore. Qui tamen Gubernator de hoc etiam conquestus fuit cum Episcopo, quia vellet incensari ante Canonicos, et ab eodem Ministro, qui incensat Canonicos; super quo desideratur responsum S. C.: R. « Non probari duorum Thuribulorum usum: et in casu proposito servandam esse consuetudinem, ut Gubernator thurificetur immediate post Episcopum, maxime si sit dignissimus, et perpetuus, ut praesupponitur; cum *Caeremoniale* in casu proposito non loquatur de Gubernatore, sed de Magistratu, hoc est de Officialibus Civitatis, ut sunt v. g. Antiani, Iurati, Consules, Conservatores, vel similes. »

5. An confessio, quae fit post concionem ante Episcopum a Diacono Evangelii, debeat fieri ex libro, vel memoriter? Excusant enim se Canonici nonnulli seniores, quod non possunt illam memoriter in tono cantare; et si ex libro fieri debeat, an sit illi concedendus minister, qui librum teneat? R. « Convenientius esse, ut confessio cantetur memoriter a Diacono: Si tamen aliquis ex Diaconis non poterit sine libro confessionem memoriter cantare, poterit ei concedi aliquis minister ex inferioribus, qui librum sustineat, donec cantet. »

6. An infra Octavam Corporis Christi, in qua tempore Missae exponitur SS. Sacramentum, debeat cantari Missa cum Diacono, et Subdiacono paratis? Consuetudo fuit in hac Ecclesia, quod tempore Octavae Missa cantetur a Canonico hebdomadario, sed absque Diacono, et Subdiacono, sicut fit per totum annum in diebus feriatis, quia tantummodo in diebus festivis cantatur Missa cum Diacono, et Subdiacono, et sunt ultimi sex Canonici, qui funguntur hoc Officio. Sed Episcopus ob reverentiam tantae celebritatis, ordinavit, quod Missa cantetur per totam Octavam cum Diacono, et Subdiacono. Recusant nonnulli ex dictis Canonicis, qui funguntur Officio Diaconi, et Subdiaconi id facere, dicentes esse novum onus, quod ipsi non tenentur subire. R. « Servandam esse consuetudinem, ut infra Octavam cantetur Missa sine Diacono, et Subdiacono, exceptis festis diebus Dominicæ, et Octavae, in quibus poterit cantari Missa solemniter cum Diacono, et Subdiacono. »

7. An finita Missa, quae celebratur coram Episcopo, debeat Sacerdos celebrans expectare cum Ministris a latere Altaris, quod Episcopus descendat a Sede ad Altare, ibidemque faciat orationem, et deinde, illis impertita benedictione, discedat, vel potius recedere debeat ipse celebrans ante recessum Episcopi? R. « Sacerdotem, et Ministros debere expectare benedictionem Episcopi, antequam discedant ab Altare. »

8. Circa Vesperas etiam celebrandas haec est difficultas. *Caeremoniale novum* disponit *Lib. 2. cap. 2.*, quod Canonicus hebdomadarius paratus Pluviali Vesperas celebret, cui assistant aliqui Beneficiati etiam parati Pluvialibus. In hac Ecclesia sunt tres tantum Cappellani continuo residentes, ex quibus unus tenetur deservire in officio Magistri Chori. Sunt etiam duo, vel tres alii Cappellani praesentes in civitate, qui non tenentur residere, licet diebus festivis inserviant Ecclesiae; et sic non habentur Cappellani necessarii,

qui inservire possint Canonico celebranti, quia ex his, qui resident, duo tantum sunt liberi, et ii interdum ob aliquod impedimentum infirmitatis, vel aliud, ab Ecclesia absunt. Similiter alii Cappellani non residentes, modo sunt in Civitate, modo absunt. Propterea humiliter quaeritur a S. C., qualiter Vesperae sint celebrandae? Episcopus huc usque celebravit ipse Vesperas cum Cappa, sed est contra *Caeremoniale*. Proposuit idem Episcopus, quod Canonici, qui in Missa funguntur Officio Diaconi, et Subdiaconi, inserviant etiam Canonico celebranti in Vesperis; sed adducunt esse novum onus, et obstare *Caeremoniale*, quod vult in Vesperis Ministros non esse Canonicos. *Secundo* proposuit Episcopus, quod Capitulum det stipendium duobus Ministris, qui inserviant Canonico celebranti; sed Capitulum adducit, se non teneri ad hanc impensam de novo faciendam, et ob tenuitatem reddituum eam praestare non posse. *Tertio* proposuit Episcopus, quod duo Clerici ex his, qui inserviunt Ecclesiae, qui saltem sint Acolythi, inserviant Canonico celebranti; sed respondet Capitulum, quod non convenit Clericis inferioribus hoc munus praestare una cum Canonico, praesertim cum *Caeremoniale* disponat, quod in eodem banco sedere debeant. Dignetur igitur S. C. respondere, qualiter Vesperae celebrandae sint, et quo in loco sedere debeat Canonicus celebrans Vesperas? R. « Servandam esse regulam libri *Caeremonialis*, nec Canonicos adstringendos esse ad onera non consueta, maxime contra dispositionem libri *Caeremonialis*. Et quatenus non adsint, vel non reperiantur Beneficiati, vel Cappellani in numero sufficienti, possunt pro eis supplere Clerici, qui in tali casu non tamquam simplices Clerici, sed tamquam Mansionarii, Beneficiati, vel Cappellani censendi sunt, cum eorum officium suppleant. Et ideo non debet Canonicus officium faciens eorum assistentiam recusare in defectum Cappellanorum, vel Beneficiorum. »

9. An, quia in Ecclesia Cathedrali Alexandrina non sunt distinctae Praebendae Presbyterales, et tantum ultimi sex Canonici semper funguntur officio Diaconi, et Subdiaconi, in festis Pontificalibus debeant omnes Canonici induere Pluvialia, vel debeat servari ordo appositus in *Caeremoniali*, ut Dignitates Pluvialibus, alii Canonici Sacerdotes Planetis, et ultimi sex, qui funguntur officio Diaconi, et Subdiaconi Dalmaticis utantur. R. « Decentius esse, ut servetur ordo libri *Caeremonialis*, nempe, ut Dignitates Pluvialibus, Canonici Presbyteri Planetis, et Diaconi, et Subdiaconi, vel qui pro Diaconis, et Subdiaconis suppleant, licet or-

dine sint Presbyteri, utantur Dalmaticis, et Tunicellis. Ita enim Ecclesiasticus apparatus varietate circumamictus maiorem praebet aspicientibus splendorem, et decentiam, quam si omnes Canonici Pluvialibus induantur. »

10. An possit aliqua consuetudine excusari Diaconus Evangelii, qui non incenset Chorum, iuxta *Caeremoniale*? R. « Non videtur sub quovis praetextu consuetudinis excusandus Diaconus Evangelii, quin Chorum thurifleet, iuxta regulas Libri *Caeremonialis*. »

11. Observatur in Ecclesia Cathedrali Alexandrina, quod in Festis, Pontificalibus Canonici omnes parati cum pluvialibus sedent non in sedibus Chori, sed in duobus banchis oblongis, quae ponuntur ab utroque latere Altaris, ita ut duas veluti alas faciant Altari. *Quaeritur*; an hic modus sedendi sit conveniens, vel sedere debeant in sedibus Chori? Etsi enim maiorem maiestatem praeserferat videre omnes Canonicos iunctim sedentes prope Altare, et in facie populi; et *Caeremoniae* etiam, uti thurificandi, pacis dandae, et aliae, melius fiant; nihilominus ex hoc angustatur nimis Chorus, et non remanet locus, ubi sedere possint Clerici inferiores, et Beneficiati, si aliqui praesentes essent. Praeterea illud sedere in facie populi potest dare occasionem vagationis mentis ipsis Canonicis. *Quaeritur*, ut determinare dignetur S. C. modum convenientem. R. « Videtur hoc remittendum arbitrio Episcopi, ut Canonici vel servent usum introductum, vel sedeant in sedibus Chori, prout melius, et decentius ipsi Episcopo videbitur. »

12. An conveniat Clericos, dum celebrantur Divina Officia, vel auditur concio, sedere super gradibus Altaris, in quo ex consuetudine Provinciae Mediolanen. solet asservari SS. Sacramentum? R. « Quod si SS. Sacramentum est in tabernaculo inclusum, ita ut a Populo non videatur, potest tolerari consuetudo, ut Clerici ministri Altaris, seu alii cum Cotta, quibus alius locus non sit assignatus, sedeant in gradibus Altaris. »

13. Diaconus, et Subdiaconus in Missis Pontificalibus quando debeant accipere pacem? Difficultas ex hoc oritur, quia *Caeremoniale* disponit, quod accipiant pacem quando communicant. Sed quia in Ecclesia Cathedrali Alexandrina omnes Praebendae sunt Sacerdotales, et ultimi sex Sacerdotes, ut dictum est, funguntur Officio Diaconi, et Subdiaconi, et Missam iisdem diebus celebrare solent, et propterea non communicant; ideo S. C. dignetur determinare quando, et a quo sit illi danda pax. R. « Quod Episcopo celebranti

Diaconus Evangelii, et Subdiaconus Epistolae, si sint ordine Presbyteri, et voluerint celebrare, vel iam celebraverint, debent accipere pacem ab Episcopo immediate post duos Diaconos Assistentes, servata forma, quae traditur in Libro Caeremoniali de ordine dandi Pacem. Episcopo vero non celebrante, Subdiaconus accipit pacem a Canonico, qui pacem dedit Episcopo, et illam distribuit caeteris Canonicis per ordinem, et revertens ad Altare pacem dat Diacono. Absente Episcopo, Diaconus accipit pacem a Celebrante, et dat pacem Subdiacono, qui illam distribuit per Chorum iuxta regulas traditas in Libro Caeremoniali, de Ordine dandi pacem. »

14. Quando Episcopus est in Choro in sua sede, quae sedes est posita ante Altare a cornu Evangelii, an Canonici digniores sedere debeant in sedibus Chori, quae sunt magis propincae sedi Episcopali, incipiendo a prima Dignitate, et successive aliae Dignitates, et deinde Canonici magis antiqui suo ordine, vel potius sedere debeant, prout nunc faciunt; videlicet pars in una parte, et alia pars in alia parte Chori, et digniores incipiunt, et sedent in capite Chori, videlicet una Dignitas sedet ab una parte, alia ab altera, et successive alii suo ordine, et sic iuniores sunt magis propinqui sedi Episcopali. R. « Convenientius esse, ut digniores Canonici sedeant in sedibus, quae sunt propinquiores, et viciniore sedi Episcopali. »

15. An in Matutinis, quae celebrantur in nocte Nativitatis Domini, Episcopus debeat sedere in sede, quae est in medio Chori retro Altare, an potius in sede ante Altare, quae est a latere Evangelii, ubi etiam Missis, et Vesperis interesse solet? Advertendum quod in Altari est SSimum Sacramentum cum Tabernaculo praealto, quod impedit, ne Episcopus sedens in Choro bene possit videri a populo, et celebratur in dicto Altari, non a parte interiori, sed exteriori. R. « Quod potest remitti arbitrio Episcopi, ut sedeat ubi melius sibi videbitur, et magis Populo satisfacere possit. »

16. Ultimo: Supplicatur S. C., ut detur licentia cantandi in Ecclesiis Litanias, quae sunt impressae de SSimo Sacramento. R. « Non consuevit S. R. C. approbare alias Litanias praeter consuetas impressas in Breviario, et eas, quae recitantur de B. Maria in Ecclesia Lauretana iuxta Decretum fel. rec. Clementis PP. VIII. »

« L. Card. Montisregalis. »

Responsiones ad supradicta Dubia proposita ad instantiam Episcopi Alexandrini in S. R. C., et de ordine eiusdem S. C. factas ab infrascripto Caeremoniarum Magistro, eiusdemque Congregatio-

nis Secretario, ac revisas, emendatas, et subscriptas ab Illmo, et Rmo D. Cardinali Montisregalis, eadem S. R. C. approbavit, ita ut in Ecclesia Alexandrina servari, et executioni demandari possint, et debeant. Et ita censuit, et declaravit die 15. Martii 1608.

Jo. Paulus Mucantius Secret. Congr., et S. Caeremoniarum Mag.

375. MONTIS SERRATI NULLIUS PROVINCIAE TARRACONEN.

Cum Monachi Congregationis Vallisoletanae Ord. S. Benedicti Regni Hispaniarum ad conformandum se Ritui Romano, et Congregationi Cassinensi in celebrandis particulari ritu, et caeremoniis haecenus celebrari consueverunt, in eorum Capitulo Generali decreverint, et statuerint, ut omnes dictae Congregationis Monachi Sacerdotes in futurum Missas Sanctorum, iuxta regulas, ritus, et Caeremonias Missalis Romani celebrare deberent, retentis tamen nonnullis propriis sui Ordinis Sanctorum Missis; et iam in Monasterio Montisserrati nullius Dioecesis Provinciae Tarraconen. eiusdem Ordinis Decretum praedictum acceptatum fuerit, et ritus, et caeremoniae Missalis Romani in celebrandis Missis introductae, et usu receptae fuerint, ac Missas more Romano celebraverint; quousque eorum Praepositus Generalis eis sub praecepto s. obedientiae mandaverit, ne dicto Missali Romano uterentur, donec novus liber Missalis pro eis more Romano imprimeretur, in quo Missae Sanctorum sui Ordinis additae fuissent. Cuius quidem mandati timore, cum perplexi dicti Monachi remansissent, et ad S. R. C. recursum habuissent, ab ea petierunt, ut declarare dignaretur: An non obstante praedicto sui Generalis ordine, et mandato, eis liceat continuare in usu semel acceptato, et recepto celebrandi Missas more Romano, et secundum ritus, rubricas, et caeremonias dicti Missalis Romani? Et cum negotium hoc examinandum ab eadem S. C. remissum fuerit Illmo, et Rmo Dño Cardinali Montisregalis, visa, et audita eiusdem sententia super praemissis

Eadem S. R. C. censuit, et declaravit, « licere dictis Monachis sine ullo conscientiae scrupulo semel acceptatum, atque receptum per Abbatem, et Monachos usum celebrandi Missas secundum ritus, regulas, et caeremonias Missalis Romani continuare. Immo in hoc piam illorum mentem, et institutum laudavit; et ut in celebrandis Missis more Romano continerent, mandato dicti Generalis, et aliis quibuscumque non obstantibus,

praecepit, et ordinavit, et ita a praedicto Praeposito Generali inviolabiliter, et sine ulla prorsus dilatione, seu mora, in tota Congregatione dictum Decretum factum in dicto Capitulo Generali servari, » mandavit die 10. Maii 1608.

376. **BONONIEN.**

Cum alias sub die 18. Maii 1602. in Sac. R. Cong. ad instantiam Archiepiscopi Bononien. contra Capitulum, et Canonicos Collegiatae Ecclesiae Sancti Petronii declaratum fuerit, debere Canonicos Ecclesiae Cathedralis Archiepiscopo assistere etiam quando celebrat, vel Pontificalia exercet in Ecclesiis Collegiatis, ut fit in dicta Ecclesia S. Petronii occasione Rogationum, et iterum sub die 12. Aprilis 1603. ab eadem S. C. idem decretum confirmatum fuerit: novissime vero eum in eadem Congregatione ad instantiam Capituli, et Canonicorum Ecclesiae S. Petronii iterum eadem causa introducta fuerit, et ab eadem S. C. commissa Illmo, et Rmo D. Cardinali Farnesio, coram quo, utraque parte informante, iura diversa producta, et allegata fuerunt tam in scriptis, quam in voce, et praecipue nonnulli Testes ad perpetuam rei memoriam examinati ad instantiam dicti Capituli Sancti Petronii parte non citata, ac lite pendente. Tandem audita relatione Illmi, et Rmi D. Cardinalis Farnesii de voto omnium, et singulorum DD. Cardinalium in Congregatione praesentium

Eadem S. R. C., « a praedicto Decreto non esse recedendum, censuit, et Capitulum, et Canonicos Ecclesiae Cathedralis, seu Metropolitanae Sancti Petri manutenendos esse semper, et ubique etiam in Ecclesia S. Petronii in possessione assistendi Archiepiscopo celebranti, vel Pontificalia exercenti, donec, et quousque praedicti Capitulum, et Canonici S. Petronii, allegatam immemorabilem consuetudinem legitime, iuridiceque probaverint. » Et ita censuit, declaravit, et ordinavit, et exequi mandavit die 10. Maii 1608.

377. **NEPESINA.**

Cum orta fuerit controversia circa locum in Processione SSmi Sacramenti inter Societatem, seu Confraternitatem Confalonis ex una, et Societatem, seu Confraternitatem SS. Sacramenti Terrae Campagnani Nepesinae Dioecesis ex altera partibus, et causa fuerit in S. R. C. introducta, et ab eadem S. R. C. commissa Illmo, et Rmo D. Cardinali Gallo, coram quo ambae partes iura sua producerunt, et pluries tam in scriptis, quam in voce S. C., et ipsum Illmum, et Rmum D. Cardinalem Ponentem informaverunt, tandem semel, atque iterum audita relatione praedicti Illmi, et Rmi D. Cardinalis Gallo,

Eadem S. R. C. censuit, et declaravit, « non esse recedendum a Bulla fel. rec. Gregorii PP. XIII., in qua declaratur, quod illa Societas, seu Confraternitas, quae prius vestes, quas saccos vocant, induerit in aliqua Civitate, Terra, seu loco praecedentiam super alias Confraternitates habeat, et in omnibus Processionibus locum digniorem obtineat, et obtinere debeat. Quia tamen in solemnitate SS. Sacramenti sumptus cerae, et aliarum necessariorum rerum fiunt in dicta Terra Campagnani per Societatem, seu Confraternitatem praedictam SS. Sacramenti; *declaravit Congregatio*, ut nonnulli ex dictis Confratribus SS. Sacramenti saccis induti cum fanalibus accensis in manu possint incedere, et incedere debeant hinc inde, ante, et apud SS. Sacramentum, dummodo vexillum Crucis, et alia eorum insignia, ac maior pars Confratrum incedat in loco suo, ante Societatem, seu Confraternitatem Confalonis iuxta formam Bullae praedictae Gregorii XIII. » Et ita censuit, et declaravit, atque exequi mandavit in dicta Terra Campagnani, die 10. Maii 1608.

378. **GRANATEN.**

Pro parte Archiepiscopi Granaten. S. R. C. expositum fuit, ex antiqua, et immemorabili eiusdem Ecclesiae consuetudine solitum esse in Processionibus solemnibus, in quibus Archiepiscopus pontificaliter paratus procedit, ut post se deferri faciat a duobus suis pueris sellam, seu sedem quamdam, in qua postea ipse Archiepiscopus sedeat in quibusdam locis, seu mansionibus, ubi Processio consistere consuevit. Quam consuetudinem Praedecessores sui omnes semper, absque ulla contradictione, et ipse per annos decem et octo sine ulla prorsus perturbatione servavit, tam praesente Cancellaria, et Regio Magistratu, Regisque Personis, quam eis absentibus: licet novissime Praesidens, seu alii nonnulli ex dicto Magistratu, praetendant dictam Sellam, seu Sedem non esse post Archiepiscopum, in eorum praesentia, ut haec consuetum fuit, deferendam; et propterea petitum fuit pro parte Archiepiscopi declarari dictam consuetudinem immemorabilem servandam esse, ipsumque Archiepiscopum manutenendum esse in sua possessione praedicta, deferri faciendi apud se immediate dictam Sedem, seu Sellam in Processionibus praedictis. Quibus auditis

Eadem S. R. C., « consuetudinem praedictam immemorabilem Ecclesiae Granaten. omnino servandam esse, et Archiepiscopum in sua possessione deferri faciendi dictam Sedem, seu Sellam in Processionibus, ut praemittitur, tam praesente,

quam absente Regio Magistratu, manutenendum esse, » censuit, et declaravit, et ita servari mandavit, quibuscumque non obstantibus, die 10. Maii 1608.

379.

GRANATEN.

Ex antiqua, et immemorabili consuetudine Ecclesiae Granaten. Archiepiscopum duos semper apud se habere Canonicos Assistentes, sive pontificaliter celebret, sive Missis, et Vesperis solemniter celebratis assistat, eosdemque Assistentes etiam hinc inde apud se habere per viam, dum ex domo ad Ecclesiam procedit, solitum esse, S. R. C. expositum fuit; et narratum praetendere Praesidentes, et Auditores Cancellariae Regiae, non esse servandam dictam consuetudinem in eorum praesentia, dum ipsi pariter cum Archiepiscopo divinis Officiis in Ecclesia, in quibusdam Solemnitatibus assistunt, sed tunc debere Archiepiscopum contentum esse unico Assistente. Quae cum in praedicta Congregatione pro parte Archiepiscopi proposita fuerint,

Eadem S. R. C., « praedictam laudabilem, et immemorabilem consuetudinem, quae Libro caeremoniali Episcoporum, et sacris Ritibus conformis est, omnino servandam esse, censuit, et declaravit, ita ut Archiepiscopus semper, et eundo ad Ecclesiam, et celebrando, et assistendo Divinis Officiis tam in praesentia Cancellariae, et Regii Magistratus, quam etiam in eorum absentia, duos habeat Canonicos Assistentes iuxta regulas praedictas Libri Caeremonialis, et laudabilem, et immemorabilem tam dictae Ecclesiae Granaten. quam aliarum Ecclesiarum consuetudinem. » Et ita censuit, et declaravit, et in praedicta Ecclesia Granaten. servari mandavit, quibuscumque non obstantibus, die 10. Maii 1608.

380.

NICIEN.

Pro parte Capituli, et Canonicorum Ecclesiae Nicien. S. R. C. expositum fuit, solere in associando funera defunctorum ad sepulturam accedere Vicarium una cum Canonicis, maxime quando Vicarius est de numero Canonicorum, et inter ipsos, non tamquam Vicarium, sed tamquam Canonicum incedere. Sed modernum Vicarium, licet sit ex numero Canonicorum, id recusare, et velle non tamquam Canonicum, et cum Canonicis, sed ab eis seiunctum tamquam Vicarium incedere. Et propterea petierunt a S. R. C. declarari: an id deceat, et conveniat?

Eadem S. R. C., « non esse a solito recedendum, censuit, et debere Vicarium, si sit Canonicus, cum Canonicis in loco suo incedere, et quatenus tamquam Vicarius funera defunctorum

associare voluerit, nihil lucrari de cera, seu aliis distributionibus, quae dantur, seu dari solent Canonicis associantibus funera praedicta. » Et ita censuit, et declaravit die 10. Maii 1608.

381.

TUSCANELLAE.

Cum in Civitate Tuscanellae Fratres Conventuales S. Francisci recusent ad solitas Processiones ire, ob controversias Praecedentiae inter ipsos et Fratres Observantes eiusdem Ordinis, qui pariter Conventum habent apud dictam Civitatem, Communitas eiusdem loci recursum habuit ad SS. D. N., et S. R. C., ut super praemissis providerent.

Quae quidem S. R. C., viso Memoriali eidem remisso a praefato SS. Domino N., ad tollendam omnem litis differentiam inter dictos Fratres Conventuales, et Observantes, declaravit, « servandam esse Bullam Gregorii PP. XIII., ut illi praecedant, qui prius habuerunt locum, seu Conventum in dicta Civitate Tuscanellae, et ordinavit, ut ambae dictae Religiones ad Processiones, et alias solitas dictae Civitatis functiones accedant, et accedere debeant, iuxta ordinem praedictum in Bulla praefata praescriptum. » Et ita censuit, et declaravit die 14. Iunii 1608.

382.

LUCERINA.

Pro parte Dignitatum Ecclesiae Cathedralis Luceriae in Apulia S. R. C. expositum fuit, ab immemorabili tempore, et ab ipsius Ecclesiae fundatione consuetum fuisse in eadem Ecclesia, ut quando solemniter celebrat Missam prima Dignitas, ei assistat, seu ministret pro Evangelio cantando primus Canonicus eiusdem Ecclesiae, et pro Epistola cantanda primus Mansionarius; et quando celebrat secunda Dignitas, secundus Canonicus, et secundus Mansionarius eidem, ut supra, ministrent, et inserviant; et similiter quando celebrat tertia, vel quarta Dignitas, tertius, vel quartus Canonicus pro Evangelio, et tertius vel quartus Mansionarius pro Epistola cantandis eis assistant, et ministrent.

Et similiter exposuerunt, consuetum esse ab immemorabili tempore in eadem Ecclesia, ut quando celebrat Vesperas solemnes Episcopus, ei assistant quatuor Canonici; quando vero celebrat Vesperas aliquis ex Dignitatibus, ei assistant duo Canonici, et duo Mansionarii, et quando celebrat Vesperas aliquis Canonicus, ei assistant quatuor Mansionarii. Quam consuetudinem cum servare recusent nonnulli ex dictis Canonicis, et Mansionariis, quos Abbates vulgariter vocant, sub praetextu, quod aliter in Caeremoniali Episcoporum statuatur, dictae Dignitates illam inviolabiliter servari petierunt.

Et insuper institerunt declarari: An in die Purificationis B. Mariae, postquam Candelam a prima Dignitate pluviali parata Episcopus acceperit, possit distribuere, seu dare Candelam suo Vicario, priusquam illam Decano praedicto parato tradiderit?

Eadem S. R. C., « in primo, et secundo Dubiis propositis circa Missas, et Vesperas celebrandas, consuetudinem immemorabilem Ecclesiae Lucerinae servandam esse, censuit, et declaravit, cum Liber Caeremonialis huiusmodi immemorabiles consuetudines non tollat. »

Quo vero « ad tertium, servandam esse regulam Libri Caeremonialis, ut scilicet ante Vicarium, et omnes alios, ille, qui dat Candelam Episcopo, sit primus in accipiendo ab eo Candelam. » Et ita censuit, et declaravit, et in dicta Ecclesia Lucerina servari mandavit, die 14. Iunii 1608. Decretum hoc confirmatum fuit die 9. Maii 1609.

383. CAMERINEN.

Prior Ecclesiae Collegiatae S. Venantii Civitatis Camerinen. S. C. R. exposuit qualiter Episcopus contra debitum, et consuetum voluit quod in Processione SSmi Sacramenti, suus Vicarius in habitu ordinario nigro incedat inter Archidiaconum Ecclesiae Cathedralis, et ipsum Priorem S. Venantii paratos Pluvialibus, et petiit declarari, an id conveniat?

Eadem S. R. C. respondit, « non convenire, et mandavit scribi, et significari Episcopo, ut amplius in futurum non faciat incedere suum Vicarium, ut supra, inter Dignitates, et Canonicos paratos, » et ita declaravit die 14. Iunii 1608.

384. THERMINI.

Joseph Vialis Siculus Presbyter in Civitate Therminensi, a S. R. C. petiit declarari: An doctoratus gradu insignitus, et novissime Presbyter ordinatus, ratione sui Doctoratus, debeat praecedere alios Presbyteros ante ipsum ordinatos?

Eadem S. R. C. « negative respondit, et stetit in Decretis alias in simili causa factis, nempe praecedentiam dandam esse Presbytero prius ordinato, nulla habita ratione gradus Doctoratus, quia longe dignior, et maior est ordo Sacerdotis, quam gradus Doctoratus. » Et ita declaravit die 14. Iunii 1608.

385. VITERBIEN. BARBERANI.

Archipresbyter Ecclesiae Collegiatae S. Mariae in Oppido Barberani Viterbien. Dioecesis, petiit a S. R. C. declarari: Quis debeat praecedere in associatione defunctorum ad Ecclesiam, an Cappellanus, qui curam Ecclesiae Parochialis exer-

cet, et cum Stola incedit, quando ad Ecclesiam Parochialem funus dirigitur: an vero Canonici Ecclesiae Collegiatae dicti loci?

Eadem S. C. respondit, « ratione Stolae dandam esse praecedentiam Cappellano, qui curam Ecclesiae Cathedralis exercet, » et ita declaravit die 14. Iunii 1608.

386. CARPEN.

Solitum esse in Ecclesia Collegiata Carpensi, ut Benedictio Fontis Sabato Sancto fiat a Praelato, Missa vero, expedita Benedictione, cantetur ab Archidiacono, vel ab alio Canonico, pro parte Archipresbyteri Carpensis Civitatis S. R. C. expositum fuit.

Quia vero Archidiaconus eiusdem civitatis praetendit duas praedictas actiones, nempe benedicendi Fontem, et cantandi Missam in die Sabati Sancti esse indivisibiles, ita ut qui unam facit, aliam facere necessario teneatur; idem Archipresbyter, qui est caput, et Praelatus eiusdem Ecclesiae pro bono pacis, et suae Ecclesiae quiete, petiit ab eadem S. C. declarari: An praedictae actiones sint divisibiles, itaut benedictio Fontis ab uno, Missa vero ab alio cantari, seu celebrari licite possit?

Eadem Sae. C. R. censuit, « esse divisibiles, et posse ab uno fieri benedictionem Fontis, ab alio Missam cantari, et ideo consuetudinem dictae Ecclesiae in hoc servandam esse, censuit, ita ut Archipresbyter benedictionem Fontis faciat, et postea, si noluerit, vel non potuerit celebrare, Missa cantetur ab Archidiacono, vel ab alio Canonico, prout haecenus consuetum fuit. » Et ita censuit, et declaravit, et in dicta Ecclesia Carpensi servari mandavit die 14. Iunii 1608.

387. MATHERANEN.

Cum Archiepiscopus Matheranen. Ecclesiam suam Metropolitanam informem esse, et sine Canonicis, atque formato Capitulo invenerit, de consensu, et voluntate omnium Presbyterorum tam dictae Ecclesiae suae Metropolitanae, quam aliarum Ecclesiarum Civitatis Matherae, et omnium civium, accedente consensu, et auctoritate S. C. Episcoporum: ex Presbyteris senioribus participantibus in dicta sua Ecclesia Cathedrali triginta Canonicos creaverit, quos proprio nomine Canonicos nuncupavit, et ex illis Capitulum erexit, seu restituerit, statuens, ut in futurum ad eos, vel alios eorum successores, tamquam ad proprium Capitulum dictae Ecclesiae spectet, et pertineat creatio, et electio Vicariorum Capitularium, et non amplius ad Clerum, sublata penitus omni consuetudine, quae magis abusus vocari poterat, haecenus ante creationem dictorum Canonicorum

servata, et alias nonnullas ordinationes circa horam congruam recitandi Officium Divinum tam in Metropolitana, quam in aliis eiusdem civitatis Ecclesiis, et circa Processiones faciendas, tam ordinarias, quam ex aliqua iusta, et urgente causa extra ordinem indicendas, fecerit, et ordinaverit. Quas ordinationes cum Rector, et Capitulum, et Clerus Ecclesiae Collegiatae S. Petri Caveosi dictae Civitatis servare aegre tulerint, et in Processionibus generalibus simul cum Presbyteris Ecclesiae Metropolitanae incedere, et squillum, seu sonum campanae pro recitandis horis Canonicis, suo arbitrio pulsare praetendant; recursum habuerunt ad Sanctissimum D. N., qui negotium in S. R. C. examinandum remisit. In qua cum diu, mature, ac diligenter examinatum fuerit coram Illmo, et Rmo D. Cardinali Montisregalis, cui ab eadem S. C. remissum fuerat,

Eadem S. R. C. tandem, audita relatione dieti Illmi, et Rmi D. Cardinalis Montisregalis, censuit, et declaravit, « creationem, et institutionem, seu restitutionem Canonicorum, et Capituli in eadem Ecclesia Cathedrali ab Archiepiscopo factam, fore, et esse iuridicam, et validam, et propterea ad dictos Canonicos tantum, et non ad reliquos de Clero aliarum Ecclesiarum, pertinere creationem Vicarii Capitularis, et in Processionibus praecedentiam dandam esse ipsis Canonicis, et Clero Ecclesiae Cathedralis, seu Metropolitanae in digniori loco, supra omnes alios Presbyteros, sive Clericos aliarum omnium Ecclesiarum Collegiatarum, vel Parochialium eiusdem Civitatis, et licite cogi posse per Archiepiscopum omnes de Clero, ut tam ad Processiones ordinarias, quam etiam ad extraordinarias, ex legitima causa indietas, in loco assignato in ordinationibus praedictis accedant: et debere omnes de Clero obedire ordinationibus ab Archiepiscopo factis circa sonum Campanae, et horam recitandi Officia Divina. » Et ita censuit, et declaravit, et in Civitate Matherae servari mandavit, quibuscumque non obstantibus, die 14. Iunii 1608.

388.

FULGINATEN.

Decanus Ecclesiae Fulginaten. S. R. C. exposuit, in eadem Ecclesia esse nonnullos abusos, quos tamquam laudabiles consuetudines aliqui ex Canonicis servare non desistunt; ideo petit declarari: An possint tamquam praesentes ad Matutinum admitti Canonici illi, qui tantummodo praesentes in Choro sunt, dum cantatur oratio pro Matutino; et similiter: An intelligantur praesentes ad reliquas horas, qui adsunt dum oratio pro dictis horis cantatur; et an etiam praesentes

in Choro intelligantur illi Canonici, qui non ex officio, seu alia obligatione, sed ex suo arbitrio, dum recitantur Officia Divina audiunt Confessiones Poenitentium. Et demum, an illi etiam praesentes in Choro dici possint, qui per Ecclesiam cum Cotta, et Almutio incedunt, dum horae divinae cantantur pro aliqua sua, vel aliorum occasione ad officium Chori minime pertinente, ita ut in praedictis casibus possint Canonici licite lucrari distributiones quotidianas, prout haecenus per abusum consueverunt?

Eadem S. R. C. respondit, « nullo modo posse Canonicos praedictos lucrari distributiones quotidianas in casibus propositis, nisi quando aliquis Canonicus vel ex officio, vel de expresso Episcopi mandato in casu necessitatis, Confessiones Poenitentium audiret, dum recitantur in Choro horae canonicae, et hoc tantum casu excepto, in reliquis propositis, non lucrari licite distributiones, censuit, quidquid haecenus in contrarium servatum fuerit, quod potius abusus esse, quam consuetudinem, » Sacra Congregatio declaravit die 14. Iunii 1608.

389.

ARIMINEN.

Cum Episcopus Ariminensis per Synodale Decretum statuerit, ut singulis annis celebretur Festum Dedicationis Ecclesiae Parochialis in oppido S. Angeli suae Dioecesis, nec liquido constet, quo die dicta Ecclesia Parochialis fuerit consecrata, licet ex coniecturis credatur fuisse consecratam in die Dedicationis S. Michaelis Archangeli; quae dies, cum sit festum Patroni eiusdem Terrae, solemniter celebratur cum Octava, Archipresbyter eiusdem Ecclesiae Parochialis S. Michaelis Archangeli petit declarari a S. R. C.: An celebrando festum praedictum Dedicationis S. Michaelis Archangeli cum Octava, satisfiat Decreto praedicto Episcopi, quo praecipitur, ut in Ecclesia Parochiali praedicta celebretur Officium Dedicationis Ecclesiae?

Eadem S. R. C., « cum de die Dedicationis Ecclesiae liquido non constet, et Ecclesia praedicta Parochialis sit dedicata B. Michaeli Archangelo, et verisimiliter credatur illam fuisse consecratam in die Dedicationis eiusdem B. Michaelis Archangeli, et sit consuetum dictam diem solemnizari cum Officio duplici, et Octava, respondit: Archipresbyterum satisfacere Decreto praedicto Synodali, celebrando iuxta consuetum Officium cum Octava in Festo Dedicationis Sancti Michaelis Archangeli. » Et ita censuit, et declaravit die 14. Iunii 1608.

390.

URBIS CAUDATARIORUM.

Collegium Caudatariorum Illmorum, et Rmo-

rum DD. S. R. E. Cardinalium cum alias a fel. rec. Pio PP. IV. obtinuerint vestem superiorem laneam cum capucio violacei coloris, quo habitu uti possent, et deberent in Consistoriis publicis, et cappellis, ac in solemnibus aequitationibus, in quibus Sacrum Collegium S. R. E. Cardinalium interesse, seu intervenire solet, et etiam postea multi eorum vestes inferiores, quas subtanas vocant, eiusdem coloris deferre consueverint, quas per incuriam, vel desuetudinem nostro tempore amplius non deferunt, sed in habitu clericali communi nigro per urbem incedunt, cupientes habitum praedictum violaceum in subtanis tantum renovare, ut eorum antiqua praerogativa gaudere valerent, et ab aliis simplicibus Clericis, vel Presbyteris dignoscerentur, Memoriale porrexerunt in S. R. C. ab ipsis omnibus, et singulis Caudatariis subscriptum, petentes licentiam deferendi dictas vestes subtanas violacei coloris, quas propriis, et non Dominorum suorum sumptibus sibi parare obtulerunt.

Eadem S. R. C. « pro honore dicti Collegii Caudatariorum censuit, gratiam petitam posse concedi, si SS. D. N. placuerit, maxime cum alias dictas vestes subtanas deferre consueverint: et SS. D. N. audita Congregationis sententia per relationem Illm̄i, et Rm̄i D. Card. Pinelli Sacri Collegii Decani, et eiusdem Congregationis Praefecti, annuit, et dictas vestes subtanas violacei coloris dictis Caudatariis concessit. » Die 2. Aug. 1608.

391. CAESARAUGUSTEN.

Pro parte Fr. Martini de Ferrera Castellani, seu Prioris Empostae Religionis Hierosolymitanae in Civitate seu Dioecesi Caesaraugustana, qui in Ecclesiis sui Prioratus, seu Castellaniae praedictae, iurisdictionem quasi Episcopalem exercet, S. R. C. expositum fuit, Balivum de Capse, et nonnullos alios eiusdem Religionis Fratres antianos praetendere eis, dum Missae Sacrificio assistunt, offerendum esse *Textum Evangelii* ab eis osculandum, sicut offertur dicto Priori, seu Castellano Empostae, et propterea ad tollendas huiusmodi dissensiones, seu contentiones inter dictos Fratres, idem Castellanus petit declarari: An id conveniat?

S. vero C. respondit: « *Textum Evangelii* inter Missarum solemnias, uni tantum, et digniori porrigendum esse, et ideo convenire, ut Priori tantummodo, et non caeteris Fratribus, licet Antianis, sive Balivis porrigatur. » Et ita censuit, et declaravit die 2. Augusti 1608.

392. ASTEN.

Cum Curatus, et homines loci Villae Franchae

in Dioecesi Asten. a fundamentis eorum Ecclesiam Parochialem aedificaverint, illamque quamprimum consecratam, seu dedicatam in honorem B. Mariae habere cupiant; quia tamen quaedam aedificia vetusta illi adhaerent, quae sine periculo ruinae perforari minime possunt, ad hoc, ut iuxta formam praescriptam in *Libro Pontificali de Consecratione Ecclesiae*, undique circumdari possit, preces in S. R. C. porrexerunt, pro licentia Episcopo concedenda, ut dictam Ecclesiam consecrare valeat, etiamsi illam undique circumdare minime possit.

Eadem vero S. R. C., « Discretioni, et prudentiae Episcopi remittendum censuit, ut dictam Ecclesiam consecrare possit, et valeat, etiamsi illam undique, ob praedicta impedimenta, circumdare non valeat, dummodo ab ea parte, quae circumdari potest, circumdetur, et quantum fieri potest, et licet ritus, et caeremoniae in *Libro Pontificali* praescriptae in consecratione dictae Ecclesiae serventur, et adhibeantur. » Et ita censuit, et declaravit die 27. Septembris 1608.

393.

VERONEN.

In causa declarationis factae per Breve SSm̄i D. N. Pauli V. sub die 12. Aprilis 1608., quod nempe gratiae concessae ab Innocentio VIII. fel. rec. Ecclesiae S. Laurentii Civitatis Veronen., ut per modum suffragii a poenis Purgatorii liberetur Anima, pro qua Missa defunctorum, prima quarta Feria celebrabitur in dicta Ecclesia Sancti Laurentii; quando dicta quarta Feria est aliquo solemnī Festo impedita, possit celebrari Missa defunctorum prima Feria non impedita post obitum defuncti, et eandem gratiam obtineat. Ad tollendas omnes dubitandi rationes

S. R. C. censuit: « posse declarari, ut prima Feria non intelligatur immediate sequens post obitum defuncti, sed prima Feria non impedita, post primam quartam Feriam impeditam. » Et ita censuit, et declaravit die 27. Septembris 1608.

394.

BISINIANI.

Quaesitum fuit in S. R. C. pro parte Illustriss. D. Marii Pignatelli Baronis Terrae Reginae sub Dioecesi Bisinianen., quando ipse, iuxta solitum suum in diebus Dominicis, et festivis in Ecclesia Parochiali dietae Terrae assistit ad Missam cantatam, a quo, et quotuplici ductu, et quando sit thurificandus?

Eadem S. R. C. respondit, « ipsum Baronem, et Dominum loci (cum Ecclesia, ut praesupponitur, non sit Collegiata, nec habeat Canonicos, sed tantum Archipresbyterum Curatum, et nonnullos paucos alios Presbyteros, sive Clericos)

thurificandum esse duplici ductu ab eodem Ministro, qui caeteros thurificat, immediate post celebrantem, et duos Ministros Altaris paratos, idest Diaconum, et Subdiaconum, et Archipresbyterum ante omnes alios Presbyteros, seu Clericos dictae Ecclesiae Parochialis. » Et ita declaravit die 27. Septembris 1608.

395. HISPANIARUM PORTIGHERII.

Cum in aliquibus Hispaniarum Ecclesiis, quemdam particularem Capituli Ministrum, *Portigherium* nuncupatum, esse asseratur, qui licet laicus sit, tamen persona qualificata, et honorata esse consuevit, et ad quem inter alia spectat Processiones, quae fiunt tam intra, quam extra Ecclesiam dirigere, et ordinare; et plerumque solet, prout necessitas, et occasio postulat, inter Clericos modo in uno, et modo in alio loco incedere, et ambulare; quod cum aliquibus indecorum, et indecens videatur ut Persona laica inter Clericos, vel Ecclesiasticos incedat, quaesitum fuit in S. R. C.: An huiusmodi Minister laicus inter Clericos licite, et decenter incedere, vel ambulare possit?

Eadem S. R. C. respondit: « huiusmodi Ministrum locum non occupare, sed ad Processiones dirigendas, vel ad Superiorum mandata exequenda, posse in quovis loco, vel inter, seu ante, vel post Clericos etiam paratos ad celebrandum, et undequaque, iuxta temporis, et necessitatis exigentiam, et quando occasio postulat, pro sui officii executione incedere, discurrere, et ambulare, atque associare. » Et ita censuit, et declaravit die 6. Decembris 1608.

396. CASALEN.

Cum Franciscus Tarchia perpetuus Coadiutor in Canonicatu Casalen. Francisci Tarchia senioris, teneatur pro ipso inservire, Missas cantare, et alias functiones facere, quae ad dictum Franciscum seniore Coadiutum pertinerent, et nonnulli ex Canonicis dictae Ecclesiae recusent inservire dicto Francisco Coadiutori, petit a Sac. R. C. declarari: An id licite recusare possint?

Eadem S. R. C. respondit: « in absentia Coadiuti, in omnibus Functionibus Canonicalibus teneri Canonicos inservire, et ministrare iuniori Coadiutori eo modo, quo tenerentur inservire, et ministrare Canonico antiquiori Coadiuto. » Et ita declaravit die 10. Ianuarii 1609.

397. REATINA.

Pro parte Episcopi Reatini in S. R. C. expositum fuit, Archidiaconum qui primum locum habet in Choro, et primam in Capitulo vocem, et duplicatas percipit quotidianas distributiones,

recusare ipsi Episcopo celebranti assistere, et ministrare, iuxta dispositionem *Libri Caeremonialis*, et propterea petit ab eadem Congregatione declarari: Quomodo cum dicto Archidiacono sit agendum?

Eadem S. R. C. respondit: « servandam omnino esse dispositionem Libri Caeremonialis in cap. 7. lib. 1. de Officio Presbyteri assistentis, ut scilicet ipse Archidiaconus tamquam primus Canonicus, seu prima, vel etiam unica dignitas assistat Episcopo celebranti, et quatenus id recuset, cogendum esse ab Episcopo debitis remediis, etiam sub censuris, et aliis poenis ecclesiasticis, ut officium suum in praefatis adimpleat. » Et ita declaravit die 10. Ianuarii 1609.

398. IACEN.

Episcopus Iacen. S. R. C. exposuit, quod Dignitates, et Canonici, nec non Portionarii, et reliqui Beneficiati Ecclesiae Cathedralis Iacen. praetendunt, non teneri ex obligatione associare Episcopum venientem cum habitu Chori e domo sua ad Ecclesiam. Quodque etiam Doctor Antonius Salvador modernus Decanus praedictae Ecclesiae praetendit non teneri ex consuetudine associare Episcopum venientem cum dicto habitu ad Ecclesiam, nec ab illa revertentem, nisi a porta Chori usque ad eius sedem, et in redeundo a d. eius sede usque ad dictam portam Chori, et hoc adhuc ex urbanitate, quia quando Episcopus celebrat in Pontificali, Iurati, et Magistratus Civitatis praedictae associant ipsum, tam eundo ad Ecclesiam, quam redeundo, illumque in eorum medio; et quod ob id non est iustum, nec (ut sibi videtur) rationi consonum, ut ipse, cum sit prima Dignitas post Pontificalem in illa Ecclesia, quod cedat dictis Iuratis etc. Quibus non obstantibus, ipse Episcopus contrarium praetendit, quod in specie supplicat declarari.

Eadem C. S. R. auditis iis, quae in suprascripto supplici libello ad instantiam Episcopi Iacen. narrata fuerunt, R. « Non ex urbanitate, sed etiam ex debito, et obligatione non modo Portionarios Canonicos, et Dignitates, sed etiam ipsum Decanum teneri associare Episcopum a domo suae habitationis usque ad Ecclesiam Cathedralem veniendo, et ab Ecclesia usque ad domum redeundo, quoties cum cappa venit ad Ecclesiam celebraturus, vel ut Divinis Officiis assistat iuxta formam Libri Caeremonialis Episcoporum. » Et ita declaravit die 10. Ianuarii 1609.

399. IACEN.

Pro parte R. P. D. Thomae moderni Episcopi Iacen. supplicatum fuit a S. R. C. declarari: An

in Ecclesia sua Iacen. teneantur Decanus, Dignitates, et Canonici assistere ei in Pontificalibus celebranti, iuxta declarationes alias a S. R. C. factas, et statutas regulas a *Caeremoniali* ultimo loco in lucem edito, quibus omnibus cavetur, ut Episcopo in Pontificalibus celebranti assistat Decanus, seu Praeses, uti senior de Capitulo, cum suo Pluviali, nec non una Dignitas, et unus Canonicus cum Dalmaticis, nec non duo alii, qui assistant uti Diaconus, et Subdiaconus ad cantandum Evangelium, et Epistolam. Dicti enim Decanus, Dignitates, et Canonici excusantur dicentes, quod non sunt, nisi decem et septem Canonici, et quod, si assisterent illi quinque, remaneret pauci in Choro. Ultra quod, ex consuetudine illius Ecclesiae, dicunt contrarium fuisse usque adhuc observatum. Dicunt etiam, quod illis non obstat dispositio praefati *Caeremonialis*, maxime cum in illis partibus, ut ipsi allegant, non fuit dictum *Caeremoniale* receptum. Et quod si in aliquibus partibus Hispaniarum servatur dispositio praefati *Caeremonialis*, non tamen ex obligatione, sed ex urbanitate servatur, et propterea dicunt ad id non teneri: et ne detur occasio amplius dubitandi, supplicat pro declaratione dicti Dubii.

Eadem S. R. C. « servandam esse formam Libri *Caeremonialis* declaravit, ut, quando Episcopus solemniter celebrat, Decanus, seu prima Dignitas, et duae aliae Dignitates, vel Canonici praeter Diaconum, et Subdiaconum, qui cantant Evangelium, et Epistolam, ei assistant, et ministrent, ut in Libro *Caeremoniali* Episcoporum cavetur Lib. 1. cap. 7. de officio Presbyteri Assistentis tam in Vesperis, quam in Missa, et cap. 8. eodem Libro De assistentia duorum Canonico-rum in habitu diaconali Episcopo celebrante. » Et ita declaravit, et in Ecclesia Cathedrali Iacen. servari mandavit die 10. Ianuarii 1609.

400.

BARCHINONEN.

Pro parte R. P. D. Raphaelis Episcopi Barchinonen. S. R. C. expositum fuit, quod instante Simone Episcopo Maioricens. consecrari, et promoveri ad ordinem Episcopatus in Civitate Barchinonae, ab ipso Raphaelae Episcopo dictae Civitatis a SS. Domino N. in *Bulla commissionis* Consecrationis nominato, fuerint per ipsum Raphaelem ad istum actum celebrandum convocati Episcopi vicini, videlicet Ludovicus Episcopus Celsonen., et Franciscus Episcopus Vicen., qui omnes tres simul congregati pro celebrando dicto actu in Ecclesia Barchinonen., volens ipse Raphael procedere ad dictam Consecrationem, prae-

tendit Ludovicus ad ipsum, uti antiquiorem Episcopum, spectare dictam Consecrationem facere, et dictae celebrationi praeesse: contrarium asserente ipso Raphaelae, qui dicebat ad ipsum spectare in sua Dioecesi similes actus Pontificales, et alios exercere, et celebrare, et nullum alium etiam antiquiorem Episcopum, nisi S. R. E. Cardinales, et Sedis Apostolicae Legatos, et proprium Metropolitanum sibi in dicta sua Dioecesi praecedere debere in similibus exercendis, ex quo tunc dilata fuit Consecratio, et postea per alios facta: et quia multoties contingit in dicta Civitate Barchinonae, uti principalis illius Provinciae, fieri debere similes Episcoporum congregationes pro similibus actibus exercendis, ne succedant scandala, et ut sciatur quid servandum sit, supplicat dictus Raphael Episcopus Barchinonen. pro declaratione.

Eadem S. R. C. ad supradictam Episcopi Barchinonen. petitionem respondit: « Episcopum Dioecesanum in sua Ecclesia Cathedrali, et Dioecesi in similibus Consecrationibus, et in omnibus aliis functionibus, et actibus Pontificalibus exercendis, praefendum esse omnibus aliis Archiepiscopis, et Episcopis, etiam promotione ipso Dioecesano anterioribus, Metropolitanis proprio tantum excepto; licet alias Episcopus Dioecesanus teneatur Episcopos advenas, et peregrinos in sua Dioecesi honorare, et ex urbanitate dexteram, et locum digniorem eis cedere. » Et ita declaravit die 10. Ianuarii 1609.

401.

PACEN.

Canonici et Capitulum Ecclesiae Cathedralis Pacen. petierunt a S. R. C. declarari: An teneantur recitare in Choro Officium B. Mariae, Officium defunctorum, septem Psalmos Poenitentiales, et Psalmos Graduales, prout assignantur in *Breviario reformato a fel. rec. Pio PP. V.* Quod Breviarium ipsi capitulariter acceptaverunt, et praedicta Officia, et Psalmos recitaverunt, licet non in omnibus diebus praescriptis in *Rubrica dicti Breviarii*, sed in quibusdam diebus prout faciebant ante acceptationem *dicti Breviarii reformati*: quam consuetudinem etiam paulatim dimiserunt cum non obliget *Bulla dicti Pii V.* sub poena peccati mortalis, ad recitandum dicta Officia, et Psalmos; et quia aliqui super hoc habent scrupulum, dicti Canonici, et Capitulum petierunt declarari: an sub poena peccati mortalis teneantur recitare dicta Officia, et Psalmos etc.

Eadem S. R. C. ad supradictam Capituli Ecclesiae Pacensis petitionem respondit: « teneri

Canonicos in Choro recitare Officium parvum Beatae Mariae, septem Psalmos Poenitentiales, Psalmos Graduales, et Officium defunctorum in diebus, in quibus assignantur in Breviario reformato a fel. rec. Pio PP. V., cum ipsi dictum Breviarium acceptaverint. Extra Chorum excusari, si dictos Psalmos Graduales, et Poenitentiales, et Officia Beatae Mariae, et defunctorum non recitant. » Et ita declaravit die 10. Ianuarii 1609.

402. LAURETANA.

In causa proposita in S. R. C. ad instantiam Canonicorum Ecclesiae Lauretanae contra Vicarium Generalem eiusdem Ecclesiae, qui licet sit de gremio eiusdem Cathedralis, et in ea Primiceriatum obtineat, quae in eadem Ecclesia est tertia Dignitas, tamen non in suo tertio stallo, nec in habitu Canonicali in publicis, et Capitularibus functionibus, et Officiis Divinis sedere vult, sed in habitu Praelati in primo loco, et supra omnes Dignitates stare, sedere, et incedere contendit; et nihilominus distributiones quotidianas, quae inter Dignitates, et Canonicos actu servientes distribuuntur, percipere intendit. Quare cum id aequum non esse dicti Canonici arbitrentur, eiusdem rei declarationem ad lites, controversias, et dissensiones inter ipsos, et praedictum Vicarium, hac de causa ortas, tollendas, ab eadem S. R. C. petierunt.

Eadem vero S. R. C., inhaerendo Decretis alias in simili casu factis, censuit, et declaravit: « Dictum Vicarium Generalem, cum sit Primicerius, et tertia Dignitas eiusdem Ecclesiae, nullo modo posse lucrari distributiones quotidianas, nisi in suo proprio stallo, seu loco, et in habitu Canonicali, quo similes eiusdem Ecclesiae Dignitates, et Canonici utuntur, Missis, Horis Canonicis, Divinis Officiis, et actibus Canonicalibus, et Capitularibus assistat. Caeterum si tamquam Vicarius Generalis in habitu Praelati primum locum supra omnes Dignitates, et Canonicos habere contenderit, tunc nullo modo posse, nec debere lucrari distributiones quotidianas, » censuit, et declaravit die 21. Martii 1609.

403. PACEN.

Antonius de Sotomaor, et Meneses Dominus in temporalibus Oppidi Alconchel Pacen. Dioecesis Sac. Rit. Cong. exponi fecit, esse in antiqua possessione, ut quotiescumque in solemnibus Festivitatibus Missa cum Diacono, et Subdiacono in Ecclesiis praedicti Oppidi celebratur, ipse accipiat pacem a Subdiacono, qui in praedicta Missa ministrat; idque ab Episcopo Pacen. in visitatione approbatum fuisse, qui suo Decreto mandavit,

et ordinavit, ut ita servaretur ab omnibus Subdiaconis ibidem celebrantibus. Quod Episcopi Pacen. Decretum idem Antonius petiit a S. R. C. approbari, et confirmari.

Eadem S. R. C. « consuetudinem, et Decretum Episcopi Pacen. circa distributionem Pacis in praemissis, servandum esse censuit, dummodo Pax non cum osculo, sed cum instrumento Domino praedicto loci ministretur. » Et ita declaravit die 21. Martii 1609. Confirmatum fuit Decretum die 28. Ianuarii 1612.

404. SEGOBRICEN.

Ortam fuisse contentionem de Praecedentia in Civitate Valentina inter Episcopos Segobricen., et Dertusen. S. R. C. narratum est, quae sic respondit, videlicet:

« Circa praecedentiam inter Episcopos nullam aliam rationem esse habendam, nisi temporis electionis, seu promotionis ad Episcopatum, S. R. C. declaravit, ita ut qui prius electus, seu promotus, et a summo Pontifice in Consistorio propositus, et confirmatus sit, debeat alteri cuiuscumque dignitatis, vel qualitatis postea electo, proposito, et, ut supra confirmato praecedere. Et hoc non modo inter Episcopos Segobricen., et Dertusen., sed etiam inter omnes totius Orbis Episcopos servandum esse, » censuit, et declaravit die 21. Martii 1609.

405. ABULEN.

Pro parte Capituli Ecclesiae Abulen. quaesitum fuit: An conveniat cantare aliquas cantiones vulgari sermone, non tamen profanas, in festivitate SS. Sacramenti etc.? S. R. C. respondit: *non convenire*. Et ita declaravit die 21. Martii 1609.

406. PISAUREN.

Praepositus, qui est prima Dignitas in Ecclesia Pisauren., petiit declarari: ad quem, absente Episcopo, pertineat benedicere Palmas, Candelas, et Cineres, et alias similes functiones facere, quas faceret Episcopus, si esset praesens etc.

S. R. C. « functiones praedictas, et benedictiones Candelarum, Cinerum, et Palmarum, absente, vel impedito Episcopo, ad primam Dignitatem, non autem ad Canonicum hebdomadarium pertinere, » censuit, et declaravit die 21. Martii 1609.

407. SPOLETANA TERRAE de VISSO.

Plebanus, Curati, et alii Presbyteri Terrae Vissi Spoletanae Dioecesis S. R. C. exposuerunt, eos saepissime contendere cum Fratibus, et Regularibus eiusdem Terrae, et ideo ad tollendas dissensiones inter eos petierunt declarari infrascripta dubia, videlicet:

1. An in funeralibus, quae fiunt in Ecclesiis Regularium Stolum deferre debeat Curatus, et confessionem generalem facere, praesentibus affinis, seu consanguineis defuncti, ut hactenus consuetum fuit; an vero Regulares debeant dictam Stolum deferre, et confessionem facere, prout novissime praetendunt ipsi Regulares, quando defuncti portantur in eorum Ecclesiis?

2. An Regulares possint Sacramenta deferre ad domos proprias Tertiiorum, vel Centuratorum in articulo mortis, si sint aggregati eorum Religionibus?

3. An Regulares possint accedere ad domos Infirmorum, qui non sint Tertiarii, nec Centurati, et eos etiam in articulo mortis aggregare, et recipere in eorum Ordine, et defunctos postea sepelire in eorum Ecclesiis?

4. An Regulares sine interventu Curati possint sepelire aggregatos Tertiarios, seu Centuratos defunctos?

Et cum Ill^{ms}, et R^{ms} D. Cardinalis Montisregalis iuxta commissionem sibi datam sententiam suam supra praemissis dubiis dixisset;

S. R. Cong., iuxta praedicti Ill^{mi}, et R^{mi} Domini Cardinalis Montisregalis relationem ad supradicta dubia respondit, ut infra.

Ad 1. « pertinere ad Curatum deferre Stolum, et facere confessionem generalem versus Populum. » Ad 2. « Non posse Religiosos ministrare Sacramenta in domibus Tertiiorum, seu Centuratorum aggregatorum, praeterquam Sacramentum Poenitentiae; administrationem vero caeterorum Sacramentorum pertinere ad Curatum. » Ad 3. « Non posse Religiosos in articulo mortis facere Tertiarios, seu Centuratos, eosque aggregare eorum Religioni. » Ad 4. « Posse in eorum Ecclesiis sepelire, absque Parochi interventu, viros huiusmodi collegialiter viventes, aut cum claustralibus habitantes, nec non Mulieres virginales, vel coelibem, aut castam vidualem expresso voto, et sub dicto habitu vitam ducentes. Quod si Tertiarii, vel Tertiariae his carent qualitatibus, non esse sepeliendos in Ecclesia Regularium, nisi ipsi dum vixerint in ea elegerint sepulturam, et tunc Parochum etiam esse adhibendum. » Et ita declaravit, et ad supradicta dubia respondit die 20. Iunii 1609.

408. FERRARIEN.

Canonici Diaconi, et Subdiaconi Ecclesiae Ferrariensis petierunt declarari: An existentibus eis in assistentia Episcopi, et superveniente antiquiore Canonico, debeat qui assistit discedere ab assistentia, et dare locum antiquiori?

S. R. C. respondit, « servandam esse in hoc consuetudinem, et usum Cappellae Papalis: » et ita declaravit die 20. Iunii 1609.

409. FERRARIEN.

Episcopus Ferrarien. petiit a S. R. C. declarari: An ipse possit cogere Canonicos Regulares Lateranenses S. Salvatoris, Olivetanos, et Casinenses, ut accedant ad publicas Processiones iuxta formam litterarum S. C. Episcoporum sub die 2. Maii 1600?

Eadem S. R. C. censuit, « Regulares omnes posse compelli iuxta declarationem Congregationis Sacri Concilii, cuius quidem Sacri Concilii declaratio talis est, videlicet: Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum saepius declaravit, publicas Processiones, ad quas exempti, ab Episcopis vocati, accedere tenentur ex decreto cap. 13. sess. 25. eiusdem Concilii, eas esse intelligendas, quae indictae fuerunt pro bono publico, vel publico honore. Quam Congregationis Sacri Concilii declarationem eadem Sac. R. C. Ferrarienae, et ubique servandam esse » censuit, et declaravit die 27. Iulii 1609.

410. URBIS.

Quaesitum fuit a nonnullis Presbyteris Beatae Mariae Montium de Urbe: An in Missis votivis B. Virginis in Sabbato, quando non fit Officium de S. Maria, dicendum sit *Gloria in excelsis Deo etc.*

C. S. R. « affirmative respondit iuxta Rubricas Missalis, Gloria in excelsis Deo etc. dicendum esse in Missis votivis de S. M., quae celebrantur in Sabbato, etiamsi non fiat Officium de ea. » Et ita declaravit die 27. Iulii 1609.

411. NULLIUS PROVINCIAE BAREN.

Universitas Terrae Fasani nullius Dioecesis Provinciae Baren., quae in temporalibus, et spiritualibus est subiecta Priori, seu Baglivo Sancti Stephani Ordinis Hierosolymitani, petiit declarari: An conveniat inter Missarum solemniam, porrigere Textum Evangelii exosculandum dicto Priori, dum ibi praesens est, cum thurificatione, et osculo Pacis, prout ipse Prior non solum praetendit praedicta omnia sibi, sed etiam, eo absente, ministranda esse suo Procuratori, qui plerumque est persona mere laica.

C. S. R. respondit, « Textum Evangelii Episcopo, si adesset, vel in eius absentia Celebranti tantum esse porrigendum, et non loci Domino, et ideo non convenire, ut porrigatur dicto Priori, et multo minus eius Procuratori. Quo vero ad Incensum, et Pacem, servandas esse regulas Libri Caeremonialis. » Et ita declaravit die 24. Augusti 1609.

412. NULLIUS PROVINCIAE BURGEN.

Abbas pro tempore existens Monasterii Sancti Aemiliani de la Cocolla nuncupat. Congregationis Vallisoletan. S. Benedicti loci eiusdem S. Aemiliani nullius Dioecesis Provinciae Burgen., qui ordinariam, et Episcopalem iurisdictionem exercet in dictum locum, et nonnulla alia Oppida, et Mitra, et Baculo pastoralis utitur, et inter Divinorum solemniam, solemniter Populo benedicit, quia nonnulli asserunt, non posse id private facere, supplicavit declarari: An ipse Abbas in quocumque loco, ubi huiusmodi iurisdictionem habet, possit private Benedictionem Populis impertiri, sicuti solemniter potest?

S. R. C., « negative, respondit, non posse dictum Abbatem private suis subditis benedicere. » Et ita declaravit die 24. Augusti 1609.

413. GRANATEN.

Pro parte Archiepiscopi Granaten. a S. R. C. quaesitum fuit: An liceat, et permissum sit laicis, cuiuscumque qualitatis existant, dum Divina Officia in Ecclesia Metropolitana Granaten. celebrantur, inter Canonicos, et alios in eadem Ecclesia Praebendatos, ac Ministros in Choro, vel Presbyterio stare, vel sedere; seu etiam liceat Magistratibus, aut viris illustribus, et aliis personis laicis perpetuas Dignitatum sedes, aut Canonicorum, vel Portionariorum stalla in Choro praedicto, aut Presbyterio occupare, etiamsi id eis aliquando permissum fuerit; nec non id ipsum non solum in Ecclesia Metropolitana Granaten., sed etiam in Processionibus, Sermonibus, Offertoriis, et in aliis Ecclesiis, ad quas ire, seu assistere Capitulum, et Canonicos praedictae Ecclesiae Granaten. contigerit?

Eadem Sac. Rit. Congreg. iuxta dispositionem *Caeremonialis Episcoporum Lib. 1. cap. 13.*, et inhaerendo *Decretis* alias in simili causa factis, declaravit: « non licere, nec permitti debere laicis, dum Divina Officia in Ecclesia Metropolitana celebrantur, inter Canonicos, et alios in Ecclesia Praebendatos, ac Ministros in Choro, vel Presbyterio stare, vel sedere: Neque licere Magistratibus, aut Iudicibus laicis, proprias Dignitatum sedes, aut Canonicorum stalla in Choro praedicto, aut Presbyterio occupare, etiamsi aliquando id eis permissum fuerit. Idque tam in Archiepiscopali Granatensi Ecclesia, quam etiam in Processionibus, et Offertoriis, et in aliis Ecclesiis, ad quas ire, seu assistere Capitulum, et Canonicos eiusdem Ecclesiae Granaten. contigerit servandum esse » censuit, et declaravit die 24. Octobris 1609.

414. GRANATEN.

Ex aliqua consuetudine Ecclesiae Granaten. Archiepiscopum duos semper apud se habere Canonicos Assistentes, sive Pontificaliter celebret, sive alias quomodolibet Divinis assistat, eosdemque assistentes etiam hinc inde apud se habere per viam, dum ad Ecclesiam procedit, solitum esse, pro parte eiusdem Archiepiscopi Granaten. Sac. R. C. expositum fuit. Et quia Praesidens, et Auditores Cancellariae Regiae Granaten. praetendunt in eorum praesentia huiusmodi consuetudinem non esse servandam, dum ipsi pariter cum Archiepiscopo Divinis Officiis in Ecclesia, in quibusdam Solemnitatibus assistunt, sed tunc debere Archiepiscopum contentum esse unico Assistente: et propterea Archiepiscopus dubitet ipsum Praesidentem, et Auditores minus toleraturos tertium Assistentem Presbyterum, ex dispositione *Libri Caeremonialis* sibi pariter non minus, quam praedictos duos concessum, dum Archiepiscopus solemniter celebrat, aut Divinis Officiis assistit, petiit id etiam a S. R. C. declarari.

Quae quidem S. R. C., « non duos tantum Canonicos Assistentes hinc inde assistere debere Archiepiscopo celebranti, vel Divinis Officiis assistenti, iuxta dispositionem praedicti *Caeremonialis Lib. 1. cap. 8.*, et per viam, dum ad Ecclesiam procedit, iuxta antiquam dictae Ecclesiae Granatensis consuetudinem, sed tertium etiam Presbyterum assistentem eidem pariter convenire, dum Divinis assistit, vel solemniter celebrat, iuxta dispositionem eiusdem *Caeremonialis Lib. 1. cap. 7.* Et ita in Ecclesia Granaten. servandum esse tam in praesentia Praesidentis Cancellariae, et Regii Magistratus, quam in eorum absentia, » censuit, et declaravit die 24. Octobris 1609.

415. RIPANA.

Canonici, et Capitulum Ecclesiae Ripanae, cum ab eorum Episcopo cogantur, non modo in diebus solemnioribus, sed etiam singulis diebus Dominicis, et festivis, tam in primis Vesperis, et ad Missam, quam in secundis Vesperis, ut ei obsequium praestent, associando illum a domo suae habitationis ad Ecclesiam veniendo, et, finito Officio, redeundo ab Ecclesia ad domum: non recusantes ei debitum obsequium praestare iuxta formam *Libri Caeremonialis*, sed nimis se gravatos sentientes ad tam frequens, et continuum obsequium praestandum, ad S. R. C. recursum habuerunt, ut dignaretur declarare quomodo, et quando, ac quibus diebus dictum obsequium ipsi Canonici, et Capitulum Episcopo suo praestare teneantur?

Quae quidem S. R. C. inhaerendo Decretis alias in similibus Causis factis, declaravit, « servandum esse infrascriptum Decretum factum pro Ecclesia Perusina, et confirmatum etiam pro Ecclesia Asculana huiusmodi sub tenore, » videlicet:

Non quoties Episcopus ad Ecclesiam accedit, Dignitates, et Canonici eum ex Palatio suo excipere, comitari, et reducere tenentur, sed in solemnioribus tantum diebus, quando ad Ecclesiam cum Cappa ad celebrandum, vel Pontificalia exercenda accedit. In caeteris autem diebus, quibus ad Ecclesiam ire debet, satis esse, si aliqui ex Dignitatibus, et Canonicis ei ad ostium Ecclesiae occurrant, et in reditu eundem usque ad ostium similiter comitentur: et ita alias in Congregatione supradicta resolutum fuisse, neque aliter in novo Caeremoniali disponi; et ita in Ecclesia Perusina servandum esse respondit Sac. R. C. die 20. Novembris 1609.

Itaque iuxta praeinserti Decreti formam, et tenorem, Canonicos, et Capitulum Ecclesiae Ripanae teneri Episcopo suo obsequium in associando praestare, « eadem S. R. C. censuit, et declaravit die 24. Octobris 1609.

416. SASSOFERATI NUCERINAE DIOECESIS.

Prior Ecclesiae Curatae S. Angeli Terrae Sassoferaten. petiit declarari: An Canonici Ecclesiae Collegiatae eiusdem Terrae, quando associant mortuos, sepeliendos in Ecclesia Parochiali ipsius Prioris, debeant ipsum Priorem, qui defert Stolum, praecedere?

C. S. R. respondit, « illum Presbyterum, seu Curatum, seu Priorem, qui defert Stolum, et ad cuius Ecclesiam funus defertur, alios omnes praecedere debere. » Et ita declaravit die 24. Octobris 1609.

417. ANTUERPIEN.

Decanus, et Capitulum Ecclesiae Antuerpien. petierunt declarari: An qui Officium in Choro facere debet, debeat praecedere Decanum, qui est prima Dignitas in eadem Ecclesia etc.

C. S. R. respondit, « quod quando Officium facturus est paratus sacris paramentis, debet omnes, et etiam Decanum praecedere; in reliquis vero, et quando non est paratus, servandam esse consuetudinem Ecclesiae. » Et ita censuit, et declaravit die 24. Octobris 1609.

418. MACERATEN.

Praepositus, et Canonici Collegiatae Ecclesiae S. Salvatoris in civitate Maceraten. S. C. Episcoporum exposuerunt, Episcopum Maceraten. non solum praetendere, ut sub Cruce Ecclesiae Cathedralis incedant Vicarii perpetui, et alii Presbyteri, et Clerici perpetuo adscripti servitio

dictae Ecclesiae Cathedralis, prout declaravit Sac. R. C. sub die 21. Martii 1609., qui Vicarii, et Clerici ante dictum Decretum solebant incedere sub Cruce Ecclesiae Collegiatae praedictae, sed etiam praetendere, ut sub eadem Cruce Ecclesiae Cathedralis incedant etiam omnes, qui vel in eadem Ecclesia Cathedrali aliquod Beneficium simplex habent, vel etiam in eadem Ecclesia Cathedrali vocati aliquando inserviunt ad beneplacitum, nec non etiam Clerici, qui Missis privatis in Ecclesia Cathedrali inserviunt, qui omnes in consequentiam praecedunt Praeposito, et Canonicis Ecclesiae Collegiatae S. Salvatoris. Quod cum videatur dicto Praeposito, et Canonicis Ecclesiae Collegiatae magnum afferre praeiudicium, petierunt declarari, ut dicti Clerici Presbyteri, et alii, qui non sunt perpetuo adscripti servitio Ecclesiae Cathedralis, debeant incedere in publicis Processionibus non sub Cruce Ecclesiae Cathedralis, sed sub Cruce Ecclesiae Collegiatae; et cum eadem Sac. Congr. Episcoporum negotium hoc ad S. R. C. remiserit,

Eadem S. R. C. declaravit, « omnes Canonicos, Presbyteros, et Clericos, quovis modo adscriptos servitio Ecclesiae Cathedralis, vel ad tempus, vel in perpetuum, facere unum corpus, et debere omnes incedere sub Cruce Ecclesiae Cathedralis, cui inserviunt, vel in ea Beneficia simplicia possident; nec propterea inferri praeiudicium Praeposito, et Canonicis Ecclesiae Collegiatae, qui faciunt aliud corpus distinctum ab Ecclesia Cathedrali, quae procul dubio debet praecedere Ecclesiae Collegiatae: et dicti Presbyteri, Clerici, et alii Ecclesiae Cathedrali adscripti, non praecedunt Ecclesiae Collegiatae tamquam singuli, sed tamquam uniti Corpori Ecclesiae Cathedralis, quod corpus nullo modo dividi debet, » et ita censuit, et declaravit, et in Civitate Maceraten. servari mandavit die 28. Novembris 1609.

Sequuntur Decreta, quorum supra mentio fit, et ad quae relationem habet S. C. responsum.

Episcopus Maceraten. S. R. C. per suas litteras narravit, quod cum ipse iuxta formam Sac. Conc. Tridentini duos Vicarios perpetuos in Ecclesia Cathedrali creaverit, qui prius in Processionibus, et funeribus, cum essent simplices Presbyteri, solebant ire sub Cruce Ecclesiae Collegiatae Sancti Salvatoris eiusdem Civitatis, sub qua solent incedere ceteri similes Presbyteri, quos Altaristas in dicta Civitate vocant; sed postquam creati fuerunt Vicarii perpetui, non amplius sub Cruce Ecclesiae Collegiatae praedictae, sed sub Cruce Ecclesiae Cathedralis in Processionibus, et funeribus incedere coeperunt. Quod aegre ferentes Canonici

Ecclesiae Collegiatae praedictae recursum habuerunt ad Urbem, et obtinuerunt inhibitionem ab Auditore Camerae, ut dictos Vicarios perpetuos cogere incedere sub Cruce Ecclesiae Collegiatae, prout incedebant, antequam essent creati Vicarii perpetui in dicta Ecclesia Cathedrali; et propterea Episcopus petiit a praedicta S. C. declarari, sub qua Cruce dicti Vicarii perpetui, adscripti servitio Ecclesiae Cathedralis, incedere debeant? Eadem S. C., audita relatione Ill^{mo}, et R^{mo} Domini Cardinalis Galli, cui hoc negotium fuerat commissum, et mature consideratis omnibus considerandis, censuit, et declaravit: « dictos duos Vicarios perpetuos creatos in Ecclesia Cathedrali, licet sint Altaristae, et solerent prius incedere sub Cruce Ecclesiae Collegiatae, ac omnes alios similes Presbyteros, seu Clericos assignatos Ecclesiae Cathedrali, debere incedere sub Cruce Ecclesiae Cathedralis, cui inserviunt, et non sub Cruce Ecclesiae Collegiatae. Et propterea moderandam esse inhibitionem Auditoris Camerae, prout moderari mandavit, et perpetuum silentium super praemissis, Canonicis Ecclesiae Collegiatae S. Salvatoris imponendum esse, prout imposuit, » et ita censuit, et declaravit, et exequi mandavit die 27. Septembris 1608.

Cum alias sub die 27. Septembris 1608. ad instantiam R. P. D. Episcopi Maceraten. a S. R. C. declaratum fuerit, Vicarios perpetuos creatos, et erectos in Ecclesia Cathedrali Maceraten., non debere amplius incedere sub Cruce Ecclesiae Collegiatae S. Salvatoris, sicut ante dictam erectionem incedere cum aliis Curatis solebant, sed sub Cruce Ecclesiae Cathedralis, cui inserviunt; et Canonici dictae Ecclesiae S. Salvatoris non acquirerint dictae declarationi, aegre ferentes, quod dicti Vicarii perpetui in publicis Processionibus incedant sub Cruce, et cum Clero Ecclesiae Cathedralis, et per consequens ipsis praecedant; petierunt dicti Canonici Ecclesiae Collegiatae, et institerunt, huiusmodi negotium iterum in eadem S. R. C. proponi, prout propositum fuit, et commissum eidem Ill^{mo}, et R^{mo} D. Cardinali Gallo, cuius relatione audita, eadem S. R. C., « a praedicto Decreto non esse recedendum, *censuit*, cum praedicti Vicarii non sint simplices Curati, sicut alii Vicarii aliarum Ecclesiarum Parochialium, sed sint de corpore Ecclesiae Cathedralis, cui continuo inserviunt, et perpetuo adscripti sunt, et ex redditibus, possessionibus, et proventibus dictae Ecclesiae Cathedralis mercedem, et annuos fructus percipiunt. Et ideo eos sub Cruce Ecclesiae Cathedralis, tamquam eiusdem Ecclesiae cor-

poris membra incedere debere, *censuit*, et ita, quibuscumque ex adverso allegatis non obstantibus » declaravit, et in futurum servandum esse mandavit, et ordinavit die 21. Martii 1609.

419. PATAVINA.

Cum alias sub die 30. Augusti 1602. declaratum fuerit ad instantiam Beneficiorum, et Cappellanorum Ecclesiae Cathedralis Patavinae, Magistris Caeremoniarum non dari certum locum in Processionibus, sed ubique eos assistere, et discurrere debere, iuxta necessitatem, et occasionem in ordinandis, et disponendis Processionibus; novissime pro parte eorumdem Beneficiorum, et Cappellanorum in eadem S. C. institutum fuit declarari, in quo loco debeant sedere, seu stare dicti Magistri Caeremoniarum in Ecclesia, seu Choro?

Eadem S. R. C. respondit, « Magistros Caeremoniarum debere assistere apud Celebrantem, vel sedere ad eius pedes. Et in Choro, quando Officia non celebrantur solemniter, in quibus Magistrorum Caeremoniarum assistentia non requiratur, sedere debere inter Clericos, vel Presbyteros, iuxta ordinem Praebendarum, vel Beneficiorum, quae in dicta Ecclesia habuerint, vel obtinuerint. Quod si nullum habuerint, vel obtinuerint Beneficium, vel Praebendam, inter simplices Clericos, vel Presbyteros, ordinis, et antianitatis praerogativa servata, sedere, et assistere debere. » Et ita declaravit die 28. Novembris 1609.

420. PACEN.

Cum Episcopus Pacen. a S. R. C. declarari procuraverit, cuinam consignanda sit clavis capsulae, in qua Feria V. in Coena Domini conservatur SS. Sacramentum sumendum in crastinum, quam ipse honoris causa, ut moris est in multis Ecclesiis Hispaniae, consignavit Gubernatori civitatis, et quam Decanus Ecclesiae sibi esse consignandum praetendit,

Eadem S. R. C. respondit, « nequaquam Gubernatori Civitatis dictam clavem esse consignandam, sed potius illi Dignitati, vel Canonico, qui in crastinum feria VI. in Parasceve erit celebraturus. » Et ita declaravit die 30. Ianuarii 1610.

421. ARETINA.

In Causa Aretina inter Praepositum primam Dignitatem, et Canonicos Ecclesiae Cathedralis eiusdem Civitatis, circa functiones exercendas, absente, vel impedito Episcopo, quae diu in Sac. R. C. agitata, et ventilata fuit, primum coram bo: me: Ill^{mo}, et R^{mo} D. Cardinali Seraphino, et postea coram Ill^{mo}, et R^{mo} D. Cardinali Milino, visis iuribus ambarum partium, et saepe

saepius citato D. Flaminio Henrico Procuratore Canonicorum, qui nihil contra allegata pro parte Praepositi opposuit, et tandem audita relatione praedicti Ill^{mi}, et R^{mi} D. Cardinalis Millini,

Eadem S. R. C., « inhaerendo Decretis alias factis in similibus causis, *censuit, et declaravit* ad D. Aemilianum de Octavianis modernum Praepositum Ecclesiae Aretinae tamquam ad primam Dignitatem, absente, vel impedito Episcopo, spectare, et pertinere, eique competere omnes functiones exerceri solitas ab Episcopo, quales sunt Benedictio Candelarum in die Purificationis, Benedictio Cinerum, Benedictio Palmarum, Benedictio Fontium, Absolutio Mortuorum in die Commemorationis omnium Defunctorum, et post Festum Sancti Donati Patroni dictae Ecclesiae, delatio SS. Sacramenti Fer. 2. maioris hebdomadae ad ponendam orationem in dicta Ecclesia, et in die Festivitate eiusdem SS^{mi} Sacramenti, et aliae similes functiones Episcopales. In quibus omnibus, et aliis quibuscumque dicti Praepositi praerogativis, et praesentibus a Canonicis ullo modo molestari, seu perturbari debere, *censuit, et declaravit*; imo ad dictas, et similes sibi pertinentes functiones admitti debere, *mandavit, et ordinavit, quibuscumque non obstantibus*. Ac ita in Civitate, et Ecclesia Aretina a Canonicis, et aliis quibuscumque servari » voluit, decrevit, et mandavit die 30. Ianuarii 1610.

422. ASCULANA IN APULIA.

Ad instantiam Thesaurarii, et Magistri Caeremoniarum Cathedralis Ecclesiae Asculanae in Apulia a S. R. C. quaesitum fuit: An Archidiaconus eiusdem Ecclesiae, ex eo quod Privilegium Protonotariatus obtinuerit, possit, et debeat in Choro, Processionibus, et aliis actibus publicis, relicto habitu proprio Archidiaconi, hoc est Superpelliceo cum Caputio violaceo, uti habitu Praelati, hoc est Mantelletto, et Rochetto sine Cotta, et Caputio, et uti etiam dicto habitu Prothonotarii, dum Episcopo celebranti iuxta suum munus assistit, et in Processionibus incedere possit cum dicto habitu non in loco sibi debito, ut Archidiaconus, sed in ultimo tamquam Praelatus, et prope Episcopum: et an conveniat, dum Missas in dicta Ecclesia celebrat, ut non ex Sacristia, ut faciunt caeteri omnes eiusdem Ecclesiae Dignitates, et Canonici, sed ex Altari sumat paramenta pro Missa celebranda more Praelatorum?

Eadem S. R. C., « inhaerendo Decretis alias in simili casu factis, *declaravit*, nullo modo posse Archidiaconum praedictum lucrari distributiones quotidianas, et fructus suae Praebendae Archi-

diaconalis, nisi in habitu proprio, et Archidiacono conventi in Choro, et in Ecclesia assistat horis Canonicis, et Divinis Officiis, et cum eodem habitu in Processionibus incedat in loco sibi debito, et convenienti tamquam Archidiacono, et non tamquam Protonotario, et dum in Ecclesia Cathedrali celebrat Missas, morem consuetum Ecclesiae servare debere, sicut faciunt alii eiusdem Ecclesiae Dignitates, et Canonici. Quod si voluerit uti habitu Protonotarii in Ecclesia praedicta, nihil participare poterit de fructibus, et distributionibus Archidiaconatus; tamquam extraneus reputabitur, eique locus assignandus erit post Abbates, non supra, nec inter Canonicos, ut dicitur in Caeremoniali Episcoporum Lib. 1. cap. 13. circa finem. » Et ita eadem Congregatio declaravit, et in Ecclesia Asculana in Apulia servari mandavit, die 6. Martii 1610. Hoc Decretum confirmatum fuit 19. Novembris 1611.

TIBURTINA.

423.

Canonici Civitatis Tiburtinae petierunt declarari: An Vicarius Generalis debeat illis praecedere, dum ipsi Canonici in Vesperis, vel in Missis solemniter ab Episcopo celebratis, sacris Paramentis induti assistunt, et Episcopum associant, et cum eo in Choro sedent?

S. R. C., « inhaerendo Decretis alias in simili causa factis, *respondit*, praecedentiam dandam esse Canonicis paratis, nec convenire, ut Vicarius Canonicis paratis praecedat. » Et ita declaravit die 6. Martii 1610.

424.

RIPAE TRANSONAE.

Antiani, et Magistratus Civitatis Ripae Transonae per suas litteras S. R. C. significaverunt, et exposuerunt, quod Canonici Ecclesiae Cathedralis extra dietam Ecclesiam, dum ad concionem audiendam in Ecclesia Sancti Dominici accedunt, praetendunt ipsis Antianis, et Magistratui praecedere, sicut praecederent in Ecclesia Cathedrali, quod eis extra Ecclesiam Cathedralem convenire non videtur.

Eadem S. R. C., « iuxta formam Libri Caeremonialis, et prout alias fuit declaratum, *respondit*, praecedentiam semper dandam esse Canonicis tam in Cathedrali, quam in quacumque alia Ecclesia, dum ad Officia Divina, vel ad Concionem audiendam sedent in habitu Canonicali. » Et ita declaravit die 6. Martii 1610.

425.

AVENIONEN.

In causa Avenionen. circa praetensiones Praepositi, et Archidiaconi eiusdem Ecclesiae, qui in absentia Archiepiscopi praetendunt thurificationis honorem, triplici ductu thuribuli,

S. R. C. audita relatione Ill^{mi}, et Rⁿⁱ Domini Card. Gonzagae, cui haec causa commissa fuerat, circa thurificationem Dignitatum, et Canoniorum in Ecclesia Avenionen. « regulas Libri Caeremonialis servandas esse, » censuit, et declaravit die 24. Aprilis 1610.

426. CHILEN. IN INDIIS.

Episcopus Chilen. in Indiis Occidentalibus in S. R. C. exponere fecit, recusare Religiosos Mendicantes, et Monachos in dicta Civitate commorantes accedere ad publicas Processiones Rogationum, et ad alias generales Processiones, quae in dicta Civitate fieri solent per annum, sub eo praetextu, quod, cum ipsi sint Regulares, non possit Episcopus eos compellere iuxta formam iuris, et Sac. Concilii Tridentini.

Eadem S. R. C., « inhaerendo Decretis alias in simili causa factis, *declaravit*, Episcopum posse compellere omnes Religiosos tam mendicantes, quam Monachos etiam exemptos, sub poenis, et censuris ecclesiasticis, ut accedant ad publicas, et generales Processiones. Et publicas, et generales Processiones iuxta declarationem Congregationis Sacri Concilii Tridentini cap. 3. Sess. 1. 25., eas esse intelligendas, quae indictae fuerunt pro bono publico, vel publico honore, ad quas Processiones omnes Religiosos accedere tenentur, et recusantes potest Episcopus sub poenis, et censuris ecclesiasticis compellere, ut accedant.» Et ita declaravit die 15. Maii 1610.

427. NUCERINA SASSOFERRATEN.

Vicarius Generalis Episcopi Nucerni in Umbria S. R. C. exposuit, Commissarium, sive Potestatem Oppidi Sassoferraten., quod sub eadem Dioecesi situm est praetendere supra ipsum Vicarium Generalem praecedentiam, licet tam in Civitate Nucerna, quam in Terra Gualdi, et aliis locis dictae Dioecesis Commissarii sine contradictione Vicario Generali cedant, et praecedentiam concedant, et ideo ad tollendas contentiones inter ipsum Vicarium, et Commissarium praedictum Sassoferraten. petiit declarari, quid conveniat?

Eadem S. R. C., « spirituales iurisdictionem, temporali esse praefendam, *saepe declaravit*, et ideo Vicarium Generalem Episcopi in tota Dioecesi Nucerna praefendum esse omnibus Commissariis, et Potestatibus locorum dictae Dioecesis tam Sassoferrati, quam alibi, » censuit die 15. Maii 1610.

428. ARBOREN.

Capitulum Ecclesiae Arboren. S. R. C. exponi fecit, in eadem Ecclesia introductum esse usum libri Caeremonialis Episcoporum, et licet in eodem

Libro dicatur, quod Canonicus paratus ad celebrandum Vesperas debeat habere primam sedem, sive stallum Chori ab ea parte, quae in illa hebdomada obtigerit; nihilominus Archipresbyterum eiusdem Ecclesiae sub praetextu consuetudinis, et quod in literis Apostolicis ei detur prima sedes in Choro, non velle primam sedem cedere dicto Canonico celebranti; et ideo idem Capitulum petiit declarari: An Archipresbyter teneatur omnino cedere Canonico celebranti primum locum, vel primam sedem praedictam?

Eadem S. R. C. respondit: « Omnino servandam esse formam Libri Caeremonialis: cum valde indecorum, et indecens sit, ut quaevis Dignitas sive Archipresbyter, sive alius in habitu ordinario Canonicali praecedentiam habeat supra Canonicum Pluviali paratum, cui omnino primum locum, tam ratione Paramentorum, quam ratione celebrationis Officii, ab Archipresbytero, et ab aliis omnibus Dignitatibus, et Canonicis cedendum est, ita ut supra ipsum Canonicum celebrantem nullus alius stare, vel sedere sub quovis praetextu possit, seu debeat. » Et ita censuit, et declaravit, et in eadem Ecclesia Arboren. servari mandavit, quibuscumque non obstantibus, die 26. Iunii 1610.

429. VERCELLEN.

Cum in Ecclesia Vercellen. prima Dignitas, et primus Presbyter sit Archidiaconus, et in eadem Ecclesia Praebendae Canonicae distinctae sint inter octo Presbyteros, octo Diaconos, et totidem Subdiaconos, et Archidiaconus suae Dignitatis Canonicatum Presbyteralem adnexum habeat; pro parte eiusdem Archidiaconi in S. R. C. quaesitum fuit, quisnam debeat Episcopo solemniter celebranti assistere paratus cum Pluviali? An ipse Archidiaconus, vel potius Archipresbyter, ut ipse Archipresbyter praetendit, virtute cuiusdam Decreti Visitoris Apostolici, in quo asseritur statutum fuisse, ut Archidiaconus non cum Pluviali, sed cum Tunicella paratus, Episcopo celebranti assistat?

Eadem S. C. respondit: « *Servandam esse regulam Libri Caeremonialis*, qui expresse, et clare casum propositum determinat Cap. 7. Lib. 1. his verbis. Inter omnes Episcopi ministros, qui eis in Divinis assistunt, et serviunt, primus, et dignior est Presbyter Assistens, qui idcirco debet esse dignior ex Presbyteris tam Canonicis, quam Dignitatibus, qui in Choro cum aliis sedere solent: nec refert quo nomine nuncupetur, an Archidiaconus, an Archipresbyter; sed attenditur, ut sit dignior omnino ex omnibus in Sacerdotio constitutis etc. »

« Et cum omnes supradictas qualitates a Caeremoniali requisitas habeat Archidiaconus Vercellen., ad ipsum tamquam ad primam Dignitatem, et primum Presbyterum, officium assistendi Episcopo cum Pluviali pertinere, non autem ad Archipresbyterum, quocumque Decreto Visitacionis non obstante, » censuit, et declaravit, et in Civitate Vercellen. servari mandavit die 7. Augusti 1610.

430. CANDIAE.

Cum inter Vicarium generalem, quem esse Canonicum Ecclesiae Cathedralis asseritur, et Decanum Candiae saepe lites, et dissensiones ortae sint circa locum, et praecipientias thuris, et pacis; ad huiusmodi contentiones tollendas, Livius Lilius modernus dictae Ecclesiae Decanus petiit a S. R. C. declarari: An Vicarius Generalis, cum sit Canonicus, in Choro, et alibi debeat ipsi Decano, qui primam Dignitatem in eadem Ecclesia obtinet, praecedere, et habere ante ipsum Decanum thuris honorem, et pacis osculum?

Eadem C. S. R., « inhaerendo Decretis alias in similibus causis factis, censuit, et declaravit, praecedentiam in omnibus dandam esse Vicario Generali, quando tamquam Vicarius, et non tamquam Canonicus in Choro, et actis publicis assistit. Quando vero Vicarius est Canonicus, non posse tunc luerari distributiones quotidianas, quae dantur, et distribuuntur inter Canonicos, qui Divinis Officiis, et horis Canonicis assistunt, nisi in habitu Canonicali, et in loco suae promotionis sedeat, et assistat tamquam Canonicus, qui tunc Decano, et aliis Canonicis dignioribus, et antiquioribus locum digniorem, et thurificationis, ac pacis honorem cedere debet. » Et ita declaravit, et in Ecclesia Candiae servandum esse censuit, et ordinavit die 7. Augusti 1610.

431. TURRITANA.

Cum in Dioecesi Turritana sint multae Ecclesiae Parochiales, quae singulae habent aliquos Sacerdotes, et Clericos, in quibus Divina Officia celebrantur, Archiepiscopus Praedecessor moderni, et postea ipse modernus in Concilio Provinciali ab eo celebrato statuerunt, ut in omnibus parochialibus Ecclesiis, Rector tamquam primus, et caput illius Ecclesiae, ante omnes habeat thuris, et pacis honorem, etiam ante Dominos loci. Cui Decreto dictos Dominos loci nolle acquiescere, ad instantiam Rectorum praedictarum Ecclesiarum Parochialium S. R. C. expositum fuit, et institum declarari, quid in casu proposito conveniat?

Eadem Sac. Rituum Congregatio, « Decretum supradictum, ab Archiepiscopis praedictis factum,

servandum esse, » censuit, et declaravit die 7. Augusti 1610.

432. ANDRIEN.

Cum alias sub die 19. Iunii 1604. a S. R. C. ad instantiam Episcopi Andrien. ordinatum fuerit, ut in Ecclesia Andrien. Vicario Generali Episcopi, in absentia ipsius Episcopi, primus locus in Choro assignetur supra omnes Dignitates, et Canonicos; et Vicarius praedictus locum, seu stallum Archidiaconi primae Dignitatis occupaverit, de quo Archidiaconus conquerebatur, cum, occupato suo stallo a Vicario, primus locus remaneat Archipresbytero, qui secundam obtinet Dignitatem, et cedere debet primum, et digniorem locum in Choro ipsi Archidiacono; et cum haec causa a S. R. C. commissa fuerit Illmo, et Rmo D. Cardinali Peretto, qui tandem, auditis Partibus, merita causae *sub infrascripta* die 7. Augusti retulit: quibus auditis

Eadem C. S. R., « a Decretis iam factis in hac causa non esse recedendum censuit, et omnino in absentia Episcopi, primum locum Chori assignandum esse Vicario Generali » declaravit, die 7. Augusti 1610.

Et quia postea Archidiaconus exposuit Chorum esse distinctum, ita ut a parte dextera Sedis Episcopalis (quae in absentia Episcopi vacua remanere debet) primus locus sit Archidiaconi, et a parte sinistra primus locus sit Archipresbyteri, et tertiae Dignitati locus assignetur apud Archidiaconum a parte dextera, et quartae Dignitati assignetur locus a parte sinistra apud Archipresbyterum, et sic alternatim; petiit Archidiaconus, ut praesente Vicario in Choro, et suum stallum occupante, sibi assignetur locus a parte sinistra Chori, et Archipresbyter tunc veniat in parte dextera apud Vicarium: sicut in simili casu servatur in Ecclesiis Patriarchalibus Sancti Petri, et Sanctae Mariae Maioris de Urbe, ut per fides subscriptas a Magistris Caeremoniarum dictarum Ecclesiarum constat, quas dictus Archidiaconus praesentavit in manibus Illmi, et Rmi D. Cardinalis Pinelli eiusdem S. R. C. Praepositi.

Quibus visis, Dominatio sua Illma, et Rma ordinavit, « ut omnino servetur Decretum Congregationis, ut Vicario Generali, in absentia Episcopi, primus locus Chori assignetur: sed ne Archidiacono praeiudicium inferatur, primus locus immediate post Vicarium a parte sinistra, ipsi Archidiacono assignetur, secundus locus a parte dextera apud Vicarium, Archipresbytero, tertius tertiae Dignitati; et sic successive per ordinem, ita ut unaquaeque Dignitas locum primum, se-

eundem, vel tertium post Vicarium occupet, qui primae, secundae, vel tertiae Dignitati conveniat: praesente vero Episcopo, et in absentia Vicarii, quaelibet Dignitas sedeat in suo proprio stallo. » Et ita dictus Ill^{mo}, et R^{mo} Dominus Cardinalis Pinellus declaravit, et in Ecclesia Andrieni. servari mandavit die 25. Septemb. 1610.

433. ARBOREN.

Cum in Ecclesia Metropolitana Arboren. viget consuetudo, ut, absente Archiepiscopo, Vicarius Generalis praecedat Archipresbytero, praesente vero Archiepiscopo, Archipresbyter praecedat Vicario Generali; dubitatum fuit quomodo dicta absentia Archiepiscopi intelligatur: An ab Ecclesia, an vero a Civitate vel Dioecesi?

S. R. C. declaravit, « solam absentiam Archiepiscopi a Choro, vel ab Ecclesia sufficere ad hoc, ut Episcopus absens dicatur, et locum habeat consuetudo, ut Vicarius in absentia Episcopi praecedat Archipresbytero. » Et ita declaravit die 20. Novembris 1610.

434. URBEVETANA.

Pro parte Beneficiorum Ecclesiae Cathedralis Urbevetanae expositum fuit, Magistrum Cappellae noviter electum in dicta Ecclesia, in Processionibus velle praecedere ipsos Beneficiatos, et inter ipsos in ultimo, et digniori loco incedere inter duos ultimos Beneficiatos; et cum iidem Beneficiati ad Ill^{mo}, et R^{mo} D^{no} Cardinalem Synesium eorum Ordinarium recursum habuerint, Dominatio sua Ill^{ma} ordinavit iuxta regulas Caeremonialis non convenire, ut dictus Magister Cappellae incedat cum Beneficiatis, sed debere incedere cum suis Cantoribus ante Clerum Ecclesiae Cathedralis, vel in alio loco convenienti, et opportuno suae Dominationi Ill^{mae} bene viso; cui ordinationi cum praedictus Magister Cappellae noluerit parere, immo recursum habuerit ad Auditorem Camerae pro mantentione sui praedicti praetensi loci, iidem Beneficiati recursum habuerunt ad S. R. C., in qua huiusmodi negotio proposito, et audito

Eadem S. R. C. censuit: « servandam esse ordinationem, et Decretum Ill^{mi} et R^{mi} D. Synesii Episcopi; et nullo modo convenire, ut praedictus Magister Cappellae incedat cum Beneficiatis; sed debere ire, et incedere cum Cantoribus, prout a praedicto Ill^{mo} D. Card. Episcopo ordinatum fuerat. » Et ita declaravit, et quibuscumque non obstantibus in Civitate et Ecclesia Urbevetana servari mandavit, die 20. Novembris 1610.

435. URBEVETANA.

Cum alias sub die 20. Mensis Novembris anni praeteriti 1610. a S. R. C. declaratum fuerit, non

licere Magistro Cappellae incedere inter duos Ecclesiae Urbevetanae Beneficiatos, seu Cappellanos de Massa, sed debere ire cum suis Cantoribus post Crucem, ante ipsos Beneficiatos, vel in loco ubi ordinatum fuerit ab Ill^{mo} Domino Card. Synesio Episcopo, et nihilominus sub praetextu consuetudinis dictus Magister Cappellae, et Cantores praetendant in Processionibus ire, seu incedere inter ipsos Beneficiatos, et Canonicos Ecclesiae Cathedralis

Eadem S. R. C. declaravit, « non esse a primo Decreto recedendum, sed quacumque allegata consuetudine, vel usu non obstante, debere Magistrum Cappellae cum suis Cantoribus incedere immediate post Crucem ante ipsos Beneficiatos, vel in loco, ubi ab Ill^{mo} Card. Episcopo ordinatum fuerit. » Et ita censuit, et declaravit, ac in Civitate Urbevetana servari mandavit, quibuscumque non obstantibus, die 15. Januarii 1611.

436. PERUSINA.

Beneficiati Cathedralis Ecclesiae Perusinae, cum fere quotidie soleant Missas Conventuales solemniter celebrare cum Ministris, id est Diacono, et Subdiacono paratis, et etiam in quibusdam Dominicis, et Festivitatibus Apostolorum, et aliorum Sanctorum soleant illas solemniter celebrare cum Organo, et Cantoribus, et Populi concursu, et assistentia Canonicorum, et Capituli; et nihilominus Canonici sub praetextu consuetudinis non permittant, ut ipsi Beneficiati parati ad Missam cantandam, id est Sacerdos, Diaconus, et Subdiaconus, possint in banco sedere dum cantatur *Gloria, Epistola, Credo, et similia*, prout ordinatur in *Rubricis Missalis*, et prout sedent Canonici, et eorum Ministri parati, dum ipsi in quibusdam solemnioribus Dominicis, et Festivitatibus per annum Missas solennes celebrant; et ideo supplicaverunt in S. R. C. declarari, ut ipsis etiam Beneficiatis, Missas solemniter cantantibus, liceat in banco sedere, dum cantatur *Gloria*, nec non et alia facere, quae in *dictis Rubricis Missalis* ordinantur, prout sedent, et faciunt ipsi Canonici, dum Missas solennes celebrant.

Quae quidem S. R. C., audita super praemissis relatione Ill^{mi}, et R^{mi} D. Card. Galli, cui haec causa commissa fuerat, censuit, « quacumque consuetudine in contrarium non obstante, indulgendum esse, ut Beneficiati Ecclesiae Perusinae, dum Missas solennes celebrant, idest Sacerdos, Diaconus, et Subdiaconus parati possint, et debeant sedere, dum cantantur *Gloria, Epistola, et Credo*, et alia facere, quae ordinantur in rubricis, Breviariis, prout sedent, et faciunt ipsi Canonici,

dum Missas solennes celebrant, et prout in simili casu servatur in omnibus Ecclesiis Cathedralibus, et Collegiatis. » Et ita censuit, et declaravit, et in Civitate Perusina servari mandavit, quibuscumque non obstantibus, die 15. Ianuarii 1611.

437. VERCELLIEN. TERRAE CRESCENTINI.

In causa vertente inter Fratres Minores de Observantia habitantes in Terra Crescentini Vercellen. Dioecesis ex una, et Parochum, sive Curatum eiusdem Terrae ex altera partibus, circa ius sepeliendi defunctos, et consuetudinem accedendi ad Ecclesiam Parochialem, vel ad domum defuncti ad ipsum defunctum ad sepulturam deducendum

S. R. C., audita relatione Ill^mi, et R^mi Domini Card. Capponi, cui haec causa commissa fuerat, iuxta ipsius Ill^mi et R^mi D. Cardinalis Ponentis votum, declaravit: « non licere Fratribus praedictis Observantibus, nec aliis Regularibus, sine interventu proprii Parochi, sive Curati, sepelire defunctos; quoniam ad consuetudinem accedendi ad Ecclesiam praedictam, et inde ad domum defuncti pro eo sepeliendo, quando sunt vocati, quia utraque pars praesupponit habere pro se consuetudinem, donec huiusmodi consuetudo probetur, ad quam probandam Congregatio terminum trium mensium utrique Parti assignavit; arbitrio Fratrum, seu Regularium relinquendum esse censuit per modum provisionis, ac sine praeiudicio ambarum Partium, vel, ut accedant ad Ecclesiam Parochialem, vel ad domum ipsius defuncti, dummodo defunctum non deducant ad sepulturam sine interventu Parochi, qui eo accedere debeat, non obstante quacumque inhibitione; posse autem Parochum defunctos sepelire etiam sine interventu dictorum Fratrum Minorum de Observantia, et aliorum Regularium, quatenus tempore delationis eadaveris non advenissent. » Et ita censuit, et declaravit, die 26. Februarii 1611.

438. COMEN. VALCUVIAE.

Cum alias saepe in Sac. R. C. declaratum fuerit: « Vicariis Foraneis per Dioeceses constitutis, nullam praecminentiam, aut praerogativam in Sessionibus, Processionibus, Choro, aut aliis functionibus Sacerdotalibus occasione huiusmodi Officii competere, et particulariter ita resolutum fuerit in una Ripana Comen. Dioecesis, idem prorsus servandum esse in oppido Valcuviae eiusdem Dioecesis Comen., affirmavit, cum declaratione tamen facta ab eadem S. C. sub die 20. Decembris 1603., ut scilicet in Congregationibus tantum, quae sin-

gulis mensibus de mandato Episcopi fiant, in quibus Vicarius Foraneus tamquam Episcopi delegatus intervenire solet, praecedentia danda sint Vicario Foraneo. Extra quas Congregationes, nullam Vicario Foraneo nec in Ecclesia, nec extra praecminentiam, seu praecedentiam competere, sed debere stare, sedere, vel incedere in loco suae receptionis, sive antianitatis, cum aliis Canonicis, seu Presbyteris, prout staret, sederet, vel incederet si Vicarius non esset, » eadem Sacra Rit. Cong. declaravit, et in oppido Valcuviae a Vicario Foraneo servari mandavit die 19. Martii 1610.

TELESINA.

439.

Societates S. Antonii, et SS^mae Conceptionis in oppido Cereti Telesinae Dioecesis Sac. R. C. exposuerunt, quod cum novissime erecta, et instituta fuerit Societas SS^mae Trinitatis in Ecclesia S. Leonardi eiusdem Oppidi, Episcopus voluit, et ordinavit, ut dicta Societas SS. Trinitatis novissime erecta, praecedat omnibus aliis Societatibus antiquioribus in eodem Oppido erectis, et institutis, quod cum in praeiudicium ipsarum antiquarum Confraternitatum sit, et ad eandem Sac. R. C. recursum habuerint;

Quae quidem S. R. C. « circa praecedentiam inter Confraternitates, Bullam felicis rec. Gregorii XIII. servandam esse, censuit, et declaravit, et ita ordinavit, et in Oppido Cereti Telesin. Dioecesis servari, » mandavit die 19. Martii 1611.

440. CIVITATEN., SEU S. SEVERI.

« Missarum solemnium Celebrationem, delationem SS. Sacramentum in Processionibus, in eius Festivitate, Candelarum, Cinerum, et Palmarum benedictiones, et similes Functiones, quas Episcopus praesens in sua Cathedrali Ecclesia facere solet, et debet iuxta formam Libri Caeremonialis Episcoporum, absente Episcopo, ad primam Dignitatem, vel, deficiente prima, ad secundam, et sic successive pertinere, saepe S. R. C. declaravit. Et ideo cum in Ecclesia Civitaten. alias S. Severi nuncupata, Archidiaconus sit prima Dignitas, et in ordine Presbyterali sit constitutus, ad ipsum, non autem ad Archipresbyterum praedictas Functiones pertinere, » eadem Sac. R. C. declaravit die 25. Iunii 1611.

441.

URBINATEN.

Consuevisse in Ecclesia Cathedrali Urbinaten., cui etiam cura Animarum adnexa est, singulis diebus Missam in Aurora celebrari, in qua Festa populo annuntiantur, matrimonia denuntiantur, monitoria publicantur, et alia fiunt ad Parochos spectantia, quae Missa semper celebratur de Festo, seu Feria

Iuxta officium illius diei; post horam vero nonae Missa Conventualis iuxta Officium currens, etiam singulis diebus cantatur.

Sed quando contingit aliquam Missam votivam in eadem Ecclesia, vel ex dotatione, vel pro defunctis cantari, nullam aliam Missam Conventualem Canonici cantant, existimantes sufficere ad quotidianas distributiones licite lucrandas, illam Missam privatam, quae de Festo, vel Feria currente in aurora private celebratur. Quibus stantibus quaesitum fuit a S. R. C.: An in easu proposito, quando cantatur aliqua Missa votiva, vel defunctorum, teneantur Canonici etiam Missam Conventualem cantare, ut quotidianas distributiones licite lucrari possint, vel ad hoc sufficiat illa Missa privata, quae in aurora celebratur?

Eadem S. R. C. respondit: « teneri Canonicos omnino celebrare, et cantare Missam Conventualem de Officio currenti ad hoc, ut licite possint distributiones quotidianas lucrari, nec ad satisfaciendum sufficere Missam celebratam in aurora. » Et ita declaravit die 25. Junii 1611.

442. VITERBIEN.

In S. R. C. expositum fuit oriri saepe differentias, et contentiones inter Canonicos, et Clerum Ecclesiae Cathedralis Viterbien., ex una, et eiusdem Civitatis Parochos, ex altera partibus, dum simul ad funus alicuius defuncti associandum accedunt, praetendentibus Parochis cotta, et stola indutis praecedentiam in easu proposito supra universum Ecclesiae Cathedralis Clerum, et Capitulum, Archipresbytero, et Archidiacono dumtaxat exceptis; et contra non convenire existimantibus Dignitatibus, et Canonicis Ecclesiae Cathedralis, ut simplex Parochus supra Clerum, et Canonicos Ecclesiae Cathedralis, qui simul cum Archidiacono, et Archipresbytero unum Corpus constituunt, locum obtineat. Quibus auditis:

Eadem Sac. R. Cong., « a decretis alias in similibus factis non esse recedendum, censuit, nempe, ut locus dignior in funeralibus semper relinquatur Capitulo, et Clero Ecclesiae Cathedralis; Parochum vero defuncti, vel Parochum Ecclesiae, ad quam corpus defuncti defertur, digniorem locum obtinere debere, et praecedere quoscumque alios Presbyteros, non autem Ecclesiae Cathedralis, et debere incedere ante Capitulum Ecclesiae Cathedralis. In Ecclesia vero, ubi corpus defuncti sepelitur, ad Parochum ipsius Ecclesiae pertinere Officium facere, ut expresse declaratum fuit in una Pisaren. sub die 20. Decembris 1603., et sic etiam in Civitate Viterbien. servandum esse,

censuit, nisi alias immemorabilis consuetudo ad favorem Parochorum legitime probetur. » Et ita declaravit die 25. Junii 1511.

443. TARENTINA.

Eadem S. R. C. « Decretum pluries factum, et repetitum, quod Vicario nulla super digniores, seu antiquiores Dignitates, Canonicos, seu Presbyteros loci, ratione sui Vicariatus Foranei, praecedentia competat, in dicta Terra Martinae Tarentinae Dioecesis, quam ubique etiam, et in quocumque alio loco servandum esse, » censuit, et declaravit die 25. Junii 1611.

444. BRUNDUSINA.

« Cum alias saepe Sac. R. C. declaraverit, Caeremoniale Episcoporum non tollere immemorabiles, et laudabiles consuetudines, idem etiam ad instantiam Capituli Ecclesiae Brundusinae, nempe laudabiles et immemorabiles eiusdem Ecclesiae consuetudines non fuisse per dictum Caeremoniale sublatas, » declaravit die 17. Septembris 1611.

445. NULLIUS MARRUBII.

Capitulum Ecclesiae Marrubii nullius Dioecesis, quod reperitur subiectum Religioni Hierosolymitanae, sive Commendatario dictae Terrae, supplicat declarari: An conveniat inter Missarum solemnias porrigere Textum Evangelii osculandum dicto Commendatario, dum ibi praesens est, cum thurificatione, et osculo pacis, prout ipse Commendator non solum praetendit, quoad omnia, sibi, sed etiam, eo absente, ministrandum esse suo Procuratori, qui plerumque est persona mere laica.

C. S. R. « inhaerendo Decretis alias in simili causa factis, respondit, Textum Evangelii Episcopo, si adesset, vel, in eius absentia, Celebranti tantum esse porrigendum, et non Domino loci; et ideo non convenire, ut porrigatur dicto Commendatario, et multo minus eius Procuratori. Quo vero ad incensum, et osculum pacis, servandas esse regulas Libri Caeremonialis. » Et ita declaravit die 17. Septembris 1611.

446. PANORMITANA.

Octavius Regina Canonicus in Ecclesia Panormitana, et Protonotarius Apostolicus, qui per urbem praedictam incedit cum habitu Praelati coloris violacei Protonotario convenienti; dum ad Ecclesiam accedit, ut tamquam Canonicus Divinis assistat, deposito Mantelletto super subtanam coloris violacei habitum Canonicalem induit eodem modo, et forma, prout omnes alii Canonici utuntur, qui praetendunt ipsum, dum Ecclesiam ingreditur, ut Divinis assistat cum aliis Canonicis, debere deponere subtanam violaceam, et ni-

gram capere, prout habent caeteri Canonici; propterea petiit a S. R. C. declarari: An tamquam Protonotarius, possit uti dicta subtana violacea etiam in Ecclesia dum Divinis assistit?

Eadem S. R. C. respondit, « posse dictum Canonicum Protonotarium uti subtana violacea in Choro, et in Ecclesia dum Divinis assistit, dummodo in caeteris omnibus habitum proprium, et Canonicis convenientem, et similem, et aequalem caeteris Canonicis deferat, » et ita declaravit die 14. Ian. 1612.

447. CAESARAUGUSTANA.

Cum in Civitate Caesaraugustana, infra fines vetustissimae Parochiae S. Pauli eiusdem Civitatis, situm sit quoddam Hospitale cum Cappella sub invocatione B. Mariae Conceptionis, et Sanctarum Iustae, et Rufinae, cuius Hospitalis confratres sub praetextu, quod dictum Hospitale extitisset in Monasterio Fratrum Carmelitarum, obtinuerunt aggregari Hospitali, sive Ecclesiae Lateranensi de Urbe, et ex dicta aggregatione praetendunt per Cappellanum, sive Cappellanos suos dicto Hospitali inservientes, exerceri posse omnia, et singula, quae ad solum Parochum pertinent, ut Missas cum cantu solemniter celebrare, confessiones audire, communicare, sepelire mortuos, praedicare, Sacramenta ministrare, in die Coenae Domini Sepulchrum facere, SS. Sacramentum reservare, et alia huiusmodi exercere, etiam sine consensu, et licentia Ordinarii, et ipsius proprii Parochi; quae ex dispositione iuris ad solum, et proprium Parochum spectant; et quia notorium esse asseritur dictum Hospitale nullam habere dependentiam, seu connexionem cum dicto Monasterio Fratrum Carmelitarum, imo omnia praedicta in maximum damnum, et praeiudicium tum ipsius Monasterii, prope quod dictum Hospitale existit, quam etiam Parochi praedicti S. Pauli, et iurium dictae Parochiae resultare; propterea, tam pro parte Parochi praedicti, quam Prioris, et Fratrum dicti Monasterii Carmelitarum supplicatum fuit S. R. C., ut dignaretur declarare: Supradicta omnia dictis Confratribus non licere absque expressa licentia Ordinarii etc. Et cum negotium ab eadem S. R. C. commissum fuerit Illmo, et Rmo Domino Cardinali de Monte, qui audire voluit etiam Vicarium, et Canonicos Ecclesiae Lateranensis de Urbe pro eorum interesse, ob eorum essertam aggregationem; et tandem, audita de omnibus praedictis relatione eiusdem Illmi, et Rmi Domini Cardinalis de Monte:

Eadem S. R. C. censuit, « non licere dictis Confratribus Hospitalis praedicti, et Cappellae

B. M. Conceptionis, et Sanctarum Iustae, et Rufinae, sitae sub Parochia Sancti Pauli in Civitate Caesaraugustana praedicta facere, et exercere, quae ad proprium Parochum spectant, sine expressa Ordinarii, et ipsius Parochi licentia, » et ita declaravit die 14. Ianuarii 1612.

448. OSCEN.

C. S. R. censuit, « consuetudinem praedictam non esse attendendam, sed ut alias in simili casu, ita nunc teneri Capitulum, et Canonicos omnino cantare Missam conventualem de Festo, seu Feria currenti, » censuit, et declaravit, die 28. Ianuarii 1612.

449. TOMACEN.

« Laudabiles, et immemorabiles consuetudines, quas Liber Caeremonialis Episcoporum non tollit, ut saepe S. R. C. declaravit, nec etiam per Episcopum posse abrogari, seu tolli, » eadem S. R. C. censuit die 28. Ianuarii 1612.

450. CAMPLEN.

S. R. C. « formam Libri Caeremonialis servandam esse, censuit, ut prius thurificentur Dignitates, et Canonici tam Ecclesiae Cathedralis, quam Collegiatae, deinde Gubernator, et Officiales Laici dictae Civitatis, » et ita declaravit die 28. Ianuarii 1612.

451. TUDERTINA.

Cum in Ecclesia Tudertina duo reperiantur Dignitates, nempe Prior, et Archidiaconus, et a nonnullis annis citra, Prior solitus fuerit tenere ante se stratum, seu tapete cum Pulvinari, et Archidiaconus cum sit Dignitas inferior in eadem Ecclesia voluerit etiam sibi tapete cum pulvinari parare, et a Capitulo eiusdem Ecclesiae obstitum fuerit, atque ad S. R. C. recursum habuerint; licet eadem S. R. C. huiusmodi negotium Illmo, et Rmo D. Cardinali Lante, eiusdem Ecclesiae Tudertinae Episcopo terminandum remiserit; tamen, quia idem Illmus institit declarari a S. R. C.: An dicto Archidiacono in Choro existenti dictum stratum cum pulvinari conveniat?

Eadem S. R. C. « non convenire iudicavit, sed debere tam Priorem, quam Archidiaconum in Choro in suo loco sedere sine strato, prout sedent alii Canonici; indulgendum tamen esse, censuit, ratione Dignitatis, ut pulvinar tantum eorum tam pro Priore, quam pro Archidiacono apponatur. » Et ita declaravit die 24. Martii 1612.

452. ARETINA.

Cum alias sub die 30. Ianuarii 1610. a Sac. R. C. declaratum fuerit Missas solennes, et alias functiones ab Episcopo praesente celebrari solitas, in eius absentia, ad Praepositum primam Digni-

tatem pertinere, cum declaratione etiam facta ab eadem S. C. sub die 26. Iunii eiusdem anni 1610., dummodo tamen Praepositus, quando vult facere similes functiones, et benedicere, ac distribuere Candelas, Palmas, Cineres, et similia, vel deferre in Processione SS. Sacramentum in absentia Episcopi, celebret etiam Missas, nec dictas functiones faciat sine Missarum celebratione; novissime, audita relatione Illm̄i, et Rm̄i D. Cardinalis Mellini, quod ambae Partes praedictis Decretis non acquiescunt;

Eadem S. R. C. « dicta Decreta, et declarationes servari *mandavit*, nempe ad Praepositum praedictas functiones pertinere in absentia Episcopi, dummodo cum dictis functionibus Missas celebret. » Et ita declaravit die 12. Maii 1612.

453.

MATEREN.

Pro parte Dignitatum, et Canonorum Ecclesiae Materen. Sac. R. C. expositum fuit, quod licet antequam Ecclesia Materen. a bon. memoria Archiepiscopo de Rubeis fuisset, de Sedis Apostolicae consensu et licentia, reformata, et reducta ad usum aliarum Ecclesiarum Cathedralium, praefigendo in ea Dignitates, et erigendo Collegium triginta Canonorum, quod adhuc erectum in dicta Ecclesia non fuerat, quod postea distinctum, et separatum fuit a Rectoribus, et Clero aliarum Ecclesiarum Parochialium dictae Civitatis, quibus Dignitatibus, et Canonis postea etiam Almutia sericea violacei coloris serico rubro suffulta in signum tradita, et assignata fuerunt; Rectores praedicti Ecclesiarum Parochialium dictae Civitatis in Processionibus solerent incedere una cum Dignitatibus dictae Ecclesiae Metropolitanae; nihilominus post dictam reformationem, et erectionem dicti Collegii Canonorum, ordinatum fuit, ut Rectores praedictarum Ecclesiarum Parochialium, in Processionibus incederent ante Clerum universum Ecclesiae Metropolitanae, et sic post dictam reformationem per annos sex servatum fuit. Sed quia modernus Archiepiscopus intendit nunc duobus Rectoribus dictae Civitatis etc. restituere antiquum locum apud Dignitates, prout incedebant ante reformationem dictae Ecclesiae Metropolitanae, et ante erectionem Collegii dictorum triginta Canonorum, nec non eisdem duobus Rectoribus Almutias concedere eiusdem coloris, et omnino, et prorsus similia Almutiis iam Dignitatibus, et Canonis concessis; dictae Dignitates, et Canonici nihil innovari in eorum praeiudicium petierunt. Quibus auditis,

Eadem S. R. C., « nihil innovandum esse, censuit, sed solitum introductum post reforma-

tionem Ecclesiae praedictae, et erectionem Collegii Canonorum servandum esse » declaravit, die 12. Maii 1612.

454.

URBIS.

Cum ad aures S. R. C. pervenerit in nunnulis Ecclesiis Collegiatis, seu etiam Patriarchalibus Urbis a Canonis, seu Magistris Caeremoniarum, Officialibus, et Ministris earumdem Ecclesiarum ordinari, et fieri Caeremonias, et Ritus Ecclesiasticos vario, et diverso modo ab eo, quem universaliter Ecclesia Romana servare consuevit, et prout in *Libro Caeremoniali* edito pro Cathedralibus, et Collegiatis Ecclesiis, praescribitur: et auctoritate propria etiam ritus praedictos, et caeremonias in scriptis redigere, et proprios, et particulares Libros caeremoniarum pro earumdem Ecclesiarum usu ordinare, ac conficere, seu compilare:

Eadem Sac. Rit. C. « id minime licere sine expressa eiusdem S. C. licentia, et ordine, *declaravit*, nec privatis Personis, nec etiam Patriarchalibus, et Collegiatis Ecclesiis id esse permittendum. Quare expresse *mandavit*, ut tam Canonici, quam alii quicumque dictarum Ecclesiarum Ministri, Officiales, et Magistri caeremoniarum a praedictis abstineant, nec audeant, vel praesumant caeremonias ordinarias immutare, seu variare, vel novas ordinare diverso, ac vario modo ab eo, qui in Rubricis Missalis, et Breviarii Romani, et in dicto Libro caeremoniarum praescribitur, et ab usu, et consuetudine universali, et communi aliarum similium Ecclesiarum, sine expressa licentia eiusdem S. C., ad quam specialiter, et particulariter haec pertinent, sub poenis contra facientibus arbitrio eiusdem S. C. imponendis, et exequendis. » Et ita ordinavit, censuit, et declaravit, ac servari mandavit, die 12. Maii 1612.

455.

NEAPOLITANA.

In Causa Praecedentiae inter Abbatem Patientiae Caesariae nuncupatum cum suo Clero, et Abbatem S. Petri ad Aram cum suis Canonis Regularibus in publicis Processionibus in Civitate Neapolitana faciendis, quae proposita in S. R. C. commissa fuerat primo Illmo, et Rmo D. Cardinali Lenio, et deinde propter eius absentiam, Illmo, et Rmo Dno Cardinali Millino; visis litteris, et Informatione Illm̄i, et Rm̄i D. Cardinalis de Aquaviva Neapolitanae Civitatis Archiepiscopi, et audita relatione praedicti Illm̄i, et Rm̄i D. Cardinalis Millini:

Eadem Sac. R. C. censuit « non esse Clerum Regularem miscendum cum Clero Saeculari, et ideo dicto Abbati de Patientia cum suo Clero, conve-

nire in publicis Processionibus locum sibi alias assignatum a Vicario Generali dictae Civitatis Neapolitanae, ut scilicet incedat cum Clero Saeculari immediate post Clerum Regularem, cum quo Clero Regulari dictus Abbas S. Petri ad Aram cum suis Canonicis Regularibus incedere debet, iuxta stylum, consuetudinem, et ordinem universalis Ecclesiae dictae Civitatis Neapolitanae; » et ita censuit, et declaravit die 7. Iulii 1612.

456. TARRACONEN.

Cum in Ecclesia Tarraconen. Episcopo Suffraganeo celebranti, a diversis Canonicis, seu Dignitatibus eiusdem Ecclesiae diverso tempore ministratum fuerit; nam tempore bo: mem: Cardinalis Servantes eiusdem Ecclesiae Archiepiscopi introductum, et servatum est, ut duo Canonici, et duo Commensales vulgo Portionarii nuncupati, praeter Diaconum, et Subdiaconum assistentiam Episcopo Suffraganeo celebranti (*mendum in originali ideo supplendum* praestarent:) postea vero introductum est, ut ei celebranti deberent assistere duae Dignitates inferiores, ac duo Canonici Primarii, praeter Diaconum, et Subdiaconum, quod adhuc servatur. Et quia id, quod nunc servatur erga Episcopum Suffraganeum, nimis videtur, et fere idem, quod erga proprium Archiepiscopum servaretur, si ipse celebraret; instante Capitulo eiusdem Ecclesiae Tarraconen. quaesitum fuit: Quisnam ex duobus praedictis modis assistendi Episcopo Suffraganeo servandus in futurum sit in praedicta Ecclesia; primusne a bo: mem: Cardinalis Servantes introductus, an secundus, qui adhuc servatur? Et cum negotium in S. R. C. propositum Illmo, et Rmo D. Cardinali Farnesio commissum fuerit,

Eadem S. R. C. « magis primum modum inductum tempore bo: mem: Cardinalis Servantes convenire, censuit, et illud esse in Ecclesia Tarraconensi in futurum omnino servandum, » declaravit, et ordinavit die 7. Iulii 1612.

457. CREMONEN.

Quaesitum est a S. R. C.: An Vicario Generali, etiamsi sit Protonotarius Apostolicus, vel Canonicus eiusdem Ecclesiae, aut Dignitati maiori post Pontificalem, vel simplici Canonico in Ecclesia Cathedrali, vel Metropolitana, sive sit Protonotarius, sive non, liceat in Missis privatis per eos celebrandis accipere paramenta non e Sacristia, sed ex Altari, ubi sunt Missam celebraturi, et ibi apud Altare se parare, adhibitis duobus, vel pluribus Ministris Superpelliceo indutis, praeter alium Ministrum clericum, vel laicum habitu quotidiano indutum, qui eis aquam manibus praebet, quando private celebrant, vel etiam

quando Missam Conventualem, vel loco Episcopi impediti solemniter cantant.

Eadem S. R. C., « id neque Vicario Generali, neque Dignitati, vel Canonico, sive sint Protonotarii, sive non, licere, qui omnes non ex Altari, sed ex Sacristia, vel ex alio loco ad id ordinato paramenta capere debent, et inde parati ad celebrandum accedere, ac unico contenti esse debent Ministro, qui eis inserviat, et respondeat in Missis privatis, ut expresse declaratur in Rubricis Missalis Romani. Solis tamen Episcopis private celebrantibus convenire non ex Sacristia, sed ex Altari paramenta sacra sumere, et saltem duos habere Ministros Superpelliceis indutos, qui eis respondeant, et inserviant, praeter alium Ministrum clericum, sive laicum veste communi indutum, qui eis aquam manibus praebet, ut declaratur in Caeremoniali Episcoporum Lib. 1. cap. 29. »

« Quando vero omnes Supradicti solemniter celebrant, servandas esse pariter Rubricas Missalis Romani, et praedicti Caeremonialis Episcoporum Lib. 2. cap. 8. et 9. » Et ita declaravit, et ita Cremonae, atque ubique servandum esse censuit, et ordinavit die 7. Iulii 1612.

458. VITERBIEN.

Pro parte, et ad instantiam Archidiaconi Ecclesiae Viterbien. in S. R. C. expositum fuit, semper ab immemorabili tempore solitum fuisse in dicta Ecclesia, ut celebrante Episcopo solemniter, vel eo absente, vel impedito, celebrante prima Dignitate, quatuor ultimi Canonici ex ordine Diaconali, et Subdiaconali, eisdem ministrare consueverunt cantando Epistolam, et Evangelium, et in Dominica Palmarum, et feria 6. in Parasceve cantando Passionem, quod novissime facere recusaverunt sub eo pretextu, quod in *Caeremoniali Episcoporum* ordinetur Passionem esse a Cantoribus, non autem a Canonicis Diaconis, vel Subdiaconis decantandam, et ideo petit Archidiaconus a praedicta S. R. C. declarari: An dictus Liber caeremonialis obstet, quominus antiqua in dicta Ecclesia Viterbien. consuetudo a Canonicis praedictis in ordine Diaconali, et Subdiaconali servetur in cantanda Passione, et in reliquis adimplendis, quae ad officium, et ordinem suum, ut supra spectant?

Eadem S. R. C. respondit « Caeremoniale Liberum non obstare, nec tollere immemorabiles, et laudabiles consuetudines Ecclesiarum; et licet in eo dicatur, quod Passio in Dominica Palmarum, et Feria 6. in Parasceve decantetur a Cantoribus; non ex hoc prohibetur, quominus a Ca-

nonicis decantari possit, et debeat, maxime ubi viget consuetudo, quod a Canonicis decantetur, prout viget in Civitate Viterbien.; quam consuetudinem omnino servandam esse » censuit, et declaravit die 7. Iulii 1612.

459. ELBOREN.

Pro parte Archiepiscopi Elboren. in S. Cong. quaesitum est: Utrum Canonici suae Ecclesiae Elboren. teneantur suo Praelato Ordinationes in temporibus, vel extra tempora virtute alicuius Privilegii extra dictam Ecclesiam, in Civitate tamen Elboren., vel eius suburbiis celebranti assistere, et ministrare, remanentibus aliquibus in Ecclesia pro servitio Chori, sicut tenentur eidem assistere, et ministrare Pontificalia intra dictam Ecclesiam exercenti?

Eadem S. R. C., inhaerendo « Decretis alias in similibus casibus factis *respondit*: Canonicos teneri ministrare, assistere, et inservire Archiepiscopo Ordinationes tam intra, quam extra Ecclesiam Cathedralem celebranti, dummodo in Cathedrali tot Canonici, et ministri remaneant, qui satis sint ad Divina Officia celebranda, » et ita censuit, et declaravit die 7. Iulii 1612.

460. HYDRUNTINA.

Pro parte Archidiaconi Hydruntinae Ecclesiae, eiusque Coadiutoris expositum fuit, modernum eiusdem Ecclesiae Archiepiscopum propria auctoritate, et sine huius Sanctae Sedis consensu, et licentia, et non sine magno ipsorum Archidiaconi, et Coadiutoris praedicti, omnibus Canonicis, qui prius caput nigrum utebantur, violaceum concessisse, prout paucis ante annis praedicto Archidiacono concesserat, nec non simplicibus Presbyteris caput nigrum, prout antea Canonici deferebant, dedisse, et concessisse; et cum hoc negotium in S. R. C. propositum, Illmo, et Rmo Dno Cardinali de Monte fuerit commissum, ut, auditis Partibus, quid sentiret in alia Congregatione referret, visis literis responsivis eiusdem Archiepiscopi, et audito Coadiutore praedicti Archidiaconi in scriptis, et in voce, facta de omnibus iuribus, et rationibus hinc inde deductis relatione in plena Congregatione per praedictum Illmum, et Rmum D. Cardinalem de Monte:

Eadem S. R. C., « Neque moderno Archiepiscopo, neque Praedecessoribus suis licuisse, vel licere aliquod signum particulare, vel colorem in signis mutare, et innovare tam pro Archidiacono, vel Canonicis, quam pro aliis suae Ecclesiae Presbyteris, vel clericis sine expressa licentia, et consensu huius S. Sedis Apostolicae, *censuit, et declaravit*, et ideo omnia in pristinum esse redu-

cenda, *ordinavit*, ac si nihil per modernum Archiepiscopum, vel suos Praedecessores Archidiacono, Canonicis, et aliis Presbyteris concessum fuisset; et si aliquod signum ipse Archidiaconus, vel Canonici obtinere voluerint, ad hanc Sanctam Sedem recursum habeant. » Et ita censuit, declaravit, et in Civitate Hydruntina servari mandavit die 1. Septembris 1612.

461. ULYSBONEN.

Quaeritur ab hac S. C. pro parte Capituli Ulysbonen., an occurrente Festivitate Annunciationis B. M. in aliqua Dominica Quadragesimae, vel Purificationis in Dominica Septuagesimae in Ecclesiis, in quibus titularis festivitas est eiusdem B. M., veluti Assumptionis, vel Nativitatis, recitandum sit Officium de Dominicis, an de dictis Festivitatibus occurrentibus in eis, ex eo quod tales Festivitates sunt etiam festivitates Patroni, nempe B. Mariae, licet non sint festivitates titulares (manu Illmi D. Card. Bellarmini sunt addita haec verba) « Rubrica de Dominicis, quae est quarta in ordine *apertissime docet, Dominicas* 2. 3. et 4. Adventus, et 2. 3. 4. et 5. Quadragesimae non omitti, nisi propter Festum solemne Patroni, aut Titularis illius loci. Et praxis Romana idem ostendit; quando enim Festum Annunciationis incidit in Dominicam 2. 3. 4. aut 5. Quadragesimae, non fit de Annunciatione, nisi in Ecclesiis dedicatis Annunciationi. Eadem est ratio de Festo Purificationis incidente in Dominicam Septuagesimae. »

C. S. R., audita relatione facta ab Illmo, et Rmo D. Cardinali Bellarmino, ut supra annotatum est manu propria ipsius Illmi, et Rmi Dni Cardinalis, praedictam relationem approbavit, et ad supradictum Dubium propositum ad instantiam Capituli Ecclesiae Ulysbonen. *iuxta formam dictae Relationis*, respondendum censuit, et declaravit die 1. Septembris 1612.

462. BRUNDUSINA.

« Locumtenentem de iure communi eodem honore afficiendum esse, et eundem locum tenere debere, quem teneret is, cuius personam designat, S. R. C., *audita relatione Illustrissimi, et Reverendissimi D. Cardinalis Gonzaga, cui haec causa fuerat commissa, respondit*, et ita in Ecclesia Collegiata Messapiensi Brundusinae Diocesis servandum esse, » censuit, et declaravit, die 10. Novembris 1612.

463. CAIETANA.

Cum in Ecclesia, et Hospitali SS. Annunciatæ a iurisdictione Ordinarii exempta in Civitate Caietana, ex antiqua, et immemorabili consuetudine Altare ligneum cum Ara lapidea locatum sit, et

Episcopus in sua Dioecesana Synodo decreverit, Altaria omnia debere esse lapidea, et non lignea; pro parte eiusdem Ecclesiae, et Hospitalis ad Sac. R. C. recursum fuit. In qua proposito huiusmodi negotio, et audita relatione Ill^{mo}, et R^{mo} D. Cardinalis Lancellotti, cui haec causa commissa fuerat,

Eadem S. R. C. censuit, « Episcopum Caietanum permittere debere Altare ligneum cum ara lapidea iuxta reformationem Missalis cap. 20. » Et ita declaravit die 10. Novembris 1612.

464. HYDRUNTINA.

« Abbati Alexandro Colluccio Canonico Ecclesiae Hydruntinae, sub eo praetextu, quod sit Archiepiscopi Locumtenens nullo modo convenire, nec licere in Choro sedere in sede particulari cum pulvino in habitu communi, et ordinario, nec thuris, et pacis honorem eidem competere ante Dignitates, et ceteros Canonicos ipso digniores, et antiquiores, sed ipsum debere sedere in Choro cum Cotta, et habitu Canonicali in loco suae receptionis inter alios Canonicos; » audita relatione facta in hac causa ab Ill^{mo}, et R^{mo} D. Card. Peretto, censuit, et declaravit die 10. Novembris 1612.

465. BRUNDUSINA MESSAPIAE.

In causa Brundusina Messapiae circa locum, et signum assignatum ab Archiepiscopo Thesaurario Ecclesiae Collegiatae Messapien. , ut asserebatur, in praeiudicium Decani, et aliorum Canoniorum, quae diu in S. R. C. ventilata fuit, visis iuribus hinc inde deductis, et saepius in voce, et in scriptis partibus auditis, et demum audita relatione Ill^{mi}, et R^{mi} D. Card. Lancellotti, cui haec causa commissa fuerat,

Eadem S. R. C. declaravit: « non licuisse Archiepiscopo dare, vel concedere signum, vel capucium Thesaurario, quod prius antea nunquam habuit, seu deferre consuevit. Quo vero ad locum, servandum esse Decretum Archiepiscopi factum in visita, ita ut Thesaurarius, qui tertiam, et ultimam obtinet Dignitatem in dicta Ecclesia Collegiata, sedeat a dextris apud Archipresbyterum primam Dignitatem, Decanus vero, seu primus Canonicus sedeat a sinistris apud Cantorem secundam Dignitatem; reliqui vero Canonici successive per ordinem hinc inde sedeant, secundum eorum antianitatem, seu antiquitatem. » Et ita censuit, et declaravit, et in futurum in Ecclesia praedicta Collegiata Terrae Messapiae Brundusinae Dioecesis, quibuscumque non obstantibus, servari mandavit die 10. Novembris 1612.

466. ELBOREN.

In causa Elboren. declarationis Statuti loquentis de Officiis faciendis in funeribus, et exequiis

Dignitatum, Canonicorum, Portionariorum, seu Quartanariorum, Baccalaureorum, et Cappellanorum, quae sub die 15. Ianuarii 1611. in S. R. C. ab Ill^{mo}, et R^{mo} D. Card. Lenio proposita fuit, cum approbatione declarationis dicti Statuti facta a Canonicis, ut scilicet pro Dignitatibus, et Canonicis in Civitate defunctis celebraretur Officium defunctorum cum tribus Nocturnis, pro aliis vero extra civitatem decedentibus, et pro Baccalaureis, et Cappellanis etiam in Civitate defunctis celebraretur Officium cum uno tantum Nocturno.

Quia tamen in hac declaratione non fuisse citatos Baccalaureos, neque eorum Procuratorem in Urbe praesentem, ipsi Baccalaurei asseruerunt, neque a Canonicis narratum, quod haec causa declarationis Statuti facta ab ipsis Canonicis in grave praeiudicium ipsorum Baccalaureorum pendebat in partibus coram Vicario, cum etiam semper a tempore immemorabili ante declarationem dicti Statuti, tam pro Dignitatibus, et Canonicis, quam etiam pro Baccalaureis defunctis Officium defunctorum cum uno tantum Nocturno decantatum fuerit, ut etiam ipsi Canonici in eorum memoriali fatentur; obtinuerunt Baccalaurei iterum audiri coram eodem Ill^{mo} et R^{mo} D. Card. Lenio, ob cuius absentiam causa postea ab eadem S. R. C. commissa fuit Ill^{mo}, et R^{mo} D. Card. Crescentio, qui eum ad suum Episcopatum discessisset, post reditum ad urbem eiusdem Ill^{mi}, et R^{mi} Domini Card. Lenii, eidem iterum commissa fuit, coram quo Procuratores ambarum Partium comparuerunt, et iura sua deduxerunt: quibus auditis, de meritis huius causae relationem fecit idem Ill^{mus} D. Card. Lenius in plena Congregatione. Qua relatione audita, eadem S. C. « circa celebrationem Officii defunctorum cum uno vel tribus Nocturnis tam pro Dignitatibus, et Canonicis, quam pro Baccalaureis defunctis, consuetudinem antiquam, quatenus legitime sit praescripta, servandam esse, » censuit, et declaravit die 22. Decembris 1612.

467. URBIS.

S. R. C. et Caeremoniarum censuit: « Beneficiatos, et Clericos Basilicae S. Petri tam paratos, quam non paratos, debere semper genuflectere, quotiescumque transeunt ante Altare, prout disponit Caeremoniale Episcoporum Lib. 1. cap. 18., post princ. vers. et regulariter, et lib. 2. cap. 6. vers. qua intonata, ubi similiter genuflectere debent versus Altare, quando accedunt ad Librum Antiphonarum in medio Chori existentem, nisi tamen Beneficiati, et Clerici supradicti simul incedant eodem ordine, et gradu cum Canonico parato celebrante, ut in Caeremoniali Lib. 2. cap. 3.

vers. *Presbyteri parati*, et in vers. *Magnificat*, quia tunc nisi, et quatenus Canonicus genuflecterit, nec ipsi genuflectere debent. Quia alias videretur dissonans, et discordans, quod unus, vel duo genuflecterent, alius vero non. » Et ita eadem S. C. audita relatione super praedicto dubio proposito facta ab Illmo, et Rmo D. Card. Gonzaga, censuit, et declaravit, et a praedictis Clericis, et Beneficiatis S. Petri servari mandavit, sub poenis etc. die 22. Dec. 1612.

468. CAESARAUGUSTANA DE DOROGA.

S. R. C., audita relatione in hac causa facta ab Illmo, et Rmo D. Card. Capponio, cui fuerat commissa, respondit, « servandam esse consuetudinem loci, et quatenus consuetudo non adsit, thurificandos esse Canonicos Ecclesiae Collegiatae duplici ictu thuribuli, Clericos vero Parochialium Ecclesiarum unico tantum ictu thuribuli, iuxta formam, et regulam Libri Caeremonialis Episcoporum. » Et ita declaravit die 19. Ianuarii 1613.

469. NUCERINA GUALDI.

Cum in Oppido Gualdi Nucerae Dioecesis duae reperiantur Abbatiae, altera S. Benedicti, altera vero S. Donati, quae singulae Ecclesias, et Clerum distinctum habent, et in publicis Processionibus deceat quemlibet ex praedictis Abbatibus incedere cum suo Clero, et sub sua propria Cruce; sed quia aliquando forsitan Abbas S. Donati in Processionibus ivit sub Cruce S. Benedicti, una cum ipso Abbate S. Benedicti, S. R. C. expositum, et narratum fuit, praetendere Abbatem S. Donati, etiam contradicente Abbate S. Benedicti, incedere sub Cruce ipsius Abbatis Sancti Benedicti, et in ultimo loco incedere post Clerum, immo et praecedentiam habere super Vicarium ipsius Abbatis S. Benedicti, et propterea ipse Abbas S. Benedicti supplicavit eidem Sac. C., ut declarare dignaretur, quid super praemissis servandum, vel faciendum sit?

Eadem S. R. C. audita relatione Illmi, et Rmi D. Card. de Monte, cui haec causa fuerat commissa, « quemlibet ex praedictis duobus Abbatibus in publicis Processionibus cum suo Clero, et sub suae Ecclesiae propria Cruce debere incedere in loco sibi debito, » respondit. Et ita censuit, et declaravit, et in dicto Oppido Gualdi Nucerae Dioecesis servari mandavit die 19. Ianuarii 1613.

470. TARACONEN.

Narratum est, solitum esse in primo ingressu Archiepiscopi in Taraconen. Civitate, ut Consules eiusdem Civitatis pedites quasi in subiectionis, et obsequii signum equum, seu mulam, in qua sedet Archiepiscopus, cordulis ad fraenum alligatis manu deducant, et ut ipse Archiepiscopus, cum sua

Cruce, more Archiepiscopali in Civitatem ingrediatur. Quod obsequium licet tribus Archiepiscopis proxime praeteritis praestitum sit, moderno nunc praestare dicti Consules recusant, sub eo praetextu, quod olim bo. mem. Rmus Dominus Cardinalis Cervantes eiusdem Civitatis Archiepiscopus, qui non tamquam Archiepiscopus, sed potius tamquam Cardinalis, in dictam Civitatem ingressum fecit, sine Cruce in eandem Civitatem ingressus fuerit; ex quo solo actu, licet consuetudo sit in contrarium, Consules praedicti praetendunt, ut modernus Archiepiscopus nunc eodem modo in Civitatem praedictam sine Cruce ingrediatur, prout ingressus fuit dictus Cardinalis Cervantes; vel si Crucem deferre voluerit, praetendunt, ut is, qui Crucem portat, pedes, sicut ipsi Consules, incedere debeat, et quatenus equitare voluerit, tam longe a persona Archiepiscopi distet, ut non dignoscatur Crucem illam esse Archiepiscopi signum, et iurisdictionem: quod an conveniat, et in quo loco Crux Archiepiscopalis deferenda sit in dicto primo ingressu, modernus Taraconen. Archiepiscopus a S. R. C. declarari petiit.

Quae quidem S. R. C., « consuetudinem solitam servandam esse, respondit, cum sit conformis Regulae Libri Caeremonialis in cap. de primo Ingressu Episcopi, vel Archiepiscopi ad suam Dioecesim, vel Provinciam; Crucem vero esse deferendum ab aliquo Episcopi Cappellano aequitante, immediate ante Personam Archiepiscopi, inter quem, et Archiepiscopum nullus omnino esse debet, nisi soli Dignitates, et Canonici Ecclesiae Metropolitanae, quatenus Archiepiscopo obviam veniant, illumque in primo ingressu capitulariter comitari voluerint, iuxta formam dicti Libri Caeremonialis, quam omnino in casu proposito esse servandam, » eadem Sac. Rit. C. censuit, et declaravit die 2. Martii 1613.

471. WLADISLAVIEN.

Sac. R. C. Episcopum laudavit, « quia non convenit, ut Episcopus celebrans Praelatos, vel Canonicos, aut alios quoscumque thurificet. Nec etiam convenit, ut Episcopus ad singulos Canonicos accedat, ac illos aqua benedicta aspergat. Et si quid in contrarium forsitan servatum sit, potius abusum esse, quam consuetudinem, » eadem S. R. C. declaravit die 2. Martii 1613.

472. TUSCULANA.

Cum in Civitate Tusculana orta fuerit differentia circa praecedentiam in Processionibus publicis inter Fratres Capuccinos, et Fratres Reformatos Ordinis S. Francisci, quia Capuccini, cum ante Reformatos locum, et Conventum in

eadem Civitate obtinuerint, *iuxta formam litterarum felicitis rec. Gregorii PP. XIII.* Reformatis praecedere volebant. Proposito huiusmodi negotio in Sac. R. C. et de eiusdem S. C. ordine factio verbo de hac controversia cum SS. D. N., Sanctitas Sua *ordinavit* in Suburbis, et Territorio Romano circa praecedentiam inter Regulares in publicis Processionibus servandum esse id, quod in ipsa Urbe servatur.

Quare eadem Sac. R. C. « iuxta mentem, et ordinem SS. in Civitate Tusculana circa praecedentiam inter Fratres Capuccinos, et Fratres Reformatos S. Francisci idem, quod in urbe servatur, servandum esse, » censuit, et declaravit die 2. Martii 1613.

473.

OSCEN.

Pro parte Dignitatum, et Canonicorum Ecclesiae Cathedralis Oscen. S. R. C. expositum fuit, praetendere Episcopum eiusdem Ecclesiae, *contra formam Libri caeremonialis*, ut Canonici ad benedictionem ab ipso Episcopo datam post Missam, et Vesperas solemniter celebratas, genuflectant: et quando Episcopus thurificatur ad Introitum, et post Offertorium, ut thurificetur a primo Canonico, vel prima Dignitate, seu alio Presbytero assistente genibus flexis, pariter *contra formam praedicti Libri caeremonialis*, quem in Ecclesia Oscen. Dignitates, et Canonici acceptaverunt, et introduxerunt, et in quasi possessione sunt, standi ad benedictionem praedictam; nec quemquam, praeter Summum Pontificem Romanum, genibus flexis thurificari conveniat, *in dicto Caeremoniali Libro* statuatur; et ideo petierunt declarari idem etiam, *iuxta formam Caeremonialis*, in dicta Ecclesia Oscen. servandum esse, non obstante quod ante publicationem, et introductionem *dicti Libri caeremonialis*, aliter aliquando forsitan servatum fuerit.

Eadem S. R. C., « regulas Libri caeremonialis in Ecclesia Oscen. introducti, servandas esse, *respondit*, nec teneri Dignitates, et Canonicos ad benedictionem Episcopi genuflectere, sed tantum caput inclinare; nec convenire, ut Episcopus a prima Dignitate, vel primo Canonico, seu Presbytero assistente genuflexo thurificetur; sed Episcopum stantem, Canonico, vel Presbytero assistente pariter stante tam post Introitum, et Evangelium, quam post Offertorium thurificandum esse, » censuit, et declaravit, et in Ecclesia Oscen. servari mandavit die 4. Maii 1613.

474.

URBIS.

Cum novissime in Ecclesiis Patriarchalibus Urbis in dubium revocata fuisset antiqua quasi

possessio praecedendi, et sedendi supra Canonicos, et immediate post Episcopos, quam Protonotarii Apostolici de numero Participantium semper habuerunt, SS. D. N. Paulus PP. V. per speciale Rescriptum negotium huiusmodi ad Sac. R. C. remisit, et postmodum visa attestazione a Magistris Caeremoniarum ad favorem eorundem Protonotariorum facta, eidem Congregationi in hunc modum rescripsit: « Alla Congregazione de' Riti, che nostro Signore intende, che non si faccia novità alcuna, ma si servi il solito, secondo l'attestazione degli Maestri di cerimonie, e si faccia sapere a chi bisogna. »

Eadem S. C. « dictos Protonotarios in eorum quasi possessione praecedendi Canonicos tam in praedictis Ecclesiis Patriarchalibus, quam in aliis quibuscumque etiam Cathedralibus extra Urbem manutenendos fore, et esse, *censuit, et declaravit*, atque ita in futurum servandum esse, *decrevit*, mandando Vicariis, et Canonicis dictarum Ecclesiarum Patriarchalium, et aliarum quarumcumque, ut in quibuscumque actibus, huiusmodi Decreto parere teneantur. » Die 4. Maii 1613.

475.

THEATINA.

Praetendebat Archiepiscopus Theatinus Crucem ante se deferri facere *ad formam Clement. 2. de Privileg.*, dum ad S. Liberatoris de Macella, Terrae Monaceschae, et Farae Cipollariae, alias Filiorum Petri loca accederet, sive illuc eum pertransire contingeret, eo quia non solum intra fines suae Provinciae, sed etiam Dioecesis sita sunt: contra autem Abbas, et Monachi Cassinenses hoc ius Archiepiscopo non competere, et Monasterium S. Liberatoris, Granciam Caenobii Cassinen., et loca huiusmodi in nullius Dioecesi sita esse, ab eodemque coenobio dependere: ac supra hominum memoriam Archiepiscopus Theatinus hoc iure nunquam usos fuisse excipiebant.

S. R. C. auditis utrimque Advocatis, et Partium iuribus mature discussis, auditaque relatione Illm̄i Domini Card. Millini, cui hoc negotium ab eadem S. C. demandatum fuerat: « eidem Archiepiscopo Crucem ante se per Monasterium, et loca huiusmodi deferri facere licuisse, et licere, » respondit, et ita servari mandavit die 13. Mensis Iulii 1613.

476.

FERRARIEN.

Parochus, seu Vicarius S. Romani in Civitate Ferrarien. petiit a S. R. C. declarari, an ad funera, et exequias, quae fiunt, et celebrantur in sua Parochia, possit ad libitum vocare, quos Clericos, vel Presbyteros voluerit; an vero teneatur, ut aliqui praetendunt, vocare viciniore?

Eadem S. R. C. respondit: « posse Parochum ad libitum vocare quos voluerit, dummodo illi sponte velint accedere, nisi aliter disponant haeredes defuncti, quorum voluntatem servandam esse, » censuit, et declaravit die 7. Septembris 1613.

477.

TULLEN.

In Dioecesi Tullen. multae sunt Personae, et Collegia Ecclesiastica a iurisdictione Ordinarii exempta, quae Episcopum ad Sacra, et Missam Pontificalem in suis Ecclesiis admittere, aut primam illi sedem deferre recusant, nec Pontificalia ibi exercere permittunt. Quaeritur: An ad hoc cogi possint per Episcopum, et contradictores censuris innodari?

Proposito Memoriali in S. R. C. ad instantiam Episcopi Tullen., eadem S. R. C. « iuxta dispositionem Concilii Tridentini Sess. 24. de Reformat. cap. 6. respondit: Episcopum in omnibus suae Dioecesis Ecclesiis quantumvis exemptis, et privilegiatis, esse honorandum, ita ut ei is honor tribuatur, qui suae Dignitati par sit, eique in Choro, in Capitulo, in Processionibus, et in aliis actibus publicis primam sedem, et primum locum, quem ipse elegerit, dandum, et concedendum esse, nec posse prohiberi, quominus in dictis Ecclesiis etiam exemptis Pontificalia exerceat, immo posse Episcopum contradictores poenis, et censuris Ecclesiasticis compellere, » censuit, et declaravit die 6. Decembris 1613.

Si quis autem de huiusmodi Decreto, et Sacra R. C. declaratione se gravatum senserit, compareat in eadem S. C., ubi benigne audietur, sed interim parere Decreto non desistat.

478. HISPANIARUM SANCTI IOHANNIS DE PENIA.

Monachi, seu Canonici Regulares Ordinis Sancti Benedicti in Conventu S. Iohannis de Penia in Hispania Sac. R. C. exposuerunt, numquam eos consuevisse associare eorum Abbatem a domo suae habitationis ad Chorum, neque a Choro ad domum, dum ad Ecclesiam venit solemniter celebraturus, licet ipse Abbas nunc sub praetextu *Libri caeremonialis*, in quo cavetur, quod Canonici teneantur in similibus associare Episcopum, praetendat a praedictis Monachis simile obsequium, quod numquam ei, neque praedecessoribus suis praestiterunt, nec praestare consueverunt, et ideo nihil in hoc innovari petierunt, supplicantes S. C., ut declarare dignetur: An liber Caeremonialis in casu proposito comprehendat Abbates, sicut Episcopos?

Eadem S. R. C., « nihil esse innovandum de

solito, et consueto, censuit, et Caeremoniale Liberum non comprehendere in casu proposito Abbatem, » declaravit die 11. Decembris 1613.

479. CAESARAUGUSTANA DE DOROCA.

In causa Caesaraugustana inter Decanum, et Canonicos Ecclesiae Collegiatae de Doroca, et Praepositum, et Portionarios Ecclesiarum Parochialium eiusdem loci Caesaraugustanae Dioecesis circa usum introductum *iuxta formam Libri Caeremonialis*, et per quatuor annos iam servatum, ut in Vesperis, et Missis, Canonici duplici ictu thuribuli thurificentur, ceteri vero de Clero unico ductu; audita relatione Ill^{mi}, et R^{mi} D. Card. de Monte, cui haec causa commissa fuerat,

Sac. R. C. a Decreto ultimo loco facto in hac causa sub die 4. Maii proxime praeteriti, nempe, « quod circa thurificationem in dicto Oppido de Doroca servetur forma libri caeremonialis iam introducti, non esse recedendum, censuit; reservata tamen facultate dicto Praeposito, et Portionariis Ecclesiarum Parochialium, ut si voluerint, possint allegatam consuetudinem immemorabilem in contrarium probare. » Et ita declaravit die 11. Decembris 1613.

Decretum autem die 4. Maii eiusdem anni, sequentis tenoris est: « S. R. C. Regulas Libri caeremonialis iam acceptati, et quatuor abhinc annis in dicto Oppido de Doroca Civitate nuncupato Caesaraugustanae Dioecesis, vigore Decreti ab Ordinario facti, iam introducti, servandas esse censuit, et declaravit die 4. Maii 1613.

480.

VERULANEN.

Pro parte Abbatis, et Canonice Ecclesiae Collegiatae S. Pauli in Civitate Verulana S. R. C. expositum fuit, quod Parochi dictae Civitatis, licet in Processionibus, et Synodis cedant locum digniorem Ecclesiae Collegiatae S. Erasmi, tamen eundem locum ipsi cedere recusant. (sic) Et quia alias a S. R. C. declaratum fuit Parochos debere incedere ante Ecclesias Collegiatas, et ipsis Collegiatis debere cedere locum digniorem in omnibus Processionibus, et aliis functionibus, in quibus simul conveniunt, idem etiam ad eorum favorem declarari petierunt.

Eadem S. R. C., « a decretis alias in similibus causis factis non esse recedendum, censuit, ut scilicet Canonici Ecclesiae Collegiatae in publicis Processionibus, functionibus, et Synodis, praeferrantur omnibus Curatis, et Presbyteris Ecclesiarum Parochialium, et aliarum Ecclesiarum simplicium. » Quod etiam in Civitate Verulana servandum esse iudicavit, et ordinavit die 11. Decembris 1613.

481. ARETINA.

Sac. R. C. respondit: « Non licere Fratribus praedictis Feria V. in Coena Domini facere Processionem cum SS. Sacramento extra Ecclesiam, nec in Festo SS. Corporis Christi post Vesperas facere Processionem similem extra eorum iurisdictionem, per iurisdictionem Plebani, et suae Parochiae. » Et ita censuit, et declaravit die 11. Decembris 1613.

482. BRUNDUSINA.

« Decreta a S. R. C. sub die 2. Maii 1602., et sub die 25. Ianuarii 1603. circa declarationem, ad quem spectet, absente, vel impedito Episcopo, seu etiam tempore Sedis vacantis Missam celebrare, vel alias functiones facere, quae ad Archiepiscopum praesentem pertinent, in Civitate et Ecclesia Brundusina a Vicario Generali tam ab Archiepiscopo, quam a Sede Apostolica deputato, omnino servanda esse » S. R. C. censuit, et declaravit die 1. Februarii 1614.

483. NERITONEN.

« Benedictiones Candelarum, et Palmarum, et aliarum similium functionum, quae ad Episcopum praesentem pertinerent, eo absente, vel impedito, ad primam Dignitatem pertinere, dummodo ipsa prima Dignitas postea etiam Missam cantet, C. S. R. alias saepe declaravit, et idem in Ecclesia Neritonen. servandum esse » censuit, die 1. Martii 1614.

484. CUSENTINA.

Cum in Oppido, sive Terra Montisalti Cusentinae Dioecesis orta fuerit differentia praecedentiae inter Fratres Ordinis Minimorum Sancti Francisci de Paula, qui ab annis hinc circiter 90. Monasterium in dicta Terra Montisalti sub titulo SS. Annunciationis fundaverunt, et habuerunt, et Fratres Ordinis Carmelitanorum, qui a novem annis Monasterium in eadem Terra habuerunt; et licet semper in praeteritum praecedentiam dictis Fratribus Minimis tamquam in loco antiquioribus dederint, et concesserint, novissime tamen tentaverunt praecedere dictis Fratribus Minimis sub praetextu, quod Carmelitarum Religio sit antiquior Religione Minimorum, et quia in aliis locis Fratres Carmelitani praecedant dictis Fratribus Minimis: Proposito huiusmodi negotio in Sacra R. C., et audita relatione facta per Illmum, et Rmum D. Card. Laucellottum, cui haec causa cum aliis similibus commissa fuerat:

Eadem Sac. R. C., ut alias, ita nunc iuxta mentem SS. D. N. Papae declaravit in hoc casu servandam esse « Bullam fel. rec. Gregorii PP. XIII., in qua cavetur, quod illa Religio aliis

praecedat, quae prius in Civitate, seu loco, ubi residet, fundavit, et habuit Monasterium; et ita iuxta dictae Bullae tenorem servandum esse in dicta Terra Montisalti inter Fratres Minimorum Sancti Francisci de Paula, et Fratres Carmelitanos, » censuit, et declaravit die 1. Martii 1614.

485. HYDRUNTINA.

Cum orta fuerit controversia inter Archidiaconum primam, et unicum Dignitatem in Ecclesia Hydruntina, et Canonicos hebdomadarios eiusdem Ecclesiae, circa celebrationem Missarum solemnium, et aliarum functionum, nempe ad quem spectet, absente, vel impedito Episcopo celebrare Missas solennes, benedicere, et distribuere Candelas, Palmas, Cineres, lavare pedes pauperibus, vel Canonicis Feria V. in Coena Domini, deferre SS. Sacramentum in Processione in Festo solemnium SS. Corporis Christi, et in die Octavae, quas functiones facere praetendunt Canonici hebdomadarii, et contra Archidiaconum ad ipsum tamquam primam, et unicum Dignitatem pertinere contendit: Proposito huiusmodi negotio in S. R. C., et de mandato eiusdem S. C. commisso Illmo, et Rmo D. Card. Peretto, coram quo ad instantiam dicti Archidiaconi legitime citati fuerunt Procuratores Capituli, et praedictorum Canonicorum hebdomadarios, et audita eiusdem Illmi, et Rmi D. Card. Peretti relatione,

Eadem S. R. C., a Decretis alias saepe in similibus Causis factis non esse recedendum censuit, nempe « ad primam Dignitatem pertinere celebrationem Missarum solemnium, et aliarum omnium supradictarum functionum, absente, vel impedito Archiepiscopo, dummodo etiam ipsa prima Dignitas cantet Missam cum dictis functionibus. Et ita in Civitate Hydruntina inter Archidiaconum primam, et unicum Dignitatem, et Canonicos hebdomadarios eiusdem Ecclesiae servandum esse » censuit, et declaravit die 15. Martii 1614.

486. ULYSBONEN.

Cum in Dioecesi Ulysbonen. quidam Suffraganeus Archiepiscopi, et de eius ordine, et mandato, Ecclesiam quamdam in ipsa Ulysbonen. Dioecesi sitam consecrare incaeperit, cum omnibus caeremoniis descriptis in Pontificali Romano: De Ecclesiae Dedicatione, seu Consecratione, et circa medium Consecrationis improvise accidenti correptus Episcopus defecerit, et Consecrationem Ecclesiae perficere non potuerit, pro parte ipsius Archiepiscopi Ulysbonen. a D. Simone Costa de Ameral eius Procuratore a Sac. R. C. quaesitum fuit: An ab alio Episcopo Ecclesiae praedictae incepta Consecratio continuanda sit, vel potius de novo inchoanda?

Quae quidem S. R. C., commissa prius huiusmodi Articuli examinatione Illmo, et Rmo Dño Card. Bellarmino, qui in alia Congregatione sententiam suam declaravit, posse utroque modo sine scrupulo fieri, nempe vel de novo inchoare a principio Consecrationem, vel iam inceptam continuare, et perficere, sed melius sibi videri, ut de novo ab alio Episcopo inchoaretur. Et iterum postea proposito huiusmodi negotio in Congregatione:

Eadem S. R. C., auditis sententiis, et votis singulorum Illmorum, et Rmorum DD. Cardinalium in Congregatione praesentium, considerando, quod Consecratio Ecclesiae maxime consistit in inungendis Sacro Chrismate duodecim Crucibus per Ecclesiam, et in proferendis illis verbis: *Sanctificetur, et consecretur hoc Templum in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti etc.*; quae Cruces cum adhuc ab Episcopo, qui in Consecratione defecit, non fuerint inunctae, ut in facto praesupponitur, censuit, et iudicavit: « Consecrationem dictae Ecclesiae de novo, et a principio ab Episcopo inchoandam, et continuandam esse usque in finem. » Et ita declaravit die 12. Aprilis 1614.

487. ARETINA MONTIS S. SAVINI.

Plebanus Ecclesiae Montis S. Savini Aretinae Dioecesis petiit a S. R. C. declarari: An liceat Fratribus, et Regularibus facere arbitrio suo, pro quacumque causa Processiones per plateam publicam, et per ipsam Terram, et iurisdictionem ipsius Plebani, prout faciunt Fratres Ordinis S. Augustini in dicta Terra, occasione Anniversariorum defunctorum prima secunda feria cuiuslibet Mensis, et quando aliquis eorum cantat primam Missam, et quando publicant aliquas Indulgentias ab eis obtentas, et prout etiam fecerunt Sabbato Sancto cum Lumine Christi?

Eadem S. R. C. respondit, « non licere Fratribus, et Regularibus extra Claustra Monasteriorum suorum facere Processiones: » et ita declaravit, et in dicta Terra Montis Sancti Savini Aretinae Dioecesis servari mandavit die 19. Maii 1614.

488.

TURRITANA.

Pro parte Archiepiscopi Turrítani Sac. R. C. expositum fuit, in eadem Ecclesia, et ex Decreto Concilii Provincialis fuisse introductum, et admissum *Librum caeremoniale Episcoporum, iussu fel. rec. Clementis PP. VIII. editum.* Quia tamen Canonici celebrantes in praesentia Archiepiscopi, ante introductionem, et acceptationem dicti Libri solebant sedere in quadam sede cum postergali, et in *Libro caeremoniali* dicitur, quod Canonici celebrans cum suis Ministris sedeat in aliquo scam-

no oblongo tapete, vel panno cooperto a latere Epistolae; petiit declarari ipse Archiepiscopus: An dictis Canonici celebrantibus coram ipso, debeat permittere dictam sedem cum postergali, qua uti consueverunt ante acceptationem Libri Caeremonialis, vel potius dicti Canonici celebrantes, ut supra, debeant sedere in scamno a latere Epistolae, ut cavetur in dicto Libro Caeremoniali?

Eadem S. R. C. respondit, « formam Libri Caeremonialis introducti, et acceptati in dicta Ecclesia Turrítana servandam esse. » Et ita declaravit, et in Ecclesia Turrítana servari mandavit die 19. Maii 1614.

TURRITANA.

489.

Cum in Ecclesiis Cathedralibus, et Parochialibus Civitatis, et Provinciae Turrítanae multa legata Pia relictata fuerint a piis Fidelibus cum onere, ut tali die, videlicet Dominico, vel alio, dicatur, vel cantetur Missa de Resurrectione Domini, alio die de Ascensione, aut Trinitate, aut de Spiritu Sancto, aut de Beata Virgine, aut alia Missa iuxta cuiuslibet devotionem celebretur, vel cantetur, ita ut singulis diebus cuiuslibet hebdomadae quatuor, sex, octo, et plures Missae decantandae sint; in C. S. R., quae habita fuit die 1. Septembris 1612. quaesitum fuit: Utrum in Festis duplicibus, et praecipue primae, et secundae classis, ac in feriis exceptuatis tempore Adventus, Quadragesimae, quatuor Temporum, Rogationum, et Vigiliarum, debeant dici, vel cantari huiusmodi Missae votivae iuxta voluntatem Legantium, cum commemoratione Festorum, seu Feriarum occurrentium, vel potius Missae celebrandae sint de dictis Festis, seu Feriis occurrentibus, applicando illas iuxta petentium devotionem, et intentionem? Et similiter: An Missae defunctorum, tam ex legatis piis relictis, quam ex devotione, et eleemosynis elargitis a Fidelibus petitis, sint dictis diebus exceptuatis celebrandae?

Eadem S. R. C. respondit, « servandas esse Rubricas Missalis Romani, et petendam esse a SSmo D. N. dispensationem circa celebrationem Missarum pro legatis piis, et eleemosynis iam acceptatis, et quod in futurum non recipiatur obligatio ad Missas votivas celebrandas, nisi pro diebus in quibus secundum Regulas Missalis celebrari possint. » Et facta relatione de praemissis S. D. N. de mandato eiusdem Congregationis ab Illmo, et Rmo D. Cardinali Bellarmino sub die 3. Septembris 1612., Sanctitas Sua approbavit Sententiam Congregationis, « quod in futurum non recipiatur obligatio ad Missas votivas celebrandas, nisi pro diebus, in quibus secundum regulas Mis-

salis celebrari possunt. De Missis vero votivis iam acceptatis, et non celebratis, Sanctitas Sua dixit ut transferatur earum celebratio in dies, in quibus liceat secundum Rubricas Missalis illas celebrare, et in hoc solum dispensare voluit, ut celebrari possint in alio die non impedito, quando Missae dicendae relictæ, vel legatae sint in die impedito. » Quia vero multitudinem Missarum iam acceptatarum tantam esse narratum fuit, ut pro illis satisfaciendis, et celebrandis, non sufficiant dies non impediti festo duplici, aut Dominicis, et aliis privilegiatis diebus, facta iterum relatione eidem SSmo D. N. ab eodem Illmo, et Rmo D. Cardinali Bellarmino sub die 12., eiusdem mensis Septembris 1612. Sanctitas Sua dispensavit, « ut pro Missis iam acceptatis, quae non possunt celebrari diebus non impeditis, sufficiat applicare valorem Missae currentis, et ordinariae, tam pro vivis, et defunctis, qui postulaverunt Missas votivas: » et ita iuxta mentem, et dispensationem SSml, et relationem de praemissis factam a praedicto Illmo, et Rmo D. Cardinali Bellarmino, eadem S. R. C. « in Ecclesiis, et Civitatibus Provinciae Turritanae servari » mandavit. In quorum omnium, et singulorum fidem, et testimonium praesentes ab infrascripto eiusdem nostrae Congregationis Secretario fieri iussimus, manu nostra propria subscripsimus, et soliti nostri Sigilli impressione muniri fecimus, hac die 19. Maii 1614.

490. FIRMANA.

Cum in Civitate Firmana erecta fuerit quaedam Confraternitas laicorum vulgariter nuncupata - *olla pazienza del Carmine* - quorum Confratres supra vestem telae albae quamdam patientiam lanei coloris portant, et dubitatum fuerit, an laicis confratribus similis habitus Patientiae, quae solis Religiosis proprie convenit, concedendus sit; proposito huiusmodi negotio in Sacrarum Rit. Congregatione,

Eadem Sac. R. C. censuit, « posse concedi, maxime cum ipsa Confraternitas a *Patientia* denominetur, nec desint exempla aliarum Confraternitatum, quae similem Patientiam deferunt. » Et ita declaravit die 13. Iunii 1614.

491. TAURINEN.

In causa Taurinen. Coadiutoriae inter Capitulum, et Canonicos Ecclesiae Collegiatae ex una, et Octavium Morandettum Coadiutorem ex altera Partibus; audita relatione Illmi, et Rmi D. Cardinalis Lancellotti, cui haec causa commissa fuerat, et visis, ac auditis iuribus, et allegationibus ambarum partium,

S. R. C. censuit, « allegatam consuetudinem

ad favorem dieti Morandetti Coadiutoris non fuisse probatam, nec eidem suffragari; et ideo servandum esse Decretum alias factum in causa Coimbrinen. sub die 16. Septembris 1606., in quo declaratur Coadiutores non esse veros Canonicos, nec pro talibus habendos esse, viventibus Coadiutis, sed tantum post eorum obitum, et in vim praedictae possessionis acceptae in vita Coadiuti non praecedere debere in Choro, Capitulo, et Processionibus publicis veros Canonicos, qui post ipsos Coadiutores succedunt, seu de Canonicatu provisi sunt. Et ita etiam in Civitate Taurinen. inter d. Octavium Morandettum Coadiutorem, et veros Canonicos eiusdem Ecclesiae Taurinen. servandum esse, » censuit, et declaravit, ac servari mandavit, quibuscumque non obstantibus, die 13. Iunii 1614.

492. MATERANEN.

Pro parte Ioannis Leonardi Paulicelli Ecclesiae Materanen. Canonici, a S. R. C. quaesitum fuit: Utrum Canonici destinati ad cantandum Epistolam, et Evangelium teneantur Epistolam, et Evangelium cantare quando celebrat aliquis Presbyter non Canonicus?

Eadem S. R. C. inhaerendo Decretis alias factis in una Hispanen. sub die 1. Iunii 1601., et in alia Gadicen. sub die 23. Novembris 1602., « cum indecorum, et indecens sit, digniorem inferiori ministrare, » censuit, non convenire, ut Canonici Ecclesiae Cathedralis serviant, seu ministrant simplici Presbytero non Canonico celebranti, cantando Epistolam, et Evangelium. » Et ita declaravit die 5. Iunii 1614.

493. EUGUBINA.

In causa Eugubina Praecedentiae inter Curatum Ecclesiae Cathedralis, et Curatum S. Petri Monachorum Olivetanorum Eugubinae Civitatis: audita relatione Illmi, et Rmi D. Cardinalis a Monte, cui haec causa commissa fuerat, et coram quo ambae partes iura sua deduxerunt, et allegaverunt,

S. R. C. censuit, « circa praecedentiam in funeribus non esse probatam consuetudinem, et idcirco terminandam esse causam secundum ius commune, videlicet quod quando quis in una Parochia moritur, et in alia sepelitur, benedictionem in domo mortui faciat circa corpus proprius Parochus, qui Stolum deferens a domo defuncti usque ad Ecclesiam, in qua corpus sepeliendum erit, aliis omnibus praecedere debet. In Ecclesia vero, in qua corpus sepelitur, Officium faciat circa corpus, et aliis praecedat Parochus ipsius Ecclesiae. Et ita, ut supra, in Civitate Eugubina inter

Curatum Ecclesiae Cathedralis, et Curatum S. Petri Monachorum Olivetanorum servandum esse, » censuit, et declaravit, atque servari mandavit, quibuscumque non obstantibus, die 5. Junii 1614.

494. CASALEN.

In causa Casalen. Praecedentiae inter Dignitates, et Canonicos Ecclesiae Cathedralis, ac Vicarium Generalem eiusdem Ecclesiae, et inter easdem Dignitates, et Canonicos, ac Inquisitorem Generalem eiusdem loci: audita relatione Ill^mi, et R^mi D. Cardinalis Capponi, cui haec causa commissa fuerat, quoad Praecedentiam inter Vicarium Generalem, et Dignitates, et Canonicos Ecclesiae Casalen:

S. R. C. censuit, « non esse recedendum a Decretis alias in similibus Causis factis, nempe praecedentiam dandam esse Vicario Generali super omnes Dignitates, et Canonicos, dummodo ipse Vicarius non sit de numero ipsarum Dignitatum, et Canonicorum, quia tunc deberet sedere, et incedere in suo loco, sive stallo, ut distributiones quotidianas lucrari posset, et dummodo Canonici non sint Sacris Vestibus parati, quia tunc ratione Paramentorum debet Vicarius cedere locum digniorem Canonicis paratis. Quo vero ad praecedentiam inter Inquisitorem, et easdem Dignitates, et Canonicos, eadem Congregatio remisit negotium ad Congreg. SS. Inquisitionis. » Et ita, ut supra, censuit, et declaravit die 5. Junii 1614.

495. CALAGURITANA.

Pro parte, et nomine Capituli Ecclesiarum Parochialium loci de Autol Calaguritanae Dioecesis S. R. C. expositum fuit, Dominum in temporalibus dicti loci praetendere, immo cogere velle Diaconum, qui in Missa solemniter cantavit Evangelium, ut statim accepta pace a Celebrante ab Altare discedat, et pacem ipsi Domino loci, et aliis, qui secum sunt, ministret: nec non praetendere dictum Dominum loci in Festivitatibus solemnibus, ut Sacerdos ipse celebrans, seu Officium faciens, thurificato SS. Sacramento, statim ad ipsum Dominum loci accedat, ipsumque thurificet. Quod cum valde indecorum, et indecens videatur, et contra debitos ritus, et caeremonias, petierunt super praemissis remedium, et declarationem.

Eadem S. R. C., audita relatione Ill^mi et R^mi D. Cardinalis Millini, cui haec causa commissa fuerat, iudicavit, « nullo modo convenire, ut nec ipse Dominus loci, nec alius quisquam a Presbytero celebrante thurificetur, nec ut pacem a Diacono accipiat. Ut autem Caeremoniae in Ecclesia decenter serventur, inhaerendo declarationibus alias in similibus causis factis, censuit, pacem dandam

esse Domino loci, postquam fuerit in Choro distributa, non a Beneficiatis, sed ab aliquo Ministro Cotta induto, non cum osculo oris, ut fit inter Ecclesiasticos, sed cum instrumento, ut convenit, quando pax distribuitur inter laicos. » Et ita declaravit, et in dicto loco de Autol omnino servari mandavit die 5. Junii 1614.

496. MEXICANA.

Cum Archiepiscopus, Decanus, et Capitulum Ecclesiae Metropolitanae Mexicanae, quae caput est Status Ecclesiastici novae Hispaniae in Indiis a SS. D. N. petierint, ut ad tollendas differentias praecedentiae inter Clerum Saecularem, et Clerum Regularem in toto illo Indiarum, et novae Hispaniae Regno, servetur id, quod ordinatum fuit servandum esse in Hispaniae Regno Castiliae, et Leonis, nempe, ut in publicis Processionibus Fratres, seu Monachi, et Ordines Regularium, iuxta universalem Ecclesiae consuetudinem, et *Libri caeremonialis* dispositionem, antecedant, et Presbyteri, seu Clerus saecularis subsequantur, et ultimum, ac digniorem locum obtineant, nec mixtum Regularibus incedant, et semper praecedentia in omnibus locis, etiam in propriis ipsorum Regularium Ecclesiis detur Clero Saeculari, sicut per *Breve Apostolicum fel. rec. Clementis PP. VIII.* ordinatum fuit sub die 20. Februarii 1601., et prout etiam Sac. Rit. Cong. declaravit sub die 30. Augusti 1602., et sub die 6. Septembris 1603.; quae declaratio etiam per aliud *Breve Apostolicum ejusdem fel. rec. Clementis PP. VIII.* approbata, et confirmata fuit sub die 5. Novembris 1603., et *Sanctissimus D. N.* negotium hoc primum ad *Congregationem Regularium*, et deinde ad C. R. remisit, audita relatione de praemissis facta in eadem S. R. C. sub die 30. Septembris praesentis anni 1614. ab Ill^mo, et R^mo D. Cardinali Pio, cui haec causa commissa fuerat;

Eadem S. R. C. censuit, et declaravit, « circa praecedentiam inter Clerum Saecularem, et Regularem idem servandum esse in Civitate Mexicana, et toto Regno novae Hispaniae in Indiis, quod generaliter in Universali Ecclesia iuxta dispositionem Libri caeremonialis servatur, et quod specialiter etiam ordinatum fuit servandum esse in Regno Castiliae, et Leonis. » Et facta relatione de praemissis SS. D. N. in Consistorio Secreto habito in Palatio Apostolico in Monte Quirinali hac die *infrascripta*, *Sanctitas Sua* Sententiam Congregationis approbavit, et mandavit expediri *Breve Apostolicum* Archiepiscopo Mexicano directum super praemissis. Et ita declaravit die 5. Octobris 1614.

497. CAPUTAQUEN.

In Causa Caputaquen. circa declarationem dubii dati a Cantore Ecclesiae Collegiatae de Laurino, in quo petebat: An Dignitas in Cathedrali possit alias Dignitates eiusdem Dioecesis tam intra eandem Cathedrali, quam etiam extra, et in propria Collegiata praecedere?

C. S. R. audita Relatione Illm̄i, et Rm̄i D. Cardinalis Pii, cui haec causa commissa fuerat, iuxta ipsius Illm̄i Ponentis votum, respondit, « Dignitatem Ecclesiae Cathedralis praecedere debere omnibus aliis Dignitatibus, et Canonicis Ecclesiarum Collegiatarum in omnibus locis, praeterquam in ipsis propriis Ecclesiis Collegiatis. » Et ita declaravit die 30. Septembris 1614.

498. NARNIEN. S. GEMINI.

Cum in oppido S. Gemini Narnien. Dioecesis Monasterium, et propriam Ecclesiam habeant Fratres Conventuales, et Fratres tertii Ordinis S. Francisci, et cum iam declaratum fuerit, licere dictis Fratribus tertii Ordinis in publicis, et generalibus Processionibus deferre propriam Crucem, ac posse, et debere in dictis Processionibus cum sua propria Cruce incedere in loco eis debito, et convenienti, iuxta formam Bullae sel. rec. Gregorii XIII., dubitatum fuit, an in funeralibus idem servandum sit, et quando defertur aliquod corpus defuncti ad Ecclesiam Fratrum Conventualium, ipsi Fratres tertii Ordinis debeant primi sub Cruce Conventualium incedere, et Conventuales post eos, prout ipsi Conventuales praetendebant. Et proposita huiusmodi causa in C. S. R., et audita relatione Illm̄i, et Rm̄i D. Cardinalis Millini, cui commissa fuerat,

Eadem S. R. C. censuit, et declaravit « in funeralibus deferendam esse unicam tantum Crucem, et illius Ecclesiae tantum, ad quam corpus defuncti defertur: post quam Crucem immediatae sequantur Fratres ipsius Religionis, cuius est Crux, deinde alii secundum eorum ordinem, et antianitatem, » et ita declaravit, et in dicto Oppido S. Gemini servari mandavit die 30. Septembris 1614.

499. CATANZAREN.

Ad instantiam Vicarii Generalis Civitatis Catanzaren. propositum fuit in S. R. C. dubium infrascriptum, videlicet: An Vicario Episcopi existenti pro tempore debeat debita reverentia in Choro, dum celebrantur Divina Officia ab omnibus Canonicis indifferenter, etiam quando aliquis ex dictis Canonicis sit exemptus a iurisdictione Ordinarii, sicut sunt Subcollectores spoliatorum?

Eadem S. R. C. respondit, « teneri omnes Ca-

nonicos tam exemptos a iurisdictione Ordinarii, quam non exemptos, facere solitam, et debitam reverentiam Vicario Generali existenti in Choro, » et ita declaravit die 11. Novembris 1614.

500. CENETEN. OPITERGII.

Cum in Oppido de Opitergio Ceneten. Dioecesis Ecclesia Parochialis S. Joannis Baptistae erecta fuerit a SS. D. N. Paulo PP. V. in Ecclesiam Collegiatam, erigendo in ea Decanum primam, et unicam Dignitatem, sex Canonicos, et quatuor Mansionarios, quibus Decano, et Mansionariis pro tempore existentibus cura Animarum demandata fuit; cum vero Decanus in solemnissimis diebus Nativitatis D. N. Iesu Christi, Paschae Resurrectionis, et aliis diebus solemnibus, et Festis principalioribus per annum occurrentibus, celebrare Missam solemniter debeat, nullus ex dictis Canonicis ei assistere, et ministrare intendat, asserendo id ad Mansionarios pertinere: quia tamen Mansionarii in cura animarum, audiendo Confessiones, et ministrando Sacramenta Populo numero eisdem Oppidi, praecipue solemnioribus diebus occupati sunt, non possunt dicto Decano ministrare, et inservire pro Diacono, et Subdiacono cantando in Missa Epistolam, et Evangelium, Decanus supplicaverit S. R. C. ut dignaretur declarare: An stantibus praemissis, teneantur duo ex dictis Canonicis ministrare, et inservire ipsi Decano, cantando Epistolam, et Evangelium, dum solemniter Missam in praedictis Solemnitatibus celebrat? Et audita relatione Illm̄i, et Rm̄i D. Card. Peretti, cui haec causa commissa fuerat, et stantibus rationibus per Decanum deductis, et maxime quia non possunt Mansionarii occupati in audiendis Confessionibus, et ministrandis Sacramentis Populo numero dicti Oppidi in diebus solemnibus id praestare;

Eadem S. R. C. censuit, et declaravit: « convenire, ut dum in dictis diebus festivis, et solemnibus Decanus Missam solemnem celebrat, duo Canonici ei assistant, et ministrent, cantando Epistolam, et Evangelium. » Et ita declaravit, et in dicto Oppido de Opitergio Ceneten. Dioecesis servari mandavit die 14. Februarii 1615.

501. PATAVINA.

Cum in Ecclesia Patavina prima Dignitas sit Archipresbyteri, secunda vero Archidiaconi, tertia Thesaurarii, quarta Primicerii, quinta Decani, et absente, vel impedito Archipresbytero, eae functiones, et iurisdictiones, ac omnia, quae ad ipsum Archipresbyterum primam Dignitatem pertinent, ad Archidiaconum secundam Dignitatem devolvantur; quaesitum fuit: an Archidiaconi

modernus Coadiutor cum futura successione, absente Archipresbytero, illas functiones, actus, et iurisdictiones facere, et exercere in omnibus, et per omnia possit, et debeat, quas sive iure ordinario, sive iure devoluto faceret, et exerceret ipse proprius Archidiaconus, si praesens esset, vel potius eae functiones, et iurisdictiones absente Archipresbytero, non a Coadiutore Archidiaconi, sed ab inferioribus eiusdem Ecclesiae Dignitatibus, aliisque gradatim Canonicis exercendae sint? Et proposito huiusmodi negotio in S. R. C., et ab eadem S. C. commisso Illmo, et Rmo D. Card. Lancellotto, coram quo, tam pro parte Dignitatum, Canonicorum, et Capituli Ecclesiae Patavinae, quam pro parte D. Bartolomaei Sanguinatii moderni Archidiaconi Coadiutoris, et in iure, et in facto iura, et rationes in scriptis, et in voce deducta, et allegata fuerunt: audita tandem relatione praedicti Illmi, et Rmi D. Card. Lancellotti,

Eadem S. R. C., attentis literis Coadiutoriae, censuit, et declaravit: « absente, vel impedito Archipresbytero, ad Coadiutorem Archidiaconi iuxta formam earundem literarum, non ad alias Dignitates inferiores, vel Canonicos eiusdem Ecclesiae pertinere illas functiones, actus, et iurisdictiones facere, et exercere, quas faceret, et exerceret quocumque iure ipse Archidiaconus, si praesens esset. » Et ita declaravit, et in Ecclesia Patavina servari mandavit die 14. Ianuarii 1615.

502. CAESARAUGUSTANA DE DOROCA.

In causa Caesaraugustana de Doroca inter Canonicos Ecclesiae Collegiatae, et Capitulum generale Ecclesiarum Parochialium eiusdem loci, circa thurificationem, quando ad Vesperas, seu Missas solennes simul in eadem Ecclesia intersunt Canonici dietae Ecclesiae Collegiatae, et Vicarii, ac Portionarii dictarum Ecclesiarum Parochialium, S. R. C., auditis, et visis iuribus ambarum partium, et audita relatione Illmi, et Rmi D. Card. de Monte, cui haec causa commissa fuerat, censuit, et declaravit: « Vicarios, et Portionarios dictarum Ecclesiarum Parochialium, qui in omnibus, et per omnia aequiparantur Canonicis dietae Ecclesiae Collegiatae, et simul, et aequaliter in Processionibus incedunt, et in aequalibus scamnis in Ecclesia sedent, et sedere, et incedere debent, reservata tantum dextera Canonicis Ecclesiae Collegiatae iuxta formam Laudi Archiepiscopi Caesaraugustani a partibus acceptati, et prout etiam declaravit eadem S. R. C. sub die 10. Aprilis 1604. in thurificatione etiam inter Canonicos, et Parochos praedictos aequalitatem servandam esse de-

claravit, ut scilicet tam dicti Canonici, qui sedent a dexteris, quam dicti Vicarii, et Portionarii, qui sedent a sinistris in aequalibus scamnis, duplici ductu thurificentur, prout dicitur in Libro caeremoniali. Neque obstare Decretum eiusdem S. C. sub die 4. Maii 1613. *in quo dicitur*, Regulas dicti Libri caeremonialis iam acceptati, et introducti in dicta Civitate de Doroca servandas esse; quia Liber caeremonialis loquitur de Collegiatis, in quibus non interveniunt aliarum Ecclesiarum Presbyteri, qui sint omnino Canonicis aequales, ideo ordinat, ut Dignitates, et Canonici duplici ductu thurificentur, caeteri eiusdem Ecclesiae Beneficiati, seu Presbyteri, et alii inferiores unico ductu. Quare cum dicti Vicarii, et Portionarii Capituli generalis aequales sint Canonicis, et in aequali scamno sedeant, aequaliter tamquam Canonicos thurificandos esse duplici ductu iuxta formam Caeremonialis, et servata praecedentia Canonicis, » eadem S. R. C. censuit, et declaravit, ac in d. Civitate de Doroca Caesaraugustanae Dioecesis, quibuscumque non obstantibus, servari mandavit die 21. Martii 1615.

503. FOROLIVIEN.

Cum alias ad instantiam Civium, et Magistratus Civitatis Forolivien. S. R. C. expositum fuerit, eiusdem Civitatis Episcopum Tartarinum moderni Episcopi praedecessorem, contra antiquam eiusdem Civitatis consuetudinem ordinasse, ut in Processione SS. Sacramenti Magistratus Civitatis cum suis Officialibus non apud, et post Baldachinum, sed ante Crucem Cleri incederet, ut dicitur in Libro caeremoniali Episcoporum; et eadem S. R. C. voluerit super praemissis habere informationem a moderno eiusdem Civitatis Episcopo: visis literis praedicti Episcopi, et attenta decencia a praedicto Episcopo in suis literis narrata, et praesupposita consuetudine antiqua ipsius Civitatis Forolivien., et fere aliarum omnium Civitatum eiusdem Provinciae, cum *Liber caeremonialis* non tollat antiquas, et laudabiles consuetudines, circa locum, in quo incedere debeat Magistratus Civitatis in Processionibus SS. Sacramenti, « antiquam eiusdem Civitatis Forolivien. consuetudinem servandam esse » censuit, et declaravit eadem S. R. C. die 4. Aprilis 1615.

504. TOLETANA.

In Causa Toletana Processionum inter Universitatem oppidi Matriti, et Fratres Ioannis de Deo alias *Fate ben fratelli* nuncupatos, quae in S. R. C. proposita, ab eadem S. R. C. Illmo, et Rmo D. Card. Lancellotto commissa fuit: visis, et auditis tam in voce, quam in scriptis iuribus,

et rationibus in iure, et in facto ab utraque parte deductis, et allegatis; et tandem audita relatione eiusdem Ill^{mi}, et R^{mi} D. Card. Lancellotti,

Eadem S. R. C., « inhaerendo decretis alias in similibus causis factis, et iuxta declarationem C. S. Concilii, *censuit et declaravit*, dictos Fratres Ioannis de Deo alias *Fate ben fratelli* nuncupatos, posse compelli ab Episcopo seu Ordinario loci, et sub poenis, et censuris Ecclesiasticis, ut accedant ad publicas, et generales Processiones, ad quas omnes Religiosi etiam exempti accedere solent, quae pro bono publico, vel publico honore ab Episcopo, seu Ordinario loci indicuntur. » Et ita declaravit, et in Oppido Matriti servari mandavit die 4. Iulii 1615.

505. PLACENTINA PROVINCIAE COMPOSTELLANAE.

Decanus, et alii Capitulares Ecclesiae Placentinae Provinciae Compostellanae desiderantes debitum Deo honorem, et reverentiam impendere circa celebrationem Divinorum, et Praelato circa illius associationem, quando in diebus festis, et solemnibus Pontificaliter descendit ad Ecclesiam pro assistendo horis divinis, vel sacrosancto Missae Sacrificio; propterea supplicant in hac S. C. declarari infrascripta dubia, et quid sibi in illis sit agendum.

1. Si Episcopus dum in Choro Tertia, vel aliqua alia hora recitatur, descendat ad Ecclesiam: an Decanus, qui prima Dignitas post Pontificalem existit, sive, eo absente, Praesidens Chori, et omnes Capitulares inibi interessentes, nemine excepto, teneantur deserere Officium Divinum, et accedere ad cubiculum R^{mi} D. Episcopi pro illo associando; vel sufficiat, quod tres, vel quatuor ex Capitularibus in Choro existentibus, ad illum comitandum accedant, reliqui vero remaneant, debitum Deo obsequium impendentes?

2. Si idem Episcopus descendat ad Ecclesiam, postquam Missa solemniter Conventualis est caepa celebrari, sub id tempus, quo post decantatum sacrum Evangelium Concionator vult ascendere Cathedram concionaturus ad populum: an teneantur dicti Capitulares accedere ad domum Episcopi pro illo associando, vel potius censeantur liberi ab huiusmodi accessu, cum id non videantur pati, nec qualitas Sacrificii, nec ratio temporis?

3. Si D. Episcopus, terminata concione, aliquando non expectet, ut absolvatur dicta Missa solemniter Conventualis, sed illam deserat, et velit reverti domum, an dicti Capitulares illam etiam deserere, et illum comitari teneantur, vel ne?

4. Si aliquando expectat, ut absolvatur dicta

Missa Conventualis, nolit tamen expectare, ut finiat hora Sextae, quae de consuetudine Ecclesiae immediate post dictam Missam inchoatur; an omnes dicti Capitulares celebrationi dicti Divini Officii interessentes illud deserere teneantur, ut Episcopum comitentur, vel potius sufficiat, quod tres, vel quatuor ex illis illum associant, reliquis in Choro remanentibus, prout in primo Dubio quaesitum est?

5. Cum per pulsationem Campanae, qua datur signum pro Officio inchoando, hora Officii certa semper intimetur Praelato, et omnibus Christifidelibus, qui ad Ecclesiam velint accedere: an Episcopus ultra signum datum morari ulterius possit, vel potius statim accedere ad Ecclesiam debeat, quin amplius expectare faciat; et Capitulares in Choro existentes pro celebratione Divinorum, si ultra signum datum Episcopus moretur, Divinum Officium inchoare valeant?

6. An sufficiat associare Episcopum usque ad primum atrium, vel portam domus ipsius? Quod in maximam gratiam ab Ill^{ms}, et R^{ms} Dominationibus vestris reportabitur.

Responsiones, et Resolutiones ad supradicta dubia proposita, et data a Decano, et Capitularibus Ecclesiae Placentinae Provinciae Compostellanae.

Ad 1. respondetur, « quod licet in cap. 15. Libri caeremonialis Episcoporum caveatur, quod omnes Canonici in eorum habitu Canonicali Ecclesiastico appropinquante hora Officii teneantur accedere ad cubiculum destinatum, et Episcopum ad Ecclesiam venientem associare, et in reditu etiam finito Officio eundem Episcopum reducere, et associare saltem usque extra portam Ecclesiae, ut dicitur in eodem caeremoniali lib. 2. cap. 1. in fin., non tamen semper, et indistincte hoc obsequium a Dignitatibus, et Canonice Episcopo ad Ecclesiam venienti praestandum est, sed in Solemniorebus tantum diebus, quando Episcopus ad Ecclesiam cum Cappa ad celebrandum solemniter, vel ut Divinis Officiis assistat, accedere voluerit, *ut a S. R. C. declaratum fuit in una Perusina sub die 20. Novembris 1601., et confirmatum in alia Asculana sub die 16. Dec. 1606., et in alia Ripana sub die 24. Octobris 1609., et sub die 30. Ianuarii 1610.* Sed quando Episcopus in dictis solemnitatibus ad Ecclesiam celebraturus, vel ut Divinis Officiis assistat, venire voluerit, intimanda est hora certa Officii, et dato signo, et Episcopo non veniente, Officium inchoari potest, *ut declaratum fuit in una Salamantina sub die 16. Iulii 1605. Quare in casu proposito ad*

primum Dubium, quando Episcopus ad Ecclesiam descendit, dum in Choro recitantur horae Canonicae, neque Decanus, neque Chori Praesidens, neque Canonici omnes tenentur, relicto Choro, et Officio, accedere ad cubiculum Episcopi ad illum associandum: sed satis erit in casu proposito, si quatuor, vel quinque ex Canonicis, vel de Capitulo, Episcopo ad Ecclesiam venienti obviam procedant, et maior pars Canonicorum in Choro remaneat, ne Officium Divinum deseratur, vel interrumpatur ob adventum Episcopi. »

Ad 2. nempe: An Canonici inchoata Missa Conventuali teneantur relinquere Sacrificium Missae, et obviam ire Episcopo venienti ad Ecclesiam, ut Missae assistat, vel Concionem audiat? respondetur: « maiori, et fortiori ratione servandum esse id, quod in primo Dubio proposito resolutum fuit. Debet enim Episcopus, quando vult venire ad Ecclesiam, venire tempore congruo, ita ut non deserantur Officia, vel Sacrificium Missae a Canonicis, ut Episcopo ad Ecclesiam venienti obviam procedant. »

« Quod etiam pari ratione in tertio Dubio proposito servandum erit. Non enim debent Canonici relinquere Sacrificium Missae, quod statim, finita concione, continuandum est, ut Episcopo obsequium praestent, si statim finita Concione, ab Ecclesia discedere voluerit; et satis erit, si in tali casu tres, vel quatuor ex Canonicis, Episcopum ab Ecclesia discedentem usque ad portam Ecclesiae comitentur, et statim redeant ad Sacrificium, quod neque Episcopus deserere deberet, sed expectare finem Sacrificii, et postea discedere, maxime in solemnioribus diebus. »

Ad 4. Dubium: « Quando Episcopus, statim finita Missa Conventuali, ab Ecclesia discedere voluerit, neque expectare, quod hora Sextae cantetur, et terminetur, quae de consuetudine Ecclesiae statim, finita Missa, immediate cantari solet; convenire videtur in hoc casu, ut Canonici Episcopum statim, finita Missa, saltem usque ad portam Ecclesiae comitentur, et statim postea redeant ad Chorum ad cantandam horam Sextam, quia modicum tempus non habetur in consideratione, et hora Sexta est Officium distinctum a Sacrificio Missae, neque necessarium est ut statim, et immediate, et absque ulla vel modica mora interposita, post Sacrificium Missae inchoetur, et terminetur, et ideo in casu proposito non est denegandum a Canonicis obsequium debitum Episcopo, in eo associando saltem usque ad portam, vel extra portam Ecclesiae, ut dicitur in Caeremoniali dicto cap. 1. lib. 2. »

Ad 5. « Quando per sonum Campanae hora certa Officii inchoandi intimatur (quae tamen hora consultanda erit, et stabilienda prius cum Episcopo), dato Signo, diutius ultra ultimum signum datum, non est immorandum, sed Canonici post signum datum, etiam non expectato Episcopo, Officium inchoare poterunt, ut declaratum fuit in dicta Salamantina. sub die 16. Iulii 1605. »

Ad 6. respondetur: « Sufficere, ut Canonici Episcopum in reditu, finito Officio, associent usque extra portam Ecclesiae, ut dicitur in Caeremoniali lib. 2. cap. 1. in fine. et declaratum fuit a S. R. C. in una Cremen. sub die 28. Septembris 1602., vel usque ad primum atrium, vel portam domus Episcopi, quando contigua est Ecclesiae, ut declaratum fuit in dicta Salamantina. sub die 16. Iulii 1605., et in alia Lamacen. sub die 12. Novembris 1605., et in alia Iacen. sub die 10. Ianuarii 1609. »

« Quae omnia intelliguntur, quando Episcopus cum Cappa venit ad Ecclesiam, ut celebret solemniter, vel ut Divinis Officiis assistat. Quando vero private, vel ex alia causa, sine Cappa Episcopus ad Ecclesiam venire voluerit, non tenentur Canonici nisi ex voluntate, et urbanitate haec obsequia praestare. »

Supradictas Responiones, et declarationes ad suprascripta dubia data, et proposita in S. R. C. a Decano, et Capitularibus Ecclesiae Placentinae Provinciae Compostellanae, cum sint conformes *Libro caeremoniali Episcoporum*, et resolutionibus alias in similibus causis factis in eadem Sacra Congregatione,

Eadem S. R. C., audita relatione Ill^{mi}, et R^{mi} D. Card. Galli, cui haec causa commissa fuerat, approbavit, et in dicta Civitate Placentina servari mandavit die 4. Iulii 1615.

506. BAREN.

Archipresbyter Terrae de Aquaviva Baren. Diocesis in causa, quae commissa fuerat Ill^{mo}, et R^{mo} D. Card. Peretto, ad fundandam suam intentionem, quod Presbyteri, et Clerici dictae Ecclesiae Aquavivae teneantur illi obsequia praestare tam in associando ipsum a domo suae habitationis, quotiescumque ad Ecclesiam descendit, ut assistat Divinis Officiis, quam in aliis eius praetensionibus, iuxta contenta in eius Memoriali, petiit comitti alicui Episcopo Provinciae viciniori, ut examinet Testes ab ipso Archipresbytero producen. cum facultate citandi etiam R^{num} Archiepiscopum Baren., et Presbyteros dictae Ecclesiae Parochialis, et alios quoscumque pro fundanda, et probanda sua intentione. Quibus auditis,

Eadem S. R. C. « praedictam commissionem minime esse concedendam, censuit, imo dixit, vanam esse praetensionem Archipresbyteri, et propterea declaravit, non convenire Archipresbytero sedem paratam, neque ut Presbyteri, et Clerici associet Archipresbyterum, neque quod eorum dignior in porta Ecclesiae porrigat, et ministret ei Aspersorium, neque alia praetensa obsequia praestent, quae solis Episcopis a Canonicis Cathedralium Ecclesiarum debentur, et consuetudinem allegatam ab Archipresbytero esse potius abusum, quam consuetudinem; et ideo recte fecisse Archiepiscopum Baren. prohibendo dicta obsequia » eadem S. R. C. censuit, et declaravit die 4. Iulii 1615.

507. URBINATEN.

In Causa Urbinaten: An scilicet Canonici teneantur cantare Missam Conventualem currentem in illis diebus, in quibus vel ex dotatione, vel pro defunctis cantant aliam Missam, vel loco Missae Conventualis currentis sufficiat Missa lecta in aurora, ita ut, etiamsi non cantetur alia Missa Conventualis de Feria, seu Festo currenti, lucrari possint distributiones quotidianas iuxta immemorabilem eiusdem Ecclesiae consuetudinem? Licet alias in S. R. C. sub die 25. Iunii 1611. declaratum fuerit, teneri omnino Canonicos celebrare, et cantare Missam Conventualem de Officio currenti ad hoc, ut licite possint lucrari distributiones quotidianas, nec sufficere Missam praedictam lectam celebratam in aurora; tamen cum Canonici recursum habuerint ad *sacram Congregationem Concilii* pro huiusmodi declaratione, allegantes eos non fuisse citatos, nec auditos quando in dicta S. R. C. fuit factum supradictum Decretum contra illorum immemorabilem consuetudinem, ab eadem S. C. Concilii remissi fuerint ad eandem S. R. C., audita in primis relatione facta ab Illmo, et Rmo D. Card. Lancellotto,

Eadem S. R. C. « praesupposita vera dicta immemorabili consuetudine, quatenus in casu proposito, quando Canonici cantant aliam Missam votivam, vel ex dotatione, vel pro defunctis, non teneantur cantare Missam Conventualem de Officio currenti, sed loco Missae Conventualis sufficiat Missa lecta celebrata in aurora, in qua Matrimonia denunciantur etc., Monitoria publicantur etc. » declaravit, decretum supradictum factum « sub die 25. Iunii 1611. intelligendum esse in illis diebus, in quibus iuxta tertiam Rubricam Missalis omnino duae Missae Conventuales cantandae sunt, ut in Quadragesima, Quatuor temporibus, Rogationibus, et similibus. In reli-

quis vero diebus, in quibus non exprimitur in Rubricis Missalis, quod duae Missae cantentur, quando Canonici cantant aliquam Missam votivam, vel ex dotatione, vel pro defunctis, loco Missae Conventualis de Officio currenti, sufficere dictam Missam lectam, quae celebratur in aurora, quatenus vera sit immemorabilis dictae Ecclesiae consuetudo. » Et ita declaravit die 4. Iulii 1615.

508. RAVENNATEN.

In causa Ravennaten. iuris sepeliendi inter Parochos eiusdem Civitatis ex una, et Clericos Regulares Theatinos nuncupatos in eadem Civitate in Ecclesia S. Theodori, seu Spiritus Sancti comorantes ex altera partibus. Viso Processu ex Ravenna ad Urbem transmissio, et audito D. Francisco Tosio Rectore S. Michaelis eiusdem Civitatis, et Procuratore Capituli, et Conventus aliorum omnium Curatorum eiusdem Civitatis, et Procuratoribus, et Advocatis dictorum Clericorum Regularium S. Spiritus, et visis, et auditis tam in voce, quam in scriptis iuribus, et rationibus tam in iure, quam in facto hinc inde deductis: et tandem audita relatione Illmi, e Rmi D. Card. Milini, cui haec causa a S. R. C. commissa fuerat,

Eadem S. R. C. censuit, et declaravit: « Clerum saecularem, seu Capitulum Canonicorum, et Curatos, seu Parochos Civitatis Ravennaten. manutenendos esse in sua possessione, vel quasi faciendi Officium per proprium Parochum supra quoscumque defunctos propriae Parochiae, etiamsi sepeliantur extra Parochiam, in quacumque Ecclesia eiusdem Civitatis Ravennaten. sive Regularium, sive Saecularium, vel Abbatialium, et etiam in dicta Ecclesia S. Theodori, seu S. Spiritus dictorum Clericorum Regularium Theatinorum, ita ut, quando aliquis defunctus portatur ad sepeliendum in dicta Ecclesia Theatinorum, vel in quacumque alia Ecclesia Regularium, ad proprium Parochum defuncti, una cum Clero Saeculari, non autem ad Theatinos, vel alios Regulares residentes in Ecclesia, ubi Corpus defuncti sepelitur, pertineat aspergere, thurificare, canere, et facere Officium, et caeremonias solitas exerceri circa corpus defuncti, dictosque Curatos, seu Parochos in dicta sua possessione manuteneri mandavit, iuxta eorum antiquam, et immemorabilem consuetudinem, quibuscumque non obstantibus; reservato dictis Theatinis in petitorio iure suo. » Et ita censuit, declaravit, et in Civitate Ravennae servari mandavit die 28. Augusti 1615.

Et facto verbo cum SS. D. N. in Consistorio secreto de contentis in supradicto Decreto per Illmos, et Rmos DD. Cardinales Gallum, et Mil-

linum, *Sanctitas sua* Sententiam Congregationis laudavit, et approbavit, et supradictum Decretum servari mandavit die 31. Augusti 1615.

509. THELESINA.

Cum Episcopus, Canonici, et Capitulum Thelesinae Civitatis non possint in ipsa Civitate Thelesina residentiam facere ob aëris intemperiem, et alias causas deductas in *S. C. Episcoporum, et Regularium*, a qua sub die 22. Maii 1612. decretum obtinuerunt, ut tam Episcopus, quam Canonici, et Capitulum eiusdem Civitatis Thelesinae possint residentiam facere in Oppido Cereti eiusdem Dioecesis, prout faciunt in Ecclesia SS. Trinitatis, alias S. Leonardi ab Episcopo restaurata, ampliata, et ornata in dicto Oppido Cereti. Quia vero in dicto Oppido unica tantum adest Ecclesia Parochialis, et dicta Ecclesia SS. Trinitatis, alias S. Leonardi, in qua faciunt residentiam Episcopus, et Canonici, non est Ecclesia Parochialis, sed potius Ecclesia simplex sub limitibus Ecclesiae Parochialis dicti Oppidi, dubitatum fuit: an liceat Episcopo, Capitulo, et Canonicis dictae Ecclesiae Thelesinae, qui nunc faciunt residentiam in Oppido Cereti, in dicta Ecclesia SS. Trinitatis facere Processiones ordinarias, et extraordinarias cum propria Cruce, etiam sine interventu, vel licentia Curati Ecclesiae Parochialis, et per limites ipsius Parochiae? Et proposito huiusmodi Dubio in *S. R. C.*, et audita relatione Illm̃i, et Rm̃i D. Card. Lancellotti, cui haec causa commissa fuerat,

Eadem *S. R. C.* declaravit: «licere Episcopo, Capitulo, et Canonicis Ecclesiae Thelesinae, qui nunc residentiam faciunt in Oppido Cereti, sito in propria Dioecesi Thelesina, cum propria Cruce, et sine licentia, et consensu Parochi, facere omnes, et singulas solitas Processiones tam ordinarias, quam extraordinarias ab Ecclesia SSm̃ae Trinitatis, in qua residentiam faciunt, ad alias quascumque Ecclesias, et per totum Oppidum Cereti, prout facere possent in Civitate Thelesina, si ibi residerent.» Et ita censuit, et declaravit die 28. Augusti 1615. Confirmatum fuit Decretum die 15. Iunii 1619.

510. CABALLICEN. INSULAE.

Praepositus, et Capitulum Ecclesiae Collegiatae, et Parochialis Insulae Caballicen. Dioecesis *S. R. Cong.* exposuerunt, Fratres Conventuales S. Francisci eiusdem Insulae in secunda Dominica eiuslibet mensis solitos esse facere Processionem cum Confraternitate Cinguli, seu Cordonis eiusdem S. Francisci, et a nonnullis annis in dicta Processione etiam SS. Sacramentum deferre voluerunt, transeundo per limites, et territorium ipsius Pa-

rochiae, et Ecclesiae Collegiatae; quod, an eis liceat, dictus Praepositus, et Capitulum declarari petierunt.

Eadem *S. R. C.* «Processionem praedictam cum SS. Sacramento facere maxime per limites Parochiae, et Ecclesiae Collegiatae, dictis Fratribus Conventualibus non licere» respondit, et ita declaravit die 28. Augusti 1615.

511. TIRASONEN.

Episcopus, et Canonici Ecclesiae Tirasonen. *S. R. C.* exposuerunt Iustitiam, et Iuratos Magistratus saecularis dictae Civitatis, qui non perpetui, sed annuales sunt, praetendere, quod in Ecclesia Cathedrali, absente Episcopo, vel Sede vacante, Praedicator debeat salutare ipsos Iuratos, priusquam Canonicos cum habitu canonicali congregatos. Et quoniam haec de causa dicti Iurati amplius ad Missas, et Divina Officia audienda in Ecclesia Cathedrali, ut prius consueverant, accedere noluerunt, petunt declarari, quid circa praemissa statuendum sit?

Eadem *S. R. C.* respondit, «servandas esse regulas Libri caeremonialis Episcoporum, in quo declaratur, quod Officiales, sive Iurati, et Magistratus Civitatis, quando non sunt de perpetuis, et maioribus, in omnibus, et per omnia cedere debeant Canonicis Ecclesiae Cathedralis. Et ideo in casu proposito convenire, declaravit, ut Concionator prius Canonicos, deinde Officiales Iustitiae, sive Iuratos, et Magistratum Civitatis salutet.» Et ita in Civitate Tirasonen. servandum esse censuit die 2. Octobris 1615.

512. OSCEN.

Idem est casus, eadem resolutio per eadem prorsus verba, et sub eadem die.

513. PISAUREN.

Cum Fratres Ordinis S. Dominici in Civitate Pisauren. commorantes coeperint in eadem Civitate facere Processionem SS. Sacramenti Dominica infra Octavam eiusdem Festivitatis per quosdam vicus, seu vias dictae Civitatis; et sequentibus annis viam Processionis, quam a principio, et prima vice elegerant, eorum arbitrio mutaverint, et alteraverint, ac etiam tentaverint dictam eorum Processionem facere per eandem prorsus viam, per quam inedit Processio Cathedralis Ecclesiae, quae ab Episcopo Pisauren., et universo Clero saeculari, et regulari eiusdem Civitatis fieri solet in ipso die Festivitatis SS. Corporis Christi: et cum Episcopus hoc dictis Fratribus non licere iudicaverit, et pro decenti, et convenienti provisione ad *S. R. C.* recursum habuerit, et negotium hoc ab eadem *S. C.* Illm̃o, et Rm̃o D. Car-

dinali de Monte commissum fuerit, citatis partibus, et auditis coram eodem Illmo, et Rmo D. Card. de Monte iuribus, et rationibus hinc inde deductis tam in voce, quam in scriptis, et in iure, et in facto, tandem

Eadem S. R. C., audita relatione eiusdem Illmi, et Rmi D. Cardinalis de Monte, *iuxta formam literarum fel. rec. Clementis PP. VIII.*, in quibus expresse dicitur, quod Fratres Domenicani possint dictam Processionem SS. Sacramenti facere per vias, et plateas, et loca ab eis electa, et semel tantum eligenda, declaravit, « dictos Fratres Dominicanos in dicta eorum Processione SS. Sacramenti, quam in Civitate Pisaura. facere solent Dominica infra Octavam Solemnitatis SS. Corporis Christi debere incedere per eandem viam, per quam processionaliter prima vice inesserunt, dum dictam Processionem Sacramenti inceperunt. » Et ita censuit, et declaravit, ac in dicta Civitate Pisaura. in futurum, quibuscumque non obstantibus, servari mandavit die 14. Novembris 1615.

514. VENESINA.

Cum in Civitate Venesina Milites Religionis Hierosolymitanae, alias Meliten. Ecclesiam habeant, quam a iurisdictione Episcopali exemptam esse affirmant, et contra universalem Christiani Orbis consuetudinem praetendant etiam Sabbato Sancto eorum arbitrio in dicta Ecclesia pulsare, seu sonare Campanas, antequam pulsentur in Ecclesia Cathedrali, Episcopus Venesin. an eis hoc liceat? a Sacrorum Rituum Congreg. declarari petiit.

Eadem S. R. C., cum alias in similibus causis declaraverit, « in nulla Ecclesia, quantumvis exempta tam Regularium, quam Saecularium licitum esse Sabbato Sancto pulsare, seu sonare Campanas, antequam pulsentur, sive sonentur in Ecclesia Cathedrali, idem etiam in Civitate Venesina a Militibus Hierosolymitanis, quantumvis exemptis a iurisdictione Episcopali, servandum esse » censuit, et declaravit, ac servari mandavit die 14. Novembris 1615.

515. BONONIEN.

C. S. R. audita relatione Illmi, et Rmi D. Cardinalis Crescentii, cui haec causa commissa fuerat, declaravit, « licere Francisco Paleotto Archidiaconi Ecclesiae Bononien. Coadiutori, iuxta formam suae Coadiutoriae, et literarum Apostolicarum desuper expeditarum, exercere, et facere (licet adhuc non sit in Sacris) omnia, et singula, quae sine paramentis Sacris cum Cappa, et Cotta facere, et exercere posset in Ecclesia Bononien.

ipse Archidiaconus Coadiutus, si praesens esset. » Et ita declaravit die 19. Decemb. 1615.

516. PARMEN.

In Causa Parmen. inter Archipresbyterum ex una, et Capitulum, et Canonicos eiusdem Ecclesiae ex altera partibus circa declarationem: cuinam spectet in primo ingressu Episcopi accipere Pluviale, et Crucem osculandam Episcopo porrigere, versiculos, et Orationes super ipsum cantare, et alias functiones facere, quae *iuxta Regulam Libri caeremonialis* pertinent ad primam Dignitatem, seu digniorem de Capitulo?

C. S. R., citato, et intimato Procuratore dictorum Capituli, et Canonicorum, et audita relatione Illmi, et Rmi D. Cardinalis Crescentii, cui haec causa commissa fuerat, per modum provisionis, et sine praeiudicio iurium ambarum partium, et ad tollendas differentias, et dissensiones, quae in hoc primo futuro ingressu Episcopi ad suam Parmen. Ecclesiam proficiscientis, forsitan oriri possent, censuit « dictas, et alias quascumque functiones, quae iuxta dictam regulam Libri caeremonialis ad praedictam primam Dignitatem, seu digniorem de Capitulo spectant, ab ipso Archipresbytero, sine tamen praeiudicio, ut supra, faciendas esse »; et ita declaravit die 30. Ianuarii 1616.

517. PATAVINA.

Canonici Patavini humiliter petunt declarari: an Coadiutor Canonici, qui vivente suo Coadiutoria, post mortem sui Coadiuti teneatur accipere de novo possessionem suae Praebendae, et Canonicatus? cum observantia sit, quod alii acceperunt possessionem in Choro Coadiutoriae, vivente suo Coadiuto, post cuius mortem acceperunt etiam novam possessionem Praebendae, et Canonicatus; alii vero solum possessionem, vivente Coadiuto, acceperunt suae Coadiutoriae, et post mortem sui Coadiuti nullam aliam acceperunt possessionem Praebendae, et Canonicatus.

C. S. R., iuxta resolutiones alias factas in una Coimbrien. die 16. Septembris 1606. in simili materia Coadiutoriae, declaravit « Coadiutorem debere capere novam possessionem post mortem coadiuti, nec sufficere primam possessionem captam, vivente Coadiuto. » Et ita etiam in Civitate Patavina servandum esse censuit die 30. Ianuarii 1616.

518. COMEN. VALCUVIAE.

C. S. R. « circa thurificationem in Vesperis, formam Libri Caeremonialis Episcoporum lib. 2. cap. 3. servandam esse, respondit, ut scilicet

Celebrans tantum triplici ductu thuribuli, Dignitates, et Canonici duplici ductu, caeteri vero de Choro unico ductu thuribuli, thurificandi sint.» Et ita censuit, et declaravit, et in Collegiata Valcuviae Comen. Dioecesis servari mandavit die 30. Ianuarii 1616.

519. NICIEN.

Propositis iis, quae in praeinserto Memoriali continentur in C. S. R. per Illm̄um, et Rm̄um D. Cardinalem Perettum Ponentem,

Eadem S. R. Cong., « Decretum Episcopi, ut Priores Confraternitatis SS. Sacramenti incedant non ante Baldachinum post Capitulum, sed a latere Baldachini hinc inde, servandum esse » censuit, et declaravit, et servari mandavit in Civitate Nicien. die 30. Ianuarii 1616.

520. URBIS.

Cum singulis annis in media Quadragesima a Fratribus S. Mariae de Populo fiat Processio ad aperiendam Sacratissimam Imaginem B. Mariae, quae in eadem Ecclesia conservatur, et post Octavam Paschae similis Processio fieri consueverit ad claudendam eandem Sacratissimam Imaginem: ad quas Processiones ab antiquo, et immemorabili tempore soliti sunt accedere Presbyteri, et Clerici, qui inserviunt Ecclesiae S. Iacobi Incurabilium, et incedere, et procedere in dictis Processionibus sub Cruce Fratrum ipsius S. Mariae de Populo, prout in praeteritum semper incesse- runt, et processerunt, licet novissime dicti Presbyteri S. Iacobi, quamvis eorum Ecclesia sit in districtu, et limitibus Parochiae S. Mariae de Populo, nec de iure possint erigere propriam Crucem in aliena Parochia, tentaverunt in dictis Processionibus sub propria Cruce incedere, prout de facto aliquando incesse- runt; quod cum eis non convenire dictis Fratribus visum fuerit, recursum habuerunt ad S. R. C., a qua declarari instanter petierunt: An in dictis Processionibus, et in limitibus propriae Parochiae Fratrum liceat dictis Presbyteris erigere propriam Crucem, et sub ea, et non sub Cruce Fratrum incedere?

Quae quidem S. R. C., audita relatione Illm̄i, et Rm̄i D. Card. Crescentii, cui haec causa commissa fuerat, et visis, et auditis iuribus, et rationibus hinc inde allegatis, censuit, et declaravit, « dictos Presbyteros S. Iacobi Incurabilium in supradictis Processionibus non sub propria Cruce, sed sub Cruce Fratrum debere ire, et incedere, prout in praeteritum fecerunt; et quidquid postea attentatum, vel innovatum fuerit, eadem Congregatio revocandum esse » censuit, prout revocavit; et ita, quibuscumque non ob-

stantibus, declaravit, et servari mandavit die 12. Martii 1616.

521. TULLEN.

Cum Canonici, et Capitulum Ecclesiae Cathedralis Tullen., ac Canonici, et Capitulum Collegiatae Ecclesiae S. Gandulphi eiusdem Civitatis, soleant singulis annis in festo S. Apri accedere ad Monasterium, et Ecclesiam S. Apri Ordinis S. Benedicti prope et extra muros eiusdem Civitatis, et ibidem Divinis Officiis assistere, ut festum praedictum magis honoretur, licet dicti Canonici tam Cathedralis, quam Collegiatae Ecclesiae in Processionibus, et in aliis Actibus publicis soleant Monachos praecedere, et supra illis praecedentiam habere; nihilominus, quia praeterito anno dicti Monachi praecedentiam debitam dictis Canonici, et Clero Saeculari Cathedralis, et Collegiatae Ecclesiae dare recusaverunt, et manum dexteram in eorum Ecclesia, et Choro ipsi Monachi affectaverunt; pro parte Capitulum, et Cleri Saecularis Cathedralis, et Collegiatae Ecclesiae praedictarum, porrectum fuit Memoriale in S. R. C., a qua petierunt declarationem, cuinam praecedentia danda sit etiam in propria Ecclesia Monachorum; Monachis ipsis, vel potius Canonici, et Clero Ecclesiarum Cathedralis, et Collegiatae Civitatis Tullen., qui illic accedunt ad honorandum Festum S. Apri?

Eadem S. R. C. audita relatione Illm̄i, et Rm̄i D. Cardinalis Farnesii, cui haec causa commissa fuerat, et visis iuribus, et rationibus hinc inde deductis, et allegatis, « a Decretis alias in similibus causis factis, et confirmatis per literas Apostolicas fel. rec. Clementis PP. VIII. non esse recedendum censuit, nempe semper et ubique tam in Processionibus, et actis publicis, quam in Sessionibus, et omni loco, et in propriis Ecclesiis Regularium praecedentiam dandam esse Clero Saeculari supra quoscumque Monachos, vel alios Regulares. Et ita declaravit, et inter Monachos S. Apri Civitatis Tullen., et Canonicos Cathedralis, et Collegiatae Ecclesiae eiusdem Civitatis etiam in Monasterio, et propria Ecclesia S. Apri servandum esse » censuit, et declaravit die 12. Martii 1616.

522. SALERNITANA.

In Causa Salernitana circa Crucem erigendam, et portandam in Processionibus a Fratribus Sancti Francisci Capuccinis nuncupatis, qui in praeteritum solebant incedere sub Cruce Fratrum Conventualium, vel Observantium eiusdem Regulae S. Francisci,

C. S. R., audita relatione Illm̄i, et Rm̄i D. Cardinalis Peretti, cui haec causa commissa fuerat,

censuit, et declaravit, « posse Fratres Capuccinos in dicta Civitate Salernitana erigere, seu portare propriam Crucem in publicis Processionibus, et sub ea incedere, dummodo incedant in primo, et novissimo loco inter Religiosos, et Regulares, qui hodie in eadem Civitate Salernitana habent locum, seu Monasterium, et in ea faciunt residentiam. » Et ita declaravit die 30. Aprilis 1616.

523.

BRIXIEN.

Cum in Ecclesia Brixien. orta fuerit differentia inter Archidiaconum primam Dignitatem, et Archipresbyterum circa praecedentiam, et functiones faciendas, et praesertim circa ministrationem Candelae, Palmae, et Cinerum Episcopo, nempe, quis debeat ex praedictis ministrare Candelam Episcopo in die Purificationis, Palmam in Dominica Palmarum, et Cineres fer. 4. Cinerum? et Archidiaconus declarationem super praemissis a S. R. C. petierit,

Eadem S. R. C. respondit « servandas esse regulas *Libri caeremonialis*, in quo *lib. 1. cap. 7.* declaratur quod, Officium Presbyteri Assistantis pertineat ad primum digniorem de Capitulo quocumque nomine appelletur, sive Archidiaconus, sive Archipresbyter; et ideo si Archidiaconus est prima Dignitas in Ecclesia Brixien., et in ordine Sacerdotali constitutus, ad ipsum pertinet cum Pluviali assistere Episcopo, ut in dicto cap. 7. *declaratur*, et in die Purificationis ad eundem pertinet ministrare Candelam benedictam Episcopo, ut in eodem caeremoniali *declaratur* lib. 2. cap. 16., et pariter in Dominica Palmarum ad eundem Archidiaconum primam Dignitatem pertinet ministrare Episcopo Palmam benedictam, ut in eodem caeremoniali *declaratur* lib. 2. cap. 21. Sed feria 4. Cinerum, neque ad Archidiaconum, neque ad Archipresbyterum pertinet ministrare Episcopo, seu imponere capiti suo cineres benedictas, sed ad Canonicum, seu Dignitatem, qui ea die celebrabit, ut declaratur in eodem caeremoniali lib. 2. cap. 18. In reliquis omnibus praecedentiam, seu praeeminentiam super omnes Dignitates, et Canonicos post Episcopum pertinere ad primam Dignitatem, iuxta regulas eiusdem Libri caeremonialis » S. R. C., saepe respondit; quod etiam in Civitate Brixien. servandum esse censuit, et declaravit die 28. Maii 1616.

524.

PRATEN.

Cum apud territorium Praten. in Dioecesi Florentina, et in loco, qui est sub cura Collegiatae Ecclesiae Praten., quaedam Imago gloriosae Virginis Mariae inventa fuerit, ubi asseritur, Deum, meritis, et intercessione eiusdem gloriosae Virgi-

nis multa fecisse Miracula, et gratias concessisse Fidelibus, qui illuc quotidie conflunt cum non modica eleemosynarum largitione; et dubitatum fuerit, ad quem pertineat formare Processum, et examinare Testes super verificatione Miraculorum praedictorum: An ad Praepositum Praten., sub cuius cura dictus locus situs est, vel ad Episcopum Pistorien., qui praetendit in Territorio Praten. habere iurisdictionem spiritualement, et Terram ipsam esse sitam sub eius Dioecesi, vel potius ad Archiepiscopum Florentinum, in cuius Dioecesi locus ipse, ubi inventa est Imago, situs est? Proposito huiusmodi dubio, et negotio in S. R. C., et ab eadem S. R. C. commisso Illmo, et Rmo Cardinali de Monte: audita eius relatione,

Eadem S. R. C. respondit, « ad Archiepiscopum Florentinum, in cuius Dioecesi Imago praedicta gloriosae V. Mariae inventa fuit pertinere formationem Processuum, et examinationem Testium super verificatione, et approbatione Miraculorum, quae facta asseruntur a Deo in dicto loco, meritis, et intercessione B. M. V., et eius praedictae miraculosae Imaginis. » Et ita censuit, et declaravit die 3. Decembris 1616.

525.

PATAVINA.

Cum in Ecclesia Patavina inter veros Canonicos, et Coadiutores Canonicorum circa praecedentiam in cantandis Lectionibus, praecintonandis Antiphonis, distributione pacis, et thuris, ac Missarum celebratione nonnullae differentiae ortae sint: Propositis Dubiis in C. S. R. et ab eadem Sac. C. commissis Illmo, et Rmo D. Cardinali Lancellotto,

Eadem S. R. C. iuxta relationem ipsius Illmi, et Rmi Dni Cardinalis Ponentis, respondit, *ad primum Dubium* propositum: « Coadiutores Canonicorum, qui non sunt vere Canonici, viventibus Coadiutis, et sedere debent in ultimo loco post omnes Canonicos, et quando aliquas functiones faciunt, quae pertinent ad suos Coadiutos, ut cantare lectiones, praecintonare Antiphonas, et similia, illas debere facere, recitare; ac praecintonare in novissimo loco, relinquendo praecedentiam, ac locum digniorem in illis recitandis, ac praecintonandis propriis, et veris Canonicis, et pariter pacem, et thurificationem in ultimo loco post omnes veros Canonicos Coadiutores debere recipere. »

« Quoad 2.: teneri Coadiutores celebrare Missas, quas vigore Testamenti, et institutionis Cappellaniae ipsi Coadiuti celebrare tenentur, quando Coadiuti sunt legitime impediti, vel ob senectutem, vel aegritudinem non possunt dictas Missas celebrare. »

« Quoad 3. circa distributiones, quae dantur Canonice, vel Praebendatis propriae Ecclesiae, quando aliquas Missas celebrant, Coadiutores non lucrari distributiones, nisi quando celebrant pro ipsis Coadiutis. » Et ita eadem S. R. C. respondit, et declaravit, et per Coadiutores in Ecclesia, et Civitate Patavina servari mandavit die 3. Decembris 1616.

526. NEAPOLITANA.

Cum in publicis Processionibus, quae in Civitate Neapolitana fiunt, orta fuerit differentia inter Clerum Ecclesiae Archiepiscopalis, et Canonicos Regulares Lateranenses S. Petri ad Aram eiusdem Civitatis, circa delationem Crucis sine aliquo velo, seu pallio appenso, vel cum velo, seu pallio praedicto, sicut solent Regulares deferre: et Vicarius Generalis ordinaverit dictis Canonice Regularibus S. Petri ad Aram, ne Crucem discoopertam sine velo, seu pallio appenso in dictis Processionibus deferre, seu portare praesumerent, sicut defert, et portat solus Clerus Saecularis, et Capitulum, et Canonici Ecclesiae Archiepiscopalis; sed cum velo, seu pallio ad Crucem appenso, ut solent portare omnes Regulares, quando ad publicas Processiones accedunt, et prout etiam ipsi Canonici Regulares Lateranenses alias in similibus Processionibus portaverunt; dicti vero Canonici Regulares super praemissis recursum habuerint ad S. R. C. pro huiusmodi declaratione, an scilicet eorum Crucem cum velo, vel sine velo appenso in dictis publicis Processionibus deferre debeant in Civitate Neapolitana praedicta? et cum negotium hoc fuerit ab eadem S. C. commissum Illmo, et Rmo D. Cardinali Sabello, visis et auditis iuribus per utramque partem hinc inde deductis, et tandem audita relatione praedicti Illmi, et Rmi D. Cardinalis Sabelli,

Eadem S. R. C. censuit, et declaravit, « non licere dictis Canonice Regularibus Lateranensibus S. Petri ad Aram in publicis Processionibus deferre eorum Crucem discoopertam, sicut defert Clerus, et Capitulum Ecclesiae Archiepiscopalis; sed debere eorum Crucem deferre in dictis Processionibus cum velo, seu pallio appenso, sicut deferunt omnes Regulares, et prout etiam ipsi Canonici Regulares Lateranenses S. Petri ad Aram alias in eadem Civitate Neapolitana cum velo appenso propriam Crucem detulerunt, et portaverunt, et ita in futurum in dicta Civitate Neapolitana servandum esse, » censuit, et declaravit, et servari mandavit die 14. Ianuarii 1617.

527. NEPESINA.

Pro parte Episcopi Nepesini a Sac. R. Cong.

quaesitum fuit: An suus Vicarius Generalis, qui non est Praelatus, sed in habitu suo ordinario, cum Subtana, et Mantello nigro absente Episcopo sedet in Choro in primo loco super omnes Canonicos in Vesperis, et Missis, quae in Ecclesia Cathedrali celebrantur, absente Episcopo triplici ductu thuribuli sit thurificandus, vel potius duplici?

Eadem S. R. C., respondit, « Vicarium praedictum licet sedeat in Choro supra Canonicos, absente Episcopo, cum non sit Praelatus, nec paratus, sed in habitu ordinario cum Mantello, et Subtana nigra assistat Divinis, non triplici, sed duplici ductu thuribuli thurificandum esse, » censuit, et declaravit die 14. Ianuarii 1617.

528. ELBOREN.

Pro parte Archiepiscopi Elboren. a S. R. C. quaesitum fecit: 1. An inconsulto Archiepiscopo, et illo invito, in sua Dioecesi aliquis possit indicere, et ordinare publicas Processiones, et ad illas per publicum edictum Populum advocare, vel potius spectet ad Episcopum privative quoad alios etc.?

2. An Archiepiscopus possit prohibere Processiones publicas ex devotione Populi, et Confraternitatum introductas, si fuerit repertum ex causis supervenientibus, et ipsi Archiepiscopo benevisis esse prohibendas?

Eadem S. R. C. ad 1. respondit: « Ad Archiepiscopum privative quoad alios in sua Dioecesi pertinere indicere publicas Processiones, et ad illas per publicum edictum Populum convocare. »

Ad 2. « Posse Archiepiscopum ex causa prohibere, ne fiant aliquae Processiones ex devotione Populi, et Confraternitatum introductae, si fuerit repertum expedire, ut prohibeantur, » et ita censuit, et declaravit die 14. Ianuarii 1617.

529. CABALLICEN. INSULAE.

In causa Caballicen. Insulae inter Fratres Conventuales S. Francisci ex una, et Praepositum, et Capitulum Collegiatae, et Parochialis Ecclesiae Villae Insulae Caballicen. Dioecesis circa Processiones, quas praetendunt facere d. Fratres Conventuales in Dominica secunda cuiuslibet Mensis, etiam per limites, et Territorium dietae Ecclesiae Collegiatae, et Parochialis, auditis Partibus, et relatione Illmi, et Rmi D. Cardinalis Crescentii, cui alias haec causa commissa fuerat,

S. R. C., « a Decreto alias facto ad favorem dietae Collegiatae, et Parochialis Ecclesiae sub die 28. Augusti 1615. non esse recedendum » censuit, cuius quidem Decreti tenor talis est, videlicet.

Sequitur tenor Decreti, quod praetermittimus, quia supra relatam est num. 510.

Quod Decretum in dicta Villa Insulae Caballicen. Dioecesis, quibuscumque non obstantibus, servandum esse mandavit, censuit, et declaravit die 18. Februarii 1617.

530.

AQUILANA.

In causa Aquilana inter Episcopum, et Abbatem Monasterii Collismadii Congregationis Coelestinorum Ordinis Sancti Benedicti a iurisdictione Episcopi exemptum circa sedem in Ecclesiis Monialium sitis sub iurisdictione ipsius Abbatis locandam pro ipso Abbate in praesentia Episcopi, in S. R. C. proposita, et Illmo, et Rmo D. Cardinali Lancellotto ab eadem Sac. R. C. commissa, visis, et auditis iuribus, et rationibus hinc inde deductis, et audita relatione praedicti Illmi, et Rmi Domini Cardinalis Lancellotti,

Eadem S. R. C. respondit, « in casu proposito Sedem pro Episcopo locandam esse in digniore parte Chori, sive Ecclesiae cum ornatu congruo, et gradibus, ac situ superiori respectu Sedis Abbatis, qui, praesente Episcopo, in suis Ecclesiis Monialium exemptis sedere debet vel apud Episcopum a sinistris in sede camerale absque aliquo ornatu, et gradu, vel in parte Ecclesiae e conspectu Episcopi, in loco tamen inferiori respectu Sedis Episcopi, in alia Sede similiter absque ornatu cum uno tantum parvo gradu non excedente dimidium palmi. *Et ita censuit, et declaravit*, et a praedictis Abbatibus Coelestinorum exemptis in locis, et Ecclesiis suae iurisdictioni subiectis, ipso Episcopo praesente, servari mandavit. » Die 18. Martii 1617.

531.

NEAPOLITANA.

Cum Illmus, et Rmus D. Cardinalis Carafa, Archiepiscopus Neapolitanus, S. R. C. exposuerit Monachos Ecclesiae Sancti Severini Ordinis Sancti Benedicti in Festo eiusdem Sancti die 7. Ianuarii praeter solitum, et consuetum in plano eiusdem Ecclesiae extra Chorum in Cornu Evangelii, erexisse solum cum quinque gradibus, et super illud collocasse Sedem pro Abbate eiusdem Monasterii cum duobus aliis gradibus ornata serico villosa cremesino cum postergali eiusdem serici cum Baldacchino desuper ex tela aurea confecto, et splendide ornato, et cum duobus scabellis eodem serico villosa cremesino coopertis hinc inde pro Assistentibus, in qua Sede sedit Abbas dicti Monasterii in dicto Festo S. Severini, et celebravit Vesperas, et die sequenti Missam, habens unum ex suis Monachis, qui vicem Magistri Caeremoniarum gerebat, deferens manibus virgam de avorio argenteo contextam, et super Altare Crucem, et septem Candelabra cum totidem Candelis ac-

censis collocare fecerunt ad Vesperas, et Missam: quae omnia an Abbati praedicto, et Monachis, et caeteris similibus Abbatibus aliorum Monachorum, qui in dicta Civitate, et Dioecesi Neapolitana habent Ecclesias, et Monasterium facere, et uti liceat, idem Illmus, et Rmus D. Cardinalis Carafa declarari petiit; et proposito huiusmodi negotio in Congregatione praedicta ab Illmo, et Rmo D. Cardinali Ursino, cui haec causa commissa fuerat, hac die infrascripta, visis, et auditis, iuribus hinc inde deductis, et audita relatione eiusdem Illmi, et Rmi D. Cardinalis Ursini.

Eadem Sac. R. C. « a Decreto alias in simili causa facto in una Firmana sub die 28. Ianuarii 1606. non esse recedendum, *censuit, nempe*, ut Abbas praedictus Monasterii S. Severini Ordinis S. Benedicti, et caeteri omnes similes Abbates eiusdem, vel alterius Ordinis in Civitate, et Dioecesi Neapolitana, et ubique, quando solemniter in propriis eorum Ecclesiis celebrant, contenti sint, et esse debeant sua propria, et convenienti sede, quae locata sit, et esse debeat in cornu Evangelii in plano Presbyterii cum duobus tantum gradibus parvis, et sine ullo suppedaneo, suggestu lapideo, vel ligneo, ac sine baldacchino desuper, sed cum postergali tantum ex aliquo panno, vel serico levi, sine auro coloris convenientis solemnitati, quae celebratur. Nec dicti Abbates quando solemniter, ut supra, habeant duos Diaconos Assistentes, sed contenti sint, et esse debeant Subdiacono, et Diacono, qui in Missa cantaturi erunt Epistolam, et Evangelium, et uno Monacho, sive Cappellano cum Pluviali, qui assistat ad Librum, nec alios Ministros habeant, praeter praedictos, nisi aliquos Monachos, seu Clericos, et Ministros cum Cotta, qui Abbatibus praedictis celebrantibus solemniter de Mitra, et Baculo, et aliis necessariis ministrent, et Altari inserviant, super quo Altari sextantum, et non septem candelabra cum totidem candelis, et sua Cruce locentur. Nec Abacus alius, praeterquam parva mensa in cornu Epistolae, pareretur, super qua duo possint locari Candelabra, Mitra, qua Abbas utatur, Calix, Missale, Thuribulum cum navicula, et alia necessaria pro actu celebrationis, et ut dicti Abbates sub Mitra utantur parvo biretto nigro, et non alterius coloris. *Et ita censuit, et declaravit*, et tam a dicto Abbate, et Monachis S. Severini Ordinis S. Benedicti, quam ab aliis omnibus similibus Abbatibus, et Monachis Olivetanis, vel alterius Ordinis quando solemniter in eorum Ecclesiis celebrant tam in Civitate, et Dioecesi Neapolitana, quam ubique

terrarium esse servandum » censuit, et declaravit die 18. Martii 1617.

532. BRUNDUSINA.

Proposito in S. R. C. supradicto Dubio dato a Thesaurario Ecclesiae Metropolitanae Brundusinae hac die infrascripta, et audita relatione Illm̄i, et Rm̄i D. Cardinalis Crescentii, cui haec causa commissa fuerat,

Eadem S. R. C. respondit: « Lectiones duas penultimas, quando matutinae solemniter celebrantur ab Episcopo, cantandas esse a duobus Canonicis, qui hinc inde assistunt apud Episcopum, sive sint ex dignioribus, vel Dignitatibus, sive sint ex Canonicis etiam ultimis, dummodo assistant Episcopo, prout disponit liber caeremonialis Episcoporum, et prout etiam servatur in Cappella Papali in nocte Nativitatis D. N. I. C., quando Papa solemniter Matutinum cantat, nec posse Cantorem, qui est secunda Dignitas in eadem Ecclesia, et pro eius munere exequendo non assistit Episcopo, sed sedet in Choro, sub quovis praetextu assertae consuetudinis praetendere, quod ad ipsum pertineat cantare unam ex praedictis lectionibus penultimis, quae omnino cantari debent ab illis duobus Dignitatibus, vel Canonicis, qui Episcopo assistunt, ad quem pertinet post ea cantare nonam, et ultimam lectionem. » Et ita censuit, et declaravit, et in Ecclesia Brundusina servari mandavit die 18. Martii 1617.

533. BRUNDUSINA.

Propositis in S. R. C. ab Illm̄o, et Rm̄o Dño Cardinali Crescentio supradictis Dubiis datis ad instantiam Thesaurarii Ecclesiae Metropolitanae Brundusinae hac die infrascripta,

Eadem S. R. C., « a Decretis alias factis in similibus Dubiis in una Coimbricen. sub die 16. Septembris 1606., et in alia Patavina sub die 3. Decembris 1616. non esse recedendum, censuit; in quibus declaratur, Coadiutores non esse vere Canonicos, nec pro talibus habendos esse, viventibus Coadiutis, sed tantum post obitum Coadiuti; gaudere tamen omnibus privilegiis expressis in ipsa Coadiutoria, et durante vita Coadiuti, debere Coadiutores remanere in ultima sede post omnes Canonicos, et functiones, quae pertinent ad suos Coadiutos, debere facere in novissimo loco, relinquendo praecedentiam, et locum digniorem veris Canonicis; et idem servandum esse in supradictis dubiis propositis in Ecclesia Brundusina, et praecedentiam in omnibus semper a Coadiutore Cantoris dandam esse Thesaurario, » respondit. Et ita censuit, et declaravit die 18. Martii 1617.

534. CAESARAUGUSTANA.

Propositis iis, quae in praeinserto Memorjali

continentur ad instantiam Ecclesiae Metropolitanae Caesaraugustanae Civitatis in S. R. C. hac die infrascripta,

Eadem S. R. C. respondit: « non licere Priori, et Canonicis Ecclesiae Collegiatae, et Regularis B. Mariae de Pilar Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini, in festo Dedicacionis suae Ecclesiae facere publicam Processionem per plateam, seu forum, ante eorum Ecclesiam consistentem, in quo merces, et comestibilia publice venduntur, sub quovis praetextu, quod in dicta Platea sit Coemeterium, et in ea fuerint aliquando sepulta corpora mortuorum, sed dictam eorum Processionem debere facere intus suam Ecclesiam, et Coemeterium tantum intra claustrum existens. » Et ita censuit, et declaravit, et a dictis Priore, et Canonicis Ecclesiae Collegiatae, et Regularis B. Mariae de Pilar servari mandavit in dicta Civitate Caesaraugustana die 18. Martii 1617.

535. PATAVINA.

Cum in Ecclesia Cathedrali Patavina sit statutum, quod infirmi excusentur a residentia, et nihilominus admittantur ad quasdam distributiones, quaesitum fuit: An coadiutor infirmi eo casu teneatur residere, et si non resideat, an ammittantur distributiones, et ad cuius damnum? Et proposito huiusmodi dubio in S. R. C.

Eadem S. R. C. respondit, « in casu proposito servandum esse Decretum alias in eadem S. C. factum in una Coimbricen. sub die 16. Septembris 1606., in quo dicitur, et declaratur, Coadiutorem non esse exemptum, seu liberum ab obligatione residendi, quando Coadiutus legitime impeditus ratione infirmitatis, vel alterius excusationis vult haberi pro praesente: et ideo Punctatorem Chori posse punctare Coadiutum etiam legitime impeditum, quando Coadiutor non vult residere, ad damnus tamen ipsius Coadiutoris, iuxta formam Coadiutoriae. » Et ita declaravit etiam in dubio proposito, et in Civitate Patavina servari mandavit die 8. Maii 1617.

536. RAGUSINA.

Cum Archiepiscopus Ragusinus per suas literas ad S. R. C. remissas exposuerit Canonicos suae Ecclesiae praeter debitum, et consuetum servatum ab ipsis Canonicis cum Archiepiscopis suis Praedecessoribus, et contra regulas *Libri caeremonialis Episcoporum* non velle accedere, nec venire in habitu canonicali ad ipsius Archiepiscopi domum, ad illum ad Ecclesiam associandum, quando celebraturus, vel, ut Divinis Officiis assistat, ad Ecclesiam accedit, nec finito Officio in reditu illum ad domum associare velle, prout

tenentur iuxta regulas in dicto libro caeremoniali praescriptas,

Eadem S. R. C. respondit: « teneri Canonicos in habitu Canonicali accedere ad domum Archiepiscopi, illumque associare ad Ecclesiam quando celebraturus, vel, ut Divinis Officiis assistat, ad illam cum cappa accedit; et finito Officio in reditu eundem Archiepiscopum associare debere, prout in libro caeremoniali Episcoporum declaratur, praecipue Lib. 1. cap. 15. » Et ita declaravit, et in Civitate Ragusina a Canonicis eiusdem Ecclesiae servari mandavit die 8. Maii 1617.

537.

PATAVINA.

Cum in Ecclesia Patavina adsit Substitutus Magister Caeremoniarum, qui est ex numero Cappellanorum eiusdem Ecclesiae, et quando celebrantur Vesperae, et Divina Officia solemniter in Ecclesia Cathedrali induitur veste violacea, et baculum sericeum virgulis argenteis ornatum manugestare solet, et apud celebrantes assistere, ut eis comode caeremonias subministrare possit, quia dum Vesperae solennes a Canonico hebdomadario celebrantur, ipse Canonicus celebrans sedere solet in Choro in primo stallo, seu sede ab ea parte, in qua est tabella Chori, et Assistentes ipsius Canonici Celebrantis Pluvialibus induti sedent inferius in secunda linea Chori super omnes Cappellanos: quaesitum fuit: « in quo loco tunc sedere debeat dictus Substitutus Magister Caeremoniarum: an apud dictos Assistentes celebrantis, quos ducere debet ad praeintonandas Antiphonas Canonicis, prout Canonici praetendunt; an vero sedere debeat inter Cappellanos in suo stallo, seu loco, in quo sedere solet, quando Officium praedictum Magistri Caeremoniarum non exercet, ut dicti Cappellani praetendunt? » et proposito huiusmodi dubio in S. R. C.

Eadem S. R. C., « inhaerendo Decretis alias in eadem Causa factis sub die 30. Augusti 1602., et sub die 28. Novembris 1609., respondit, Magistrum caeremoniarum, seu eius Substitutum, quando dictum Officium exercet, et vestibus Magistri caeremoniarum indutus est, licet sit ex numero Cappellanorum debere sedere, et assistere apud Celebrantem, sive eius assistentes Pluvialibus indutos, et in Processionibus apud eos incedere, et discurrere, quando opus est ad dirigendas Processiones: quando vero non exercet dictum Officium, sed tamquam Cappellanus in Choro assistit ad horas Canonicas, debere sedere in loco suae receptionis inter alios Cappellanos. » Et ita respondit, et declaravit, et in Civitate Patavina servari mandavit die 8. Maii 1617.

538.

PAMPILONEN.

Cum de anno 1596. *fel. rec. Clemens VIII.* concessisset privilegium Abbatibus Congregationis Vallisoletanae benedictis, vel quibus a Sede Apostolica concessum esset privilegium, ut possent suis Subditis Regularibus tantum tonsuram, minoresque Ordines conferre, aliaque Pontificalia in Monasteriis, et Ecclesiis sui Ordinis, et intra eius limites existentibus conferre, et exercere; huius Privilegii vigore Abbas Monasterii B. M. de Irace Ordinis S. Benedicti Pampilonen. Dioecesis, triennalis non benedictus, nec habens aliquod privilegium a Sede Apostolica, sed tantum sub praetextu, quod dictum Monasterium de Irace fuerit alias unitum dictae Congregationi Vallisoletanae, coepit praetendere, et usurpare sibi iurisdictionem celebrandi Missam Pontificalem non solum in Monasteriis, et Ecclesiis sui Ordinis, ad quae est restrictum dictum Privilegium, verum etiam in Parochiali Ecclesia S. Ioannis Baptistae Civitatis Stellae eiusdem Pampilonen. Dioecesis, quae non est sui Ordinis, aut annexa, vel incorporata dictae Congregationi, sed prorsus distincta, et separata ab illa. Ideo eum animadvertisset dictum Privilegium non se extendi ad dictam Parochialem, quam ad istum effectum pleno iure ad ipsum Abbatem spectare opus esset, extorsit licentiam ab Episcopo Pampilonen., qui, cum sit eiusdem Ordinis, et Congregationis, dicto Abbati concessit, et auctoritate propria gratiam a Sede Apostolica limitatam ampliavit, ut scilicet dictus Abbas possit celebrare dictam Missam, et alia Pontificalia exercere in dicta Parochiali Ecclesia de Stella, sub censuris, et poenis pecuniariis contra illum impediens. Cum vero Vicarius, Beneficiati, et Parochiani dictae Ecclesiae Civitatis Stellae instarent declarari dictum Episcopum non potuisse talem licentiam concedere, et dicta privilegia ampliare; ideo ad eorum instantiam proposito huiusmodi negotio in S. R. C.

Eadem S. R. C. respondit, « non licere, nec licuisse Episcopo Pampilonen. dare, seu ampliare propria auctoritate gratiam non concessam, seu limitatam a Sede Apostolica, et a summo Pontifice; sed esse servandam strictè, prout sonat, dictumque Abbatem Monasterii S. Mariae de Irace non posse, neque debere celebrare Missam, et alia Pontificalia exercere in dicta Parochiali Ecclesia de Stella, nec vigore ass. Privilegii, cum illud sit restrictum ad Abbates benedictos tantum, et ad proprias Ecclesias sui Ordinis, neque vigore praetensae licentiae cum Episcopus illam dare, ampliare, seu concedere non possit, maxime Vi-

caro, Beneficiatis, et Parochianis illius contradicentibus. » Et ita censuit, et declaravit, et a dicto Abbate in Civitate, et Dioecesi Pampilonen. servari mandavit, quibuscumque non obstantibus, die 8. Maii 1617.

539. URBIS THEATINORUM.

Propositis Dubiis, quae in praeinserto Memoriali continentur, et audita relatione Ill^mi, et R^mi D. Card. Muti, cui haec Causa commissa fuit, S. R. C. respondit, ut infra:

Ad 1. « Necessarium esse, ut Reliquia sit insignis eius Sancti, de quo celebrare petunt Officium, veluti Corpus integrum, aut magna pars eiusdem, aut Caput, et sit ex Sanctis approbatis, et positus in Martyrologio, et tunc in illa Ecclesia tantum, ubi est Reliquia insignis in die eius Festivitatibus celebrari poterit Officium, servatis Rubricis Breviarii de Translatione festorum, quatenus Festum Sancti caderet in die alterius magnae Festivitatibus, quae non erit omittenda pro Festo particulari celebrando ratione Reliquiae insignis. » Ad 2. negative, respondit. Ad 3. pariter negative. Ad 4. pariter negative. Ad 5. iuxta responsionem ad primum Dubium, dummodo constet de nomine, et identitate Corporis, et Reliquiae Insignis, iuxta dispositionem Sac. Concilii Tridentini de Reliquiis, et veneratione Sanctorum, in illa Ecclesia tantum, ubi reperiuntur. Ad 6. pariter iuxta responsionem ad primum. Die 3. Iunii 1617.

540. SYRACUSANA.

Propositis iis, quae in praeinserto memoriali continentur in S. R. C. hac die infra,

Eadem S. R. C., inhaerendo Decretis alias in similibus Causis factis, censuit: « in Ecclesia Matrice pertinere Sabbato Sancto pulsare Campanas ante omnes alias Ecclesias eiusdem loci, sive Civitatis, quae non debent tangere Campanas dicta die Sabbati Sancti, antequam pulsatae sint in Ecclesia Matrice. » Et ita declaravit, et in Civitate Modicae Syracusanae Dioecesis, servari mandavit die 3. Iunii 1617.

541. TROPIEN.

Propositis suprascriptis Dubiis in S. R. C. ad instantiam Episcopi, eadem Sacra Rituum Congregatio

Ad 1. « Negative, respondit, nullo modo convenire, ut Textus Evangelii porrigatur osculandus Gubernatori Provinciae, cum a personis Ecclesiasticis, et ab Episcopo tantum, et eo absente, a solo Celebrante osculari debeat. »

Ad 2. « pariter negative, respondit, cum non conveniat Laicos cum Episcopo simul incedere, maxime in Processionibus. » Et ita censuit, et

declaravit, et ab Episcopo Tropien. servari mandavit die 3. Iunii 1617.

542. MINORUM REGULARIS OBSERVANTIAE.

Pro parte Procuratoris Generalis Ordinis Minorum Observantiae S. R. C. expositum fuit, quod cum in plurimis locis, et Civitatibus Christiani Orbis inveniantur duo, et aliquando plura Monasteria eiusdem Ordinis Minorum Regularis Observantiae, et in publicis, ac privatis Processionibus circa modum praecedendi dubitetur, in quo loco incedere debeant Fratres Monasterii novissime fundati in eodem loco, seu Civitate, an in ultimo loco, ut aliqui opinantur iuxta tempus foundationis sui Monasterii, disiuncti, et separati a Fratribus eiusdem Ordinis antiquioribus, qui ab antiquo Monasterium habuerunt in eodem loco, seu Civitate; vel potius uniti, et coniuncti cum Fratribus eiusdem Ordinis incedere, et procedere in publicis, ac privatis Processionibus debeant? et super praemissis, audita relatione Ill^mi, et R^mi D. Card. de Monte, cui haec Causa commissa fuerat,

Eadem S. R. C. respondit, et declaravit iuxta constitutionem felicis rec. Gregorii XIII., quae incipit *Exposcit Pastoralis*: « praecedentiam dandam esse Ordini, qui prius in loco Monasterium habuit, et non tantum illi Monasterio, ita ut per foundationem primi Monasterii in illo loco acquiratur anterioritas cuilibet Monasterio posterius fundato eiusdem Ordinis; idem quoque servandum, quando praecedentia competit ex quasi possessione, et iure praecedendi in terminis dictae Constitutionis; et quando concurrunt ad Processiones tam publicas, quam privatas omnes eiusdem ordinis Fratres unitim, et non divisim debere procedere, ita ut post Crucem Fratres strictioris Observantiae immediate incedant discalceati, seu recollecti, vel reformati uniti, et post illos Fratres de Observantia dicti, si iuxta regularia Ordinis Statuta, vel ex quasi possessione, et iure praecedendi praecedentiam habent; alioquin in praecedentia servetur, et inter eiusdem Ordinis Fratres anterioritas foundationis Monasterii cuiusque, neque Monasteria alterius Ordinis debere, neque posse impedire frui dicto iure Praecedentiae, neque ordinem incedendi pervertere. » Et ita in causa praedicta eadem S. R. C. declaravit, et servari mandavit die 3. Iunii 1617.

543. LUCERINA.

3. Iunii 1617. « Thuris, et pacis honorem inter Missarum, et Vesperarum solemniam Mulieribus non deberi saepe S. R. C. iuxta Libri caeremonialis dispositionem, censuit, et propterea

nullo modo Capitulum, et Canonicos Cathedralis Lucerinae cogendos ad id faciendum, quin potius omnino, et praecise prohibendos esse ab eorum Episcopo, ne id faciant, *decrevit*, etiamsi quavis adesset contraria consuetudo, quam abusum eadem S. R. C. declaravit.

544. CASALEN.

15. Iulii 1617. « confirmantur Decreta alias facta, quod Coadiutores, viventibus Coadiutis, non sunt veri Canonici, ideoque sedere debent, et incedere in ultimo loco, etc. »

545. BRUNDUSINA.

S. R. C. respondit: « in omnibus Ecclesiis Parochialibus, vel Collegiatis assistentiam Episcopo vel Archiepiscopo Pontificalia celebranti pertinere ad Dignitates, et Canonicos Ecclesiae Cathedralis, seu Metropolitanae, si cum Episcopo, vel Archiepiscopo erunt, non autem ad proprios Presbyteros, vel Canonicos Ecclesiae Parochialis, vel Collegiatae, in qua Episcopus, vel Archiepiscopus exercet Pontificalia, ut alias saepe in similibus, *declaravit*. Et ita in Civitate, et Dioecesi Brundusina servandum esse, » censuit, et *declaravit* die 15. Iulii 1617.

546. COMPOSTELLANA.

Cum in Ecclesia Compostellana Episcopus Buceciae in partibus Infidelium obtinuerit, et habeat Canonicatum, et dubitatum fuerit, in quo loco sedere debeat, et quo habitu uti debeat in Ecclesia: proposito huiusmodi dubio in S. R. C.

Eadem S. R. C. respondit, « ratione Episcopatus Episcopum posse, et debere uti habitu ordinario, quo utuntur Episcopi in Romana Curia, idest Rochetto supra Subtanam, et Mantelletto violacei coloris, et debere praecedere omnibus aliis Canonicis eiusdem Ecclesiae, et sedere in primo stallo supra omnes, ut fit, et servatur Romae simili casu eveniente in tribus Ecclesiis Patriarchalibus S. Ioannis, et S. Petri, et S. Mariae Maioris. » *Et ita censuit, et declaravit*, et in Ecclesia Compostellana servari mandavit die 15. Iulii 1617.

547. TERRACINEN.

In Causa Praecedentiae inter Vicarium Generalem Episcopi Terracinen. Dioecesis proposita in S. R. C., et ab eadem S. C. commissa Illmo, et Rmo Dño Card. Crescentio; visis iuribus, et rationibus hinc inde deductis, et audita relatione eiusdem Illmi, et Rmi D. Card. Crescentii,

Eadem S. R. C. censuit, et *declaravit*: « semper ubique, et in omni loco, tam praesente, quam absente Episcopo, praecedentiam dandam esse Vicario Generali Episcopi Terracinen. supra dictum commissarium Terrae Setiae, *et ita servari mandavit, quibuscumque non obstantibus, dummodo*

non incedat in habitu Canonicali, quatenus sit de gremio Capituli. » Die 19. Aug. 1617.

548. ELBOREN.

Pro parte Archiepiscopi Elboren. in S. R. C. quaesitum fuit; utrum aliquis, invito Episcopo, et inconsulto, in sua Dioecesi possit erigere, et creare de novo Confraternitates in quacumque Ecclesia, et statuta confirmare, imo potius talis erectio, et creatio, et confirmatio Statutorum pertineat ad Episcopum privative?

Eadem S. R. C. respondit: « Nemini licere, inconsulto Episcopo, in sua Dioecesi erigere, et creare de novo Confraternitates, et eorum Statuta confirmare, quae omnia privative quoad alios ad Episcopum tantum pertinent in sua Dioecesi. » Et ita censuit, et *declaravit* die 7. Octobris 1617.

549. VERCELLEN.

Die Sabathi 9. Decembris 1617. Institit Episcopus Vercellen. apud S. R. C. pro declaratione: An Abbas Canonicorum Regularium Lateranensium eiusdem Civitatis, et Praepositus eiusdem Ordinis in loco Priellae, suae Dioecesis possint, ipso Episcopo praesente, deferre Mozzettam in Processionibus, aliisque publicis actibus?

Eadem S. R. C., audita relatione Illmi, et Rmi D. Card. Lancellotti, cui haec causa commissa fuerat, *decrevit*: « posse, etiam praesente Episcopo, deferre Mozzettam. »

550. BONONIEN.

Cum Fratres Ordinis Servorum B. M. Oppidi Budii Bononien. Dioecesis, qui Ecclesiam ibidem Parochialem sub titulo SS. Sacramenti obtinent, S. R. C. supplicem libellum praesentaverint, in quo praeiudicium sibi inferri asserunt a Confratribus Societatis SS. Rosarii in eodem loco existentis, in Ecclesia S. Dominici Fratrum Praedicatorum, qui numquam in praeteritum de, et per se extulerunt Crucem, et semper in habitu laicali incesserunt, nunc vero praetendunt absolute posse extollere Crucem, et cum eodem habitu laicali accedere ad funeralia mortuorum, etiamsi non sint vocati, et ad Processiones SS. Sacramenti, et alias, quae fiunt in eadem Parochia accedere, digniorem locum sibi arrogando, Processiones dirigendo etc. prout in dicto Memoriali: quod cum ab eadem S. R. C. commissum fuerit Illmo, et Rmo Dño Card. Peretto,

Eadem S. R. C., hac die infrascripta, eiusdem Illmi, et Rmi D. Card. Peretti audita relatione, *declaravit*: « Dictos Confratres Societatis SSmi Rosarii non posse deferre Crucem sine habitu, nec praecedentiam eis competere super alias Societates, quae ante eos habent habitum, nec etiam

posse accedere ad funerals mortuorum, nisi specialiter, et expresse vocentur. » Et ita censuit, et declaravit die 9. Decembris 1617.

551. ANDRIEN.

Lunae 22. Ianuarii 1618. « Si Praepositus, qui prima Dignitas in Collegiata S. Nicolai Andrien. existit, et ad quem de iure diebus festis solemnioribus Missas, et Divina Officia celebrare spectat, praedictas Missas, et Divina Officia celebrare aut noluerit, aut non potuerit, non posse arbitrio suo alteri sibi viso Canonico, aut Dignitati huiusmodi functiones demandare, sed in illis proximiorum Dignitatem succedere, et deficientium vices ab aliis immediate succedentibus suppleri debere, iuxta libri caeremonialis dispositionem, » S. R. C. decrevit.

552. CIVITATIS CASTELLANAE
OPPIDI ARIGNANI.

« Absente Archipresbytero, Missas, et Divina Officia celebrare, quae ad ipsum pertinerent, si adesset, ad Canonicos Oppidi Arignani spectare, non autem ad ipsius Archipresbyteri substitutum S. R. C. censuit, cui etiam tamquam Substituto neque in Sessionibus, neque in Processionibus, neque in aliis huiusmodi actibus ullam competere supra dictos Canonicos praeeminentiam » decrevit die 22. Ianuarii 1618.

553. CONCHEN.

Quoad 1. « Appellatione Festi novem Lectionum venire, et intelligi etiam diem Dominicam. »

Quoad 2. « Officium esse solum recitandum in Ecclesia, in qua insignis aliqua Reliquia existit, et propterea alias Ecclesias non debere se conformare cum Cathedrali. » Respondit Sac. R. C. Die Lunae 12. Martii 1618.

554. FIRMANA TERRAE S. VICTORIAE.

Die Sabbati 31. Martii 1618. « Canonicos, Rectores, Presbyteros, et Clericos Saeculares semper, et ubique debere praecedere Regulares, et si ex Saecularium indulgentia, aut humanitate, aut alia forsitan ex causa secus aliquando factum fuerit, saepissime respondit S. R. C.; ac propterea inter Rectores, et alios Presbyteros Saeculares Terrae S. Victoriae Firmanae Dioecesis, et Monachos Cassinenses, idem omnino servandum esse, censuit; Parochum vero, seu illum, qui curam exerceat animarum in Ecclesia S. Victoriae eiusdem Terrae indutum Superpelliceo, in publicis Processionibus digniorem locum inter Rectores, et Presbyteros praedictos obtinere debere, » eadem Sac. R. C., decrevit.

555. CAPUANA.

Die Sabbati 31. Martii 1618. « Servandam

esse in Metropolitana Capuana dispositionem Libri caeremonialis lib. 2. cap. 3., et 6., ut Canonici paratus celebrans Vesperas, seu Matutinum sedere debeat in primo stallo, hoc est ab una parte in stallo Decani, ab altera in stallo Archidiaconi, ita ut Sedes Archiepiscopi Canonialis, ipso absente, remaneat vacua, quando ab ea parte sedere contingit Celebrantem, » censuit S. R. C.

556. CAPUCCINORUM.

Lunae 21. Maii 1618. Fratres Capuccinos, quibus nuper ubique locorum ad controversias, quae inter Fratres Conventuales, et ipsos interdum oriebantur, dirimendas, propriam Crucem in publicis Processionibus erigendi ad formam constitutionis fel. rec. Gregorii XIII., quae incipit *Exposcit Pastoralis Officii etc.*, a SS. D. N. facultas concessa est, « iuxta eiusdem concessionis formam, etiam quoad alios Ordines Mendicantium, Crucem praedictam erigere, et deferre posse, » censuit S. R. C.

557. FIRMANA TERRAE S. VICTORIAE

S. R. C. « firmo remanente Decreto emanato sub die 31. Martii proxime praeteriti circa praecedentiam inter Clerum Saecularem, et Monachos Cassinenses Terrae Sanctae Victoriae, Abbatem, seu Priorem Monasterii praedicti indutum Superpelliceo in publicis Processionibus digniorem locum obtinere, SS. Sacramentum, nec non solitas Reliquias deferre, et tam Monachos, quam Clerum Saecularem sub unica, et consueta Cruce Sanctae Victoriae incedere debere, censuit. Quod si Abbas, seu Prior praedictus SS. Sacramentum, ac solitas Reliquias deferre, aut noluerit, aut non potuerit, non posse arbitrio suo alteri Monacho id munus demandare, sed ad unum ex Presbyteris Saecularibus spectare, » eadem S. R. C. decrevit die 21. Maii 1618.

558. SYRACUSANA MODICAE.

Congr. S. R. censuit, « servandam esse dispositionem Libri caeremonialis, ut scilicet SS. Sacramentum a Celebrante propriis manibus deferatur, non obstante quavis contraria consuetudine, quam abusum » declaravit die Sabbati 2. Iunii 1618.

559. LUCERINA.

Capitulum Cathedralis Lucerinae institit apud Episcopum, ut inter Missarum, et Vesperarum solemniam mandaret ad litteram servari Caeremoniale circa modum thurificandi cum unico tantum thuribulo; Episcopus vero supplici praedicti Capituli libello rescripsit in haec verba: *Servetur Caeremoniale, ut petitur.* Quare idem Capitulum, ne ullo umquam tempore super hoc contingat dubitari, et ad controversiarum, et dissentionum,

quae in posterum oriri possent, materiam submovendam petiit a Sac. R. C. hoc idem confirmari. S. C., Illmo Priolo referente, « servandam esse omnino dispositionem Caeremonialis, et tam Episcopum, et Canonicos, quam etiam caeteros omnes cum unico tantum thuribulo thurificandos esse, » censuit die 21. Iulii 1618.

560. PRAENESTINA CAVARUM.

Die Sabbati 18. Augusti 1618. In Causa Praecedentiae inter Archipresbyterum, et Canonicos Ecclesiae Collegiatae S. Mariae Terrae Cavarum Praenestinae Dioecesis, et Parochum S. Stephani eiusdem Terrae, « praecedentiam semper, et ubique competere Archipresbytero, et Canonicis Ecclesiae Collegiatae supra Parochum praedictum, etiam in associandis funeribus defunctorum propriae ipsius Parochiae. Ius tamen faciendi Officium circa corpus defuncti ad Parochum supra dictum in sua Ecclesia Parochiali spectare, » Illmo Muto referente, censuit S. R. C.

In margine praefati Decreti legitur sequens adnotatio: « Adverte, quod huic Decreto adversatur Decretum in una Sassoferaten. 24. Octobris 1609., tamen C. S. hanc sequuta est veriore opinionem. Vide sub die 13. Iulii 1619; ubi invenies Decretum contrarium huic in hac eadem causa.

561. IADREN.

Die Sabbati 13. Octobris 1618. Propositis in C. S. R. iis, quae pro parte Archiepiscopi Iadren. contra Episcopum Pharen., in praedicta Civitate Iadren., ex qua est oriundus, nunc degentem, exposita fuerunt: censuit eadem Sac. C., « non licere supradicto Episcopo Pharen. sibi pannum, et pulvinar coloris violacei sternere in Ecclesia aliena, neque illi extra suam Dioecesim deosulationem textus Evangelii competere, nec non Archiepiscopo praedicto reverentiam, uti maiori, ab Episcopo deberi. »

562. TARVISINA.

Die Sabbati 19. Ianuarii 1619. S. R. Cong., inhaerendo Decretis alias in similibus factis, Illmo Sabello referente, censuit, « Dignitates, et Canonicos Cathedralis Ecclesiae Tarvisinae, capitulariter teneri in eorum habitu Canonicali associare Episcopum ex suo Palatio, hoc est ex aula, seu ex camera ad id ab ipso Episcopo destinata, ad Ecclesiam Cathedralem, eumque eodem modo reducere, quotiescumque, vel ut Divinis assistat, vel pontificaliter celebret, vel conciones audiat, vel alia de causa illuc cum Cappa accedit: ceteris autem diebus satis esse, si aliqui ex Canonicis, et Dignitatibus Episcopo praedicto ad Ecclesiam

sine Cappa accedenti, ad eiusdem Ecclesiae ostium occurrant, et abeuntem similiter ad ostium comitentur. » Et ita decrevit etc.

563. CAIETANA.

Die Sabbati 19. Ianuarii 1619. Cum maior Sacrista Ecclesiae SS. Annuntiatae Civitatis Caietae eiusdem Ecclesiae, nec non Presbyterorum, et Clericorum illi inservientium caput existat: censuit S. R. C., « convenire, ut in sua solita sede a parte dextera Chori sedere debeat, Hebdomadario in alia parte sinistra, prout hactenus consuevit, sedente. Ex eisdem quoque rationibus decrevit, convenire ut maior Sacrista praedictus iuxta antiquam consuetudinem, immediate post Hebdomadarium ab eodemmet, qui ipsum Hebdomadarium thurificat, triplici ductu thuribuli (si tamen Episcopus non sit praesens), thurificetur. »

564. BARBASTREN.

Die Sabbati 19. Ianuarii 1619. « Nullo modo licere sub praetextu cuiusvis consuetudinis, imo verius abusus, Lignum SS. Crucis, et Sanctorum Reliquias ad impetrandum a Deo pluviam tempore siccitatis in aquam immergere, aut madefacere, » censuit S. R. C.

565. SYRACUSANA MODICAE.

C. S. R., inhaerendo Decretis tam pro Collegiata Sancti Petri, quam pro Ecclesia Matrice Sancti Georgii emanatis, censuit, « ad Ecclesiam S. Georgii uti Matricem, iuxta constitutionem fel. rec. Leonis PP. X., spectare Sabbato Sancto ante omnes alias Ecclesias pulsare Campanas: Ecclesiae vero S. Petri in Collegiatam cum omnibus praeminentiis, et praerogativis aliarum similium Collegiatarum a fel. rec. Clemente PP. VIII. erectae, eiusque Dignitatibus, et Canonicis, in reliquis omnibus omnimodam competere praecedentiam supra praed. Matricem Ecclesiam Sancti Georgii, eiusque Rectorem, et Presbyteros, quamvis ante huiusmodi erectionem secus fortasse fuerit observatum; atque ita Decreta supradicta nullo modo inter se repugnare, quin potius posse, et debere servari » decrevit etc. 20. Februarii 1619.

566. TERRACINEN.

Die Sabbati 23. Februarii 1619. C. S. R., Illmo Cardinali Sabello referente, censuit: « manutendos esse Archipresbyterum, et Canonicos Collegiatae Ecclesiae S. Mariae Terrae Setiae Terracinen. Dioecesis in eorum quasi possessione: neque licere Parochis eiusdem loci in associandis funeribus defunctorum Crucem erigere, sed iuxta antiquissimam, et immemorabilem consuetudinem (de qua per plurimum attestations fuit doctum) illos debere convenire in Collegiata supradicta,

et inde simul cum Cruce, et Canonicis eiusdem Collegiatae discedere ad levandum corpus defuncti, sive ad eorum Parochiam, sive ad aliam quamcumque Ecclesiam illud deferatur. »

567. SPOLETANA TERRAE CASCIAE.

« Vicariis Foraneis per Dioeceses constitutis, ratione Vicariatus huiusmodi, in Choro, Sessionibus, Processionibus, aliisque Ecclesiasticis functionibus nullam super alios antiquiores, seu digniores loci ipsius Presbyteros, Dignitates, vel Canonicos competere praecminentiam, seu praecedentiam, *saepissime S. R. C. censuit*; ac propterea inter Vicarium Foraneum Terrae Casciae Spoletanae Dioecesis, et Plebanum, et Canonicos eiusdem loci idem omnino servandum, » respondit.

« Protonotarios vero non participantes, neque supra, neque inter Canonicos iuxta dispositionem Caeremonialis Episcoporum lib. 1. cap. 13. circa finem, locum habere debere, » declaravit, die 23. Martii 1619.

568. SENOGALLIEN.

Die Sabbati 23. Martii 1619. « Cum Ecclesiis Collegiatis super alias simplices Ecclesias praecminentiam, et praecedentiam de iure deberi indubitatum sit, Priori, et Canonicis, seu Cappellanis Ecclesiae S. Mariae de Albiricis prope, et extra terram Montis Marsicani Senogallien. Dioecesis a SS. D. N. in Collegiatam erectae, competere omnes praecminentias, et praerogativas aliarum similium Collegiatarum, eosque debere praecedere Plebanos, et Rectores aliarum Ecclesiarum, quae tantum Parochiales sunt, » censuit, Sac. R. C.: Decretum hoc confirmatum fuit in Congregatione habita die 4. Aprilis 1620., et in altera diei 10. Iulii 1621.

569. PLACENTINA.

Die Sabbati 23. Martii 1619. Decretum alias a S. R. C. quoad funera, et sepulturas pro Clericis Regularibus contra Episcopum, et Capitulum Licien. emanatum tenoris infrascripti, videlicet:

Congregatio Illmoꝝ Cardinalium Sacrorum Rituum, censuit « non licere Capitulo, et Clero Liciensi, quoties praetextu etiam associandi ad sepulturam defunctorum cadavera in Ecclesia Sanctae Irenes Clericorum Regularium, convenit, Missam, aut alia Divina Officia, ipsis Regularibus invitis, celebrare, aut psallere, sed associato funere ad Ecclesiae portam, debere Parochum, vel illum ex Capitulo, et Clero, penes quem Animarum Curae exercitium existit, ad populum converti, eique absolute impertita, recedere, relicto cadavere in Ecclesia dictorum Clericorum Regularium, ad quos dumtaxat peragendi Officii cura spectabit.

Censuit insuper cadavera in Cathedrali Ecclesia, occasione praemissorum deposita, una cum omni, et toto eo, quod ad dictum Capitulum, et Clerum, seu Episcopi oeconomum ratione funeralium habere contigerit, exceptis dumtaxat iuribus Parochialibus, praedictis Clericis Regularibus restituenda, et per praedictos Capitulum, et Clerum ad dictam Ecclesiam S. Irenes gratis, et absque ulla etiam minima impensa haeredum defunctorum, seu dictorum Clericorum Regularium transportanda, et associanda esse. Cum enim consueta praestatio semel soluta fuerit, aequum non videtur, ut pro eodem opere duplicata stipendia solvantur, nec non pecunias a Clericis Regularibus Capitulo, et Clero supradictis alias persolutas, ut ab interestia Divinorum Officiorum in Ecclesia praedicta celebrandorum abstinerent, integre restituantur, ac Illmo, et Rmo D. Auditori Camerae praemissorum executionem, et observantiam iniungendam esse. »

« In omnibus omnino in Civitate Placentina servandum esse pro Abbate, et Canonicis Regularibus Lateranensibus, contra Clerum eiusdem Civitatis, » respondit, et censuit eadem S. R. C.

570. CAPUCCINORUM.

Die Sabbati 23. Martii 1619. Cong. S. R. ad tollendas controversias, quae post concessam Fratribus Capuccinis propriae Crucis erectionem, inter Regulares circa praecedentiam in Processionibus ortae sunt, censuit, Illmo Millino referente, « Capuccinos cedere debere digniorem locum iis Regularibus, qui sub propria Cruce, et in proprio loco in Processionibus incedebant, antequam ipsi Crucem propriam deferrent. »

571. MONOPOLITANA.

Die Sabbati 23. Martii 1619. « Non suffragari Fratribus Mendicantibus supradictis, quod in praestando consensu, ut supra asseritur, ius praecedendi Monachis Caelestinis sibi reservaverint, sed attendendum ius commune, quod Monachis semper, et ubique supra Mendicantes tribuit praecedentiam, » Illmo Cardinali Bellarmino referente, censuit S. R. C.

572. CONCHEN.

Die Iovis 2. Maii 1619. S. R. C. censuit, « Festum dedicationis Ecclesiae Cathedralis supradictae tam in ipsa Cathedrali, quam in aliis Ecclesiis eiusdem Civitatis celebrandum esse cum Octava: in aliis vero Ecclesiis Dioecesis esse solum celebrandum sub rit. dup. sine Octava. »

573. PRAENESTINA CAVARUM.

Die Sabbati 13. Iunii 1619. Iterum in Sacra R. C. Causa Praecedentiae inter Archipresbyterum,

et Canonicos Collegiatae Ecclesiae S. Mariae Ca-
varum Praenestinae Dioecesis, et Parochum San-
cti Stephani eiusdem Terrae discussa, « ad Pa-
rochum ipsum in associandis funeribus defunctorum
propriae ipsius Parochiae in loco praedicto praeceden-
tiam spectare, iuxta Ritualis dispositionem, »
eadem S. R. C. censuit, et declaravit.

574. TUSCANELLAE.

Die Sabbati 19. Augusti 1619. Viso, et ma-
ture perpenso supplici libello, Congregatio S. R. ad
dissensionum inter Cathedralem Tuscanellae, et
Collegiatam eiusdem loci materiam in posterum
submovendam, Illmo Dño Cardinali Crescentio
referente, in functionibus, de quibus supra, non
obstante quavis consuetudine, praefendam esse
Cathedralem Collegiatae, atque ad supradicta, ut
sequitur, respondendum censuit, nempe:

Ad 1. « Delationem SS. Sacramenti in die
eius festo pertinere ad Dignitates, seu Canonicos
Cathedralis, atque ab eadem Cathedrali Proces-
sionem debere inchoari, et ibidem finire. » Ad 2.
« Sacras Baptismatis aquas confici debere in Ca-
thedrali. » Ad 3. « Oleum Sanctum debere conservari
in Cathedrali, ab eiusque Dignitatibus dispensari. »
Ad 4. « Debere Collegiatam conservare SSmum
Sacramentum pro servitio suae Parochiae, neque
teneri Cathedralem illud subministrare. » Ad 5.
« Satis esse, si Prior Collegiatae, dum in Cath-
edrali simul cum illius Dignitatibus, et Canonicis
interest, duplici ductu thuribuli thurificetur. » Ad
6. « Non competere Priori Collegiatae praecedentiam
super Canonicis Cathedralis. »

575. COLLEN.

Die Sabbati 28. Septembris 1619. « Diem festum
Sancti Patroni Civitatis esse de solemnibus
iuxta dispositionem Caeremonialis lib. 2. cap. 1.,
illiusque celebrationem ad Episcopum, et eo absente,
vel impedito, ad primam Dignitatem pertinere, »
censuit S. R. C.

576. CATANIEN. CIVITATIS PLATIAE.

Die Sabbati 12. Octobris 1619. Proposito in
C. S. R. supplici libello porrecto pro parte Praepo-
siti, Cantoris, Thesaurarii, et Decani, Rectorum
Collegiatae, et unice Parochialis maioris Eccle-
siae, nec non Cappellanorum inservientium Eccle-
siae coadiutricibus supradictae Maioris Ecclesiae
Civitatis Platiae Cataniensis Dioecesis, contra Re-
gulares eiusdem Civitatis; eadem S. R. C., inhae-
rendo Decretis alias in similibus factis, Illmo Card.
Crescentio referente, censuit, « Regularibus supra-
dictis nullo modo licere, etiam specialis alicuius
consuetudinis praetextu, Parochias cum Cruce
processionaliter, aut aliter ad levanda, et efferenda

defunctorum corpora, intrare, vel illa levare, et
efferre, nisi vocato, et expectato proprio Parocho,
eoque ibidem praesente, nisi tamen ipse aliter fieri
consentiat, vel requisitus venire expresse omnino
recuset; neque etiam licere eisdem Regularibus
aut in domo, aut per viam, dum defuncti cadaver
ad sepeliendum defertur, illud aspergere, neque
ante ianuam Ecclesiae Orationem solitam cantare,
seu dicere, antequam cadaver intus illam collo-
cetur, etiamsi in eorum Ecclesiis suam defuncti
elegerint sepulturam, haec enim omnia proprio
Parocho competere: ad Regulares vero supradictos
solum spectare facere Officium circa corpus de-
functi, postquam intus eorum Ecclesias fuerit de-
latum: » atque ita eadem S. R. C. inter supra-
dictos servari decrevit.

577. CASALEN.

Die Martis 8. Decembris 1619. Proposito in
C. S. R. Dubio: An statutum Ecclesiae Casalen-
disponens, quod Coadiutores, viventibus Coadiutis,
possint gradatim ascendere, et praecedere poste-
riores Canonicos, esset servandum, nec ne?

Eadem S. R. C., Illmo Cardinali Ursino re-
ferente, censuit, « hoc statutum tamquam iuri
Canonico adversans servandum non esse, sed Co-
adiutores, viventibus Coadiutis, debere sedere post
omnes Canonicos, » prout alias decretum fuit.

578. TROPIEN.

Cum a S. R. C. Cardinalium Concilii Trid.
Interpretum iam fuerit declaratum, non potuisse
Episcopum distinguere Canonicatus Ecclesiae Tro-
piensis in Presbyterales, Diaconales, et Subdiaconales,
ex eo quia eiusdem Ecclesiae consuetudo
habet, ut Canonici omnes sint Presbyteri; Cong.
S. R., referente Illmo Cardinali Muto, censuit,
« praecedentiam competere Canonicis prius rece-
ptis. » Die 10. Decembris 1619.

579. PARMEN.

Archipresbyter Castrinovi Parmensis Dioecesis
S. C. supplicavit, ut ei facultas impertiretur su-
menda Olea Sacra immediate ab Ordinario, et
Benedictionem Fontis Baptismalis peragere, iuxta
ritum Ecclesiae, et nequaquam ea desiderandi ab
alia Ecclesia eiusdem Terrae in temporalibus subie-
cta. Et S. C. iussit, « petitionem restringi: An probetur
Filiatio, et an concessio Apostolica sit subreptitia ob
non expressionem Filiationis. » Die 21. Martii 1620.

580. RODIGIEN. ANDREN. DIOECESIS

C. S. R., Illmo D. Cardinali Muto referente,
censuit, « in Processionibus aliisque similibus acti-
bus, praecedentiam competere Seminario supra
Clericos adventitios in eadem Ecclesia non prae-
bendatos. » Die Sabbati 21. Martii 1620.

581. URBIS.

Postremo fuit decretum, « ut ego Secretarius nomine Congregationis alloquerer Rñum Magistrum S. Palatii, ne imposterum permittat imprimi res spectantes ad Caeremonias, seu recitationes Officiorum, et ritus Ecclesiasticos, absque expressa licentia, et ordine S. C.; et hoc occasione Libelli Ordo Officii recitan. nuncupat., in quo plures errores fuerunt reperti: » 21. Martii 1620.

582. CONVERSANA.

C. S. R., viso suprascripto supplicii libello, censuit: « Si Cantores, qui lamentationes cantent, haberi non possunt, tam lamentationes, quam lectiones 2. et 3. Nocturni esse cantandas a Canonicis, incipiendo a iunioribus, iuxta praescriptum Caeremonialis. » Die Sabbati 4. Aprilis 1620.

583. MEXICANA.

C. S. R., viso supradicto supplicii Libello, censuit, « in Civitate, et Dioecesi Mexicana servandum esse Caeremoniale, atque Archiepiscopum pro sua prudentia providere debere, ut abusus circa ritus, et Caeremonias Ecclesiasticas introducti, iuxta eiusdem Caeremonialis praescriptum corrigantur. » Die Sabbati 4. Aprilis 1620.

584. GENETEN.

Die Sabbati 4. Aprilis 1620. C. S. R. supradicto supplicii libello censuit respondendum, prout alias « in una Coimbrien. » sub die 16. Septembris 1606., nempe, « Coadiutorem non esse exemptum, seu liberum ab obligatione residendi, quando Coadiutus legitime impeditus ratione infirmitatis, vel alterius excusationis, vult haberi pro praesente: et ideo Punctatorem Chori posse punctare Coadiutum, etiam legitime impeditum, quando Coadiutor non vult residere, ad damnum tamen ipsius Coadiutoris. »

585. CREMONEN.

Capitulum, et Canonici Collegiatae de Caravaggio Cremonen. Dioecesis, approbari postulaverunt litanias Sanctorum, quorum Reliquiae asservantur in eorum Ecclesia, ut eas typis mandare possent, ad usum illius loci. Et S. C. nihil Oratoribus respondendum duxit. Die 4. Aprilis 1620.

586. SENOGALLIEN.

Ordinarius Senogallien. recusaverat locum assignare supra omnes Parochos in Synodalibus Sessionibus Priori Collegiatae Ecclesiae B. M. de Albericis Montis Marsciani, ex quo erecta fuisset Ecclesia praedicta novissime in Collegiatam, cum clausula, sine praedictis modernis, et pro tempore existentis Plebani, licet emanasset Decretum S. C. favore Prioris Collegiatae. Rursus idcirco proposita, et relata huiusmodi controversiae prae-

cedentiarum causa per Illmum D. Cardinalem Priulum, « manendum esse in Decretis, Patres censuerunt, ex quo clausula praedicta sine praedictis modernis, et pro tempore existentis Plebani, intra cuius limites Collegiata existit, intelligatur quoad Parochialia Decimarum, Sepulturae, et administratione Sacramentorum. » Die 4. Aprilis 1620.

587. SUTRINA RONCILIONIS.

Quaesitum fuit pro parte Capituli Collegiatae Roncilionis, ex quo ibi Praebendae Canonicales non sint distinctae in Presbyterales etc., num quisque Sacerdos Diacono, et Diaconus Canonicus Subdiacono Canonico praefendus etc.? Et S. C. prout in Urbis S. M. Rotundae 16. Dec. 1606. respondit « praecedere debere Sacerdotes Diaconis, et Diaconos Subdiaconis, » referente Illmo Muto, cui negotium commissum fuerat 16. Ianuarii 1620. Die 4. Aprilis 1620.

588. OSCEN.

Die Sabbati 2. Martii 1620. Proposito in C. S. R. suprascripto supplicii Libello, eadem S. C. censuit, « Canonicos, et alios Clericos, sive in Choro existant, sive per Ecclesiam processionaliter incedant, in elevatione SS. Sacramenti semper genuflectere debere, et omnino tollendum abusum, celebrandi Missas privatas in Altare maiore, dum in Choro cantantur horae Canonicae: in aliis vero Altaribus, quae sunt in conspectu Chori idem faciendum, si commode fieri potest, quod pro sua prudentia, opportunis remediis provideat Episcopus. »

589. CALAGURITANA.

Die Sabbati 12. Decembris 1620. C. S. R., referente Illmo D. Cardinali Muto, censuit, « Deanum Cathedralis Ecclesiae Calaguritanae teneri ad assistendum Episcopo pontificaliter celebranti, atque ad id, opportunis remediis, ac etiam censuris, ab Episcopo compellendum esse. »

590. CIVITATIS CASTELLANAE.

Die Sabbati 12. Decembris 1620. S. R. C. Illmo D. Cardinali Millino referente, censuit « non prohiberi Regulares habentes privilegia recipiendi corpora defunctorum in eorum sepulturis, quominus, iuxta dispositionem iuris communis possint in eis sepelire corpuseula Parvulorum, quando in eorum Ecclesiis adest sepulcrum Maiorum, vel concurrente consuetudine ab eorum Patribus est electa sepultura in praedictis Ecclesiis: curare autem debere eosdem Regulares, ut habeant Coemeterium separatum pro sepulturis Parvulorum. »

591. MESSANEN.

Die Sabbati 23. Ianuarii 1621. Proposito in S. R. Cong. suprascripto supplicii Libello, eadem

S. R. C., inhaerendo Decretis alias in similibus factis, censuit, « absente, vel impedito Archiepiscopo, functiones, de quibus supra, ac alias, quas idem Archiepiscopus, si praesens esset, faceret, ad Decanum supradictum tamquam primam Dignitatem, privative quoad Cappellanum eiusdem Ecclesiae, spectare: imo ipsius Decani deficientis vices ab aliis immediate succedentibus suppleri debere etc. »

592. VERCELLEN.

Die Martis 30. Martii 1621. C. S. R., Illmo D. Cardinali Crescentio referente, inhaerendo Decreto sub die 9. Decembris 1617. emanato censuit « Abbatem S. Andreae Congregationis Lateranensis Civitatis Vercellen. posse ubique, etiam praesente Episcopo, deferre Mozzettam, eidemque Pontificaliter celebranti, iuxta antiquam consuetudinem, Sedem, seu Cathedram cum duobus gradibus, uti licere etc. »

593. PISAUREN.

Die Martis 30. Martii 1621. Discussa in Sac. R. C. controversia inter Praepositum primam Dignitatem Cathedralis Ecclesiae Pisauran., et Archidiaconum secundam Dignitatem eiusdem Ecclesiae; eadem S. R. Cong., Illmo D. Cardinali Crescentio referente, censuit « servandam esse in omnibus dispositionem Caeremonialis Episcoporum, et praesertim lib. 1. cap. 15., neque ullam Episcopo, dum capitulariter associatus ad Ecclesiam cum Cappa progreditur, assistentiam deberi etc. »

594. SARNEN.

Die Martis 30. Martii 1621. C. S. R., inhaerendo Decretis alias in similibus factis, et praecipue in una *Perusina* sub die 20. Dec. 1601. censuit, « non quoties Episcopus ad Ecclesiam accedit Dignitates, et Canonicos eum ex Palatio suo excipere, et comitari, ac reducere teneri, sed solemnibus tantum diebus, quando ad Ecclesiam cum Cappa ad celebrandum, vel Pontificalia exercenda accedit: caeteris autem diebus, quibus ad Ecclesiam ire debet, satis esse, ut aliqui ex Dignitatibus, et Canonicis ei ad ostium occurrant, et abeuntem usque ad ostium similiter comitentur. »

595. DUBIUM.

Die Martis 30. Martii 1621. - Sub Dubio - An Beneficiatus obligatus facere commemorationem S. Crucis diebus solitis, teneatur facere ordinariam, vel quam facere teneatur?

C. S. R. censuit, « Beneficiatum praefatum commemorationem ordinariam facere teneri. »

596. PLACENTINA.

Die 30. Martii 1621. Proposito in C. S. R.

supradicto supplici libello, eadem S. R. C., inhaerendo Decretis, alias in similibus factis, censuit, « non licere Praeposito S. Gervasii Civitatis Placentiae in Ecclesia S. Xisti Congregationis Casinen. Responsorialia, Missas, et Divina Officia invitit Monachis cantare, sed, associato funere, ad suam Ecclesiam redire debere etc. »

597. PIENTINA.

Die Sabbati 8. Maii 1621. C. S. R., inhaerendo Decretis alias in similibus factis, censuit « functiones Episcopales, absente, vel impedito Episcopo, ad Praepositum supradictum tamquam primam Dignitatem, ac ipso absente, ad eius Coadiutorem spectare, eorumque deficientium vices, non ab hebdomadario, sed ab aliis immediate succedentibus, iuxta Libri caeremonialis dispositionem, suppleri debere. »

598. S. IOSEPHI.

Die Sabbati 8. Maii 1621. C. S. R. « si SS. D. N. placuerit, censuit diem festum S. Iosephi Sponsi Bnae Virginis Genitricis Dei Mariae deinceps perpetuis futuris temporibus sub observantia, et praeepto comprehendere, cunctosque Christi fideles ubique terrarum ab omni opere servili eo die abstinere, et cessare debere. »

Et facta per nos de praedictis relatione SS. D. N., SSms S. C. votum, ac sententiam comprobavit, atque ita omnino servari mandavit.

599. LIMANA IN INDIIS.

Die Sabbati 29. Maii 1621. Proposito in C. S. R. supradicto supplici Libello, eadem S. C. R., inhaerendo Decretis alias in similibus factis, et praecipue in una *Perusina* sub die 20. Decembris 1601., censuit « non quoties Archiepiscopus ad Ecclesiam accedit, Dignitates, et Canonicos eum ex Palatio suo excipere, comitari, et reducere teneri, sed solemnibus tantum diebus, quando ad Ecclesiam cum Cappa ad celebrandum, vel Pontificalia exercenda accedit; ceteris autem diebus, quibus ad Ecclesiam ire debet, satis esse si aliqui ex Dignitatibus, et Canonicis ei ad ostium Ecclesiae occurrant, et abeuntem usque ad ostium similiter comitentur. »

600. CAPUCCINORUM.

Die Sabbati 10. Iulii 1621. S. R. C. ut tandem dissensionibus, quae circa praecedentiam in Processionibus inter Capuccinos, et alios Regulares post concessam ipsis Capuccinis propriae Crucis erectionem, quotidie oriuntur, aditus omnino praecludatur, inhaerendo Decreto sub die 23. Martii 1619. emanato, illudque declarando censuit: « erectionem Crucis supradictis Capuccinis fuisse concessam in iis tantum locis, in quibus sub Cruce

Minorum Conventualium incedebant, quia alias id fortasse numquam permisisset, ac propterea eosdem Capuccinos in locis, in quibus iam sub propria Cruce, seu in proprio loco sub Cruce Cleri in Processionibus ante huiusmodi concessionem incedebant, eundem locum retinere debere. »

601. IANUEN.

Die 20. Iulii 1621. (quaesitum, num *Episcopi* eorum Cardinalibus, vel ex iure, vel ex consuetudine deponere debeant *Mozzettam*?) « Circa Cardinales Legatos, adest Caeremoniale, circa non Legatos est facultas in Episcopis, tamen se habet consuetudo in Italia, ut Episcopi, praesentibus Cardinalibus, deponant *Mozzettam*. »

602. MELITEN.

Die Sabbati 7. Augusti 1621. Proposito in S. R. C. supradicto supplicii libello, eadem S. R. C., inhaerendo Decretis alias in similibus factis, censuit: « Supradictas Dignitates, et Canonicos non lucrari distributiones quotidianas, nisi in Choro, Processionibus, aliisque huiusmodi actibus proprio habitu Dignitatibus, et Canonicis respective convenienti, utantur. Si vero uti voluerint habitu Protonotarii, non posse participare de distributionibus quotidianis, tamquam extraneos reputandos esse, eisque locum assignandum non supra, nec inter Canonicos, sed post Abbates, iuxta dispositionem Caeremonialis Episcoporum Lib. 1. cap. 13. circa finem. »

603. MESSANEN.

Die Sabbati 7. Augusti 1621. Proposito in C. S. R. supradicto supplicii Libello, eadem S. C. censuit: « servandam esse dispositionem Caeremonialis Episcoporum, ut nempe in Processionibus ante Regulares incedant Confraternitates laicorum, quos sequantur iidem Regulares, postremo digniorem locum obtineat Clerus Saecularis. »

604. HYDRUNTINA.

Die Sabbati 25. Septembris 1621. S. R. C. censuit: « non posse Archiepiscopum praedictum arbitrio suo functiones, quas ipse, si praesens esset, aut non impeditus, obiret, alteri bene viso Canonico, aut Dignitati demandare, sed eas spectare ad Archidiaconum primam Dignitatem, eiusque deficientes vices, ab aliis immediate succedentibus suppleri debere, neque allegatam consuetudinem, quatenus etiam probaretur, esse attendendam etc. »

605. CASTELLANEN.

Die Sabbati 25. Septembris 1621. S. R. C., inhaerendo Decretis alias in similibus factis, censuit: « praecedentiam competere Dignitatibus, et Canonicis paratis supra Vicarium generalem prae-

dictum, neque allegatam consuetudinem, imo potius abusum, illi suffragari. »

606. CALARITANA IN SARDINIA.

Die Sabbati 13. Novembris 1621. Proposito in C. S. R. supradicto supplicii Libello, eadem S. C. « Episcopo Titulari supradicti Archiepiscopi Calaritani Coadiutori deputato, qui in eadem Ecclesia Calaritana Canonicatum obtinet, in Choro, Capitulo, Processionibus, aliisque actibus supra omnes eiusdem Ecclesiae Dignitates, et Canonicos praecedentiam competere, » censuit.

607. VENETA IUNCTARUM.

Die 3. Ianuarii 1626. Iunctae Impressores Veneti imprimentes nova Breviaria, cum deberent apponere Officium S. Hyacinthi, sub die 16. Augusti ex praescripto SSmi, et huius S. C., petierunt, quomodo esset accomodanda *Rubrica in Breviario* existens ante tertiam Dominicam Augusti cum nonnullis consequentibus: referente Illmo D. Card. S. Georgii, qui in praecedenti Congregatione negotium hoc fuerat demandatum, S. C. censuit, « *Rubricas*, ut infra accomodandas, videlicet, *Rubricam ante Dominicam 3. Augusti positam*, sic innovandam: Si sequens Dominica venerit in die Assumptionis B. Mariae, vel in die S. Hyacinthi, aut in die octava S. Laurentii, initium Libri Sapientiae ponitur in ipsa die S. Hyacinthi, vel in die Octava S. Laurentii, et de eodem Libro Sapientiae legitur in festo Sancti Bernardi, et post Octavam Assumptionis B. Mariae, si supersit dies usque ad sequentem Dominicam, » *Rubricae positae in die Octava S. Laurentii*, et in *die S. Bernardi* omnino immutatae relinquuntur. *Rubrica* autem *pro die S. Hyacinthi* sic ponenda: « In primo Nocturno Lectiones de Scriptura eo tempore currente, ut notatur in Rubrica ante Dominicam tertiam Augusti. »

608. NUCERINA IN APULIA.

Die 31. Ianuarii 1626. Presbyteri de Capitulo dictae Ecclesiae Nuceriniae petebant per C.S.R. declarari: quod Canonici dicantur, qui habent stolum in Choro, et vocem in Capitulo: et S. C. respondit, « negative; non enim valet consequentia: Habent vocem in Capitulo; ergo sunt Canonici. »

609. ROSSANEN.

Die 31. Ianuarii 1626. Archiepiscopus Rossanensis recepit Candelas, Palmas, et Cineres ab Archidiacono prima Dignitate, ut moris est; vult autem illam dare primo loco non dicto Archidiacono, sed Vicario ipsius Archiepiscopi Generali. Et S. C. respondit, « ad favorem Archidiaconi. »

610. BAREN.

Die 31. Ianuarii 1626. Quaesivit Archiepisco-

pus Barenensis: an liceret Suffraganeo, presente Metropolitano, Mozzettam deferre? et S. C. respondit: « non licere. »

611. MARTURANA.

Die 31. Ianuarii 1626. Vicarius Generalis Episcopi Marturani praetendit ipse celebrare Missas solemnes Episcopales in defectum ipsius Episcopi, vigore cuiusdam Decreti olim facti a Cardinali Camerinen. cum esset Episcopus Marturani, quod scilicet dictae Missae celebrarentur non a prima Dignitate, sed a Vicario Generali; quod Decretum huc usque variis de causis non habuit effectum, quia non evenit casus, et modo Vicarius vult illo uti. S. C. respondit: « dictas Missas pertinere ad primam Dignitatem, et ita servandum, non obstante dicto Decreto. »

612. AMALPHITANA.

Die 14. Februarii 1626. Alias de anno 1517. cum esset lis, et controversia inter Archiepiscopum Amalphitanum, et Praepositum Ecclesiae Terrae Maioris, fuit devotum inter eos ad concordiam, quae per centum annos, et ultra fuit observata: sed modernus Praepositus effectus Protototarius caepit uti Rochetto, et Mantelletto violacei coloris, et postea etiam Cappa Pontificali eiusdem coloris, faciens sibi per Clericum caudam deferri, et per vias Populo benedicendo: Archiepiscopus cum praetendat haec omnia esse contra transactionem, seu concordiam praedictam, et in praeiudicium suae iurisdictionis, petiit mandari observari ad unguem dictam concordiam. Et S. C. mandavit: « illam servari, et de hoc scribi Pro-Nuncio Neapolitano. »

613. SYRACUSANA.

Die 14. Februarii 1626. Episcopus Syracusanus petiit a S. C. declarari: quibus ipse permittere deberet faldistorium, hoc est scamnum ad genuflexionem, conforme illi, quo utitur Episcopus: et quomodo, et quibus Personis danda pax, et Liber Evangelii deferendus ad osculandum? Item narrans se extra Chorum concessisse Canonicis suae Cathedralis scamnum pro concionibus cum panno violaceo, petiit dictam concessionem approbari. Item petiit declarari, quod ad ipsum spectet definire loca, et honores tribuendos, non solum in sua Cathedrali, sed etiam in aliis Ecclesiis suae Dioecesis, et non ad quemquam alium etiam Saecularem: et S. C. remisit haec omnia ad Illmum D. de Torres.

In altera Congregatione die 28. Martii eiusdem anni 1626. proposita causa fuit, et habetur sequens Responsum.

Episcopus Syracusanus plura petiit a S. C., quae fuerunt remissa ad Illmum Cardinalem de Torres.

Et 1. declarari validam Concessionem ab ipso Episcopo factam Canonicis suae Cathedralis, tenendi pannum in eorum scamno, extra stallum, cum assistunt Concionibus, ad quod S. Congreg. respondit, « nihil declarandum. »

2. Petebat declarari ad ipsum Episcopum spectare determinationem locorum, et honorum tam in Ecclesia sua Cathedrali, quam in omnibus aliis Ecclesiis suae Dioecesis, non autem ad quemquam alium Saecularem. Et S. C. respondit: « Ad Episcopum spectare, sed sine scandalo. »

3. Petiit declarari: quibus personis debeat permitti faldistorium, hoc est genuflexorium, et quomodo? Et S. C. respondit: « posse concedi non tamen aequale Episcopo. »

614. ELBOREN.

Quaesivit Archiepiscopus Elboren: An in edicendis, et decernendis, publicis Processionibus, et illarum directione, et deductione, teneatur expectare consilium, et consensum Capituli; et quatenus teneatur, an id observandum sit in Processionibus tantum, quae de novo in perpetuum decernuntur, an vero etiam in iis, quae pro una dumtaxat vice fiunt ob publicam causam, ad instantiam Regis, vel Populi? Et cum pro parte Capituli adduceretur « declaratio Illmorum DD. Cardinalium interpretationi Concilii praepositorum » tenoris infrascripti, videlicet « Ad Episcopum pertinet cum consilio Capituli decernere, et edicere quo, et qua dirigendae, deducendaeque sint Processiones, » S. C. mandavit exquiri a Secretario dictae Congregationis de veritate dictae Resolutionis. Die 14. Februarii 1626.

Causa autem iterum proposita in Congregatione habita die 28. Martii 1626., sequenti Decreto fuit terminata.

ELBOREN. Archiepiscopus Elboren. supplicavit circa decernendas, edicendas, et etiam dirigendas publicas Processiones declarari infrascripta dubia orta inter ipsum, et Capitulum Elboren.

1. An Archiepiscopus teneatur expectare consilium, sive etiam consensum Capituli in edicendis, et decernendis publicis Processionibus, earumque deductione, vel directione?

2. An dato, quod teneatur dictum consilium, et consensum Capituli expectare, id observari debeat non solum in Processionibus, quae in perpetuum decernuntur, sed etiam in locis, quae pro una vice tantum fiunt ob publicam causam ad Regis, vel Populi instantiam?

Et cum Capitulum pro se allegaret *declarationem S. Concilii*, qua dicitur ad Episcopum pertinere de consilio Capituli decernere, et edicere,

quo, et qua dirigendae sunt, vel deducendae Processiones;

Ex adverso vero Archiepiscopus pro se adducat non solum *Caeremoniale*, sed etiam *declarationem ad eius instantiam de anno 1617. ab hac S. C. factam* sub die 14. Ianuarii, qua S. C. respondit, « ad Episcopum, privative quoad alios, in sua Dioecesi pertinere indicere publicas Processiones, et ad illas per edictum publicum populum convocare » S. C. mandavit mihi Secretario, ut a *D. Fagnano S. C. Concilii* exquirerem de veritate *praedictae resolutionis, seu Declarationis*, quae solet interdum falso, et perperam circumferri, et ostenso mihi Originali, cognovi praefatam Declarationem esse veram, nisi quod in his, quae circumferuntur dicitur ad Episcopum pertinere *cum consensu Capituli*, in Originali vero dicitur de *consilio*. Unde, his auditis, S. C. respondit, et decrevit, « Episcopi esse edicere, decernere, dirigere, atque deducere Processiones de consilio tantum Capituli, non autem consensu, iuxta praedictam declarationem. Idque in omnibus Processionibus servandum. »

615. FANEN.

Die 14. Februarii 1626. Rector Parochialis loci Podii praetendit Parochos cum funeribus illae transeuntes debere consistere, et Regulares associantes funus de manu ipsius Rectoris debere cadaver recipere, et ipsum Rectorem uti proprium Parochum defunctorum recognoscere, et ei quartam funeralis persolvere. Petitum fuit a S. C., An ea sibi facere liceat, et impedire Parochos defunctorum, quominus funera suorum Parochianorum comitentur usque ad Ecclesiam, in qua sepeliendi sunt, et an haeredes defunctorum ultra mortuarium; quod propriae Parochiae solvant, teneantur etiam dictae Parochiae Podii aliud persolvere. Et S. C. respondit, « dictum Parochum loci Podii non posse neque impedire, neque quidquam petere. »

616. MONOPOLITANA.

In Ecclesia Cathedrali Monopolitana ultra Dignitates, Canonicos, et Portionarios, adest Vicarius deputatus ad curam animarum, qui vult in eminentiori sede Dignitatum, et Canonicorum sedere, et cum illis ire ad circulum coram Episcopo, dum Missa celebratur. Petierunt Canonici: utrum hoc possit facere, videlicet sedere cum Canonicis, et ire ad circulum? Et S. C. respondit, « non posse. » Die 14. Februarii 1626.

617. BRACHAREN.

Presbyteri Saeculares Sancti Petri Dhamarantis Dioecesis Bracharen. conquesti sunt molestias sibi

inferri a Fratibus Ordinis S. Dominici loci praedicti, qui in processionibus, et aliis actis publicis, praetendunt vigore consuetudinis praecedere Praesbyteris Saecularibus: unde ad tollendum hunc abusum contrarium *Caeremoniali Romano*, supplicaverunt pro Breve obtinendo, et observantia eius, quod saepe saepius definitum est, nempe quod Clerus Saecularis, praecedat Regularibus *iuxta Breve Clementis VIII.* in simili casu ad favorem Cleri de Aveyro Colimbrien. Dioecesis emanatum, cuius exemplum datum fuit: et S. C. mandavit, « servari dictum Breve. » Die 28. Martii 1626.

618. TORNACEN.

Episcopus Tornacen. duo quaesivit a S. C., videlicet: an in Octavis Assumptionis, et Nativitatis B. Virginis, in quibus hymni eiusdem metri debent concludi cum *Gloria tibi Domine, qui natus etc.*, debeant dicti hymni cani in tono ipsorum Hymnorum, an vero in tono B. Virginis?

Item: an in Officio parvo B. Mariae tempore Paschali addi debeat Antiphonis, et Versiculis Alleluia?

Et S. C. ad 1. respondit, « Hymnos praedictos esse canendos in tono B. V. » Ad 2. « vero de alleluia, mandavit, recitari dictum Officium parvum, prout in Breviario Rom. » Die 28. Martii 1626.

619. HYDRUNTINA.

Presbyteri Graeci loci de Sternatia Hydruntinae Dioecesis supplicaverunt, posse uti in Sacrificio Pane fermentato, sed cocto ad modum Hostiarum, quibus Latini utuntur, non autem in furno, ita ut non sit alia differentia, quam in coquendo, vel in coctura, et S. Cong. respondit, « nihil. » Die 28. Martii 1626.

620. MAZZARIEN.

Presbyteri Trepani petierunt duo: 1. quod Presbyteri antiquiores semper, et ubique praeferrantur aliis etiam Doctoribus, non habita ratione Doctoratus. 2. quod Laici in Processionibus non se immisceant cum Clericis. Et S. C. ad 1. respondit: « quod ubi interveniunt uti Ecclesiastici, antiquiores praeferrari debeant, ut supra. » Ad 2. respondit: « laicos non esse interressendos cum Clericis in Processionibus. » Die 4. Aprilis 1626.

621. NICIEN.

Praepositus, et Canonici Ecclesiae Nicien. cum instarent, ut Episcopus indueret Cappam Pontificalem in aula ipsius habitationis, quando cum Canonicis est iturus ad solemniam celebranda in Ecclesia; et ex altera parte Episcopus offerret se paratum observare *Caeremoniale*, modo ipsi quo-

que Canonici observent pro parte eorum, qui in tali casu sequi debent Episcopum *iuxta dictum Caeremoniale Lib. 1. cap. 15.*, non autem anteire, ut faciunt; habito ad hanc S. R. C. per dictum Episcopum recursu, S. C. mandavit: «servari Caeremoniale pro utraque parte, videlicet tam pro parte Episcopi, quam pro parte Canonicorum.» Die 4. Aprilis 1626.

622. EGITANIEN.

Episcopus Egitanien. petiit a S. C. sibi declarari: utrum in Sabbato quatuor Temporum post Pentecosten, in quo ad Missam non flectuntur genua, si faciat ordinationem, debeant flecti genua, prout in ordinationibus fieri debet?

Idipsum quaerit in facienda Synodo, vel consecratione Ecclesiae, aut aliqua Ordinatione ex privilegio in tempore Paschali, aut die Dominica, utrum debeat flectere genua?

2. Quaesivit: cum ex tribus Gubernatoribus Regni Portugalliae adsit aliquis Episcopus, vel Archiepiscopus, et praesupponatur *ex Rubrica Missalis Romani* omnes, qui non sunt Praelati, ad Confessionem genuflectere debere; utrum dictus Episcopus, vel Archiepiscopus debeat genuflectere, vel stare?

Et S. C. respondit «quod Episcopus attendat, et servet rubricas illius actus, quem facit.» Et ad 2. respondit: «Episcopum, vel Archiepiscopum non desinere esse talem, ideo quae sibi conveniunt facere debere.» Die 4. Aprilis 1626.

623. FERETRANA.

Cum Procurator Generalis Fratrum S. Honfrui conquestus esset, Fratrem Regularem suae Religionis deputatum ad curam Ecclesiae S. Silvestri Feretranae Dioecesis contemni a simplicibus Sacerdotibus, qui volant eum, tamquam Regularem, tam in sedendo, quam in procedendo manere in ultimo loco; et causa ad Illmum D. Card. Perettum remissa; Ipso hodierna die referente, S. C. mandavit, «dictum Regularem ubi adest, vel comparet tamquam Curatus, esse omnino praefendum, et uti Curatum tractandum.» Die 4. Aprilis 1626.

624. VELITERNA.

Vicarius Veliternus Illmī Cardinalis a Monte narravit, se invenisse veterem quamdam consuetudinem in ea Civitate, concedendi per Vicarium infrascriptas licentias; de quibus dubitans, an sint iuridicae, petiit hoc a S. C. declarari, vel sibi concedi licentiam utendi dicta consuetudine in tribus infrascriptis consistente.

Primum est, concedere licentiam Presbyteris, ut possint celebrare Missas, capite velato, idest ut

dicitur *cum Berrettino*: et ad hoc fuit responsum: «non licere, sed recurrendum ad Sanctissimum.»

2. Ut Clerici in Minoribus constituti, aut prima tantum tonsura initiati, item Conversi Religionum, et Fratres laici Sacristiis inservientes, possint contrectare Calices, et Corporalia, ad quod fuit dictum: «agendum esse cum Rmo Vulpio, quem reperi in nostra Sententia, ut Clericis, non Laicis concedi possit.»

3. Ut Vicarii non solum benedicant indumenta, et alia, in quibus non requiritur sacra unctio, sed etiam talem facultatem aliis Presbyteris impartiantur. In quo dixi: «reperiri Decretum huius S. C., quod DD. Card. dietae Congregationis possint hanc facultatem benedicendi praedicta concedere Vicariis suis,» quod Decretum, ut viderent, fuit dictum exhiberi ad primam Congregationem. Die 24. Aprilis 1626.

Consequenter ad haec, infra leguntur aliae Resolutiones videlicet.

VELITERNA. Die 2. Maii 1626. Retuli me alloquutum cum Rmo Vulpio de dubio petito a Vicario Veliterno: An scilicet concedi possit licentia tangendi Calices, et Corporalia Conversis, et Fratribus Laicis inservientibus Sacristiis: «Et invenisse dictum Rmum cum nostra opinione, quod Clericis tantum concedatur.» Et ita censuit Sac. Congreg.

Quo vero ad benedicendum sacra, in quibus non adhibeatur sacra unctio, ostendi Decretum huius Sac. C. factum de anno 1623. die 6. Maii, quo conceditur Illmīs Cardinalibus eiusdem Congregationis, posse delegare propriis Vicariis benedictionem praedictam, et S. C. mandavit scribi Rmo Rinuccino tunc Secretario huius S. C., ut rationem reddat dicti Decreti.

Quamobrem in altera Congregatione diei 16. Maii 1626. legitur

VELITERNA. Quia similiter S. C. mandavit scribi Rmo D. Rinuccino ad effectum sciendi rationem, qua mota S. C., concessit Illmīs DD. Cardinalibus dietae S. Congreg., ut possint delegare benedictionem Paramentorum etc. suis Vicariis, exhibuit responsum dicti D. Rinuccini dicentis, quod cum S. C. frequenter requisita hoc concedat aliis, putavit etiam ipsismet DD. Cardinalibus concedendum, praesertim nonnullis ex eis hoc instanter petentibus: quibus auditis, S. Congreg. concessit Vicario Veliterno facultatem benedicendi praedicta paramenta, et alia, in quibus sacra unctio non adhibetur. Ita tamen, ut hanc facultatem non possit aliis impertiri, et ipsi tantum nominatim concessa intelligatur.»

625. MASSAE IN UMBRIA.

Die 24. Aprilis 1626. Frater Bernardinus tertii Ordinis Provinciae S. Francisci, narrans Archipresbyterum Massae in Umbria praetendere, quod cadavera defunctorum, qui sibi sepulturam elegerunt in Ecclesia dictae Religionis, deferantur prius ad Ecclesiam dicti Archipresbyteri Parochialem, ubi fiat Officium solitum sepulturae, quod cum dicat esse contra usum, et consuetudinem tam ipsius loci Massae, quam aliorum locorum convicinarum, supplicavit, parte citata, declarari cadavera praedicta esse recto tramite ad Ecclesiam sepulturae electae deferenda, et ita fieri mandari.

S. C. respondit: « non licere Archipresbytero praedicto praenarratam retentionem cadaveris facere in sua Ecclesia, et ideo mandavit cadavera defunctorum recto tramite sine ullo impedimento deferri ad locum, sive Ecclesiam destinatae sepulturae. »

626. PISTORIEN.

Familia de Franchis Pistorien. narrans se erigendo Cappellam in Ecclesia Dominicanorum Pistorii, dextruxisse depositum quoddam marmoreum, in quo inerat Corpus Domini Andreae Franchi Episcopi Pistoriensis, petiit licentiam reponendi Depositum praedictum cum cineribus dicti Episcopi in eadem facie, et altitudine a terra, ut prius erat; et S. C. concessit: « depositum reponi in locum suum, modo tamen cineres sepeliantur in terra. » Die 24. Aprilis 1626.

627. ASCULANA.

Die 2. Maii 1626. Extat, ut narratum fuit, in Ecclesia Cathedrali Asculana consuetudo immemorabilis, pacifica, et indubitata, ut Archidiaconus, et, eo absente, senior Canonicus praesens in Choro, soleat committere alicui ex Canonicis, seu Mansionariis ad libitum Lectiones in Matutino legendas: quo stante, quaesitum fuit, an Canonicus, quem Episcopus Pro-Vicarium deputaverat, talem legendi provinciam sibi iniunctam renuere possit. Et S. Congreg. respondit, « quod si interveniat in Choro uti Canonicus, debeat obedire. »

628. NULLIUS TERRAE PESCIAE.

Die 2. Maii 1626. Cum adesset in terra Pesciae Ecclesia Hospitalis SS. Philippi, et Iacobi, fuit illa prophanata, eius redditibus conversis in erectionem Monasterii Monialium S. Mariae Novae, et aliqui pii illius Terrae, auctoritate Praepositi, dictum locum prophanatum reducentes ad Ecclesiam, in ea fundaverunt Societatem mortis, et volentes modo in ea celebrare festum dietorum

SS. Philippi, et Iacobi, fuerunt a Praeposito dictae Terrae prohibiti, ex eo quod Moniales praedictae dictum festum celebrent, unde recursum habuerunt ad hanc S. C., quae respondit: « Si Ecclesia praedicta est sub eodem titulo restituta, posse illos dictum festum celebrare. »

629. MANILIEN. IN PHILIPPINIS.

Archiepiscopus Manilien. petiit declarari: An Episcopi Philippinarum possint adstringere Parochos Regulares ad observandum in praxi caput Ritualis Romani de Sacramento Poenitentiae in eo, quod dicit « quod si confitendi desiderium suum per se, sive per alios ostenderit infirmus, absolvendus? » Et S. C. respondit: « placere sibi; quod, si non est introducta observatio Ritualis Romani, introducat. » Die 2. Maii 1626.

630. SYRACUSANA.

Matrix Ecclesia Parochialis S. Georgii Civitatis Ragusii Dioecesis Syracusanae, cum quotannis celebret solemnem Processionem SS. Corporis Christi tam in die ipsius Festi, quam in Octava, conquesta est Ecclesiam S. Ioannis Baptistae dictae Matrivi adnexam, et unitam, faciendo in Octava praedicta Processionem eodem tempore sub praetextu, quod sit aggregata Archiconfraternitati S. Petri, vel S. Mariae supra Minervam de Urbe, deviare Presbyteros, et Clericos e dicta Matrivi, cuius Parochus, et Procuratores petierunt prohiberi, et S. C. « prohibuit fieri dictam Processionem. » Die 2. Maii 1626.

631. BURGEN.

Episcopus Burgen. tria sibi declarari petiit a Sac. Congreg.

1. Stante, quod Decanus, et Capitulum Ecclesiae suae Cathedralis ab annis 15. in circa, dimisso antiquo, et proprio eiusdem Ecclesiae Officio, assumpserit Officium Romanum, retentis tamen caeremoniis ibi usitatis, quae tamen postea fuerunt, ut plurimum, immutatae, et permixtae, diversis diversa observantibus; quaerit: an Capitulum acceptando Officium Romanum, teneatur, vel non teneatur observare etiam caeremonias Romanas, et an ad eas observandas compelli debeat per Episcopum? Ad quod S. C. respondit, « exprimi qualitates caeremoniarum retentorum. »

2. Petiit: an ob quasdam Missas Votivas fundatas in dicta Ecclesia Burgen. ad Altare maius certis diebus hebdomadae secundae post Pascha, possit licite omitti Missa Conventualis? Ad quod S. C. respondit: « non posse omitti. »

3. An die celebrationis Capituli dictae Ecclesiae, si tempore Quadragesimae, quatuor Tem-

porum, vel Vigiliae incidat festum duplex, vel semiduplex, vel dies Octavae, an ratione dieti Capituli possit omitti Missa de Feria, vel de Vigilia? Et S. Cong. pariter respondit: « non posse omitti. » Die 16. Maii 1626.

632. CONSANA.

Clerus Ecclesiae Matricis Passipagani Dioecesis Consanae petiit prohiberi Minoribus Fratibus Conventualibus, ne in Sabbato Sancto pulsant Campanas ante Ecclesiam Matricem, et S. Cong. mandavit: « Archiepiscopum procedere debere ad poenas. » Die 16. Maii 1626.

633. PENNEN.

Canonici Cathedralis Ecclesiae Pennen. exposuerunt, Episcopum praetendere, quod dicti Canonici in eorum habitu canonicali, ipsum a proprio Episcopi cubiculo cum Rocchetto, et Mozetta indutum comitentur ad Ecclesiam, ubi etiam sic vestitus assistit Missis, et Vesperis.

Item, quod ipsi Episcopo, sic ut supra induto, Canonici Assistentes teneantur biretum imponere, et deponere, nec non omnes simul ad circulum convenire.

Et quod dietos circulos Episcopus exigit etiam extra Cathedralam a quibuscumque Presbyteris, et Clericis, Canonice Cathedralis absentibus. Unde petierunt declarari; an ipsi ad praedicta teneantur, et an Episcopus possit, ut supra, circulos convocare? Et S. C. respondit: « nihil de praedictis Episcopo licere. » Die 16. Maii 1626.

634. NEAPOLITANA.

Parochi Tertierii Capitis Montis Dioecesis Neapolitanae conqueruntur de Archipresbytero dicti Tertierii, qui praetendit praecedentiam in funeralibus, non obstante, quod, ut narrant, dictus Archipresbyteratus sit simplex Beneficium, cuius sunt capaces etiam Clerici primae tonsurae, quos, putant, indecens esse praeferrere Presbyteris. Et S. C. respondit: « non esse inconveniens, quod quis ratione Dignitatis praecedat eos, qui sunt in ordine maiores. » Die 6. Iunii 1626.

635. SAVONEN.

Narratum fuit pro parte Capituli Cathedralis Ecclesiae Savonen., in ea Civitate solitum esse fieri Processiones quasdam cum delatione statuae, sive Imaginis B. Virginis immediate post ipsum Capitulum Cathedralis, et quod Episcopus Costa antecessor erat solitus incedere inter duas primas Dignitates dicti Capituli, ad exemplum Illm̄i D. Borromaei Metropolitanī, qui sic incedit. Sed quod modernus Episcopus vult post dictum Capitulum incedere solus, sequente sua familia, deinde etiam Vicario suo cum magno numero Cle-

ricorum, et Presbyterorum ad dictam Processionem coactorum in longo ordine in habitu nigro, qui interponunt se inter Capitulum, et Imaginem praedictam, non sine scandalo, ut narratum est, et ideo supplicatum provideri, ut servet solitum, et imitetur dictum Illm̄um Metropolitanum. Et S. C. mandavit scribi Episcopo: « videri sibi exorbitantes dictas novitates. » Die 6. Iunii 1626.

636. AUGUSTANA.

Episcopus Augustanus petiit tria dubia defini, et 1. Utrum Abbas subiectus Ordinario loci, possit concedere licentiam alteri celebrandi Pontificaliter in sua Ecclesia? Ad quod S. C. respondit: « transmittendum esse per manus, et videndum, si ipse habeat talem usum. »

2. Utrum Abbati Ordinis S. Benedicti conveniat usus Rocchetti? et S. C. respondit, « non convenire. »

3. Utrum Abbati Mitrato, vigore Privilegii obtenti ante Concilium Tridentinum, licet hodie conferre Minores Ordines? Item consecrare Calices, et benedicere Campanas, in quibus adhibetur unctio? Et S. C. respondit, « non licere. » Die 6. Iunii 1626.

637. SYRACUSANA.

An Parochus S. Georgi Matricis Ecclesiae Ragusii, et Parochus S. Thomae, qui praecedunt omnibus, debeant in suis Ecclesiis praecedere Protonotarios non participantes? Et S. C. respondit, « dietos Protonotarios non debere turbare Processiones. » Die 6. Iunii 1626.

638. DUBIA.

1. An Episcopo cum Cappa existente, debeant assistere hinc inde Canonici? Et S. C. respondit, « standum esse in Decretis alias factis. »

2. An Archidiacono celebranti loco Episcopi, vel alias infra annum celebranti teneantur Canonici in functione Diaconi, et Subdiaconi inservire? Et S. C. respondit, « servandum esse Caeremoniale, nisi adsit contraria consuetudo. » Die 6. Iunii 1626.

639. NUCERINA IN UMBRIA.

Frater Felicianus Fulginaten. Capuccinus per literas exposuit, saepe vocatos esse ad Missas pro mortuis in aliis Ecclesiis celebrandas, ubi requirunt Missas de Requiem, quae in diebus Officii duplicis *secundum Rubricas Missalis* diei non debent, sed usus contrarius receptus videtur: unde supplicavit de hoc fieri verbum in S. C., et responderi. Et S. C. respondit: « Si festum duplex non est de praeepto, posse tolerari Missas defunctorum, ut Testatorum voluntates, qui sic reliquerunt adimpleantur, et licet Eleemosyna ad

hoc relicta possit acquiri, prout alias etiam in una Pampilonen., responsum fuit die 1. Septembris 1607. » Die 20. Iunii 1626.

640. ANAGNINA.

Fratres Minores de observantia reformati Conventus S. Iohannis Baptistae del Piglio Anagninae Dioecesis, contendunt de praecedentia cum Conventualibus S. Laurentii eiusdem loci, qui Conventuales allegant pro se *Breve Gregorii XIII.*, quo disponitur illos Regulares praecedere debere, qui sunt antiquiores in loco. At Minores Observantes praedicti respondent, S. hanc C. alias die 2. Martii 1613. decrevisse dictum *Breve Gregorii XIII.* habere locum extra Urbis districtum: in Urbis autem districtu circa praecedentiam Regularium observandum esse id, quod in Urbe servatur. Et S. C. respondit: « Si locus, de quo agitur est in Urbis districtu, servari debere praedictum huius S. C. decretum. » Die 20. Iunii 1626.

641. CAMERACEN.

Abbas Monasterii Bonae Spei, Ordinis Sancti Benedicti Dioecesis Cameracen., petiit indultum benedicendi ornamenta, in quibus non sacra unctio adhibetur, et reconciliandi Ecclesias, et Cappellas sanguinis, vel seminis effusione, aut alias quomodolibet pollutas aqua prius per ipsum benedicta, et S. C. mandavit transmitti per manus pro prima. Die 6. Iunii 1626.

Hinc sub altera Congregatione legitur sequens Decretum.

CAMERACEN. Abbas Bonae Spei Ordinis Sancti Benedicti Dioecesis Cameracen. petebat licentiam benedicendi Ornamenta, et Vasa Sacra, in quibus non adhibetur sacra unctio, et reconciliandi Ecclesias, sive Cappellas, aqua per ipsum benedicta. In quo, quia aqua benedicta reperitur duplex in proposito, quarum unam potest, alteram non potest Presbyter benedicere; in praecedenti Congregatione fuit dictum transmitti per manus. Hodie vero mandata per me clara, et indubitata distinctione, « quod si Ecclesia non erit consecrata, potest, et debet lavari per Presbyterum aqua exorcizata, quae in dies benedicitur a Presbyteris; si autem Ecclesia est consecrata, non potest reconciliari nisi per Episcopum, vel de commissione Papae, aqua per Episcopum benedicta, quae fit cum cinere, et vino per Episcopum tantum. »

Unde S. C. concessit « petita, aqua per Episcopum benedicta, et non aliter, si Ecclesia fuerit consecrata. » Die 20. Iunii 1626.

642. NUCERINA GUALDI.

Societas Presbyterorum Terrae Gualdi Nucerae Dioecesis inter alia constituit, Priorem di-

etae Societatis praecedere debere omnibus Presbyteris dictae Terrae, quam constitutionem propria auctoritate factam alias S. R. C. sub die 19. Decembris 1618. respondit, non afficere, neque praediacare iis, qui non sunt eiusdem Societatis. Modo, cum Prior, et Presbyteri eiusdem Societatis nolint admittere Vicarium Saecularem Abbatiae S. Benedicti, cuius Commendatarius est Episcopus Fulginaten., in primum locum scamni ipsius Societatis, seu Congregationis, cogendo eum parere sibi scamnum, in quo ipse Vicarius separatim sedeat: ideo praefatus Episcopus Commendatarius petiit provideri. Et S. Congregatio respondit: « si scamnum, de quo agitur, est proprium Societatis Presbyterorum, ut in libello supplicii narratur, non videri exorbitans repugnantia Presbyterorum, nolentium dictum Vicarium in eorum scamnum recipere, nec esse inconveniens, quod ipse sibi proprium locum, vel scamnum praeparet, vel provideat. » Die 20. Iunii 1626.

643. FOROSEMPRONIEN.

Cum in Ecclesia Cathedrali Forosempronien. adsit consuetudo non recitandi Matutinum B. Virginis, minusque Officium mortuorum, Psalmos Graduales, et Poenitentiales, quaesitum fuit: An dicta consuetudo subsistat et sit servanda. Et S. C. respondit, « Officium, et Psalmos praedictos esse recitandos, prout etiam alias dicta S. R. C. die 28. Ianuarii 1606. in una Suessana respondit; quoad Officium defunctorum, Psalmos Graduales, et Poenitentiales servandam esse constitutionem Pii V. super Breviario. » Die 20. Iunii 1626.

644. FIRMANA.

Fuit alia contentio Praecedentiae inter Clerum Saecularem Sanctae Victoriae Dioecesis Firmanae, et Monachos Cassinenses eiusdem Terrae, quae definita fuit per decretum huius Sac. C., cuius Decreti vigore fuerunt obtentae *litterae in forma Brevis a SS.*, pro quibus moderandis Monachi praedicti recurrerunt *ad Signaturam SS.*, supplicantes *pro aperitione oris*, et reductione dicti Brevis ad viam iuris, et commissione dictae Causae in Rota: et SS. nihil rescribendo, dedit paginam commissionis Illmo de Torres, mandando, quod si ei, aut S. C. videbitur, audiantur, parito tamen prius dicto *Brevi*. Qua relatione facta per Illmum Dominum Cardinalem, Sacra Congregatio utpote bene de hac Causa informata, *stetit in alias Decretis absque alia audientia*. Die 18. Iulii 1626: Decretum indicatum est diei 31. Martii 1618.

645. ULYSBONEN.

Proposui Dubium in Regno Portugalliae excitatum, videlicet: in quo habitu debeant incedere

Protonotarii in Processionibus? de quo in praecedenti Congregatione dictum fuit dari dubium pro prima: et S. C. respondit, « Protonotarios incedere debere cum Mantelletto, et Rochetto. » Die 13. Iulii 1626.

646. AUGUSTANA.

Proposui pariter Dubium petium ab Episcopo Augustano, de quo in superiori dictum fuit transmitti per manus, videlicet: utrum Abbas subiectus Ordinario possit dare licentiam alteri Abbati exempto, vel forensi, celebrandi Pontificaliter in sua Ecclesia, sine licentia Ordinarii? Et S. C., re mature discussa, respondit, *nihil*. Die 18. Iulii 1626.

647. PISAUREN.

Episcopus Pisaurum exposuit, Magistratum dictae Civitatis assistentem Missis, et Vesperis in Cathedrali incensum, pacem, candelas, palmas, et cineres recipere post Canonicos *iuxta formam Libri caeremonialis*, sed in Processionibus, et aliis, quae fiunt infra annum, dum in medio Ecclesiae alicuius, quam ingrediuntur, ponitur pro Episcopo genuflexorium, et hinc inde a lateribus duo scamna, dictum Magistratum praetendere locum digniorem, unde petiit declarari, utri dandus sit dignior hic locus? an Canonicis, an Magistratui? Et S. Congr. respondit, « servandum caeremoniale in omnibus. » Die 18. Iulii 1626.

648. CALAGURITANA.

Episcopus Calaguritanus in Synodo celebrata de anno 1620. decrevit, pacem non amplius dandam esse cum patena consecrata, ut fiebat, sed alia non consecrata ad hunc effectum destinata, neque per Diaconum, aut Subdiaconum, sed per alium Ministrum Cotta indutum. Item nulli laico, etiam Domino loci dandum incensum, neque *librum Missalis* ad osculandum *Textum Evangelii*, quod Decretum cum patiatur controversiam, supplicat idem Episcopus mandari sibi *Decretum Libri caeremonialis romani*, ut suum Decretum praedictum omni iuris remedio, et appellatione postposita exequatur, et S. C. respondit, et mandavit « servari Caeremoniale, quo vero ad praedictum Decretum, *nihil*. » Die 18. Iulii 1626.

649. PIENTINA.

Capitulum Pientinum supplicavit declarari: An Praepositus Ecclesiae Pientinae, dum tamquam prima Dignitas pro Pontifice celebrans, distribuit Candelas, Palmas, et Cineres, teneatur hoc facere capite detecto? et S. C. respondit, « capite detecto, et quod videatur, quid servetur in Basilica S. Petri, ubi repertum est, servari capite detecto, ut supra. » Die 18. Iulii 1626.

650. NICIEN.

Postulavit Episcopus Nicien. declarari *duo du-*

bia, in quibus Praepositus negat servare *Caeremoniale*. 1. An Praepositus, qui est prima Dignitas, teneatur Episcopo Pontificaliter Missam, seu Vesperas celebranti, antiphonam, et hymnum intonanti, et Orationes dicenti, librum supra caput sustinere *iuxta Caeremoniale lib. 1. cap. 7.*, et morem suorum Antecessorum probatum per fidem, et attestaciones?

2. An dictus Praepositus Episcopo Pontificaliter celebranti assistens, vel coram Episcopo celebrans teneatur publicare Indulgentias, prout dicitur in *Caeremoniali lib. 1. cap. 25*. S. C. mandavit « in utroque servari Caeremoniale. » Die 18. Iulii 1626.

651. CASERTANA.

Canonici Altaris maioris Ecclesiae Cathedralis Casertae narrantes, in Processione Rosarii, quae fit in qualibet prima Dominica Mensis, et Processione SS. Sacramenti, quae fit in qualibet Dominica tertia, Celebrantem, sumpto Pluviali, intonare hymnos, quibus explicitis, Idem Celebrans dicit orationem, prout et in quolibet Sabbato Quadragesimali in Processione, quae fit a Choro ad Altare Rosarii, intonari solet *Salve Regina* ab eodem Hebdomadario, qui dicitur est Orationem, qui pariter in *Completorio* solet intonare *Te Lucis etc.*, et in fine Officii Antiphonam *Beatae Mariae*, et dicere *Orationem*. Orta modo controversia inter dictos Canonicos Hebdomadarios, et Primicerium, qui praetendit ipse facere *dictas intonationes*, et celebranti reservare dumtaxat *Orationem*, supplicat praedicta desiniri. Et S. C. respondit, « Hebdomadarium paratum facere debere omnia sibi conventientia. » Die 22. Augusti 1626.

652. CASERTANA.

Idem Canonici Ecclesiae Casertanae Hebdomadarii conqueruntur de Dignitatibus, qui negant primam sedem Hebdomadario, quando facit Officium *contra Decretum Caeremonialis lib. 2. cap. 3. et 6.*, unde petunt decerni sibi primam sedem *iuxta formam Caeremonialis*, non obstante praesenti consuetudine. Et S. C. respondit, « Paratis tantum Hebdomadariis concedendam primam sedem. » Die 22. Augusti 1627.

653. TERRACINEN.

Magistratus Setiae Dioecesis Terracinensis narrantes se in associatione Episcopi, et Processionibus ire ante Episcopum, et simul cum Vicario supplicat sibi concedi, ut eat post, non ante Episcopum, nec cum Vicario. Et S. C. mandavit, « servari Caeremoniale. » Die 12. Septemb. 1626.

654. SYRACUSANA.

Cum Vicarius Ecclesiae Syracusanae praetenderet facere functiones Pontificales in absentia Epi-

scopi, quae *iuxta Caeremoniale* pertinent ad primam Dignitatem, S. C. scripsit Episcopo Syracusano, ut id prohiberet dicto Vicario; quod se fecisse Episcopus rescripsit: Vicario recursum petente sub praetextu consuetudinis immemorabilis, pro qua probanda supplicavit idem Vicarius mandari dicto Episcopo, ut de hoc, citato Archidiacono, sumat informationem, et transmittat. Et S. C. respondit, « exhibitis articulis committi Episcopo examen ad probandam immemorabilem, qua nondum probata, servetur Caeremoniale, et Decretum. » Die 12. Septembris 1626.

655. NUCERINA PAGANORUM.

Episcopus Nucerinus Paganorum prohibuerat Ecclesiis SS. Sacramenti Nuceriae superioris, et B. M. de Carmine inferioris Nuceriae Dioecesis (*retinere*) SS. Sacramentum, ex quo non erant Parochiales: et habito recurso, S. C. approbavit *Decretum Episcopi*, qui tamen Episcopus modo scripsit in favorem dictarum Ecclesiarum narrans, se ideo prohibuisse, ut Oeconomi dictae Ecclesiae recurrerent pro licentia ad S. C., prout recurrerunt. Et S. C. respondit, « nihil, quia ubique prohibitum est. » Die 12. Septembris 1626.

656. ROSSANEN.

Archidiacono Rossanen. impedito facere functiones Pontificales in absentia Episcopi, ab aliis Dignitatibus, quae praetendunt faciendas esse per turnum, S. C. respondit, *quod doceant de immemorabili*, qua non probata, dictus Archidiaconus est conquestus servari contrarium, ideo supplicavit mandari Archiepiscopo Rossanen. observantiam Decretorum huius Sac. C. Quae S. C. respondit, « scribi Episcopo pro observantia Caeremonialis, et Decretorum praedictorum, donec Immemorabilis non fuerit probata. » Die 12. Septembris 1626.

657. PAPIEN.

Cum in Civitate Papiensi, ultra Canonicos, et Cappellanos Ecclesiae Cathedralis, adsint etiam Canonici Ecclesiae S. Michaelis, ad evitandas contentiones supplicatum fuit declarari, quando in funeralibus, vel aliis functionibus conveniunt praedicti Cappellani Cathedralis, non simul cum Capitulo, neque sub eius Cruce, et praedicti Canonici S. Michaelis, utri eorum debeant praecedere? Et Sac. Congregatio respondit, « Canonicis praedictis praecedentiam deberi, nisi forte adesset immemorabilis in contrarium. » Die 12. Septembris 1626.

658. MIRANDULAE.

Retuli literas Vicarii Regien. respondentis ad literas S. C. super praecedentia Praepositi Mirandulani, qui tamquam Protonotarius vult cum Roc-

chetto incedere post Celebrantem, et eius Ministros, contra solitum aliorum Praepositorum. Et S. C. mandavit, « scribi dicto Praeposito, ut vadat ad locum ordinarium aliorum Praepositorum, et non post celebrantem. » Die 7. Novembris 1626.

659. IMOLEN.

Magister caeremoniarum Ecclesiae Imolen. postulavit declarari: An Diaconus accedens ad Altare vel solus, vel cum Celebrante, teneatur in accessu, et recessu osculari Altare? Et S. Cong. respondit, « servari Rubricas. » Die 21. Novembris 1626.

660. NUCERIAE PAGANORUM.

Rñus D. Trivultius Episcopus Nuceriae Paganorum postulavit declarari: An Rector Ecclesiae Parochialis, qui curam per Cappellanos exercet, teneatur Ordinarium cum Rocchetto, et Mozzetta ad illius Ecclesiam accedentem ad valvas Ecclesiae recipere cum superpelliceo, stola, et aspersorio? Et S. C. respondit, « teneri. » Die 21. Novembris 1626.

661. URBIS S. HIERONYMI ILLYRICORUM.

Archipresbyter Ecclesiae S. Hieronymi Illyricorum conquerebatur de duobus; 1., quod hebdomadarius supra eum praecedentiam praetendebat in Choro. 2., quod sibi denegabantur tres thurificationes consuetae: et referente Illmo D. Cardinali Peretto, cui haec causa a S. C. fuerat commissa, eadem S. C. censuit, et decrevit, « quoad 1.: Hebdomadarium sive cum Cotta, sive cum Pluviali debere semper praecedere ab ea parte, in qua adest titulus Chori, ipso Archipresbytero ex altera parte existente. Quo vero ad thurificationem, triplici ductu thurificari debere dictum Archipresbyterum iuxta solitum. » Die 21. Novembris 1626.

662. NICIEN.

Praepositus Nicien. instabat revocari Decretum a S. C. novissime factum de, et super eo, quod dictus Praepositus iuxta *Caeremoniale* deberet tenere supra caput Librum, assistendo Episcopo solemniter celebranti, et S. C. « stetit in Decretis. » Die 21. Novembris 1626.

663. TARRACONAE.

Magister caeremoniarum Ecclesiae Tarraconen. petiit declarari: An illa interrogatio, de qua in Pontificali, posita in consecrationibus, videlicet: *Scitis eum esse dignum*, sit omittenda, quandoquidem in Romana Curia omittitur in Consecrationibus Episcoporum? Et S. C. respondit, « servandum esse Pontificale, » et ita fieri mandavit die 21. Novembris 1626.

664.

OSTUNEN.

Archidiaconus Ostunen. conquestus est de Vicario illius Ecclesiae, quod cum cotta vult ipsum praecedere tamquam Vicarius, et nihilominus participare de distributionibus, quod videtur contra alias ab hac S. C. decreta: et S. C. respondit, « dictum Vicarium hoc facere non posse, nec debere. » Die 21. Novembris 1626.

665.

URBIS.

Cum Anno sequenti feria quatuor Temporum Septembris incidat in 15. diem illius Mensis, et sic in Octavam Nativitatis Beatae Virginis, quaesitum fuit a P. Gavanto, utrum Praefatio dici debeat in Missa Conventuali de Feria; an scilicet ferialis, an vero B. Mariae? Et Sac. Cong. respondit, « dicendam Praefationem ferialem in dicta Missa de Feria Conventuali. » Die 12. Decembris 1626.

666.

NICIEN.

Episcopus Nicien. respondit S. C., se non postposuisse Minores de Observantia Reformatos, Capuccinis ex eo, quod iudicaverit dictos Reformatos esse novos Religiosos, sed quia dicti Reformati nuperrime venerint ad habitandum in Civitate Nicien. sequendo constitutionem Gregorii XIII., quae tamen loquitur de erigentibus novam domum, vel monasterium, quod non est in casu isto, in quo dicti Reformati iverunt ad habitandum in Monasterio antiquo S. Francisci, in quo soliti sunt habitare, et manere Observantes dictae Regulae. Unde cum monasterium sit antiquum, et eiusdem Regulae, S. C. censuit, « dictos Reformatos non esse sua praecedentia privandos, prout dicto Episcopo de ordine S. C. scriptum est. » Die 12. Decembris 1626.

667.

ISERNIAE.

Primicerius Iserniae, qui dicit se Protonotarium, petiit licentiam deferendi Rocchettum sub habitu canonicali, et participandi. Et S. Congr. respondit, « eum ad libitum deferre Rocchettum, sed tamen nullatenus debere participare. » Die 12. Decembris 1626.

668.

LUCANA.

Religiosi Matris Dei Lucanae Civitatis exponentes, se iuxta eorum privilegia, et ordinationes non ire ad Processiones, neque ad mortuos, sed unum ex eis habentem Ecclesiam curatam, et parochialem associare suos mortuos cum Stola, Cotta, Cruce, et nonnullis Presbyteris saecularibus, cui, cum praedictis Presbyteris volunt Canonici Regulares, Monachi, et alii Religiosi praecedere; unde supplicarunt servari id, quod fit in Urbe. Et S. C. respondit, « dictum Parochum cum Cotta,

Stola, Cruce Parochiali, et Presbyteris saecularibus eundem praecedere debere. » Die 12. Decembris 1626.

669. ABUSUS DUO REFORMANDI.

Propositi sunt SS., et ad hanc S. C. remissi abusus duo in Terris Italiae introducti, qui egent reformatione.

Primus est celebrandi Festum novem Lectorum sola Episcopi auctoritate pro omni Sancto habente Ecclesiam, vel Corpus in loco; unde fit, ut pauci dies feriarum remaneant, et omittatur Officium parvum Beatae Mariae. Ad quod S. C. respondit: « talia Festa celebranda esse dumtaxat in Ecclesia titulari, vel in qua adest insignis Reliquia illius Sancti, et declaretur quae dicatur insignis, et de hoc fiat Decretum de mandato SS., et mittatur per manus. » Alter abusus est, quod omittitur Missa de Feria Conventuali in Cathedralibus, et Collegiatis, quae est omnino dicenda ultra Missam Festi. Ad quod Sac. C. respondit: « nullo pacto esse omittendam dictam Missam Conventualem. » Die 16. Ianuarii 1627.

670.

IANUEN.

Massarii, et Procuratores Ecclesiae Collegiatae S. Mariae Vinearum Genuae, conquesti sunt pari modo de praedicto abusu omittendi Missam Conventualem occasione Missae votivae, vel de mortuis etc., et S. C. pariter respondit, ut supra, « Missam Conventualem omittendam non esse. » Die 16. Ianuarii 1627.

671.

PAPIEN.

Canonici Collegiatae Ecclesiae S. Ioannis Maioris in Burgo Papiae supplicaverunt responderi quatuor Dubiis ibi subortis, et

1. An possit omitti Missa Conventualis ob Anniversarium aliquod, vel diem obitus? et ad hoc S. C. respondit, *negative*.

2. An Canonicus canens Missam Conventualem teneatur applicare Sacrificium pro Benefactoribus Capituli, vel possit accipere stipendium alteri Sacrificio applicando? et hoc S. C. remisit ad Congregationem Concilii.

3. An consuetudo possit introduci in contrarium, nempe non canendi dictam Missam? et S. C. respondit, *negative*.

4. An una de dictis Missis Conventualibus possit dici privatim, et an saltem debeant adstare Canonici? ad quod S. C. respondit, *expectandum Decretum desuper faciendum*. Die 6. Ianuarii 1627.

672.

IANUEN.

Retuli exhibitum esse Ordinarium Officii Ecclesiae Ianuensis, in quo reperitur impressa admonitio, quod Missa Votiva B. V. deberet *cum*

Gloria quolibet die, etiam extra diem Sabbati, ex Decreto S. C., quod est falsum. Ideo S. Cong. mandavit hoc « significari Rmo D. Archiepiscopo Iannensi, sicut factum est Illmo D. Archiepiscopo Neapolitano. » Die 6. Februarii 1627.

673.

NICIEN.

Orta alias controversia inter Episcopum Nicien., et Capitulum super incesso ad Ecclesiam; S. C. mandavit *servari Caeremoniale proutraque parte*. Modo nolentibus Sindacis anteire Episcopum in incesso iuxta ritum praescriptum in caeremoniali, Episcopus supplicavit mandari eisdem Sindacis, ut si nolint observare *praescriptum Caeremonialis*, abstineant ab eundo; et S. C. respondit, « *servari omnino Caeremoniale, et quod Episcopus opportunis remediis provideat, ut observetur.* » Die 20. Februarii 1627.

674.

BELLUNEN.

Lecta fuit Epistola Episcopi Bellunen. ad S. C. scripta supra sepultura Episcopi Sollini, in qua quaerit: An debeat concedere licentiam construendi dictam sepulturam in medio Chori, ut petitum fuit? et S. C. respondit: « *posse concedi, dummodo sepulchrum non emineat supra Chori planitiem, neque imineat Altari constructo, vel construendo in Confessione.* » Die 20. Februarii 1627.

675.

DUBIUM DE COADIUTORE.

Quaesitum fuit in genere: An Coadiutor Canonici iusta de causa immunis, et exempti a Choro teneatur interesse, ut Canonici lucretur distributiones? Et Sac. C. *sine difficultate*, respondit, *teneri*. Die 20. Februarii 1627.

676.

SAVONEN.

Cum expositum esset pro parte Capituli Savonen. in Processionibus in ea Civitate fieri consuetis cum Imagine quadam, seu Statua B. Virginis, solitum esse Episcopum incedere in medio duarum Dignitatum, et immediate post Capitulum deferri dictam Imaginem; et quod modernus Episcopus vult incedere solus post Capitulum cum Cappa, et Pileo, et post se admittere suam familiam, Vicarium, et Presbyteros a se convocatos, et demum deferri Imaginem praedictam: S. C. scripsit: « *dictas novitates videri sibi exorbitantes.* » Ad quod cum modo Episcopus rescripserit S. C. pro sui defensione, Sac. C. mandavit: « *ipsum Episcopum, si vult hoc modo incedere, debere omnino ire post Imaginem B. V., non autem ante, ita ut dicta Imago omnino proxima sit Capitulo sine intermedio.* » Die 20. Februarii 1627.

677.

PANORMI.

Lectis literis Fratris Hieronymi Messanen. Theologi, et Magistri Novitiorum Ordinis S. Francisci

de Paula, quibus supplicabat responderi sibi ad infrascripta Dubia:

1. An Religiosus teneatur obedire Sacristae praecipiente Missam pro defunctis in festo duplici, praesertim maiori, per annum?

2. An teneatur obedire eidem Sacristae praecipiente cantari Missam Votivam sine necessitate in Festo duplici maiori per annum?

3. An teneatur obedire praecipiente in Festo duplici secundae classis, vel in Dominica plures collectas, quam solemnitas Festi requirat, maxime absque necessitate? Ad quae tria S. C. respondit: « *servari Rubricas.* »

4. Quaesivit, an signum cum Patena faciendum a Sacerdote a fronte ad pectus, dum dicit Orationem *Libera nos quaesumus Domine etc.* debeat esse Crucis integrae? Ad quod S. C. respondit: « *intelligendum esse integrum signum Crucis.* »

Postremo petit: An sit post dictum signum Crucis deosculanda Patena? et S. C. respondit: « *esse deosculandam.* » Die 13. Martii 1627.

678.

SAVONEN.

Cum Praedecessor Episcopi Savonensis decreverit, ut Episcopo celebranti assisteret cum Pluviali Praepositus, qui est prima Dignitas, et Evangelium caneret Archidiaconus, qui est secunda Dignitas, Epistolam vero caneret Cantor, qui est quarta Dignitas, quaesitum fuit: An Archidiaconus praedictus, qui in canendis Missis per annum, semper in sua hebdomada canit ante Archipresbyterum, qui est tertia Dignitas, debeat etiam canere alias Missas solennes in absentia Episcopi, et Praepositi, vel potius illas canere debeat Archipresbyter praedictus?

Item: An si Praepositus praedictus absens, vel impeditus non assistat Episcopo solemniter celebranti, id munus assistendi pertineat ad Archidiaconum secundam Dignitatem, vel potius ipse Archidiaconus teneatur canere Evangelium? et S. C. respondit: « *servari Caeremoniale.* » Die 13. Martii 1627.

679.

REATINA.

In Ecclesia Cathedrali Reatina aderant duo Coadiutores Canonorum, quorum secundus post mortem Coadiuti successit, et adeptus est possessionem Canonieatus, cui tamen primus Coadiutor tamquam antiquior vult praecedere; quaesitum fuit, cui praecedentia debeatur? Et Sac. Congr. respondit: « *dictum secundum Coadiutorem, qui adeptus est possessionem Canonieatus per mortem Coadiuti, praecedere debere.* » Die 13. Martii 1627.

680.

CASTELLANETAE.

Vicarius Episcopi Castellanaetae habebat certam

sedem supra Archidiaconum, et alios de Capitulo, quam sedem Episcopus, ut narratur, destrui fecit: unde Vicarius occupat sedem Archidiaconi, qui propterea supplicavit reponi dictam sedem Vicarii in pristinum, et ipsum non deturbari de loco suo solito. Et S. C. respondit: « vel reponendam sedem, vel Vicarium sedere debere in primo loco. » Die 13. Martii 1627.

681. GERMANIAE.

Praeceptores Hospitalis S. Antonii Germaniae supplicaverunt sibi sub infrascripto dubio responderi, videlicet: si Canonicus Regularis Professus unius domus S. Antonii, vel ob recursum ad Superiorem, vel ob aliam legitimam causam Superioris arbitrio discesserit, retento semper habitu regulari, et adiverit aliam domum eiusdem Ordinis, an postea reversus ad suae Professionis domum, habeat tamquam antianus locum stali suae primaevae receptionis, etiam ante eos, qui post ipsum, vel ante, vel post ipsius discessum Professionem emisierint? Et S. C. respondit: « habere eundem locum. » Die 27. Martii 1627.

682. SUTRINA.

Parochus Sutrinus supplicavit declarari: An in concursu Cathedralis possit erigere Crucem, associando defunctum suae Parochiae in alia Parochia sepeliendum? et S. C. respondit « unam tantum Crucem erigendam esse iuxta alias decreta. » Die 24. Aprilis 1627.

683. CALLIEN.

Expositum fuit, Canonicos Ecclesiae Callien. tam tempore praesentis Episcopi, quam duorum antecessorum, solitos esse Episcopum ad concionem audiendam venturum a propriis aedibus exceptum ad Ecclesiam, indeque redeuntem similiter usque ad aedes comitari, quod cum modo id facere detrectent, supplicatum est nomine Ecclesiae continuari in tali observantia. S. R. C. « mandavit servari solitum. » Die 24. Aprilis 1627.

684. GALLIAE.

Fratres quidam Reformati, et Recollecti Galliae supplicarunt responderi: An obtento Altari Privilegiato pro certis diebus, possit in illis pro defunctis celebrari, non obstante, quod sit festum duplex de praeepto, vel de Dominica: et S. C. respondit, « non posse. » Die 24. Aprilis 1627.

685. TUDERTINA.

Parochi Civitatis Tudertinae quaesierunt: An Parochus, qui aspergit Parochianum defunctum, et eum associando usque ad Parochiam, in qua deponitur, praecedat aliis, teneatur dictam praecedentiam cedere, quando cadaver deponitur in Ecclesia neque Regulari, neque Parochiali, sed

habente tantum Cappellanos? et S. C. mandavit, « scribi Episcopo, quod faciat solitum observari. » Die 24. Aprilis 1627.

686. CASTRI MARIS.

Orta controversia inter Archidiaconum Ecclesiae Castri Maris tamquam primam Dignitatem post Episcopalem, et modernum Vicarium Capitularem, supplicatum fuit declarari, ad quem praedictorum munus exercendi Pontificalia spectet. Et S. C. respondit, « ad primam Dignitatem spectare. » Die 20. Maii 1627.

687. BRUNDUSINA DUBIORUM.

Capitulum Brundusinum petierat responderi ad quinque Dubia, quae fuerunt transmissa ad Dominum Paulum Allaleonum,

1. Videlicet: An in die Corporis Christi Sacramentum Eucharistiae sit deferendum a Celebrante, an vero a Dignitatibus tam in dicta die, quam in Octava, in qua SS. Sacramentum Vespere defertur?

2. An Celebrantes Missam solemniter debeant sedere in eorum proprio stallo, an vero in loco pro celebrantibus parato?

3. An absente Archiepiscopo Benedictiones Candelarum, Cinerum, Palmarum, Fontis Baptismalis sint faciendae a Celebrante Missam, an a Dignitate?

4. An nolentes Dignitates celebrare Missas Pontificales, absente Archiepiscopo, sub praetextu impedimenti, possint tamen assistere in suo stallo in Choro?

5. Cum Archiepiscopus benedicit Cineres, solet Celebrans, vel unus ex dignioribus Canonicis imponere Cineres Archiepiscopo, quaeritur: An idem servari debeat in die Candelarum, et Palmarum?

Et iuxta relationem D. Allaleonis fuit responsum, ut infra.

Ad 1. « In die festo Corporis Christi Sacramentum Eucharistiae deferatur a Celebrante. In Vesperis autem Octavae deferatur ab eo, qui facit Officium Vesperarum, modo sit Dignitas, aut Canonicus ex cap. 33. De Festo, et Processione SS. Corporis Christi in Caeremoniali Episcoporum. » Ad 2. « quod Celebrantes Missam solemniter sedeant in loco parato pro Celebrantibus a latere Epistolae. » Ad 3. « quod absente Archiepiscopo benedictiones Candelarum, Cinerum, Palmarum, et Fontis fiant per Celebrantem ex cap. 17. de Festo Purificationis, et ex cap. 19. de Fer. 4. Cinerum Episcopo absente, et ex cap. 28. de Sabato Sancto in dicto Caeremoniali. » Ad 4. « Dignitates nolentes celebrare Missas Pontificales,

absente Archiepiscopo, iusta causa impeditae, possunt assistere in suo stallo in Choro. » Ad 5. « Servetur Caeremoniale in cap. 16. de Festo Purificationis, et in cap. 21. de Dominica Palmarum. » Die 12. Iunii 1627.

688. CARCAS REGNI PERÛ.

Capitulum Ecclesiae de Plata Provinciae de los Carcas Regni Perù supplicat eximi ab obligatione associandi Episcopum, quando hora consueta, et pulsata campana inchoatum fuerit Officium: et Sac. C. mandavit, « servari Decreta alias facta, nempe quod condita hora cum Episcopo, eique intimata, ut si velit, possit accedere, et dato signo, si Episcopus inchoatis horis advenerit ad Divina Officia, non tenentur omnes Canonici illi obviam procedere, sed quatuor tantum, aut quinque de Capitulo, ita ut maior pars Capituli, vel Canoniorum remaneat in Choro ad horas proseguendas, ut alias dictum fuit in Toletana 4. Iunii 1615. » Die 12. Iunii 1627.

689. NOVARIEN.

Curati Cathedralis Ecclesiae Novarien. conquerebant Societatem Montis Pietatis velle cum Cruce, Cotta, et Stola ingredi eorum Parochiam ad deferenda cadavera eorum, qui sunt in dicta Societate descripti, contra stylum universalem, ideo supplicarunt prohiberi. Et S. C. « prohibuit, nisi de consensu Parochi. » Die 12. Iunii 1627.

690. CASSANEN.

Canonici, et Capitulum Ecclesiae Cassanen. petierunt declarari locum, qui debeatur Coadiutori in Cantoria, quae est Dignitas, Coadiuto absente, et an ei liceat uti Insignibus Coadiuti adhuc viventis? et S. C. respondit: « Si est Coadiutor Dignitatis, deberi sibi eundem locum Coadiuto absente, eisdemque Insignibus uti posse, quibus utitur Coadiutus. » Die 12. Iunii 1627.

691. SAVONEN.

Episcopus Savonensis exponens nonnullos Regulares sine eius licentia, imo ipso contradicente, ex levi causa publice exponere SS. Sacramentum; item nolle ad faciendas Solemnnes Processiones congregari in Cathedrali, unde suboritur confusio, et incommodum; supplicat provideri arbitrio Sac. Cong. Quae « ad 1. respondit nihil: ad 2. dixit spectare ad Episcopum. »

Idem Episcopus Savonen., cui iam S. Cong. rescripserat eum volentem in Processionibus ire solum cum Cappa, debere incedere post Imaginem, quae defertur in Processione, petiit definiri locum dandum in ipsis Processionibus Vicario ipsius, et aliis in Dignitate Ecclesiastica constitutis. Et S. C. respondit: « Vicarium cum Capitulo

incedere debere; alios vero in Dignitate constitutos, si in habitu incedunt, post Episcopum. » Die 12. Iunii 1627.

692. CATAECEN.

Decanus Ecclesiae Cathedralis Cataecen. petiit declarari: An celebrationes Missarum, et aliae functiones Episcopales, et gestatio SS. Corporis Christi, absente, vel impedito Episcopo, spectent ad ipsum uti primam Dignitatem, vel etiam ad alias Dignitates; et an successive, vel alternative? Et S. C. respondit, « servanda Decreta super hoc alias facta, et emanata. » Die 3. Iulii 1627.

693. CAPUTAQUEN.

Archipresbyter, Cantor, et Presbyteri Sancti Matthaei Terrae Siciliani Caputaquen. Dioecesis petunt responderi: An Primicerius, Cantor, et Canonici Ecclesiae S. Margaritae erectae ab Episcopo in Collegiatam absque confirmatione Sedis Apostolicae, possint frui praerogativis Ecclesiae Collegiatae? Et S. C., posito quod non habeant confirmationem Apostolicam, respondit, « non posse. » Die 3. Iulii 1627.

694. SUTRINA.

In Processionibus SS. Sacramenti, quae fiunt in Civitate Sutrina, unus vel duo ex Confratribus Societatis, quae ut laicorum anteit Clerum tam Saecularem, quam Regularem, incedunt post Clerum immediate ante SS. Sacramentum cum campanulis; ideo Capitulum, et Canonici Ecclesiae Cathedralis quaesierunt a S. R. C.: An id permitti debeat, prout hactenus est toleratum? et S. R. C. respondit, « non permittendum. » Die 17. Iulii 1627.

695. MELFITANA.

Expositum fuit S. Cong., Vicarium Ecclesiae Melfitanae velle, absente, vel impedito Episcopo, facere functiones Episcopales, et deferre processionaliter SS. Sacramentum, Archipresbytero repugnante, nec non Archidiacono, qui hoc ad ipsum tamquam primam Dignitatem spectare asserit. Item dictum Vicarium, qui non est de Capitulo, velle tamen ultimo loco cum Cotta praecedere, et manere in Choro inter Canonicos; et Canonico, vel Dignitate celebrante, velle sibi librum Evangelii deoseulandum. Et S. C. respondit, « Vicario nihil praefatorum licere, et respectu Archipresbyteri, praedictas functiones spectare ad digniorem. » Die 17. Iulii 1627.

696. CASTRI DURANTIS.

Andreas Lazzarus Praepositus Castri Durantis quaesivit: An Vicarii etiam Protonotarii possint benedicere paramenta Ecclesiastica, Corporalia, et similia? Et Sac. Congregatio respondit, « non

posse etiamsi sint Protonotarii. » Die 17. Iulii 1627.

697. **NICIEN.**

Episcopus Nicien. quaesivit: An in feriis Quadragesimae possit adstringere Canonicos, ut a Cappellanis canere faciant Missam Conventualem Feriae cum Diacono, et Subdiacono? Item: an in Completorio ferre debeat Canonicos in Choro non in habitu Canonicali, sed cum pallio, et pileo manentes? Et S. Congregatio respondit « ad 1. posse adstringi, ad 2. non ferendos. » Die 17. Iulii 1627.

698. **TAURINI.**

Archiepiscopus Taurini supplicavit mandari Canonicis, ut debeant ipsum Archiepiscopum associare quotiescumque Ecclesiam adit causa divinatorum Officiorum, etiam quod non pontificaliter, sed cappa indutus sit. Et Sac. R. C., referente Illmo D. Card. Muto, respondit: « Archiepiscopum praedictum quotiescumque, vel ut Divinis assistat, vel pontificaliter celebret, vel conciones audiat, vel alia de causa ad Ecclesiam cum Cappa accedit, a Dignitatibus, et Canonicis Capituli in habitu Canonicali de domo, vel loco ad id destinato educendum, associandum, similique modo postea reducendum esse, prout alias eadem S. C. in una Tarvisina » respondit, et decrevit die 19. Ianuarii 1619., « et in alia Terracinen. » die 20. Augusti 1622. Et ita etiam in Civitate Taurini servari mandavit die 17. Iulii 1627.

699. **CASTRI DURANTIS.**

Petitum fuerat: An Vicarii in Missis privatis possint uti quatuor candelis, et duobus Ministris cum cotta, etiam quod sint Protonotarii? Et Sac. Congregatio respondit: « non convenire. » Die 7. Augusti 1627.

700. **URBIS DUBIORUM.**

Tria Dubia proposita fuerunt.

1. An disposita in tertia Parte Pontificalis tit. de ordine recipiendi processionaliter Praelatum, seu Legatum, videlicet de porrigendo ipsi Praelato processionaliter ingredienti aspersorium a maiori Dignitate detecto capite etc. habeant locum in Canonico digniori Cathedralis processionaliter Ecclesiam ingredienti, ut puta in litanis? Et S. C. respondit: « non habere locum. »

2. Quaesitum: An absente Praelato, vel Legato teneatur dignior illius Ecclesiae, quam, ut supra, ingrediuntur, recipere cum suo Clero ad ingressum dictos Canonicos Ecclesiae Cathedralis processionaliter ingredientes cum Cruce, illosque aspergendo? et S. C. respondit, « descendendum ad particularia. »

3. Quaesitum: An ingresso Praelato, seu Legato cum Clero, et Canonicis Cathedralis aliquam Ecclesiam praeter Cathedralis; vel Clero, et Canonicis sine Praelato, vel Legato, competat digniori illius Ecclesiae cum suo Clero canere Versus, Responsoria, Antiphonam, et Orationes proprias illius Processionis? Et S. C. respondit: « ut ad proximum. » Die 5. Augusti 1627.

701. **AQUILEIAE.**

Capitulum Ecclesiae Aquileiae supplicavit circa Suffraganeum definiri Dubia quatuor.

1. Quis locus debeatur Suffraganeo Aquileiae tam in Ecclesia Aquileiae, quam alibi in Dioecesi, ubi interveniant Patriarcha, et Canonici Aquileiae? Et Sac. C. respondit: « servandum Decretum ab eadem factum pro Civitate Ravennae. »

2. An Suffraganeus celebrans in Ecclesia Aquileiae debeat ultra Diaconum, et Subdiaconum Canonicos, habere alium Canonicum pro Assistente? et S. C. respondit, « debere. »

3. An in ingressu Ecclesiae debeat Suffraganeo occurri, et a quibus? Et Sac. C. respondit: « sufficere aliquos ex Canonicis illum ad portam Ecclesiae recipere, quorum dignior Aspersorium porrigat. »

4. An Suffraganeus celebrans debeat ad Altare, absente Patriarcha, Orationem facere in faldistorio, vel ad gradus Altaris? et S. C. respondit: « lectum. » Die 7. Augusti 1627.

702. **SYRACUSANA.**

Praetendente Vicario Capitulari Ecclesiae Syracusanae facere functiones Episcopales, et Decretum alias scriptum, quod non ad Vicarium, sed ad primam Dignitatem pertineant, ipsum Vicarium Capitularem non afficere; instante super hoc Archidiacono dictae Ecclesiae Syracusanae: S. R. C. respondit, et declaravit: « Decretum alias factum supra praedictis functionibus contra Vicarium Ordinarii, comprehendere, et afficere etiam Vicarium Capitularem, et dictas functiones spectare ad primam Dignitatem. » Die 7. Augusti 1627.

703. **AQUILEIAE.**

Quaesitum fuit, quis locus deberetur Suffraganeo Ecclesiae Aquileiensi praesente Patriarcha? et responsum fuit: « servandum esse Decretum factum pro Civitate Ravennae, in quo repertum fuit, nihil definiri de loco; unde S. C. respondit: placere sibi dispositionem Paridis de Crassis in suo Caeremoniali Lib. 1. cap. 37. » Die 7. Augusti 1627.

704. **ALBANEN.**

Canonici, et Capitulum Albanense, exponendo Regulares nolle convenire, neque congregari in

Ecclesia Cathedrali cum Capitulo, ad effectum efferendi mortuos, sed expectare in via, vel ad domum defuncti, petierunt provideri; et S. Cong. mandavit: «servari Rituale.» Die 7. Augusti 1627.

705.

ULYSBONEN.

Thesaurarius, et Magister caeremoniarum Cappellae Regiae in Ulysibona supplicaverunt declarari: An Archiepiscopus ante Pallii receptionem possit in sua Ecclesia exercere Pontificalia? Et S. C. respondit: «expectandum Pallium.» Die 7. Augusti 1627.

706.

TULLEN.

Nomine Episcopi Sithien. Suffraganei, et Administratoris in spiritualibus Ecclesiae Tullen. petatum fuit a S. C. declarari

1. Quem locum in Ecclesia Tullen. debeat obtinere?

2. An in eius praesentia Decanus Ecclesiae absolutionem generalem facere, et benedictionem Sacerdoti praedicare volenti, dare possit?

3. An eidem dari debeat incensum a Diacono, vel aliis ministrantibus, antequam detur Gubernatori Civitatis?

Et S. R. C. «ad primum, *respondit*, placere opinionem Paridis Crassi de Caeremoniali Cardinalium et Episcoporum in suis Dioecibus lib. 1. cap. 37. Ad 2. Non ad Decanum, sed ad ipsum Suffraganeum Administratorem praesentem pertinere absolutionem generalem facere, et benedictionem Concionatori impertiri. Ad 3. Eidem deberi honorem thuris per manus Diaconi, vel alterius ministrantis, ante Gubernatorem Civitatis, et alios quoscumque.» Die 7. Augusti 1627.

707.

URBIS DUBIORUM.

Fuit instanter postulatum a S. C. responderi Dubiis infrascriptis.

1. Stante differentia inter Rubricas Missalis Romae in Bibliotheca Vaticana de anno 1609. impressi, et alterius in Bibliotheca Cameralli impressi anno 1621., in quorum primo dicitur, quod Sacerdos in fine Missae ad quodcumque Altare celebratae infra gradus aperto adhuc capite, reverentiam faciat Altari etc.; in secundo vero dicitur, quod celebrans ad Altare, ubi non est SS. Sacramentum, capite cooperto, reverentiam faciat in fine Missae; ubinam standum sit primo, vel secundo? Et S. C. respondit: «standum, et servandum prout in primo praedicto, videlicet Vaticano.»

2. An occurrente infra Octavam Ascensionis Domini Festo SS. Philippi, et Iacobi, seu Inventionis Sanctae Crucis, quae habent propriam Praefationem, et non admittunt commemorationem praedictae Octavae, sit dicendum in Missa *Com-*

municantes de Ascensione? et Sac. C. censuit: «esse dicendum.»

3. An in diebus, quibus prohibetur fieri de festo duplici, possint dici Missae Motivae, vel defunctorum, quae in duplicibus non dicuntur? et S. C. censuit: «Motivas non posse dici iuxta Rubricas: de reliquis iterum proponendum.»

4. An Oratio *Deus refugium nostrum etc.* quando SS. eam pro re gravi dicendam iubet, dicenda sit etiam in festis primae classis? et Sac. Congr. censuit, «non esse dicendam.»

5. An in Feria sexta in Parasceve Particula immittenda sit in Calice cum tribus signis Crucis consuets? et Sac. Congregatio censuit: «esse immittendam sine praedictis Crucis signis.» Die 7. Augusti 1627.

708.

URBIS.

Conquerentibus Canonicis, et Capitulo Basilicae S. Mariae Maioris de Urbe, quod in deferendis ad eorum Ecclesiam defunctis, Parochi dictorum defunctorum praetendunt praecedere his, qui a dicta Basilica, vel Capitulo ad defunctum cum stola recipiendum, et deducendum transmittuntur, et S. R. C., referente Illmo D. Card. Millino, cui causa erat commissa, decrevit: «dictos Ministros Patriarchalium Ecclesiarum cum Stola praeferrari, et praecedere proprio Parocho debere.» Die 25. Septembris 1627.

709.

URBIS.

Calendarium, sive ordinem perpetuum recitandi Divinum Officium compositum per Fratrem Antonium Tumbam Fanensem Minorem Observantem S. Francisci, S. R. C., referente Illmo D. Cardinali Millino, approbavit, quatuor exceptis, videlicet Festo Sanctae Birgittae, Stigmatum S. Francisci, Angeli Custodis, et Litanis Maioribus, ac Processione, de quibus mandavit «in casu, quo Festum Paschatis Resurrectionis Domini nostri occurrat in die S. Marci, Litanias, et Processionem fieri debere in ultimo die festo Paschatis, *videlicet* in Feria tertia proxime sequenti, et ita adnotari in praedicto Ordine Officii.» Die 25. Septembris 1627.

710.

HISPALEN.

Conquerentibus Abbate Maiore, et Universitate Parochorum Civitatis, et Dioecesis Hispalen. Regulares miscere se velle cum Clero Saeculari in Processionibus, et aliis actibus publicis; S. Cong. censuit: «id ferendum non esse, neque Clerum Regularem cum Clero Saeculari miscendum,» prout, et alias declaravit in una *Firmana* die 31. Martii 1618., et rursus in una *Neapolitana* 7. Iulii 1612. Die 25. Septembris 1627.

711. SPOLETANA SANCTAE MARIAE
DE BEVANIA.

Prior S. Mariae Laurentiae de Bevania Spoletanae Dioecesis narrans se in Processionibus habuisse praecedentiam post Rectorem Sancti Angeli eiusdem Terrae ante omnes alios Rectores Parochialium, quae Ecclesia S. Angeli cum modo sit erecta in Collegiatam, et in ea adsint Canonici et Praebendati, supplicavit assignari sibi locum in Processionibus: et S. C. respondit: « incedere debere post Canonicos, et Praebendatos. »

Item petiit assignari locum dictae Collegiatae, quando ab ipso in sua Parochia vocatur ad funera: et Sac. R. C. respondit: « praecedentiam dandam dictae Collegiatae, sed Officium facere spectare ad proprium Parochum. » Die 20. Novembris 1627.

712. CASTELLANETAE.

Iulius Rentius Archidiaconus Castellanae supplicavit approbati Decretum alias factum in Congregatione super Episcopos, videlicet, Vicarium Episcopi non debere sedere in stallo Archidiaconi, sed in alio loco digniori, non obstante quovis praetextu: et S. C. respondit: « Si non adsit alius locus pro Vicario, Vicarium sedere debere in primo stallo, quia non per hoc dicitur occupare stallum Archidiaconi, ut alias saepe declaratum fuit. » Die 20. Novembris 1627.

713. ITRI.

Fratres Conventuales S. Francisci Dioecesis Itri conquerentes de Presbyteris, qui volunt primum locum, et facere functiones circa cadavera in Ecclesiis ipsorum Fratrum, supplicaverunt provideri. Et S. C. mandavit, « servari Decreta alias facta, nempe praecedentiam, et Officium facere circa cadavera in propriis Ecclesiis Regularium ad ipsos Regulares competere, et spectare. » Die 20. Novembris 1627.

714. MONTIS REGALIS.

Prior, et Confratres S. Sebastiani Terrae Cursi Civitatis nuncupatae, Montis Regalis Dioecesis, asserentes se solitos esse exponere in eorum Oratorio SS. Sacramentum occasione quadraginta horarum, petierunt licentiam illud retinendi in diem sequentem assumendum a Sacerdote in crastinum celebraturo. Item retinendi Particulas, si quae supersunt in communione Confratrum, non obstante contradictione Parochi, qui illas vult asportare in suam Parochiam; nec non construendi sepulturam peculiarem in d. eorum Oratorio pro Confratribus; et demum inhiberi Confraternitati Angeli Custodis, ne faciat Processionem eodem die, quo facit Confraternitas S. Sebastiani. Et

S. C. « quoad retentionem SS. Sacramenti usque in diem sequentem concessit, quoad vero prohibitionem Confraternitati Angeli Custodis, ne Processionem faciat eodem die, Episcopus provideat. » Die 20. Novembris 1627.

715. TERRACINEN.

Cum alias sub die 20. Augusti 1622. S. R. Congr. declarasset Capitulum, et Canonicos Terrae Setiae teneri Episcopum in suo cubiculo propriae domus excipere, et associare venientem cum cappa ad Ecclesiam diebus solemnibus, etiam quod domus Episcopi distaret ab Ecclesia per centum sexaginta passus; praetendebant Canonici non teneri, nisi in illis diebus solemnibus expressis in *Caeremoniali Episcoporum Lib. 2. cap. 1., et 34.*, super quo consuluerunt S. R. Cong., quae, non recedendo a Decretis in hac causa factis, et ad tollendum omne dubium, quod posset oriri, censuit, et ordinavit: « Canonicos praedictos Terrae Setiae non solum in illis diebus enumeratis supra in Caeremoniali, sed etiam semper, et quandoque teneri in habitu canonicali excipere, et associare Episcopum venientem ad Ecclesiam ad solemniter celebrandum, seu Pontificalia exercendum, seu Divinis assistendum, sive ad Conciones audiendum, seu alia quacumque de causa, eumque pari modo abeuntem reducere, dummodo cappa indutus sit. » Et ita a Canonicis in Terra Setiae servari mandavit die 20. Novembris 1627.

716. INTERAMNEN.

Vicarius Generalis Civitatis Interamnae literis ad Sac. Cong. super Episcopos directis exposuit, Fratres Carmelitanos illius Civitatis in effodiendis lapidibus cuiusdam Ecclesiae diratae extra Civitatem non longe distantis, invenisse sepulchrum quoddam, et in eo reconditum caput foeminae, quod creditur esse *Sanctae*, cum inscriptione graeco idiomate apposita, et illuc accurrere coepisse magnam partem populi ob devotionem erga illud caput, quod ipse includi mandavit in capsula, et reponi pro interim in Sacario Cathedralis Ecclesiae, expectans responsum, quid de eo facere deberet; et dictis literis una cum inscriptione per S. C. Episcoporum ad hanc S. R. C. remissis; eadem Sac. Cong. cognito, quod ex scripturis nil certi potest colligi, *mandavit*, « scribi Vicario, ut dictum Caput reponi faciat in coemeterio absque ulla veneratione. » Die 11. Decembris 1627.

717. THEATINA TERRAE BUCCANICI.

Guardianus, et Fratres Minores Conventuales Ordinis S. Francisci Terrae Buccanici Theatinae Dioecesis, conquesti sunt de Parocho dictae Terrae circa plura.

1. Quod praetendat facere officia super cada-
veribus in Ecclesiis ipsorum Regularium, et pe-
tierunt prohiberi: et S. C. « prohibuit. »

2. Quod idem Parochus praetendat ab ipsis
Regularibus quartam funeralium ratione decima-
rum, quae ab immemorabili nunquam solutae
fuerunt; et S. C. respondit: « dictam quartam
non deberi. »

3. Quod prohibeat dictis Regularibus Proces-
siones facere extra Claustra Monasterii. Et S. C.
« alias providebit. »

4. Quod iacet se velle impedire dictis Regu-
laribus erectionem propriae Crucis in Processio-
nibus, aliisque publicis actibus. Et S. C. respondit:
« posse prohiberi in funeralibus, quando cadavera
non deferuntur in eorum Ecclesiis; in aliis vero
Processionibus nequaquam. » Die 11. Decemb. 1627.

718. **BURGI S. DONNINI.**

Theodosius Ambrosinus Protonotarius Aposto-
licus, Canonicus Collegiatae Ecclesiae S. Bartholo-
maei, Terrae Busseti, Burgi S. Donnini, petit de-
clarari: an possit subtana violacea indutus, cum
cotta, et pelle canonicali interesse Choro? et S.
C. respondit, « posse. » Die 11. Decemb. 1627.

719. **COLONIEN.**

Dignitates et Canonici Metropolitanae Ecclesiae
Colonien. narrantes in Processionibus, quae fiunt
per annum absque SS. Sacramento convenire omnia
Capitula aliarum Collegiatarum eiusdem Civitatis,
quarum Praepositi, cum convenient induiti Plu-
vialibus, petierunt: An sic induiti debeant admitti
cum Canonicis dictae Metropolitanae, prout ad-
mittuntur, quando in Processione cum SS. Sacra-
mento Dignitates etiam Metropolitanae induunt
Pluvialia? vel definiri, quid in posterum servan-
dum sit? Et S. C. respondit « in Processionibus
sine Sacramento Dignitates Collegiatarum incedere
debere cum suis Capitulis sine Pluvialibus. » Die
29. Ianuarii 1628.

720. **COMPOSTELLANA.**

Vicarius, et Communitas Leridae nullius Dio-
cesis Prioratus Ordinis S. Iacobi de Espeda Pro-
vinciae Compostellanae, narrantes in dicto loco
feria V. in Coena D. SS. Eucharistiae Sacramentum
asservari, et recludi cum duabus clavibus, qua-
rum una consignatur Gubernatori Civitatis, altera
vero uni ex Inquisitoribus S. Officii, quo multis
abhinc annis absente, Vicarius Ordinis praedicti
praetendit SS. Sacramentum asservandum esse
sub unica tantum clave retinenda per Guberna-
torem Loci, supplicaverunt responderi, quid circa
hoc agendum sit? et S. C. respondit, « Clavem,
quae Inquisitori tradebatur, consignandam esse

Sacerdoti in crastinum celebraturo. » Die 29. Ia-
nuarii 1628.

721. **ASCULANA.**

Monachi Olivetani Civitatis Asculi exponentes
1. Curatos Saeculares eiusdem Civitatis vel ingredi
cum stola in functionibus, ac aliis publicis Pro-
cessionibus per limites Parochiae ipsorum, et vi-
cversa prohibere ipsis Regularibus, ne ipsorum
Curatus pariter cum Stola ingrediatur per Para-
chias locorum Saecularium;

2. Eisdem Curatos Saeculares nolle admittere
inter ipsos Curatum ipsorum Monachorum, sed
velle ire post Crucem ipsorum Regularium;

3. Ipsos Curatos Saeculares in domibus dece-
dentium in Parochia Regularium velle facere Of-
ficium circa dicta cadavera; supplicarunt provi-
deri. Et S. C. in omnibus supradictis respondit
« ad favorem dictorum Monachorum. » Die 29. Ia-
nuarii 1628.

722. **SUTRINA.**

In Causa inter Angelum Paneratum, et Mer-
curium Rosam Canonicos Sacerdotes Ecclesiae Cole-
giatae S. Ioannis Terrae Capranicae Sutrinae
Diocesis, et alios Canonicos non Sacerdotes eius-
dem Collegiatae super praecedentia ipsorum, re-
ferente Illmo Pio, mandavit, « servari in dicta
Collegiata S. Ioannis Decretum pro Ecclesia Tro-
pien. factum die 17. Iunii 1606., dummodo in
dicta Collegiata S. Ioannis sint distinctae Prae-
bendae. » Die 29. Ianuarii 1628.

723. **HISPALEN.**

Abbas Maior, et Universitas Parochorum Ci-
vitatatis Hispalen., citatis Procuratoribus Ordinum,
supplicarunt definiri: An Regulares possint facere
Processiones extra claustra Monasteriorum? Item:
an stante consuetudine aliquas faciendi Processio-
nes extra claustra per vias publicas, sine consensu
Parochi, talis consuetudo Regularibus suffrage-
tur? Et S. R. C. ad tollendas difficultates, quae
quotidie oriuntur circa Processiones faciendas tam
per Regulares, quam per Confraternitates in Ec-
clesiis Regularium, inhaerendo Decretis alias in
similibus factis, et signanter in Caesaraugustana
17. Martii 1617., censuit, « in Processionibus fa-
ciendis tam per Regulares, quam per Confrater-
nitates ita in posterum servari debere, ut in
Ecclesiis habentibus claustrum, Processiones fieri
non possint nisi intra claustra tantum, et non
extra. In Ecclesiis vero carentibus claustrum, fieri
possint intra ambitum, hoc est prope muros
Ecclesiae, sive exeundo a ianua Ecclesiae, et in-
trando per aliam, sive per eandem, et semper
prope muros Ecclesiae. Extra vero ambitum Ec-

clesiae non licere Regularibus, neque Confraternitatibus facere Processiones, nisi de licentia, consensu, aut cum Cruce Parochiali, exceptis tamen illis Ecclesiis, quae habent in hoc speciale Privilegium faciendi Processiones per alia loca, quibus per hoc Decretum S. C. non intendit praedictare. » Die 26. Februarii 1628.

724. AQUINATEN.

Primicerius, et alii Canonici Collegiatae Ecclesiae S. Bartholomaei de Pontecurvo Aquinaten. Dioecesis supplicarunt declarari, Benedictiones Candelarum, Cinerum, et Palmarum, impedito Archipresbytero, spectare ad digniorem Canonicum ordine successivo, et non ad alios arbitrio dicti Archipresbyteri, iuxta alias decreta in Civitatis Castellanae Terrae Arignani 27. Ianuarii 1618., et in Hydruntina 27. Septembris 1621. Et S. C. respondit, « Archipresbyterum posse deputare quem voluerit, ex quo non sumus in Ecclesia vere Collegiata. » Die 26. Februarii 1628.

725. BRUNDUSINA.

Capitulum Brundusinum exposuit Archidiaconum, ut primam Dignitatem, velle facere functiones Cinerum, Palmarum, et Candelarum, sed recusare postea cantare Missam, praetendens hoc spectare ad Canonicum, et non ad Dignitates, supplicat declarari, ad quem spectet talis Missae celebratio? Et S. C. respondit, « functiones huiusmodi spectare ad primam Dignitatem, dummodo ipsa etiam cantet postea Missam, prout etiam alias declaravit in Neritonen. primo, et in Hydruntina 15. Martii 1614. » Die 26. Februarii 1628.

726. ORTANA.

Prior S. Petri, et Praepositus S. Silvestri Civitatis Ortanae praetendentes se gravatos Decreto Synodali Episcopi, quod ipsi uti Parochi ad efferenda corpora suorum Parochianorum, quotiescumque ad funus invitatur Capitulum Cathedralis, debeant convenire in Cathedrali ad recipiendum Capitulum, et Canonicos, contra dispositionem Ritualis, et consuetudinem hactenus servatam, recursum habuerunt ad hanc S. R. C. supplicantes mandari Episcopo, ut in associandis funeribus faciat servare *Rituale*, et consuetum. Et S. C. mandavit « servari *Rituale*. » Die 26. Feb. 1628.

727. SPOLETANA PEDISLUCI.

Orta differentia inter Vincentium Honoratum, et Eleutherium Zuccarum loci Pedisluci Spoletanae Dioecesis, ambos ad Cappellam S. Egidii dicti loci eodem tempore praesentatos, fuit quaesitum, cuinam ipsorum debeatur praecedentia in Choro, Processionibus, et aliis actibus publicis, an prius

nominato, an vero prius Ordine Sacerdotali insignito? et S. C. respondit, « praecedentiam deberi prius ordinato Sacerdoti, prout et alias respondit 27. Ianuarii 1621. » Die 26. Februarii 1628.

728. IANUEN.

Cappellani Collegiatae Ecclesiae S. Mariae Vinarum nuncupatae valde dolentes conquesti sunt de Canonicis dictae Collegiatae, quod, dimisso proprio, et antiquo habitu nigro, propria auctoritate praeter Praepositum, qui est caput Capituli, habitum violaceum cum cremisino induerint, quod cum eis non licuerit, insteterunt mandari deponi. Et S. C. mandavit « Canonicos deponere habitum violaceum. » Die 26. Febr. 1628.

729. BERTINORI.

Episcopus Bertinori supplicavit responderi: an liceat Regularibus exponere SS. Sacramentum absque licentia Ordinarii? et S. C. respondit. « non licere. » Die 26. Februarii 1628.

730. BERGOMEN.

Cum S. R. C. pluries declarasset Canonicos, qui fuerunt Coadiutores Ecclesiae Bergomen., non posse, neque debere praecedere Canonicos veros admissos, eorum coadiutoria durante, non obstante annali, triennali, decennali, aut alia longiori possessione capta ante Coadiutoriam, et Guilielmus Beroa olim Coadiutor, nunc verus Canonicus huiusmodi declarationibus non acquiescens insteterit de novo audiri, allegans praecedentiam sibi deberi non vigore possessionis captae ante Coadiutoriam, sed consuetudinis legitime praescriptae, ex quo, post mortem sui Coadiuti, effectus verus Canonicus per quindecim annos habuit sine contradictione praecedentiam super omnes Canonicos provisos, Coadiutoria durante; obtinuit disputari dubium: An stante dicta consuetudine, et taciturnitate per tantum temporis, Canonici possint hodie reclamare? et audito saepe saepius Procuratore, et Advocato dicti Beroa in iure, et in facto, referente Illmo S. Georgii, S. C. « stetit in Decretis, nempe dictum Canonicum Beroa, non obstante consuetudine per ipsum allegata, non posse praecedere illos Canonicos, qui Coadiutoria durante, provisi sunt de Canonicatu in Ecclesia Bergomen. » Die 26. Februarii 1628.

731. PISTORIEN.

Canonicus quidam Civitatis Pistorii petit a S. R. C. declarari: An regulares in die festo Patroni Civitatis, teneantur se conformare cum Officio, et Missa de dicto Patrono, prout celebrat Clerus Saecularis dictae Civitatis? et S. C. respondit, « Regulares debere se conformare cum Clero Saeculari pro prima die tamen absque Octava.

Idem affirmat Gavantus in suis Commentariis ad Rubricas Missalis cap. 16. num. 3. pag. 208. » Die 27. Martii 1628.

732. CAESARAUGUSTANA.

Capitulum Metropolitanae Ecclesiae Civitatis Caesaraugustanae ad effugienda iurgia, et pro bono pacis inter ipsum Capitulum, et Priorem, et Canonicos Ecclesiae Collegiatae B. M. de Pilar praetendentes, debere admitti ad circulos una cum Canonicis dictae Metropolitanae, quotiescumque Archiepiscopus solemniter celebrat iuxta formam *Caeremonialis cap. 1. lib. 1.*, nec teneri genuflectere ad Benedictionem solemnem Archiepiscopi in Missa; et Vesperis ad instar Canonicorum dictae Metropolitanae, qui tantum profunde caput inclinant, consuluit hanc S.C. pro responsione: quid servandum sit in utroque casu? Et S. C. respondit: « Priorem, et Canonicos Collegiatae Ecclesiae B. Mariae de Pilar non esse admittendos ad circulos cum Canonicis Metropolitanae, qui fiunt coram Archiepiscopo, eosdemque Priorem, et Canonicos de Pilar teneri genuflectere ad benedictiones solennes Archiepiscopi tam in Missa, quam in Vesperis. » Die 27. Martii 1628.

733. SALERNITANA.

Prior, et Canonici Collegiatae Ecclesiae Solabrae Salernitanae Dioecesis conquerentes de Vicario Foraneo, qui, sub praetextu consuetudinis, vult ipse praecedentiam super Canonicos, et Dignitates in Choro, et extra, quod cum repugnet Caeremoniali, et resolutionibus alias factis ab hac S. C., supplicarunt responderi: an conveniat, stante quod in *Bulla Clementis VIII.* adest clausula, sublata quacumque consuetudine? Prout pariter petierunt coerceri praetensionem, et arrogantiam Prioris Ordinis S. Augustini, qui similiter sub eodem praetextu consuetudinis praecedentiam sibi arrogavit in publicis Processionibus supra Canonicos, et Clerum Saecularem. Et S. C. respondit: « Vicario Foraneo nullam deberi praecedentiam ratione sui Vicariatus, non obstante contraria consuetudine, prout etiam dictum Priorem S. Augustini cedere debere Canonicis, et Clero Saeculari, non obstante quacumque contraria consuetudine. » Die 27. Martii 1628.

734. AVELLINI.

Octavius Fratisius Civitatis Avellini, stante senectute, Canonicatum, quem habebat in Cathedrali illius Civitatis, renuntiavit alteri. Episcopus loci vult illum nihilominus cogere ad interessendum Episcopalibus functionibus una cum aliis Clericis simplicibus; quod cum sibi videatur indecens, et indecorum, quod, qui fuit alias

Canonicus Cathedralis, hodie assistat eum Clericis simplicibus, supplicavit provideri. Et S. C. respondit: « non posse cogi. » Die 27. Martii 1628.

735. CAIETANA.

Vicarius Capitularis Civitatis Caietae petit declarari: an Canonici, et Dignitates in Processione SS. Sacramenti incedere debeant sacris vestibus induti, Episcopo non deferente SS. Eucharistiae Sacramentum, ex quo dispositio Caeremonialis videtur loqui tantum de Episcopo deferente? Et S. C. respondit: « Canonicos, et Dignitates vestes sacras utroque casu induere debere in honorem tanti Sacramenti, prout disponitur in Caeremoniali cap. de Process. Sacramenti circa finem. » Die 27. Martii 1628.

736. SYRACUSANA.

Archidiaconus Syracusanus, qui tamquam prima Dignitas obtinuit sub die 16. Maii 1624., et sub die 2. Septembris 1626. ad suum favorem Decretum, nempe ad primam Dignitatem, et non ad Vicarium Episcopi, etiam qui sit de gremio Capituli, pertinere Episcopales functiones, absente, vel impedito Episcopo, supplicavit declarari, dictum Decretum contra Vicarium Episcopi, afficere etiam Vicarium Capitularem, in quo non militat tanta ratio, quam in Generali. Et S. C. respondit: « Decretum contra Vicarium Generalem habere locum etiam in Vic. Capitulari. » Die 27. Martii 1628.

737. NEPESINA.

In Cathedrali Nepesina adest a primaeva erectione Capitulum cum octo Canonicis, qui a decem annis infra ex diversis Legatis piis, sequentes mentes Testatorum, receperunt inter ipsos alios quinque, quos supranumerarios appellarunt, cum stallo in Choro, voce in Capitulo, et quod ad onera, et honores teneantur, et habeantur prout Canonici de numero, praeter proventus Terrarum Montis Martis distribuen. inter Canonicos de numero, et nullo unquam tempore inter Canonicos supranumerarios. Decedente aliquo Canonico de numero, Canonici supranumerarii praecedentiam sibi arrogarunt super Canonicis de numero postea provis: quod cum inconveniens videatur, ut Canonici supranumerarii, qui non habent integrum ius in Canonicatu, praeferrantur veris Canonicis de numero, licet postea provis, supplicatum fuit declarari: an stante consuetudine decennali, quod Canonici supranumerarii praecedentiam habuerint super veris Canonicis de numero postea provis, talis consuetudo sit attendenda? Et Sac. Congreg. respondit: « Canonicos supranumerarios in casu, de quo agitur, praecedere debere Ca-

nonicos de numero postea receptos. » Die 27. Martii 1628.

738.

URBIS.

Commissarius Minorum Observantium S. Francisci institit, viginti tres Martyres Ordinis S. Francisci pro Christi Fide in Iapone passos mandari inseri in Martyrologio; et S. C. respondit: « in Martyrologio non esse inserendos qui non sint vere canonizati; nec sufficere, quod declarati fuerint Beati, prout alias respondit, die 30. Iulii 1616. » Die 27. Martii 1628.

739.

SAVONEN.

Archidiaconus Ecclesiae Savonen. exponens olim Episcopum Costam in distributione Missarum Canonicalium decrevisse, impedito Episcopo, solemnes functiones facere, spectare ad primam Dignitatem, eaque similiter impedita, ad tertiam, et sic deinceps ordine successivo ad digniorem, neglecta secunda Dignitate, quae est Archidiaconus, ex eo forsitan, quod illo tempore Archidiaconus non erat Sacerdotali ordine insignitus, et sic inabilis ad dicta munia obeunda; modo vero, cum sit Sacerdos, petiit definiri: impedita prima Dignitate, ad ipsum tamquam secundam, et proximioram Dignitatem, spectare functiones solemnes facere; prout idem statuendum supplicavit in casu, quo prima Dignitas sit impedita inservire pro Assistente Episcopo solemniter celebranti, ad ipsum tamquam proximam Dignitatem id munus spectare, et pertinere. Et S. C. mandavit: « in utroque casu servari Caeremoniale. » Die 27. Martii 1628.

740.

URBIS.

Occasione « libereuli impressi cum inscriptione: *Stato dell' Anime del Purgatorio*, compositi per P. Martinum de Roa Societatis Iesu in urbe apud Franciscum Cavallum, » fuit a S. R. C. petitum: an tuta conscientia, et licite possent recitari Missae S. Gregorii ascendentes ad num. 48. modo, et forma in dicto libello supplicii descripta, etiam in diebus festis. Et S. C. ad removendum hunc abusum, et alios, qui irrepserunt, mandavit: « extendi Decretum circa abusus, imprimi, affigi, et asservari in omnibus Sacristiis Ecclesiarum tam Saecularium, quam Regularium etiam Patriarchalium, Metropolitanarum, Cathedralium, Collegiatarum, et aliarum quarumcumque tenoris etc. »

S. R. C. ad tollendos abusus, qui variis in locis irrepserunt, re mature discussa, censuit, et decrevit.

1. « Non potuisse, nec posse locorum Ordinarios tam Saeculares, quam Regulares addere Calendariis etiam propriis Sanctorum Officia, nisi

ea dumtaxat, quae Breviarii Romani Rubricis, vel S. R. C. vel Sedis Apostolicae licentia conceduntur. »

2. « Insuper vetuit, et prohibuit celebrari per totam Civitatem, vel Dioecesim etiam de cuiuscumque Ordinarii auctoritate Missam, vel Festum cum Officio de Sancto, eo quod in loco adsit Ecclesia Parochialis, vel Regularis, aut aliqua Reliquia: sed tantum in ipsius sancti Ecclesiae titulari, seu ubi asservatur Insignis reliquia, et non alibi. »

3. « Insignes autem Reliquias declaravit esse Corpus, Caput, Brachium, Crus, aut illam partem Corporis, in qua passus est Martyr, modo sit integra, et non parva, et legitime ab Ordinariis approbata. »

4. « Missas item, quae circumferuntur a S. C. non approbatas S. Gregorii pro vivis, et defunctis, quindecim auxiliatorum, et de Patre aeterno, et quascumque alias, exceptis iis, quae sunt permissae Regularibus tantum, veluti Rosarii, Sanctae Mariae de Carmelo, et alias, sicut etiam Officia ab eadem non approbata, prohibuit, reiecit omnino, et damnavit respective, et pro prohibitis, reiectis, et damnatis haberi voluit. »

5. « Quae omnia decrevit, statuit, et mandavit sub poenis contentis in Bullis Pii V. initio Breviarii, et Missalis positis, quod scilicet non satisfaciant muneri recitandi divini Officii; quo vero ad utentes supradictis Missis, sub aliis poenis contentis in Indice Librorum prohibitorum ex Decreto Concilii Tridentini edito. »

6. « Et ne praemissorum ignorantia possit ab aliquo praetendi, neque oblivio possit ullo umquam tempore irrepere, eadem S. C. voluit, et ordinavit, Decreta huiusmodi affigi in Sacristiis omnium Ecclesiarum tam Saecularium, quam Regularium etiam Patriarchalium, Metropolitanarum, Cathedralium, Collegiatarum, et aliarum quarumcumque, in eisque perpetuo asservari. »

Facta demum relatione horum Decretorum SS. D. N. Urbano Papae VIII., ea laudavit, approbavit, atque ab omnibus ubique sub praedictis poenis servari praecepit.

741.

ASCULANA.

Orta differentia inter Magistratum Terrae Offidae, et Canonicos Collegiatae eiusdem Terrae super praecedentia in Ecclesia, funeribus, et aliis actibus publicis, quando dicti Canonici non interveniunt collegialiter, nec cum habitu canonicali, sed cum habitu ordinario, et uti singuli; S. C., referente Illmo Torres, censuit: « praecedentiam deberi Magistratui, » prout idem alias sub die 6. Ianuarii 1610. declaravit; et mandavit « scribi

Episcopo Asculano, ut provideat, ne Canonici in posterum in Ecclesia incedant sine habitu canonicali. » Die 12. Iunii 1628.

742. DERTUSEN.

Prior, et Canonici Cathedralis Dertusen. con-
questi sunt de Beneficiatis, et Rectoribus eiusdem
Cathedralis, quod cum recitantur Divina Officia,
et horae Canonicae, congregentur in ipsa Cathedra
pro tractandis negotiis ipsorum, et propterea
supplicaverunt prohiberi: et S. Cong. respondit:
« Prohibendos, nec licere tempore Divinorum Of-
ficiorum facere congregationes, nec capitulum,
prout etiam alias idem declaravit in una Egitanen.
10. Iunii, et in Coimbricen., 4. Decembris
1602., in quibus contra facientes puniendos esse
in amissione quotidianarum distributionum, » de-
claravit. Die 12. Iunii 1628.

743. POLONIAE.

Secretarius Regis Poloniae supplicavit pro
approbatione Litaniarum in honorem S. Stanislai,
quae solent recitari in Cappella dicti Sancti; et
S. C. respondit: « Nihil, » prout idem alias in
una Alexandrina 15. Martii 1608., in qua fuit
dictum, « S. C. non solere approbare alias Litanias
praeter impressas in Breviario Romano, et eas,
quae recitantur in domo Lauretana. » Die 12.
Iunii 1628.

744. SENEN.

Prior, et Fratres S. Augustini Civitatis Sen-
narum narrarunt, eorum Ecclesiam consecrandam
non posse circui totam, ex praescripto *Ponti-
ficalis*, stante quod pars Ecclesiae, in qua est
constructum Altare maius, et Chorus, est fundata
super unam rupem, unde transitus esse non po-
test, supplicant pro consecratione eo modo, quo
fieri potest. Et S. C., stantibus narratis, respon-
dit: « licere. » Die 12. Iunii 1628.

745. GIENNEN.

Illūus Cardinalis de Sandoval Episcopus Gien-
nen. conquestus est 1. de Regularibus suae Dioe-
cesis denegantibus praecedentiam in ipsorum Eccle-
siis Clero Saeculari. 2. Quod Regulares praedicti
praetendant ipsi Officium facere super cadaveribus
tumulandis in eorum Ecclesiis. 3. Quod Regulares
associantes cadavera, quae in eorum Ecclesiis se-
peliri debent, velint deferre propriam ipsorum
Crucem. Super quibus omnibus, citatis Procura-
toribus Ordinum, supplicavit provideri.

Et S. C. ad 1. respondit: « Regulares etiam
in ipsorum Ecclesiis omnino dare debere praee-
dentiam Clero Saeculari. » Ad 2. respondit: « ad
Regulares spectare Officium facere super cadave-
ribus, quae in eorum Ecclesiis tumulari debent,

iuxta alias resoluta in una Placentina 10. Martii
1621. » Ad 3. « licere Regularibus deferre pro-
priam Crucem in associatione cadaverum, quae
in ipsorum Ecclesiis sepeliri debent, nullamque
aliam Crucem in associatione cadaverum interve-
nire debere, quia sub una tantum Cruce sunt de-
ferenda cadavera, et illa debet esse illius Ecclesiae,
ad quam corpus defertur, » prout alias S. R. C.
declaravit in *Narnien. S. Gemini* 30. Septembris
1614. Die 12. Iunii 1628.

746. SALUTIARUM.

Episcopus Salutarum supplicavit declarari Ca-
nonicos suae Cathedralis teneri ex obligatione illum
capitulariter, et cum habitu canonicali, iuxta
praescriptum *Caeremonialis* excipere, comitari, et
reducere, quotiescumque accedit cum cappa ad
Ecclesiam, stante quod eius domus non distat ab
Ecclesia ultra centum passus: et S. C. respondit:
« teneri, » prout etiam alias declaravit in *Tarvi-
sina* 19. Ianuarii 1619., et in *Terracinen.* 29.
Augusti 1622., et iterum in *eadem* 20. Novembris
1627. Die 12. Iunii 1628.

747. VICENTINA.

Illūus, et Rūus D. Card. Cornelius profectur-
us ad suam Ecclesiam Vicentinam, petiit a Sac.
R. C. infrascripta.

1. An Canonici Cathedralis associantes eum in
habitu ordinario, videlicet cum sottana, et fer-
riolo teneantur anteire, vel sequi? Et ad hoc
S. C. respondit: « Canonicos in habitu eorum or-
dinario associantes Episcopum Cardinalem debere
anteire, et non sequi, prout declaratum fuit pro
Ecclesia Patavina, ad instantiam Illūi Cardinalis
Valerii. »

2. An Canonici suae Cathedralis teneantur eod-
em modo, quo illum excipiunt a propria Camera,
pari modo reducere. Et S. C. respondit: « Cano-
nicos teneri pari modo reducere, quo excipiunt,
prout S. C. alias *declaravit* in una *Tarvisina* 19.
Ianuarii 1619., et in alia *Terracinen.* 20. Augusti
1622., et iterum in *eadem* 20. Novembris 1627. »

3. An Vicarius Generalis, tam praesente, quam
absente Episcopo praecedentiam supra Capitulum
habere debeat? Et S. C. respondit: « videndum
quid iuris. »

4. Quomodo Canonici exire debeant e Saeri-
stia pro inchoando Divino Officio, an ordinatim
bini, praecedente Cruce, an in confuso, et prout
eis libuerit, cum *Caeremoniale lib. 2. cap. 6. in
principio* disponat ordinatim procedendum? Et
Sacra Congregatio respondit: « *Caeremoniale* esse
intelligendum in diebus solemnioribus. » Die 12.
Iulii 1628.

748. CAPUTAQUEN.

Eodem Ill^{mo} Pio referente Dubium alias in S. R. C. resolutum, nempe: an Episcopus possit auctoritate sua ordinaria concedere signum Canonicis suae Cathedralis, vel alterius Collegiatae suae Dioecesis, seu etiam mutare iam concessum a Sede Apostolica? Eadem S. C. censuit, « Episcopis id minime licere, sed recurrendum esse ad SS. » Die 12. Iulii 1628.

749. IANUEN.

Eodem Ill^{mo} Pio referente instantiam Canonicorum S. Mariae Vinearum Ianuen. Dioecesis: an liceret in festo semiduplici recitare Officium mortuorum? S. C. respondit: « Officium mortuorum non posse dici, nisi ad effectum dumtaxat satisfaciendi menti Testatorum. » Die 12. Iulii 1628.

750. IANUEN.

Eodem Ill^{mo} Pio referente instantiam eorumdem Canonicorum S. Mariae de Vineis nuncupatae, Ianuen. Dioecesis: An possit celebrari Missa Conventualis pro Anniversario? S. R. C. respondit: « dicendas esse duas Missas, sed in die depositionis, dicendam esse Missam pro defunctis, non obstante contraria consuetudine. » Die 12. Iulii 1628.

751. BERGOMEN.

Eodem Ill^{mo} Pio referente litanias quasdam exhibitas pro parte Abbatis, et Monachorum Coelestinorum Civitatis Florentinae in honorem SS^{mi} Crucifixi compositas, impressas, et recitari solitas, ad effectum illas de novo imprimendi, et licite recitandi, S. C. respondit: « dictas litanias esse prohibendas, prout prohibuit. » Die 12. Iulii 1628.

752. MESSANEN.

Eodem Ill^{mo} Mellino referente petitionem, imo potius querelam Senatus, et Archiepiscopi Messanen., super renitentia Prioris Ecclesiae S. Ioannis Baptistae Ordinis Hierosolymitani, prohibentis Archiepiscopum, ne accedat ad dietam Ecclesiam, tamquam exemptam a iurisdictione Ordinarii, ad faciendas Processiones, et alia Pontificalia exercenda, et ne in ea Baldachinum erigat, S. R. C., citato Procuratore Prioris dictae Ecclesiae Hierosolymitanae, respondit: « pro Archiepiscopo, et mandavit, ut Prior dictae Ecclesiae obediat huic Decreto, qui, si aliquid adducere postea pro suo iure intendat, compareat in S. C., ubi benigne audietur, prout idem responsum fuit in una Tulen. 6. Decembris 1613. » Die 12. Iulii 1628.

753. DUBIORUM URBIS.

Ill^{mo} Cardinali Columna referente quatuor Dubia huic S. Congregationi porrecta, nempe: 1. an Canonicis usum Cappae, et Rochetti habentibus

liceat Sacramenta administrare cum solo Rochetto, et deposita Cappa? 2. An Protonotarii Titulares praecedere debeant Canonicos Cathedralis collegialiter non incedentes? 3. An tales Protonotarii habere debeant titulum R^{mi}? 4. An Doctor Sacerdos antiquior, praecedere debeat Canonicum pariter Sacerdotem, sed Doctorem posteriorem, vel etiam Canonicum non Doctorem? S. C. respondit

Ad 1. « Sacramenta esse administranda cum Superpelliceo, et Stola iuxta Rituale Romanum. »

Ad 2. « Protonotarios praecedere debere, quando Canonici Cathedralis non incedunt collegialiter. »

Ad 3. « Remittendum esse ad S. C. Caeremoniarum. »

Ad 4. « Sacerdotem antiquiorem in ordine, non debere praecedere in actibus privatis Canonicum Sacerdotem in ordine posteriorem, prout in una Bituntina 19. Ianuarii 1608. » Die 12. Iulii 1628.

754. MOLFETANA.

Cathedralis Ecclesia Civitatis Molfetanae, quae est unica Parochialis, supplicavit declarari in funeralibus, quando cadavera deferuntur tumulanda in Ecclesiis Regularium, non licere dictis Regularibus deferre propriam Crucem, sed sub Cruce Cathedralis incedere debere. Et S. C. respondit: « Cathedralem Parochialem, et eius Capitulum non posse deferre in casu proposito propriam Crucem, sed sub Cruce Ecclesiae, in qua Cadaver sepeliri debet, incedere debere, nisi adsit consuetudo contraria, quae probanda erit. » Die 12. Iulii 1628.

755. FORIMPOPULI.

Sanctes Bardus petiit: An in Ecclesiis suppositis Abbatiae Forimpopuli possit fieri Officium de S. Raphaello dictae Abbatiae Titulari, cum Decretum contra abusus prohibeat de Titulari fieri in Ecclesiis suppositis Parochiae, aut Regularibus, non autem Abbatialibus: et Sac. C. respondit: « non posse fieri, nec etiam in Ecclesiis suppositis Abbatiae. » Die 12. Iulii 1628.

756. BURGEN.

Episcopus Burgen. petiit: An in Processionibus SS. Sacramenti, et aliis, quaelibet Ecclesia Collegiata possit deferre propriam Crucem, an vero omnes Collegiatae incedere debeant sub Cruce Cathedralis? Et S. Cong. respondit, « sub Cruce Cleri totum Clerum incedere debere, nisi adsit consuetudo contraria, quae erit probanda. » Die 12. Iulii 1628.

757. CASSANEN.

Hieronymus Fagus Canonicus Cassanen. con-questus est de Mario Granito pariter Canonico eiusdem Cathedralis, quod adeptus pinguorem Canonicatum in eadem Ecclesia praetendat retinere

primum stallum, et locum Canonicatus iam dimissi; et Sacra Congr. respondit: « non posse retinere stallum Canonicatus iam dimissi, prout idem alias declaratum fuit in Gallien. 21. Martii 1609. » Die 12. Iulii 1628.

758.

MOLFETANA.

Vicarius Molfetae asserens se habere praecedentiam super Canonicos, etiam quod sit cum Cotta, tamquam unus ex Canonicis, nec non, absente Episcopo, deosculari Textum Evangelii; supplicavit declarari dietas praerogativas sibi competere, prout hactenus habuit, et ab immemorabilibus habuerunt Vicarii pro tempore absque ulla contradictione. Et S. Cong. respondit: « vanas esse praetensiones Vicarii Molfetae, et nihil ex supradictis ei competere. » Die 12. Iulii 1628.

759.

PISARUM.

Archipresbyter Ecclesiae Pisarum uti prima Dignitas petiit declarari, ad ipsum spectare functiones solennes, absente Episcopo, non obstante contradictione hebdomadariorum; et Sac. Cong. respondit: « ad Archipresbyterum primam Dignitatem, absente Episcopo, spectare functiones Episcopales, eoque impedito, ad Dignitatem proxime subsequentem, et sic gradatim ordine successivo. » Die 12. Iulii 1628.

760.

IANUEN.

Patriarcha Marinus Archiepiscopus Ianuensis, viso Decreto huius S. C. contra abusum emanatum, literis suis exposuit, se aegre ferre prohibitionem apponendi in Calendariis propriis Officia Sanctorum particularium alicuius loci, praetendens id esse contra Sacros Canones. Et S. C. mandavit: « scribi eidem Archiepiscopo, ut transmittat Calendarium Ianuense cum nota, quare non concordet cum Calendario Romano, et interim servari Decretum contra abusum. » Die 12. Iulii 1628.

761.

ISERNIAE.

Archipresbyter Cathedralis Iserniae petiit definiri: an possit Episcopus arbitrio suo eligere alium in Chori Rectorem, in praeiudicium ipsius Archipresbyteri. Et S. C. respondit: « neque Episcopus, neque eius Vicarius posse eligere alium in Rectorem Chori sub praetextu, quod Chorus non recte gubernetur, absque expressa licentia Sedis Apostolicae, prout alias idem respondit in una Cefaluden. 4. Iulii 1604. » Die 7. Augusti 1628.

762.

IMOLEN.

Praetendentibus Canonicis Cathedralis Imolen. deferre propriam Crucem immediate ante ipsos, ultra Crucem, quae defertur in Processionibus ante Capitulum, Cappellani, et Mansionarii eiusdem Cathedralis id aegre ferentes tamquam separati a

Canonicis supplicarunt responderi: an Canonici dietam Crucem ante ipsos deferre possint? et Sac. Congregatio respondit: « non posse. » Die 7. Augusti 1628.

763.

TURRITANA.

Pro parte Cathedralis Ecclesiae Turritanae petitum fuit responderi:

1. An in Cathedrali fieri possit Officium sub ritu duplici de S. Pantaleone, eo quia maior pars fructuum Parochialis Ecclesiae dicti Sancti Oppidi de Scorso eiusdem Dioecesis est applicata Ecclesiae Cathedrali?

2. An in eadem Cathedrali fieri possit Officium Summorum Pontificum Hilari, et Simmachi, ex quo sunt nati in Sardinia?

3. An in dicta Cathedrali, cui sunt uniti aliqui tituli Ecclesiarum ruralium, possit de dictis Sanctis fieri Officium sub ritu duplici?

Et S. C. mandavit « servari Decretum contra abusum, et Rubricas. » Die 7. Augusti 1628.

764.

PENNEN.

Communitas Terrae Furindulae Pennen. Dioecesis supplicavit concedi Archipresbytero dictae Terrae benedictionem Crucis positae in eminentiori loco Terrae, ad evitandas grandines, fulgura, et tempestates: et Sac. C. concessit « de licentia Episcopi. » Die 7. Augusti 1628.

765.

NOVARIEN.

Episcopus Novariensis petiit declarari: an sibi liceat prohibere Regularibus suae Dioecesis, ne in ipsorum Ecclesiis canant Laudes idiomate vulgari compositas, et S. C. respondit: « Episcopum posse auctoritate huius Sac. C. dictas Laudes prohibere etiam Regularibus. » Die 7. Augusti 1628.

766.

S. AGATHAE.

Archipresbyter Terrae Durazzani S. Agathae Dioecesis, exponens Ecclesiam suam esse sub eodem titulo SS^{mae} Assumptionis, quo Ecclesia Cathedralis, et qua die tenetur accedere ad ipsam Cathedrali ad praestandam obedientiam proprio Episcopo, supplicavit ad hoc, ne cogatur propriam Ecclesiam deserere, commutari titulum suae Ecclesiae in alium Gloriosissimae Virginis. Et Sac. Congregatio respondit: « transmittendum alium ad praestandam obedientiam. » Die 7. Augusti 1628.

767.

ORIOLEN.

Petiit Episcopus Oriolen.: an usus septem ab hinc annis introductus a suis Canonicis, habendi scilicet praeter Diaconum, et Subdiaconum, quando solemniter celebrant in diebus festis, et Dominicis per annum, Presbyterum assistentem cum candela accensa ad instar Episcoporum continuari

liceat? et S. C. respondit: « non licere. » Die 7. Augusti 1628.

768. DUBIUM DE VICARIO GENERALI.

Petitum fuit in S. R. C.: an praecedentia in Choro, Processionibus, aliisque functionibus Ecclesiasticis danda sit Vicario Generali supra Dignitates, et Canonicos, in praesentia Episcopi? Et Sac. R. C. respondit: « Praecedentiam semper dandam esse supra Dignitates, et Canonicos Vicario Generali tam praesente, quam absente Episcopo, prout idem alias responsum fuit in Lauretana, et Nolana 23. Martii 1602. » Die 7. Augusti 1628.

769. URBIS ET ORBIS.

Fuit actum de conclusionibus transmissis per manus Illmorum DD. circa Officia Sanctorum, quae fuerunt dilatae praeter duo, videlicet, « quod Decretum editum contra abusum loquens de Ecclesiis Parochialibus, et Regularibus intelligatur etiam idem disponere de Abbatialibus; secundo, quod propter solos titulos Altarium Officia non debeantur. » Die 28. Aug. 1628.

770. BRUNDUSINA.

Petierat Coadiutor Archidiaconi primae Dignitatis Cathedralis Brundusinae responderi tribus Dubiis porrectis, et commissis Illmo S. Clementis, videlicet:

1. An Coadiutori liceret se ingerere in executione literarum Apostolicarum, quando diriguntur Archidiacono Brundusino, cuius ipse est Coadiutor? et ad hoc S. C. respondit: « non posse. »

2. An Coadiutori competat traditio Candelae proprio Episcopo in die Purificationis, prout ad illum spectaret benedicere Candelas, absente, vel impedito Archiepiscopo? et S. C. respondit: « ad Coadiutorem spectare dare Candelam Archiepiscopo, dummodo ipse Coadiutor eodem die Missam cantet, alias non. »

3. An ipse Coadiutor habere debeat thurificationem ante Presbyterum Archiepiscopo solemniter celebranti assistentem, et praelationem in adoratione Crucis feria 6. in Parasceve, et in comunione solemnium, quae fit in feria V.? et Sac. Cong. respondit: « in omnibus praeferendum esse Coadiutorem, dummodo ipse inserviat pro assistente, vel solemniter celebret dictis diebus. » Die 28. Augusti 1628.

771. ISERNIAE.

Referente Illmo S. Georgii instantiam Archiepresbyteri Cathedralis Iserniae gravati ab Episcopo celebrare Missas uti Canonici, praeter illas, quas celebrat pro Episcopo absente, vel impedito, et etiam, quas uti dignitas ad ipsum per turnum

spectant; nec non prohibitionem Episcopi factam eidem Archiepresbytero celebranti solemniter assistentium Canonicorum, S. C. mandavit: « Scribi Episcopo, qui permittat Archiepresbytero solemniter celebranti iuxta solitum assistentiam Canonicorum, et non adstringat dictum Archiepresbyterum nisi ad Missas, quas celebrare debet uti Dignitas, vel quas celebrare debet pro Episcopo absente, vel impedito. Quod si Episcopus circa praemissa aliquid relevans in contrarium habet, deducat in S. R. C., quae providebit pro iustitia. » Die 16. Septembris 1628.

772. URBIS.

Die 28. Octobris 1628.

In Congregatione habita de ordine SS. ab Illmīs DD. Cardinalibus Millino, et Caietano, absente Illmo Muto pariter deputato, fuerunt firmatae infrascriptae conclusiones, et responsiones ad Dubia excitata super Decreto contra abusum edito sub die 8. Aprilis huius anni.

Ad 1. *Dubium.* De Episcopis Sanctis Locorum quomodo sit continuandum, seu celebrandum Officium?

Fuit responsum cum distinctione: « quod aut habent Officia propria, et a Sede Apostolica approbata, et debet continuari modo concesso: aut non habent, et poterit recitari de communi, si tamen constat illos fuisse canonizatos, vel per tempus memorabile celebratum fuisse de illis Officium, et Missam. »

Quod S. C. intelligit, « ut possit Officium, et Missa celebrari nedum in Civitate, in qua fuerunt Episcopi, sed etiam in tota Dioecesi rit. dup. »

Idemque fuit responsum: « quoad Archiepiscopos, ut in Civitate, et Dioecesi tantum, non autem in Provincia possit Officium, et Missa de eis recitari. »

Ad 2. De Sanctis titularibus responsum est: « de Titularibus Cathedralis tantum posse recitari Officium sub ritu dup. in tota Civitate, et cum Octava in Cathedrali tantum. »

Ad 3. fuit dictum, quod « Decretum contra abusum comprehendit etiam Breviaria tolerata a Pio V. excedentia biscentum annos, hoc modo videlicet, ut non possit eis addi aliquod Festum SS., nec minus ratione Reliquiarum, nisi modo, et forma contenta in Decreto, et consulta Sede Apostolica. »

Ad 4. fuit dictum: « esse distinguendum; nam, aut Ecclesia unita alteri non est diruta, et debet in ea celebrari Officium, prout ante unionem; aut est diruta, et tunc, si unio est extractiva Tituli, nihil; si accessoria, et cum translatione ad

Altare in Ecclesia, et Cathedrali, fiat Officium sub ritu semid. »

Ad 5. censuit: « deberi celebrari solum in Civitate unicum Festum translationis, et non plura, dummodo Reliquia sit insignis, et Patroni principalis vel Episcopi loci; et tunc cum officio sub ritu dup. si est Patroni principalis; ritu vero semidup. si translatio est Episcopi loci, sine tamen Octava. »

Ad 6. responsum est: « nullatenus in Anniversario Beatificationis, et Canonizationis debere celebrari Festum cum Officio, nisi illa tantum die Canonizationis, vel Beatificationis, et eo modo, quo concesserit S. C. »

Ad 7. responsum est « etiam negativum, quod Ecclesiae non debeant se conformare cum Cathedrali in festis Sanctorum, et Reliquiarum Cathedralis in Officio, et Missa. »

Ad 8. fuit dictum: « non potuisse, nec posse Episcopos, nec Regulares elevare Festa Calendarii Romani ad nobiliores ritum, puta a semid. ad duplicem sine licentia Sedis Apostolicae. »

Ad 9. « Quando Testator mandavit construi Altare, et fieri festum sub tali die, *responsum est*, negative, non debere festum cum officio celebrari, nisi sit in Calendario. »

Ad 10. De Sanctis, qui disseminarunt fidem, vel instaurarunt, an possit fieri Officium? et Sac. Cong. respondit, « quod doceant de tali restauratione, et dabitur resolutio. Idemque fuit responsum quoad illos Sanctos, qui dicuntur fundasse Civitatem; nam si probabitur, poterit tolli omnis difficultas, si recipiantur in Protectores. »

Ad 11. « Quod Moniales poterunt de Sanctis propriis celebrare Officium, sed Missam cum Missali Romano, si celebratur ab eorum Cappellanis. »

Ad 12. Quoad declarationem, quae sit insignis Reliquia, et an, et quae quantitas Cinerum Sanctorum sit insignis Reliquia, S. C. « noluit aliquid firmare, sed secundum casuum contingentiam, et qualitatem dabitur particulare responsum. »

Remansit ultima difficultas circa declarationem Decreti, quoad Missas reservatas Regularibus, et Missas S. Gregorii.

Et in iis S. C. censuit: « Decretum esse declarandum, quod Missa Rosarii, et de Carmelo non sunt vigore Decreti permissae omnibus Regularibus, sed singula singulis referendo, hoc est Missa Rosarii pro Dominicanis, et de Carmelo Carmelitanis, pro quibus tantum, et non aliis fuerunt approbatae, vel permissae, et sic de aliis. »

Quo vero ad Missas S. Gregorii, dictum fuit, « quod prohibitio in Decreto non intelligatur quoad Missas numero triginta institutas pro Defunctis

a S. Gregorio in Dialogor. cap. 55., sed solum illas Missas impressas, et non approbatas, quae circumferuntur sub nomine S. Gregorii pro vivis, et defunctis, sicut aliae quindecim Auxiliatorum, et de Patre aeterno. »

773. GALLIARUM.

Orta contentione in Abavilla Galliarum circa terminationem Iubilaei proxime indicti per SS.: an quindecim dies appositi in Brevi, et publicati V. G. in prima Dominica mensis, finiant in 3. Dominica inclusive, vel exclusive? et S. Congr. respondit: « Inclusive. » Die 20. Novembris 1628.

774. FESULANA.

Episcopus Fesulanus consulit S. C. 1. circa prohibitionem factam ab ipso in visitatione suae Dioecesis circa Reliquiam quamdam inventam in quadam Parochia Rurali, quae dicebatur esse de ligno SS^{mae} Crucis, de cuius verificatione nihil constat; et ad hoc fuit responsum: « lectum. »

2. Petiit: an Canonici suae Cathedralis debeant admitti in Ecclesiis Collegiatis suae Dioecesis, quando ad illas pro Pontificalibus exercendis accedit, sive potius Canonici dietarum Collegiarum? et Sac. Congr. mandavit « servari Decretum in Salamantina factum die 10. Ianuarii 1604., in quo fuit dictum, Canonicos Cathedralis non solum teneri, sed etiam cogi posse, ut Episcopo inserviant, quando accedit ad alias Ecclesias extra Cathedrali ad Episcopales functiones exercendas. » Die 20. Novembris 1628.

775. IANUEN.

Massarii Sanctae Mariae Vinearum nuncupatae, Ianuen. Dioecesis, petierunt declarari: an stante obligatione, et onere faciendi diversa Anniversaria statis diebus, in quibus occurrunt Festa duplicia, nec non etiam tempus Quadragesimale, quatuor Tempora, Vigiliae, et similia, possit omitti Missa Conventualis, vel potius utraque Missa cantanda de festo currenti videlicet, et de Anniversario? et Sac. C. respondit: « Missam Conventualem nullo pacto esse omittendam, sed utramque Missam esse cantandam, alteram de die, alteram de Requiem, etiam quod occurrat festum duplex, dummodo non sit de Praecepto, ad hoc, ut Testatorum voluntates adimpleantur, et licite eleemosyna lucrari possit, prout idem etiam respondit in una Pampilonen. 1. Sept. 1607. » Die 20. Novemb. 1628.

776. ANDRIEN.

Archipresbyter Ecclesiae Andrien. conquestus est de Magistro Caeremoniarum illius Ecclesiae ingerere se volente circa directionem Chori contra dispositionem Sacrorum Canonum, consuetudinem immemorabilem, et constitutiones synodales, pe-

tens provideri. Et S. C. respondit: « directionem Chori spectare ad primam Dignitatem, neque alium in ea posse se ingerere, etiam quod Chorus non recte gubernetur, sine speciali licentia Sedis Apostolicae, prout novissime respondit in una Iserniae 7. Augusti 1628. » Die 20. Novembris 1628.

777. NICIEN.

Episcopus Nicien. plura petiit definiri per hanc Sac. Cong.

1. An ipse potuerit ordinare, quod in suis Ecclesiis accendantur duo lumina super Altare, quotiescumque expositum fuerit SS. Sacramentum pro communione Fidelium? et ad hoc S. C. respondit: « Affirmative. »

2. An Canonici Cathedralis teneantur ministrare septem candelas Episcopo solemniter celebranti, prout disponitur in *Caeremoniali*, non obstante quod Statuta Cathedralis disponant tantum de quatuor Candelis in casu proposito? Et ad hoc S. C. pariter respondit: « affirmative iuxta dispositionem *Caeremonialis*. »

3. An habitus Canonicorum suae Cathedralis debeat esse uniformis, ex quo aliqui utuntur signo regulari iuxta primaevum statum dictae Cathedralis, alii vero signo saeculari vigore concessionis ipsis factae ab Episcopo Antecessore auctoritate ordinaria? Et ad hoc Sac. C. mandavit: « audiri Canonicos utentes habitu saeculari. »

4. An Episcopus induere teneatur Cappam Pontificalem in sua camera antequam excipiat Canonicos in habitu canonicali pro illo eomitando ad Ecclesiam; an vero sufficiat, quod Cappam induat in illa camera, in qua conveniunt Canonici pro illo excipiendo? Et ad hoc S. Cong. « satis esse, respondit, quod Episcopus Cappam induat in illa camera, in qua expectant Canonici pro illo excipiendo. »

5. An Episcopo audienti Concionem in sua sede ordinaria cum Cappa Pontificali, debeat assistentia duorum Canonicorum, prout debetur in Missa, et in Vesperis? Et S. C. mandavit: « in hoc exquiri solitum Ecclesiarum vicinarum. » Die 20. Novembris 1628.

778. URBIS.

Procurator Generalis Fratrum Servorum supplicavit declarari praecedentiam in funeralibus dandam esse Curato sui Ordinis in Terra Scandiani Regien. Dioecesis, quotiescumque incedit cum Stola. Et S. C. mandavit: « servari Decreta alias in similibus facta, nempe praecedentiam dandam esse Presbytero sive Saeculari, sive Regulari cum Stola supra alios sine Stola. » Die 20. Novembris 1628.

779. AVERSANA.

Oeconomi, et Ministri Ecclesiae S. Iuliani Aversanae Dioecesis conquesti sunt de Curatis loci, praetendentibus facere Officium super Cadaveribus, quae deferuntur in eorum Ecclesia sepelienda, in praeiudicium Sacerdotum in dicta Ecclesia actu inservientium, nec non cantare Missas, aliaque facere, ac si essent in propriis Ecclesiis, supplicantes declarari, an liceat? Et Sacra Congregatio respondit: « non licere. » Die 20. Novembris 1628.

780. DUBIUM CIRCA DELATIONEM ANNULI.

Petitum fuit declarari: an prohibitio facta per hanc S. C. circa delationem Annuli, quando Protonotarii celebrant, comprehendat etiam Canonicos Cathedralis. Et S. C. respondit: « Affirmative. » Die 20. Novembris 1628.

781. FANEN.

Plebanus Montis Pinelli Fanen. Dioecesis institit prohiberi Presbyteris Oratoriorum dictae Terrae, ne audeant celebrare Missam ante ipsum Plebanum, seu saltem de licentia, et consensu ipsius; et S. C. respondit: « in sua tantum Ecclesia posse prohiberi, in Oratoriis vero nequaquam. » Die 20. Novembris 1628.

782. BONONIEN.

Moniales S. Augustini Civitatis Bononiae supplicarunt pro licentia transferendi Festum Consecrationis cadens 1. Aprilis ad diem 19. Octobris stante quod, ut plurimum 1. dies Aprilis concurrat cum hebdomada Sancta, et festum Consecrationis caret Octava. Et S. C. respondit: « Festum Consecrationis cadens in hebdomada maiori, fieri sine Octava iuxta Rubricas Breviarii Romani. » Die 20. Novembris 1628.

783. ISERNIAE.

Dignitates Cathedralis Iserniae petierunt declarari: an Episcopus in Synodo potuerit praecipere sub poena excommunicationis, quod Canonici, qui in defectum Assistentium inserviunt Episcopo, advenientibus Canonicis assistentibus, non cedant illis debitum locum? Et S. C. respondit: « non posse. » Die 20. Novembris 1628.

784. BURDEGALEN.

Decanus Canonicorum Collegiatae Ecclesiae S. Severini uti exemptae a iurisdictione Ordinarii, praetendit in Processionibus incedere ad sinistram Decani Canonicorum Cathedralis Burdegalen.; quod cum dictis Decano, et Canonicis Cathedralis videatur inconueniens, quod membra separentur a corpore, petierunt provideri. Et S. C. mandavit: « servari *Caeremoniale* in cap. 32. et 33. » Die 20. Novembris 1628.

785. SENOGALLIEN.

Editis per Vicarium Generalem Civitatis Senogallien. quibusdam Decretis pro deferendis cadaveribus tam per Civitatem, quam extra, iisque ad hanc Sac. R. C. pro confirmatione transmissis; Sacra Rituum Congregatio, quoad 1. respondit: « omnes vocatos ad funus in Ecclesia Parochiali, vel in alia iuxta loci consuetudinem ex Rituali Romano titul. de exequiis convenire debere. » Quoad 2. « Capitulum, Canonicos, et Curatum Cathedralis post Curatum defuncti Stolum deferentem incedere debere. » Quoad 3. « Semper quartam funeralem Intortitorum, quae circa Corpus defuncti deferuntur, reservatam intelligi proprio Parocho, quotiescumque defunctus alibi sepeliri contigerit. » Quoad 4. « Disposita in Civitate servari etiam debere extra Civitatem ab omnibus, qui interesse funeri voluerint. » Die 9. Decembris 1628.

786. IANUEN.

Canonici Presbyteri Cathedralis Ianuen. conquesti sunt de Praeposito eiusdem Cathedralis prima Dignitate, quod in praeiudicium ipsorum ausus sit velle assistere Episcopo non celebranti, sed tantum Divinis interessenti contra praescriptum Caeremonialis lib. 1. cap. 7. de Officio Presbyteri Assistantis, petentes provideri. S. C. respondit: « Assistentiam Presbyteri Assistantis in casu proposito debere fieri per Canonicum Presbyterum non digniorem, autem per Canonicos habentes Dignitatem iuxta dispositionem Caeremonialis lib. 1. cap. 7. vers. Episcopo vero non celebrante. » Die 9. Decembris 1628.

787. ANCONITANA.

Prior Conventus, et Ecclesiae S. Dominici Anconitanae Diocesis valde dolenter conquestus est de Confratribus Societatis Rosarii positae in eorum Ecclesia, quod propria auctoritate, et repugnante dicto Priore, ausi fuerint supra ianuam Ecclesiae in publico exponere insignia Protectoris dictae Confraternitatis, aliaque facere in dedecus, et praeiudicium libertatis suae Ecclesiae, supplicans declarari: an haec liceant? Et S. C. respondit: « non licere supra ianuam Ecclesiae in publico, bene tamen posse permitti, ut ponatur supra Cappellam Confraternitatis intus Ecclesiam. » Die 9. Decembris 1628.

788. GIENEN.

Supplicatur Sanctitati Vestrae pro parte Ill^mi D. Cardinalis de Sandoval Episcopi Gienen. pro declaratione infrascriptorum Dubiorum ad auferendas difficultates.

1. In Bulla S. M. Pii PP. V., quam inseri iussit in principio Breviarii, leguntur haec verba:

statuentes Breviarium ipsum nullo unquam tempore vel totum, vel ex parte mutandum, vel ei aliquid addendum esse etc. Et Gregorius XIII. in quoddam Breve expedito anno 1573. die 30. Decembris declarando mentem Pii V. circa quoddam Breve, quod dederat super modo, et forma observandis in celebratione Sanctorum Hispaniarum expresse ordinat, quod in nulla Ecclesia, nec Episcopatu Hispaniarum possint celebrari propria Officia, nisi eorum Sanctorum, qui sunt Patroni, aut illorum, quorum Corpora recondita essent in tali Ecclesia, aut Episcopatu, aut saltem notabilis illorum Reliquia; de aliis vero non posse recitari, sed quod servetur forma in Rubricis Breviarii Romani praescripta.

2. In Bullis Canonizationis Sanctorum ponuntur haec verba: *Statuentes, ut ab universali Ecclesia anno quotibet in die N. festum ipsius, et Officium sicut pro Martyre, vel Confessore etc. ad formam in Rubricis Breviarii Romani praescriptam devote, et solemniter celebretur.* Ex quibus verbis apparet, quod conceditur licentia absolute, et indistincte, ut in omnibus Ecclesiis possit recitari de omnibus Sanctis Canonizatis, et utendo huiusmodi interpretatione in aliquibus Episcopatibus Ordinarii, et Capitula admittunt Sanctos, sibi bene visos, et de illis recitatur.

Quare supplicatur ad tollenda omnia, et opinioniones declarari quomodo intelligantur illa verba: *ad formam in Rubricis Breviarii Romani praescriptam*: et si Ordinarii, et Capitula poterunt eorum arbitrio recitare de Sanctis Canonizatis sibi bene visis non existentibus in Calendario, etiamsi non sint Patroni talium Episcopatum, nec minus requiescant in illis Corpora, vel notabiles Reliquiae illorum.

3. Quando impertitur licentia recitandi in una Provincia de aliquo Sancto Canonizato, ponitur clausula restrictiva, scilicet *ad quos spectat.*

Desideratur scire, si est intelligenda iuxta formam Breviarii, aut quod solummodo recitent ex gr. Fratres sui Ordinis, si Sanctus fuit Religiosus, aut quod absolute possit recitari in omnibus Ecclesiis illius Provinciae?

4. In aliquibus Episcopatibus est consuetudo, quod quando fit festum, in quo SS. Eucharistiae Sacramentum expositum existit in Altare, quamvis videatur indecens, concionatores, cum concionantur, sunt capite cooperto.

Quare supplicatur Sanctitati Vestrae, quod dignetur declarare: quid sit servandum in supradictis Dubiis? in quo etc. quam Deus etc.

S. R. C. ad supradicta Dubia petita respondit:

Ad 1. « Facultatem concessam in literis, et Bullis Canonizationum celebrandi Festum de aliquo Sancto Canonizato, et Officium de eo recitandi, non posse ad exercitium deduci, nisi et modo, et forma, qua specialiter per Sedem Apostolicam, et Sac. R. C. permittitur. Ideoque esse necessariam huiusmodi declarationem, et Decretum etc. » Ad 2. « Non posse Ordinarium neque Capitulum, aut alios recitare Officium de Sanctis Canonizatis qui non sint in Calendario descripti, vel non sint Patroni Ecclesiarum, aut adsint ipsorum Reliquiae insignes iuxta Decretum ultimo loco contra abusus emanatum. » Ad 3. « Exhibendam esse licentiam concessam de celebrando Officium de aliquo Sancto Canonizato, quia ex verbis concessionis S. C. *respondet* quid in illo casu servandum sit; an scilicet Officium fieri debeat generaliter ab omnibus, vel a tali dumtaxat Religione, cum diversimode tales facultates soleant concedi. » Ad 4. « Indecens omnino esse ante SS^mum Eucaristiae Sacramentum publice expositum concionem, vel sermonem habere capite cooperto, consuetudinemque contrariam, *respondit*, non esse consuetudinem, sed abusum tollendum, et prohibendum, prout omnino tolli, et prohiberi mandavit hac die 9. Decembris 1628. *et iuxta alias resoluta* in una Ilerden. 28. Aprilis 1607. »

789. SAVONEN.

Episcopus Savonen. supplicavit definiri: 1. an ipse in publicis Processionibus cum cappa, et bireto incedere debeat solus, aut medius inter duas Dignitates? Et S. C. *respondit*: « non inter Dignitates, sed solum incedere debere. »

2. An in Processione, in qua defertur aliqua Imago, seu Reliquia, ipse cum cappa, et bireto incedere debeat ante, vel post Reliquiam, seu Imaginem? Et S. C. *respondit*: « Episcopum post Imaginem, seu Reliquiam incedere debere, nisi adsit consuetudo in contrarium. »

3. Quis locus competat, et debeat Vicario Generali in dictis Processionibus, absente, vel praesente Episcopo? Et S. C. *respondit*: « Vicarium Generalem in Processionibus ultimo loco incedere debere inter Canonicos, seu Dignitates, dummodo non adsit consuetudo in contrarium. » Die 20. Decembris 1628.

790. URBINATEN.

Archipresbyter S. Luciae loci Aqualagnae Urbinaten. Dioecesis conquestus est de Fratribus Eremitanis S. Augustini eiusdem loci, recusantibus accedere ad Ecclesiam Parochialem defuncti, ex eo quod ipse defunctus humari debeat in Ecclesia ipsorum Fratrum. Et Sac. C. mandavit: « servari

Rituale Romanum tit. de exequiis, ubi disponitur vocatos ad funus, in Ecclesia Parochiali defuncti, vel in alia, iuxta loci consuetudinem, convenire debere. » Die 20. Decembris 1628.

791. BAREN.

Vicarius Generalis Civitatis Baren. asserens in Terra Patrignani adesse quoddam os Capitis Sancti Stephani Protomartyris, quod deferri soleat processionaliter die 3. Augusti, et 26. Decembris, petiit declarari: an haberi possit pro Reliquia insigni? Et S. C. *respondit*: « non posse. » Die 20. Decembris 1628.

792. ARBEN.

Canonici Civitatis Arben. petierunt declarari: an ipsi teneantur excipere proprium Episcopum degentem extra Ecclesiam ultra 30. passus, quousque accedit cum cappa ad Ecclesiam? Et S. C. *respondit*: « teneri. »

Item: an Aspersorium eidem Episcopo Ecclesiam ingredienti porrigendum sit a prima Dignitate, et, ea absente, a digniori subsequente? Et Sac. C. *respondit*: « Aspersorium semper a digniori porrigendum esse proprio Episcopo. » Die 20. Decembris 1628.

793. MONACHORUM OLIVETANORUM.

Monachi Olivetani petierunt declarari: an ipsi sicuti tenentur erigere Baldachinum pro Episcopo accedente ad eorum Ecclesias, ita pariter teneantur in casu, quo accedit Capitulum Cathedralis sine Episcopo? Et S. C. *respondit*: « teneri Monachos in utroque casu erigere Baldachinum. » Die 20. Decembris 1628.

794. PHAREN.

Dubiis quatuor iam porrectis pro parte Coadiutoris tertiae Dignitatis Ecclesiae Pharen., et commissis Ill^mo Caietano, eodem Ill^mo hodie referente, S. C. R. *respondit*, ut infra:

Quoad 1. An Coadiutor habere debeat eundem locum, et stallum in Choro, et in Processionibus eandem praesentiam, quam haberet Coadiutor, si praesens esset? « omnia competere Coadiutori Dignitatis, quae competere Coadiuto. »

Quoad 2. « An Coadiutor possit iuvari Beneficio regularum de annali, vel triennali? « Necessesse, ut lapsus sit tempus unius anni iuxta regulam de annali, et tempus unius triennii iuxta regulam de triennali post admissionem ad Coadiutoriam. »

Quoad 3. An Coadiutor possit quidquam exercere invito, vel nolente Coadiuto? « non posse. »

Quoad ultimum. « An talis Coadiutor possit habere vocem in Capitulo sive activam, sive passivam, absente Coadiuto? « Non posse, nisi hoc

expresse legatur in Bulla ipsius Coadiutoriae. » Die 20. Decembris 1628.

795.

ANDRIEN.

Fr. Vincentius de Roma Commissarius Generalis Minorum Observantium S. Francisci supplicavit praecipere Curatis, et aliis Sacerdotibus etiam Ecclesiarum Cathedralium, ne se ingerant in faciendi Officium super cadaveribus tumulandis in ipsorum Fratrum Ecclesiis, non obstante quacumque contraria consuetudine; et, auditis etiam super hoc Canonicis Cathedralis Andrien., S. C. respondit: « Officium super cadaveribus in Ecclesiis Regularium fieri debere per ipsos Regulares; non autem per alios Curatos etiam Cathedralium, non obstante quacumque contraria consuetudine. » Die 10. Februarii 1629.

796.

PASSAVIEN.

Provincialis Capuccinorum Civitatis Passavien. petit declarari: an sub prohibitione Missae XV. Auxiliatorum, comprehendatur etiam prohibita Oratio ipsorum peculiaris in honorem dictorum Auxiliatorum, quotidie recitari solita a suis Capuccinis? Et S. C. respondit: « Orationem praedictam esse prohibitam. » Die 10. Februarii 1629.

797.

CEFALONEN.

Episcopus Cefalonens. supplicavit declarari: an Comiti Domino Terrae de Isnello iuxta Choram in Ecclesia maiori uti liceat Throno, seu sede in loco superiori, et eminentiori cum gradibus, et baldachino ad instar sedis episcopalis?

Item: An eidem competat thurificatio per Presbyterum Pluvialem gestantem? Et S. Cong. respondit: « nihil ex supradictis Domino loci competere. » Die 10. Februarii 1629.

798.

ASCULANA.

Dionysius Capponius, Abbas Terrae Amatricis Asculanae Dioecesis, conquestus est de Vicariis Foraneis praetendentibus praecedentiam supra ipsum ex solo titulo huiusmodi Vicariatus, petens provideri, non obstante consuetudine contraria per dictos Vicarios praetensa. Et Sac. C. respondit, prout alias millies: « nullam deberi praecedentiam Vicariis Foraneis ratione dicti Vicariatus, non obstante consuetudine contraria. » Die 10. Februarii 1629.

799.

FLORENTINA.

Capitulum et Dignitates Civitatis Florentiae supplicarunt coerceri Presbyteros quosdam etiam rurales, qui sub praetextu tituli Protonotarii comparent in funeralibus, et aliis functionibus Ecclesiasticis cum Rochetto discooperto in dedecus, et villipendium tantae dignitatis. Et S. C. respondit: « tales Protonotarios non posse, nec debere

deferre Rochettum discoopertum loco superpellicei. » Die 17. Martii 1629.

800.

PAPIEN.

Consortium Sacerdotum Saecularium S. Lori Civitatis Papien. non valens satisfacere Anniversariis defunctorum, ad quae tenentur ex obligatione in diebus ferialibus, supplicavit idem posse facere in festis duplicibus, non tamen de praeepto; et S. C. respondit: « posse. » Die 17. Martii 1629.

801.

ASSISIEN.

Plebanus Bastiae Assisien. Dioecesis exposuit: Fratres Conventuales dictae Terrae velle intervenire in funeralibus non vocati, et in Processionibus, et Rogationibus deferre Pluviale, benedicere agnos, et alias functiones exercere ad Parochum spectantes, supplicans provideri.

Et S. C. respondit: « non licere dictis Fratribus non vocatis interesse in associatione cadaverum, et multo minus in Processionibus, et Rogationibus deferre Pluviale, et agnos benedicere, quia haec spectant ad Parochum, et non ad alios. Quo vero ad alias functiones mandavit illas exprimi. » Die 17. Martii 1629.

802.

ASCULANA.

Priores Terrae Pennae Asculanae Dioecesis supplicarunt definiri: an ipsi thurificandi sint immediate post Canonicos ante alios Presbyteros inservientes? Et S. C. respondit: « thurificandos esse post omnes de Clero. » Die 17. Martii 1629.

803.

NUCERINA PAGANORUM.

Pro parte Capituli Nucerinum Paganorum petitum fuit: an, stante penuria Canonicorum in Choro, cum non sint nisi octo, celebranti Archipresbytero, vel alteri Dignitati debeat assistentia duorum Canonicorum? et S. C. respondit: « deberi. » Die 17. Martii 1629.

804.

CONGREGATIONIS OLIVETANORUM.

Instante P. D. Silvio Favilla de Neapoli Procuratore Generali Congregationis Monachorum Montis Oliveti nomine Abbatum eiusdem Congregationis, ut, attenta antiquissima consuetudine, solemniter cum Baldachino, et Assistentibus in eorum Ecclesiis celebrandi, recederetur quoad eos a Decretis alias hac de re editis in Causis *Firmana* 28. Ianuarii 1606., et *Neapolitana* 18. Martii 1617.

S. R. C., saepius audito eodem Procuratore Generali, et rationibus ab eo deductis mature consideratis, Illmo, et Rmo Dño Cardinali Caesarino referente, censuit, et declaravit: « in hac parte recedendum esse a dictis S. C. Decretis, et licere Abbatibus Olivetanis solemniter in tribus tantum anni Festivitatibus celebrantibus, uti Baldachino,

sine auro tamen, et pompa, nec non assistentia unius Presbyteri, et duorum Diaconorum, ac aliorum sex ad summum Monachorum sacris indumentis coloris Solemnitati convenientis paratorum, ultra Diaconum, et Subdiaconum, qui in Missa cantaturi sunt Evangelium, et Epistolam, atque ita, ut iidem Abbates nullo modo teneant sedem abbatialem fixam, ac permanentem prope Altare, ut sedes episcopalis retineri solet, sed eorum sedes retineatur in Ecclesia iis tantummodo diebus, quibus solemniter celebratur; et dicti sex Monachi, ut supra, parati non in sedibus choralibus, sed super scabellis sedeant in sito congruo, iuxta Ecclesiarum convenientem situm, tunc appositis panno laneo coopertis: dictis S. C. Decretis in Causis Firmana, et Neapolitana editis in suo robore permansuris. » Die 17. Martii 1629.

805. CAPUANA.

Illmo Pio referente petitionem Alicornii Natalis Castripullae Capuanae Dioecesis super iure sepulturae reservato pro se, et successoribus in Ecclesia per ipsum aedificata existente intra fines Ecclesiae Parochialis, nec non renitentia proprii Parochi super celebratione Missae in dicta Ecclesia Alicornii ante Missam Parochialem in diebus festivis; Sac. R. C. respondit: « valere reservationem sepulturae pro Alicornio, et Successoribus in Ecclesia per ipsum aedificata, reservata tamen quarta funerali debita Parochiali Ecclesiae: nec posse prohiberi celebrationem Missae in propria Ecclesia diebus festivis ante Missam Parochialem. » Die 31. Martii 1629.

806. PIENTINA.

Praepositus Cathedralis Pientinae supplicavit definiri: an ipse, absente, vel impedito Episcopo, distribuens Palmas laicis, stare debeat capite detecto, vel cooperto? et S. C. respondit: « stare debet capite detecto, » prout idem alias respondit 18. Iulii 1626. Die 31. Martii 1629.

807. SAVONEN.

Lectae fuerunt literae Archiepiscopi Ianuen. respondentis in sua Metropoli ab immemorabili tempore solitum esse in Missis Mortuorum adhiberi etiam organum, sed sono quodam moesto, et lugubri; quibus stantibus S. R. C. respondit: « id etiam posse permitti in Ecclesia Savonen., non obstante prohibitione Ordinarii. » Die 31. Martii 1629.

808. ASSISIEN.

Plebanus Bastiae Assisien. Dioecesis conquestus est de abusu introducto per Regulares S. Crucis eiusdem Terrae accedendi etiam non vocatos ad funeralia, et praetendentes ratam quamdam panni

nigri, supplicans provideri; et S. C. respondit: « absque exactione aliqua posse accedere Regulares non vocatos. » Die 31. Martii 1629.

809. BURGI S. SEPULCHRI.

Marcus Aggiuntus Protonotarius, et Canonicus Cathedralis Burgi S. Sepulchri supplicavit permitti sibi, quod, amissis distributionibus quotidianis sui Canonicatus, possit interesse in Choro supra alios Canonicos in habitu praelatio; et S. Cong. respondit: « non licere interesse in Choro sine habitu Canonicali. » Die 31. Martii 1629.

810. COTRONEN.

Canonici Cathedralis Cotronen. supplicarunt eximi a servitio Diaconi, et Subdiaconi, quando celebrat aliqua Dignitas eiusdem Cathedralis loco Episcopi absentis, vel impediti; et S. C. respondit: « Canonicos teneri ad inserviendum pro Diacono, non solum Dignitati solemniter celebranti, sed etiam cuicumque alii Canonico pariter celebranti. » Die 31. Martii 1629.

811. ANDRIEN.

Episcopo Andrien. petenti assistentiam Canonicorum in Missis privatis, S. C. respondit: « non deberi. » Die 11. Iunii 1629.

812. ARIANEN.

Paulus Emilius Roccius, et Leonardus Grossus olim Canonici Ecclesiae Arianen., dimisso Canonicatu, petierunt declarari: an ipsi praecedere debeant eos Canonicos, qui possessionem adepti sunt postquam ipsi dimiserint Canonicatum. Et S. C. respondit: « non debere praecedere. » Die 11. Iunii 1629.

813. NUCERINA.

Canonici Cathedralis Nucerae supplicarunt declarari: an ipsi praeter solitum possint adstringi ab Ordinario ad recitandum in Choro Psalmos Graduales, Poenitentiales, et Officium mortuorum. Et S. Cong. respondit: « non posse. » Die 11. Iunii 1629.

814. NUCERINA.

Idem Canonici Cathedralis Nucerae supplicarunt mandari servari solitum circa recitationem Matutini, Horarum, et Missae Conventualis, attempto quod ab immemorabili tempore paulo post ortum Solis recitant in Choro Matutinum, et successive horas Canonicas, et immediate post Nonam cantant Missam Conventualem. Et S. C. mandavit « servari solitum. » Die 11. Iunii 1629.

815. OSTUNEN.

Octavius Serra, et eius filius maior natu asserentes se Patronos, et Barones Terrae Carovignii Ostunen. Dioecesis, supplicarunt assignari sibi locum in Ecclesia maiori dictae Terrae etiam in

praesentia Episcopi, et quomodo thurificari debeant in Missa Solemni. Et S. C. respondit: « servari Caeremoniale. » Die 11. Iunii 1629.

816. **ORIOLEN.**

Episcopus Oriolen. ad instantiam Fisci suae Cathedralis petiit declarari: an Decretum factum ab hac Sac. C. 30. Septembris 1628. prohibens mulieribus ingredi septa Monasteriorum Regularium in Processionibus Rosarii, et similium, debeat servari, non obstante *Bulla Pii V.* permittens mulieribus in similibus Processionibus ingredi septa Monasteriorum. Et S. C. respondit: « servandum esse Decretum factum 30. Septembris 1628. ex quo adest *Bulla Gregorii XIII.* revocatoria, et est posterior. » Die 11. Iunii 1629.

Decretum autem 30. Septembris 1628. sequens est.

ORIOLEN. Archidiaconus Oriolen. exposuit adesse in Civitate usum comitandi mulieres in Processiones privatas Regularium, puta Rosarii, de Carmine, Cinguli S. Francisci, Corrigiae S. Augustini, et similibus per claustra Monasteriorum Regularium contra *dispositionem Pii V., et Gregorii XIII.* petens declarari: an hoc liceat, et sit permittendum? Et S. C. respondit: « non licere, nec esse permittendum, nisi de expressa licentia Sedis Apostolicae. » Die 30. Septembris 1628.

817. **TORNACEN.**

Episcopus Tornacen. supplicavit responderi: an liceat in Oratione post Communionem pro Papa addere etiam: et Antistite Nostro, prout dicitur in Oratione Secreta? Et S. C. respondit: « nihil. » Die 11. Iunii 1629.

818. **TURRITANA.**

Episcopus Turritanus petiit: an possit celebrari in Altare, sub quo sint sepulta cadavera defunctorum? et Sac. C. respondit: « non posse. » Die 11. Iunii 1629.

819. **CASTRI MARIS.**

Episcopus Castri Maris conquestus est de Iesuistis, et aliis Regularibus, quod audeant exponere SS. Sacramentum absque eius licentia, et, quod peius est, Processiones faciant extra Ecclesiam per loca publica, supplicans provideri; et S. C. respondit: « Iesuistas petere debere ab Episcopo, qui permittat pro ultima Dominica Carnis Privi. Quo vero ad Processiones per loca publica nec ipsis, nec aliis licere. » Die 20. Iunii 1629.

820. **FULGINATEN.**

Petitum fuit pro parte Canonicorum Cathedralis Ecclesiae Fulginaten. declarari: ad quem pertineant functiones Episcopales, absente, vel impedito Episcopo? Et S. C. respondit: « functiones Episcopales,

absente, vel impedito Episcopo, ad digniorem de Capitulo spectare, et pertinere ordine successivo. » Die 20. Iunii 1629.

821. **HISPALEN.**

Archiepiscopus Hispalen. duo petit ab hac Sac. Cong. defini: 1. an ipse Archiepiscopus poterit cum consensu Populi, et Cleri indicere Festum S. Augustini per Dioecesim Hispalensem de praecepto, contradicente Capitulo? Et S. C., referente Illmo Columna, respondit: « potuisse. »

2. An idem Archiepiscopus possit procedere ad poenas contra Capitulares non servantes dictum Festum de praecepto, sine adiunctis? Et S. Cong. remisit « ad Congregationem Concilii. » Die 20. Iunii 1629.

822. **MATRITI.**

Nomine Regis Catholici petiit concedi Officium, et Missam pro die festo S. Rochi pro Oppido, et Populo Matriti. Et Sac. C. *concessit iuxta Rubricas.* Facto verbo *cum Sanctissimo, Sanctissimus* annuit pro omnibus Ecclesiis in honorem dicti Sancti dicatis ubique locorum, *iuxta tamen Rubricas.* Die 20. Iunii 1629.

823. **MELPHITEN.**

Expositum fuit pro parte Cathedralis Melphiten. adesse inter Canonicos eiusdem Cathedralis Canonicum Protonotarium praetendentem assistere inter Canonicos cum habitu praelatitio, et uti talem praecedere etiam aliis; et Sac. Cong. respondit: « Canonicum Protonotarium cum habitu Praelatitio nec supra, nec inter Canonicos assistere debere, nec lucrari distributiones. » Die 20. Iunii 1629.

824. **INTERAMNEN.**

Referente Illmo Caesarino petitionem Canonici Simonetti de Interamne conquerentis de Vicario pariter Canonico, quod in habitu canonicali faciat ante se sternere tapetum cum pulvinari; S. Cong. respondit: « Canonico Vicario in habitu canonicali nullam deberi praerogativam; secus autem si assistat in habitu Protonotarii. » Die 20. Iunii 1629.

825. **S. ROCHI.**

Cum actum fuisset pluries in S. R. Cong. de concedenda Missa, et Officio in festo S. Rochi, qui penes omnes Christifideles in maxima veneratione semper est habitus, tandem sub die 20. Iunii 1629. eadem S. C., negotio mature discusso, censuit: « esse concedendam Missam, et Officium in die festo S. Rochi de Communi Confessor. non Pont., in iis tamen locis, ubi adsunt Ecclesiae in eius honorem aedificatae, et servatis Rubricis Breviarii. » Et haec resolutio fuit facta consentientibus omnibus Illms Patribus, et instante praesertim D. Didaco Lopez de Zunica, qui hoc enixe petiit nomine Villae,

seu Oppidi Matriti; quam resolutionem SS. D. N. approbavit, et laudavit. Die 4. Iulii 1629.

826. ALEXANDRINA.

Cum vigore Decreti Synodi Provincialis III. Mediolanen., in Synodo Dioeciesana Alexandrina per Episcopum celebrata statutum fuisset, ut certis anni diebus celebraretur festum Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, et aliarum Ecclesiarum Parochialium Civitatis, et Dioecesis, quarum certus Consecrationis dies ignorabatur, idemque etiam servaretur respectu illarum Ecclesiarum, quas certum erat non fuisse consecratas, dubitatum fuit per Clerum Alexandrinum in S. R. C.

1. An posset celebrari Dedicatio illarum Ecclesiarum, quas certum est non fuisse consecratas?

2. An potuerint Episcopi extra actum Consecrationis statuere diem Dedicationis?

Eadem S. R. C., referente Illmo D. Cardinali Pio censuit; ad 1. « non posse celebrari Festum Consecrationis illius Ecclesiae, quam certum est non fuisse consecratam, imo neque si est dubium. »

Ad 2. « potuisse Episcopum constituere diem celebrationis Festi Consecrationis Ecclesiarum, quando certa dies ignorabatur, dummodo constaret fuisse consecratas; sed Festum Consecrationis Ecclesiarum, praeterquam Cathedralis, celebrari debere in ea tantum Ecclesia, cuius dies festus Consecrationis peragitur. » Die 18. Augusti 1629.

827. BREVIARII ROMANI.

Expositum fuit abusus irrepsisse in multis Monasteriis Italiae per Moniales, quando faciunt inter ipsas Confessionem, alterantes verba *vobis Fratres, in Sorores, et te Pater, in te Mater.* Et Sac. C. respondit: « Confessionem fieri debere prout iacet in Breviario. » Die 18. Augusti 1629.

828. CALARITANA.

Stante concordia in suppressione sex Beneficiorum, et erectione totidem Canonicatum in Ecclesia Calaritana facta, ut dieti sex novi Canonici, eorumque Successores, nullo umquam tempore existentes praecedere possint; petatum fuit per Sac. R. C. declarari: an praedicti novi Canonici cedere debeant praecedentiam Coadiutoribus antiquorum Canonicorum?

Eadem S. R. C., referente Illmo D. Card. Pio, censuit, ut alias saepius: « Coadiutores, viventibus Coadiutis, non esse veros Canonicos, et ideo illis nullam deberi ab aliis Canonicis praecedentiam, et ita in Ecclesia Calaritana inter praedictos » servari mandavit, die 18. Augusti 1629.

829. DUBIUM.

Quaesitum fuit: an Abbates, alique similes habentes facultatem benedicendi Paramenta eccle-

siastica pro usu propriarum Ecclesiarum, possint vigore talis facultatis benedicere Paramenta exterarum Ecclesiarum, non obstante eorum allegata consuetudine? Et S. C. respondit: « non posse. » Die 18. Augusti 1629.

830. INCERTI LOCI MEDIOLANEN.

Cum ex parte Card. Borromaei Archiepiscopi Mediolanen. fuisset petatum a S. R. C. declarari: an simplex Praelatus Referendarius in Collegiata Praepositus, vel Canonicus celebraturus Missam privatim, possit Paramenta sumere de Altari cum ministerio etiam laicorum famulorum, et super presbyterio, vel in stallo pulvinari uti?

Et S. C., inhaerendo Decreto alias facto « sub die 7. Iulii 1612., in quo fuit dictum solis Episcopis privatim celebrantibus id convenire, ut Paramenta sacra non ex Sacristia, sed ex Altari sumere debeant, et habere duos Ministros superpelliceo indutos, qui ei respondeant, et inserviant, ut declaratur in Caeremoniali Episcoporum Lib. 2. cap. 29. respondit: caeteris privatim celebrantibus, et in specie Referendariis id nullatenus licere, et ideo debere omnino a praedictis abstinere. » Die 18. Augusti 1629.

831. SULMONEN.

Fratres Conventuales S. Francisci loci Populei Sulmonen. Dioecesis conquesti sunt de Archipresbytero loci prohibente ipsos vocatos ad funus associare cadaver cum eorum propria Cruce, psalmosque, de more decantari solitos, canere. Item, quod dictus Archipresbyter velit Officium facere super cadaveribus, quae sepeliuntur in Ecclesia ipsorum Regularium; supplicantes provideri. Et Sac. C. quoad associationem cadaverum, quando vocantur ad funus cum decantatione Psalmorum, respondit: « non posse Regulares impediri, dummodo incedant sine Cruce, quia in funeribus unica tantum Crux est deferenda, et illa debet esse illius Ecclesiae ad quam funus defertur: quo vero ad Officium super Cadaveribus, respondit: Officium fieri debere per Regulares, in quorum Ecclesiis Cadavera tumulari debent, » et ita servari mandavit die 18. Augusti 1629.

832. SULMONEN. ET VALLACEN.

Confratres Pietatis loci Populei Sulmonen. Dioecesis, aggregat. Confraternitati Mortis Urbis conquesti sunt de Archipresbytero loci, quod contra Institutum Confraternitatis impediatur, quominus non associet Mortuorum cadavera ad sepeliendum. Et Sac. C. respondit: « Confratres praedictos non posse impediri. » Die 18. Augusti 1629.

833. SAVONEN.

Canonici Cathedralis Savonen. institerunt de-

clarari, Episcopum in publicis Processionibus teneri medium ire inter duas Dignitates, vel Canonicos antiquiores, ad instar Metropolitanis, et Episcoporum antecessorum, et prout iam per hanc Sac. Cong. decretum fuit. Et Sac. C., referente Illmo S. Georgii, citato etiam ad hoc agente dicti Episcopi, mandavit: « scribi iterum Episcopo, quod observet Decreta emanata ab hac S. C., et literae consignentur Illmo Sancti Clementis. » Die 18. Augusti 1629.

834. TURRITANA.

Archiepiscopus Turritanus conquestus est de Archiepiscopo Arboren. degenti in Provincia Turritana, quod audeat incedere per Civitates cum Rochetto discooperto, et Mozzetta benedicens Populum per vias in praeiudicium iurisdictionis Metropolitanis, supplicans declarari: an praefata liceant?

Et Sacra Congregatio respondit: « non licere, et Archiepiscopum Arboren. omnino abstinere debere, qui, si habuerit aliquid relevans in contrarium, deducat, et audietur. » Die 18. Augusti 1629.

835. TERDONEN.

Canonici Cathedralis Terdonen. supplicarunt pro licentia cantandi Missam mortuorum in Altari Privilegiato qualibet feria 6., non obstante, quod eo die incidat festum duplex, dummodo non sit festum de praecepto. Et Sac. C. concessit, « dummodo non ommittatur Missa Conventualis de die. » Die 18. Augusti 1629.

836. THELESINA.

Cum ultra associationem cadaverum, et recitationem Officii praetenderet Capitulum Ecclesiae SS. Trinitatis Cathedralis Thelesinae, cuius servitium ad Ecclesiam Sancti Leonardi translatum est, levare cadavera eorum, qui sepulturam elegerint in dicta Ecclesia SSmae Trinitatis, vel ibi Cappellas aedificaverint, inconsulto Curato Ecclesiae Collegiatae Sancti Martini, in cuius Parochia decesserunt;

Nec non etiam praetenderet emolumenta, et obventiones funerales iuxta resolutiones alias factas sub die 25. Martii 1624., et 31. Martii 1629.

S. R. C., auditis partibus, ac referente Illmo Muto, censuit: « quoad cadavera decedentium in Parochia Sancti Martini, non posse levari per Capitulum, seu Canonicos Cathedralis Ecclesiae Thelesinae, nisi requisito Parocho dictae Ecclesiae S. Martini. »

Quoad vero emolumenta, et obventiones funerales, remisit ad S. C. Concilii. Die 18. Augusti 1629.

837. SAVONEN.

Cum in Cathedrali Savonen. orta sit altercatio inter Canonicos, et Musicos, quando Episcopus solemniter cantat Vesperas, vel celebrat circa recitationem Psalmorum, praetendentes Canonici hoc onus esse Musicorum, et vice versa Musici praetendentes Psalmos alternatim decantandos per Canonicos; Magister Cappellae eiusdem Cathedralis supplicavit praecipere Ordinario loci, ut absque ulla appellatione, vel recursu faciat observare *Caeremoniale Lib. 1. cap. 28. et Lib. 2. cap. 1.* Et S. C. mandavit: « servari Caeremoniale. » Die 26. Novembris 1629.

838. SALERNITANA.

Custos Minorum Observantium Reformatorum Salernitanae Dioecesis conquestus est de Regularibus aliorum Ordinum in Civitate Salernitana existentibus, quod recusent praecedentiam dare in publicis Processionibus, nec non funeralibus Fratribus Reformati sui Ordinis, quotiescumque dicti Reformati non incedunt cum Familia Minorum Observantium. Quod cum sit contra *Bullam Clem. VIII. incipien. ex iniuncto nobis etc.* sub die 7. Septembris 1602., supplicavit provideri. Et S. R. C. respondit: « praecedentiam semper dandam esse dietis Fratribus Reformati sive soli per se, et sub propria Cruce, sive cum Familia, et sub Cruce Minorum Observantium processionaliter, sive in funeribus incedant: » et ita servari ubique mandavit die 10. Decembris 1629.

839. TREVICI.

Fratres S. Francisci Dioecesis Trevici conquesti sunt de Archipresbytero loci turbante Oratores, ne faciant solitas Processiones per limites suae Parochiae in tribus diebus post Pentecosten; petentes mandari manuteneri iuxta solitum. Et S. C. respondit: « Regulares non posse cum Processione exire extra claustra Monasteriorum, et multo minus id eis licere per limites alterius Parochiae; ideoque in casu proposito omnino abstinere debere, iuxta alias resoluta in Hispalen. 26. Februarii 1628. » Die 10. Decembris 1629.

840. THELESINA.

Capitulum, et Canonici Collegiatae Ecclesiae S. Martini Terrae Cereti Thelesinae Dioecesis petierunt a S. Congr. definiri: an, stante distantia Palatii Episcopalis ab Ecclesia supra 228. passus, teneantur Canonici excipere Episcopum venientem ad Ecclesiam, comitari, et reassociari in reditu; et dato quod teneantur, supplicaverunt declarari dies, in quibus hoc obsequium praestare debeant? Item petierunt responderi: an Episcopo assistenti Divinis Officiis cum cappa, Canonici debeant de-

ponere, et ponere biretum in capite Episcopi, et an isto casu debeatur assistentia Canonorum? Et Sacra Congregatio respondit: « nihil debere de praedictis Episcopo. » Die 22. Decembris 1629.

841. URBIS, SEU HISPANIARUM.

Procurator Fratrum Discalceatorum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Provinciae S. Ioannis Baptistae Hispaniarum exposuit suos Fratres Discalceatos pati controversiam ab aliis Regularibus, et praecipue ab Augustinianis circa praecedentiam in Processionibus, et alias praerogativas ipsis etiam Discalceatis, cum vere Fratres reformati eiusdem Ordinis sint, pariter suffragantes, et expressas in *Bulla Clementis VIII.* incipient. *Ex iniuncto nobis etc.* sub die 7. Septembris 1602. quotiescumque dicti Discalceati non incedunt, vel degunt cum Fratribus Familiae de Observantia: quod cum sit contra expressam mentem, et *Bullam dicti Clementis VIII.*, citato etiam ad hoc Procuratore Generali Ordinis S. Augustini, supplicavit provideri. Et S. R. Congreg. sequendo votum Illm̄i Deti, cui causa erat commissa, censuit « praecedentiam in concursu cum aliis Regularibus, in Processionibus, et aliis actibus publicis semper competere dictis Discalceatis, sive soli de per se, et sub propria Cruce, sive sub Cruce, et cum Familia de Observantia incedant, et sive Discalceati, Reformati, aut alio quovis nomine nuncupentur, dummodo sint dicti Reformati Ordinis S. Francisci; nec non frui, et gaudere debere omnibus aliis praerogativis in supradieta *Bulla Clementis VIII.* expressis; et ita imposterum ubique servari mandavit » hac die 22. Decembris, et iuxta alias resoluta « in Saernitana in antecedenti Congregatione » sub die 10. Decembris 1629. Die 22. Decembris 1629.

842. CAPUANA.

Cum post emanatum Decretum S. R. C. sub die 3. Martii prox. praet. quod Curatus Casalis D. Casapullae (Castri Pullae) Dioecesis Capuanae non possit prohibere Alicornio Natalis ius sepulturae pro se, et successoribus in Ecclesia per ipsum Alicornium aedificata, reservata quarta funerali proprio Parocho, dubitatum fuerit: an, eveniente casu, liceat sepelire mortuos in dicta Ecclesia sine praesentia dicti Curati, si vocatus venire nolit, et an idem fieri possit absque illius licentia, si petitam dare recuset?

Sac. Rit. Congreg. referente Illm̄o, et Rm̄o D. Card. Pio censuit: « si Curatus requisitus interesse recuset, vel petitam licentiam deneget, posse in dicta Ecclesia tradi sepulturae su-

prascriptorum defunctorum corpora, sine ipsius interventu, et licentia. » Die 22. Decembris 1629.

843. NERTONEN.

Ad instantiam Archipresbyteri Collegatae Ecclesiae Terrae Galatoni Neritonen. Dioecesis quaesitum fuit in S. R. C.

1. An Vicarius Foraneus, qui est unus de Capitulo dietae Ecclesiae, possit intervenire in Congregationibus capitularibus, et vocem habere in actibus capitularibus?

2. An talis Vicarius ratione Vicariatus possit, et debeat praecedere alias Dignitates, et Canonicos, seu Presbyteros antiquiores existentes in Congregationibus Capitularibus, vel extra?

Et eadem S. Cong., referente Illm̄o, et Rm̄o Card. Pio, respondit: Ad 1. « Vicarium Foraneum posse intervenire in Congregationibus capitularibus, et habere vocem in omnibus actibus capitularibus, dummodo sedeat in suo loco uti unus de Capitulo. » Ad 2. censuit: « Vicario Foraneo ratione sui Vicariatus nullam in quavis functione, et loco competere praecedentiam super alias Dignitates, Canonicos, aut Presbyteros antiquiores. » Die 22. Decembris 1629.

844. NUCERINA.

Pro parte Canonorum Cathedralis Nucerae petitum fuit responderi: an stante distantia a cubiculo Episcopi ad Ecclesiam Cathedralem supra centum, et septuaginta passus, trium palmorum pro quolibet passu, teneantur ipsi Canonici associare Episcopum cum cappa ad Cathedralem accedentem? et Sacra Congregatio respondit: « in casu proposito non teneri. » Die 22. Decembris 1629.

845. BELGICA.

Conquerente Nuntio Apostolico apud Belgicos in S. C. de Propaganda Fide de abusu, et indecentia in illis partibus introducta concionandi, vel sermonem habendi ante SS. Eucharistiae Sacramentum publice expositum capite cooperto; eadem S. C. de Propaganda Fide remisit hoc negotium resolvendum in hac S. R. C., quae mandavit fieri Decretum generale prohibitivum, et fuit tenoris, videlicet:

S. R. C. ad tollendum indecentiam aliquibus in locis iamdiu introductam concionandi, vel sermonem habendi ante SS. Eucharistiae Sacramentum publice expositum capite cooperto: « prohibuit in posterum, et vetuit, neminem concionari, vel sermonem habere ante SS. Eucharistiae Sacramentum publice expositum, nisi capite detecto, non obstante, quacumque contraria consuetudine, quam abusum esse declaravit: » et ita ab omnibus etiam

quavis speciali nota dignis ubique terrarum servari mandavit. Die 16. Februarii 1630.

846.

NOVARIEN.

Confratres Societatis Sacri Montis Pietatis Civitatis Novarien. narrantes solitos esse in die Parasceve de sero facere solemnem Processionem deferendo SS. Eucharistiae Sacramentum in quadam capsula in modum tumuli formata, et modo turbari ab Ordinario, supplicarunt mandari: nihil innovari tam circa dictam Processionem, quam circa recitationem *Salve*, quam dicti Confratres canere incipiunt post transactam medietatem Quadragesimae usque ad Dominicam Palmarum. Et S. C. quoad 2. « mandavit audiri Episcopum; » quo vero ad 1. « nihil. » Die 16. Februarii 1630.

847.

NICIEN.

Episcopus Nicien. supplicavit praecipere Praeposito suae Cathedralis ut obediat Decreto huius S. C. tenendi librum supra caput, quando Episcopus solemniter celebrat; et S. C. mandavit: « oretenus dici Agenti ipsius Episcopi, quod utatur iure suo apponendo poenam amissionis unitus mensis distributionum lucrandarum. » Die 16. Februarii 1630.

848.

EGITANIEN.

Episcopus Egitanien. conquestus est de Canonicis suae Cathedralis renuentibus facere Anniversarium pro Episcopo praedefuncto sub praetextu, quod in constitutione Synodali super Anniversario Episcopi praedefuncti sit apposita poena, quae non reperitur in Caeremoniali, supplicans provideri. Et S. C. mandavit: « servari Caeremoniale, et contravenientes mulctari in poenam constitutionis Synodalis. » Die 16. Febr. 1630.

849.

SEGOBRICEN.

In causa Caeremoniarum vertente inter D. Ducem Segobricae, et Cardonae ex una, nec non Capitulum, et Canonicos Cathedralis Ecclesiae, seu Civitatis Segobricen. partibus ex altera, in qua Ecclesia praesupponitur esse decem Canonicos, et quatuor Dignitates, ultra quatuor alia Officia, et quamplura Beneficia; proposito Dubio in S. R. C. die ultima Martii 1629: an praedicto Duci debeantur, et quomodo Caeremoniae associationis, thurificationis, et pacis? audita utraque parte, verbo, et scripto informante, perpensisque tunc, et hac praesenti die omnibus tunc inde deductis, et allegatis, eadem S. C. referente Illmo Sabelio, decrevit: « quod praedicto Duci ad Ecclesiam accedenti obviam ire debeant usque ad valvas dictae Cathedralis cum habitu Canonicali tertia pars Canonicorum tunc adstantium in dictae Ecclesiae Choro, Sacristia, ac toto ambitu

dictae Cathedralis, dummodo non sint pauciores duobus Canonicis, inter quos sit, et esse debeat semper una ex Dignitatibus, eundemque Ducem associare ad sedem pro eo praeparatam, atque in discessu reassociare ad dictas valvas Ecclesiae: et insuper, quod idem Dux, priusquam Canonici, et Dignitates, thurificetur tribus ictibus per Diaconum in Missa, in Vesperis vero per primum Presbyterum assistentem, seu alias per eundem, a quo thurificatur Episcopus; et hoc tam praesente, quam absente Episcopo: eidemque Duci osculum pacis eodemmet modo ante Canonicos, et Dignitates per Subdiaconum transmittatur. » Et ita praedicta Congregatio censuit, et mandavit ab omnibus, ad quos praesens spectat negotium, inviolabiliter observari, die 16. Febr. 1630.

850.

THELESINA.

Canonici Cathedralis Thelesinae supplicarunt declarari: 1. cuius praecedentia debeat in funeribus, an Parocho defuncti, an Capitulo Cathedralis, quando Capitulum vocatur ad funus?

2. Quae Crux sit deferenda in funeribus: an Crux Parochialis, an Crux Cathedralis?

3. An Parochus defuncti in concursu Capituli Cathedralis possit deferre Stulam? Et S. C., referente Rmo Sabelio,

Quoad 1. respondit: « praecedentiam dandam esse Capitulo Cathedralis etiam supra Parochum defuncti. » Ad 2. « non aliam Crucem, quam Cathedralis esse deferendam in funeribus, quotiescumque intervenit Capitulum Cathedralis. » Ad 3. « Parochum defuncti posse deferre Stulam. » Die 16. Februarii 1630.

851.

NUCERINA.

Tria petiit Episcopus Nucerinus declarari ab hac S. R. C.

1. An Prior, et Canonici Cathedralis Nucerae teneantur canere Missam Conventualem in diebus expressis in Rubrica XV., ordine in eadem Rubrica impresso?

2. An iidem Prior, et Canonici in Feriis, Vigiliis, quatuor temporibus, et aliis privilegiatis enumeratis in Rubrica ordine tertia Missalis Romani, occurrente die Festo duplici, semiduplici, vel octava, teneantur cantare duas Missas, unam scilicet de Festo, alteram de Feria ordine in eadem Rubrica praescripto?

3. An Episcopum accedentem ad Cathedralem cum Gappa debeant Prior, et Canonici illum excipere a cubiculis suae habitationis, associare, comitari, et abeuntem pariter ducere, et reassociare?

Et S. R. C., referente Rmo D. Caietano,

ad 1. respondit: « teneri Canonicos Cathedralis Missam Conventualem cantare iuxta praescriptum in Rubrica XV. Missalis Romani. » Ad 2. « teneri pariter Canonicos in Feriis privilegiatis, occurrente Festo duplici, semiduplici, vel octava, canere duas Missas, unam scilicet de Festo occurrente, et alteram de Feria ordine praescripto in Rubrica tertia Missalis Romani. » Ad 3. « Episcopum accedentem cum cappa ad Ecclesiam, sive ut Divinis assistat, sive ut solemniter celebret, seu quacumque alia de causa, debere, et obligatos esse Canonicos in eorum habitu Canonicali capitulariter excipere a Palatio, seu camera per ipsum ad id destinata, comitari, et associare ad Ecclesiam, indeque abeuntem et recedentem pari modo reassociare usque ad locum unde discessit. » Die 16. Februarii 1630.

852. DECRETUM PRO PATRONIS
IN POSTERUM ELIGENDIS.

S. R. C., annuente SSmo, quoad Patronos Locorum in posterum eligendos hunc ordinem servari mandavit.

1. « Quod eligi possint in Patronos ii solum, qui ab Ecclesia universali titulo Sanctorum coluntur, non autem Beatificati dumtaxat. 2. Quod de Patrono Civitatis electio fieri debeat a Populo mediante consilio generali illius Civitatis vel loci, non autem ab Officialibus solum; et quod accedere debeat consensus expressus Episcopi, et Cleri illius Civitatis. Idemque servari debeat in Patrono Regni, qui pariter eligi debeat a populo singularum Civitatum Provinciae, non autem a representantibus Regnum, nisi ad hoc habeant speciale mandatum, et pariter cum consensu Episcopi, et Cleri dictarum Civitatum. 3. Quod causae electionis novorum Patronorum debeant in S. R. C. deduci, ac examinari; ac demum, causa cognita, ab eadem Congregatione approbari, et confirmari. »

Et ne praemissorum ignorantia ullo umquam tempore possit allegari, eadem S. C. praedictum Decretum imprimi mandavit. Die 23. Martii 1630.

853. TIBURTINA RIVI FRIGIDI.

Prior, et Fratres S. Georgii Terrae Rivi Frigidi Tiburtinae Dioecesis conquesti sunt de Rectore loci praetendente in Ecclesia Oratorum, ad quam Processionaliter dictus Rector una cum Magistratu, et Confraternitatibus Laicorum accedunt in die Festo S. Georgii, ipsum cantare Missam solemnem, et alia peragere, ac si esset in sua propria Ecclesia, nec non Officium facere super cadaveribus, quae tumulantur in Ecclesia dictorum Fratrum, supplicantes dictum Rectorem coerceri. Et S. C., referente Illmo D. S. Ceciliae,

respondit: « Priorem, et Fratres S. Georgii manutenendos esse in eorum possessione circa praemissa: » et ita servari mandavit die 23. Martii 1630.

854. URBIS S. VISITATIONIS
APOSTOLICAE.

Cum Sacra Visitatio Apostolica in visitatione Ecclesiae S. Mariae supra Minervam invenerit adnotatum in Tabella appensa in Sacristia legatum quoddam relictum dictae Ecclesiae cum onere celebrandi qualibet die Dominica ad aliquod Altare in dicta Ecclesia Missam de Resurrectione Domini; dubitans, an dicta pia dispositio teneat tamquam emanata contra Rubricas, consuluit hanc S. C. pro declaratione, quid agendum? Et S. Congreg. respondit: « Agendum cum SS. pro commutatione voluntatis. » Die 23. Martii 1630.

855. CALAGURITANA.

Cum in Cathedrali Calaguritana ab immemorabili singulis feriis quintis celebretur Missa votiva de SS. Trinitate cum Gloria, et Credo, necnon Missa de B. Virgine quolibet die Sabbato cum Gloria sine Credo, etiam quod eo die occurrat Festum duplex, supplicavit: an licite, et tuta conscientia ritus hic continuari debeat? et, referente Illmo Capponio, S. Congreg. mandavit « servari Rubricas. » Die 20. Aprilis 1630.

856. NARNIEN.

Magistratus Terrae Collis Scipionis Narnien. Dioecesis supplicavit declarari: Magistratum praedictum accedentem ad Ecclesias Collegiatis dictae Terrae pro Divinis Officiis, debere thurificari post Dignitates, et Canonicos dictarum Collegiatarum ante alios. Et S. Cong. respondit: « Magistratum, et Officiales thurificari debere post Dignitates et Canonicos iuxta dispositionem Caeremonialis lib. 1. cap. 23. circa finem, et iuxta alias resoluta in Camplen. 23. Januarii 1612. » Die 20. Aprilis 1630.

857. SAGONEN.

Praetendens Commissarius Calvi, ubi residet Episcopus parari sibi debere in Ecclesia sedem cum tribus gradibus in Presbyterio ad instar, et e regione sedis Episcopalis, nec non thurificari tribus ictibus, prout thurificatur Episcopus; idem Episcopus pro hono pacis, et Sacrarum Caeremoniarum congruentia, supplicavit per hanc S. C. declarari: an praedicta convenient, et quomodo servari debeant? Et S. C. respondit: « Sedem pro Commissario parari debere extra Presbyterium iuxta dispositionem Caeremonialis lib. 1. cap. 13. in fine. In reliquis mandavit servari solitum. » Die 20. Aprilis 1630.

858. THELESINA.

Cum servitium Cathedralis Thelesinae ob aeris intemperiem sit translatum in Ecclesiam S. Leonardi Terrae Cereii Thelesinae Dioecesis, et dictus S. Leonardus sit Compatronus dictae Terrae, Canonici Cathedralis petierunt praecipere diem festum dicti Sancti venerari de praecepto tam in dicta Terra, quam per totam Dioecesim cum Officio, et Octava; et S. C., referente Illmo Caesarino, respondit: « nihil. » Die 20. Aprilis 1630.

859. GALLIPOLITANA.

Confratres Rosarii Civitatis Gallipolitanae impediti ab Ordinario ne accedant, vocati, ad associanda corpora defunctorum, quotiescumque non vocatur Capitulum suae Cathedralis, quod cum sit contra opus pium, supplicarunt declarari: non posse impediri. Et S. C. respondit: « non posse impediri. » Die 8. Iunii 1630.

860. INCERTI LOCI.

Supplicatum fuit declarari: an Cappellanus alicuius Confraternitatis sitae in aliqua Ecclesia Parochiali possit ad sui libitum absque interventu, seu consensu proprii Parochi facere Processiones sibi benevisas per limites Parochiae? S. C., prout alias, respondit: « non posse. » Die 8. Iunii 1630.

861. SYRACUSANA.

Praepositus, et Canonici Collegiatae Ecclesiae Neti Syracusanae Dioecesis exponentes Vicarium Foraneum nolle obedire Decreto, quod Vicarius Foraneus nullam prorsus habeat praecedentiam, seu praerogativam in Choro, Capitulo, Ecclesia, aut alibi ratione dicti Vicariatus sub praetextu, quod adsit consuetudo in contrarium, et reservatio Episcopi in erectione dictae Collegiatae uti exequutoris Bullarum Apostolicarum facta ad favorem Vicarii Foranei circa praecedentiam, et alias praerogativas, supplicarunt declarari dictam consuetudinem, et reservationem non obstare. Et S. Cong. respondit: « Decretum iam factum contra Vicarium Foraneum executioni demandandum esse, non obstante consuetudine contraria, et reservatione supranarratis. Et si Vicarius senserit se gravatum recurrat, et deducat iura sua in hac S. Cong., in qua benigne audietur. » Die 8. Iunii 1630.

862. SUTRINA.

Capitulum, et Canonici Collegiatae Ecclesiae S. Egidii Terrae Tulphae Sutrinae Dioecesis petierunt declarari plura.

1. An a Cappellanis deputatis ad Cappellam Rosarii in dicta Collegiata existentem possit celebrari Missa de Rosario ad instar Fratrum S. Dominici? Et S. C. respondit: « non posse. »

2. An Communitas possit indicere Festa de praecepto, quae nec de consuetudine in dicta Terra servantur, nec ab Ecclesia Romana praescribuntur, exigendo muletam contra inobedientes? Et S. C. respondit pariter: « non posse. »

3. An Festa de praecepto a Sede Apostolica declarata afficiant etiam in orbem? Et S. Cong. respondit: « Festa de praecepto declarata ab Ecclesia Romana esse servanda in toto Terrarum Orbe. » Die 8. Iunii 1630.

863. BOIANEN.

Hector Troianus loci Supini Boianen. Dioecesis uti Protonotarius supplicavit declarari ipsum non teneri Decreto Episcopi, prohibente sub poena suspensionis in Missarum celebratione delationem anuli. Et S. C. respondit: « lectum. » Die 22. Iunii 1630.

864. MACERATEN.

Communitas Terrae Offidiae Maceraten. Dioecesis asserens Magistratum loci quando intervenit Divinis Officiis semper fuisse immediate post Dignitates, et Canonicos ante omnes de Choro thurificatum, supplicavit mandari servari solitum. Et S. C. respondit: « Magistratum thurificari debere post Dignitates, et Canonicos iuxta dispositionem Caeremonialis lib. 1. cap. 23. circa finem: et iuxta alias resoluta in una Camplen. 23. Januarii 1612., et novissime in Narnien. Collis Scipionis 20. Aprilis 1630. » die 22. Iunii 1630.

865. S. AGATHAE GOTHORUM.

Parochi Terrae Ayrolae S. Agathae Gotorum Dioecesis asserentes eorum Episcopum praecipisse servari Rituale Romanum, et praecipue in funeribus, conquesti sunt de Archipresbytero, et Primitivo dictae Terrae praetendentibus praecedentiam etiam supra Parochos defunctorum Stolarum, et Pluviale deferentes, sub praetextu contrariae consuetudinis. Et Sac. C. respondit: « ratione Stolae deberi praecedentiam illam deferenti etiam supra Archipresbyterum, et omnes alios Cotta tantum indutos. » Die 22. Iunii 1630.

866. URBIS.

Petiit Procurator Generalis Capuccinorum declarari: quomodo concurrere debeant Regulares in celebratione Festis Patronorum, seu Titularium Cathedralium Locorum circa Officium, et Missam? Et S. R. Cong. respondit: « Regulares in Festis Patronorum, seu Titularium Cathedralium Locorum debere celebrare sub ritu duplici Officium cum Missa, prout celebratur in dictis Cathedralibus ipso tantum die Festi, et non Octavas: et ita per quoscumque Regulares servari debere » declaravit die 22. Iunii 1630.

867.

PANORMITANA.

Eñõ de Torres referente statum Causae inter Sacerdotes non Doctores, sed antiquiores in ordine, et Sacerdotes graduatos postea promotos, quinam istorum in Processionibus publicis praecedere debeant? S. C., prout alias millies, respondit: « Sacerdotes antiquiores in ordine licet non Doctores praecedere debere Sacerdotes postea promotos graduatos, cum nulla habeatur ratio gradus Doctoratus in concursu cum Sacerdotio. » Die 20. Iulii 1630.

868.

THELESINA.

Eodem Eñõ Caietano referente causam Thelesinam inter Canonicos Cathedralis, et Canonicos Collegiatae Sancti Martini Terrae Cereti eiusdem Dioecesis, quando Episcopus solemniter celebrat in dicta Collegiata, ad quos pertineat assistentia Episcopi circa functiones Ecclesiasticas: an ad Canonicos Cathedralis, an vero ad Canonicos Collegiatae, in qua Episcopus Pontificalia exerceat, et solemniter celebrat? Sac. Cong. censuit: « omnes functiones, quae fiunt per Episcopum sive in Cathedrali, sive in Collegiatis suae Dioecesis esse faciendas cum assistentia Canonicorum Cathedralis, et non aliorum. » Die 20. Iulii 1630.

869.

THELESINA.

Archipresbyter, et Parochus S. Martini Terrae Cerreti Thelesinae Dioecesis duo petiit:

1. Declarari: non licere Confratribus laicorum deferre processionaliter SS. Sacramentum occasione 40. horarum, neque in eorum Oratorii benedicere Mulieres post partum. Et ad hoc S. C. respondit: « nihil. »

2. Petiit responderi: an Episcopus possit prohibere Parochis suae Dioecesis, ne recipiant pro celebratione Matrimoniorum solitas oblationes iuxta laudabilem consuetudinem? Et S. R. C. « remisit hoc secundum Dubium ad S. C. Concilii. » Die 20. Iulii 1630.

870.

URBIS.

Vincentius Cacciatonus Caudatarius bo: mem: Cardinalis Millini supplicavit declarari, deberi sibi tamquam Caudatario solita Regalia Cappellae sui Cardinalis defuncti. Et S. C. « stetit in Decretis, nempe: nec Caudatario, nec Cappellano deberi: et mandavit extendi Decretum generale in hac materia, quod est tenoris videlicet: Sac. R. Cong. ad tollendum abusum introductum per Caudatarios, seu Cappellanos Cardinalium defunctorum arrogandi sibi supplicetilia quaedam de Cappellis Cardinalium, quando decedunt, declaravit: nihil de Cappellis Cardinalium deberi Caudatariis, seu Cappellanis ipsorum. Et ita, interveniente casu, in posterum servari *decrevit*: et ne praedicti Decreti

ignorantia possit allegari, Decretum hoc imprimi mandavit. » Die 20. Iulii 1630.

871.

LUCANA.

In causa Lucana translationis Sanctorum Corporum Senisii, Romae, et Aversani existentium in Cathedrali, ad quos pertineat delatio dictorum Corporum in Processione facienda: an ad Canonicos Cathedralis, an vero ad Canonicos, et Priorem Collegiatae Ecclesiae S. Petri eiusdem Civitatis, in qua recondi debent? Eñõ Columna referente, S. C. censuit: « pro hac vice tantum fieri debere solemnem Processionem, et Sacra Corpora esse deferenda per Canonicos Cathedralis usque ad Ecclesiam Collegiatam S. Petri, in cuius atrio, ante fores eiusdem Collegiatae esse consignanda Priori, et Canonicis dictae Collegiatae per eosdemmet Canonicos Cathedralis: qui Canonici Collegiatae Sancti Petri continuando Processionem, deferant Sacra Corpora ad locum, ubi erunt collocanda, non obstante Decreto alias super hoc edito die 20. Augusti 1622. Et ob maiorem venerationem, atque ad augendam Populi devotionem erga Sacra Pignora, eadem S. C. *mandavit* Episcopum Missam solemnem canere in dicta Collegiata S. Petri, cum assistentia tamen Canonicorum Cathedralis. » Die 20. Iulii 1630.

872.

APRUTINA.

Decanus Ecclesiae Terrae Roscolanti Aprutinae Dioecesis conquestus est de Abbate Cassinensi Ordinario dictae Ecclesiae, quod mandaverit Oratori cedere praecedentiam alteri Sacerdoti inferiori in Ecclesia sub praetextu, quod Sacerdos inferior sit Protonotarius, supplicans provideri. Et S. Cong. respondit: « Protonotarium de numero non Participantium non debere praecedere. » Die 24. Augusti 1630.

873.

BONONIEN.

Fratres Minores Conventuales Sancti Francisci Castri Bononien. cupientes Populum dicti Castri a vexante epidemiae flagello liberari ope, et intercessione Deiparae semper Virginis, supplicarunt pro licentia deferendi processionaliter Imaginem quamdam B. Virginis per vias publicas, alias in similibus calamitatibus deferri solitam, non obstante contradictione proprii Parochi. Et S. C. respondit: « Non licere Regularibus, neque Confraternitatibus laicorum facere Processiones extra claustra Monasteriorum, et proprias Ecclesias, nisi cum licentia, et consensu Parochi. » Die 24. Augusti 1630.

874.

ORIOLEN.

Episcopus Oriolen. supplicavit declarari: an liceat Canonicis Cathedralis, sibi in Divinis assistentibus, sedere in scabellis serico villosa cooper-

tis, ut praetendunt ex consuetudine introducta a tempore *Pii IV?* Et S. C. respondit: « non licere in casu proposito Canonicis Cathedralis, quando assistentiam faciunt Episcopo sedere in scamnis coopertis, sed sedere debere super scabellis nudis, iuxta praescriptum Caeremonialis Episcoporum cap. 8. lib. 1., non obstante allegata consuetudine, quae fuit sublata per fel. record. Clementem VIII. in sua Bulla in principio Caeremonialis relata. Et ita in Civitate Oriolen. servari » mandavit die 24. Augusti 1630.

875.

SCARDONEN.

Episcopus Scardonem. narrans sibi ex Urbe transmissas nonnullas Reliquias Sanctorum sine nominibus, supplicavit pro licentia imponendi illis nomina bene visa. Et Sac. Cong. respondit: « si Reliquiae sunt authenticae, posse concedi, facto verbo cum SS. » Die 24. Augusti 1630.

SSm̄us dixit: « Episcopum illis posse uti, si sint authenticae, in Consecratione Altarium absque alia denominatione. » Die 7. Septembris 1630.

876.

SENOGALLIEN.

Capitulum Cathedralis Senogallien. petiit responderi: an in Altari, quando celebratur Missa, sufficiat collocare Crucem simplicem, seu nudam iuxta Rubricam 20. n. 1., an vero in Cruce esse etiam debeat Imago Crucifixi apposita, seu depicta? Et S. Cong. respondit, « quod studeant diligenter Rubricis. » Die 7. Septembris 1630.

877.

MAZZARIEN.

Iacobus Altavilla creatus a SS. Protonotarius extra numerum, turbatus a Vicario Capitulari Civitatis Mazzarien. in delatione habitus Praelatitii, nempe Rocchetti cum Mantelletto coloris violacei, nec non loco in Ecclesiis, et functionibus Ecclesiasticis Protonotariis debito, supplicavit non prohiberi. Et S. C. respondit: « Protonotariis extra numerum non posse prohiberi deferre habitum Praelatitium, nempe Rocchettum cum Mantelletto coloris violacei, et in Ecclesiis, et functionibus Ecclesiasticis cum eodem habitu incedere, et sedere iuxta dispositionem Caeremonialis lib. 1. cap. 14. » Die 28. Sept. 1630.

878.

ORIOLEN.

Episcopus Oriolen. supplicavit declarari: an Canonicus Poenitentarius, et hebdomadarii habentes curam Animarum in Dominicis diebus, et festivis actu impediti in exercitio Curae, possint compelli ad interessendum in Choro, et deferenda Pluvialia, prout deferuntur a Canonicis sine cura: et dato, quod non teneantur, an habeantur pro praesentibus ad effectum lucrandi distributiones suarum Praebendarum? Et S. Cong. respondit: « Poenitentarium, et omnes alios habentes curam

Animarum, et actu exercentes, non teneri, nec posse cogi ad deferenda Pluvialia, et uti praesentes lucrari distributiones suarum Praebendarum. *Hoc ipsum refert* Barbosa de Potestate, et Officio Episcopi, Allegat. 53. num. 129. » Die 28. Septembris 1630.

879.

PISAUREN.

Magister Caeremoniarum Cathedralis Pisauri tria petiit declarari.

1. An in Ecclesiis Cathedralibus, in quibus omnes Praebendae sunt Presbyterales, celebrante solemniter Episcopo, in Vesperis Canonicus, qui pro Subdiacono deservit, debeat praintonare Antiphonas, et thurificare omnes cum Planeta, aut Tunicella? et si Tunicella, quo in loco sedere? Et Sac. C. ad hoc primum respondit: « Canonicum Presbyterum deservientem pro Subdiacono incedere debere Paramento actui, qui exercetur congruente, nempe Tunicella, et sedere in stallo Canonicorum post indutos Planetis. »

2. An quando Presbyter assistens in Missa Solemni Episcopo celebranti, et cui incumbit Pacem dare Saecularibus cum Instrumento, debeat Instrumentum prius osculari ab ipso Assistente, vel potius ab Episcopo? Et ad secundum S. Cong. respondit: « Presbyterum Assistentem osculari debere Instrumentum Pacis, non autem Episcopum, ex Caeremoniali Episcoporum lib. 1. cap. 24. »

3. An celebrans solemniter in Dominica Palmarum coram Episcopo, legere debeat Evangelium in cornu Epistolae. Et S. C. respondit: « celebrantem in die Palmarum legere debere Evangelium in cornu Evangelii, ut in Rubricis Missalis; Passionem vero in cornu Epistolae, ut praescribitur in Caeremoniali lib. 2. cap. 21. » Die 28. Septembris 1630.

880.

VIGILIEN.

Petiit Episcopus Vigilien. declarari: an absente Episcopo spectet ad Vicarium Generalem, an vero ad Archidiaconum Cathedralis, edicere Processiones publicas consuetas. Et S. C. respondit: « Processiones publicas edicere, ac dirigere, absente Episcopo, spectare ad Vicarium Generalem cum consilio Capituli, prout pertineret ad Episcopum, si praesens esset. » Die 28. Septembris 1630.

881.

TREVICI.

Episcopus Trevici supplicavit definiri Dubia decem circa praerogativas, quas Baro Dominus Loci praetendit in Ecclesiis, praesente ipso Episcopo. Et Sac. R. C. mandavit: « servari et in Ecclesia Trevici Decretum alias factum pro Ecclesia Bovinen. » tenoris videlicet:

Cum Episcopus Bovinen. ob aeris intemperiam

cogatur facere residentiam in Terra Iliceti suae Dioecesis, Marchio Dominus loci praetendens aliquas praeminentias in Collegiata dictae Terrae inter Missarum Solemnia, nempe, eligere sibi situm ad instar throni, seu solii cum duobus gradibus, et duabus sedibus, cum genuflexorio extra Presbyterium, una pro se, altera pro uxore, thurificari debere ipsum, et uxorem tribus ictibus, una cum sororibus suis; necnon venienti ad Ecclesiam libere parari sibi genuflexorium cum tapete, et pulvinaribus, etiam praesente Episcopo, et in elevatione SS. Sacramenti ex suo solio extra Presbyterium existente ingredi Presbyterium, et in eodem genuflexorio, seu Faldistorio pro Episcopo parato, a sinistris ipsius Episcopi, adorare, et venerare SS. Sacramentum. Promotor Fiscalis Curiae Episcopalis Bovinen. pro bono pacis, et Sacrarum Caeremoniarum congruentia supplicavit declarari: an praemissa conveniant, et quomodo praestari debeant? Et S. R. C., referente Eñõ D. Cardinali Caesarino, respondit: « Marchioni tantum permittendam sedem, genuflexorium, et postergale extra Presbyterium, dictumque Marchionem dumtaxat thurificari duobus ictibus, et habere pacem iuxta dispositionem Caeremonialis, eidemque Marchioni Ecclesiam ingredienti parari genuflexorium post illud Episcopi. In elevatione autem SS. Sacramenti, Marchionem intra Presbyterium adorare, et venerari debere SS. Sacramentum; et ita circa praemissa exequi, et servari » mandavit, die 2. Martii 1630. Die 28. Septembris 1630.

882. CORTONEN.

Decanus Ecclesiae Cortonen. exponens modernum Episcopum propria auctoritate mutasse signum gestari solitum a Dignitatibus, et Canonicis dictae Cathedralis, supplicavit declarari: an Episcopo licuerit? Et S. C. inhaerendo Decretis alias in similibus factis, respondit: « Episcopo non licuisse, et eos, qui impetrarunt deponere debere, cum hoc non nisi ad summum Pontificem pertineat; prout in Hydruntina 1. Decembris 1612. et in Pennen. 30. Iulii 1616. » Die 7. Decemb. 1630.

883. CALAGURITANA.

Cum Monachi Cassinenses S. Benedicti degentes in Monasterio S. Mariae de Stagera Calaguritanae Dioecesis, non acquiescerent declarationibus alias per hanc S. C. editis, et per *Clementem VIII.*, et per *Gregorium XV.* confirmatis, nempe: « Regulares non posse praecedere Clericos Saeculares: » praetendebant nihilominus idem Monachi supra disposita non habere locum in propriis ipsorum Regularium, seu Monachorum Ecclesiis, quando Processiones ibi terminantur, vel quando in illorum

Ecclesiis cadavera defunctorum tumulari debent, eoque casu dictos Monachos praecedere debere Rectorem, et Beneficiatos Poroehialis Ecclesiae S. Crucis de Stagera. Rector modo, et Beneficiati praedicti pro bono pacis, et ad evitanda scandala, quae in casu contingenti forsitan oriri possent, petierunt ab hac S. C. declarari: quid in casu proposito servandum? Quae respondit: « nullo modo posse Regulares, seu Monachos praedictos praetendere praecedentiam supra Presbyteros Saeculares, licet forsitan ex Saecularium indulgentia, humanitate, seu alia quavis ex causa aliter aliquando servatum fuerit, prout idem declaratum fuit in Tullen. 12. Martii 1616., et in Firmana Terrae S. Victoriae 31. Martii 1618. » Et ita in proposito casu servari mandavit, non obstante quavis contraria consuetudine, seu observantia, die 7. Decembris 1630.

884. NICIEN.

Praepositus, qui est prima Dignitas post Episcopum in Ecclesia Nicien. asserens ab antiquissimo tempore, quando solemniter celebrat pro Episcopo absente, vel impedito, habere in Missa ultra Diaconum, et Subdiaconum, etiam Cappellanum assistentem cum Pluviali, supplicavit mandari servari solitum: et S. C. mandavit: « servari solitum, » prout mandavit alias pro Ecclesia Mantuana in his propriis terminis. Die 7. Decembris 1630.

885. SYRACUSANA.

Confratres S. Antonii Terrae Ferlae Syracusanae Dioecesis, exponentes Fratres S. Sebastiani obtinuisse a Vicario Generali facultatem transferendi Festum S. Sebastiani praescriptum in Breviario Romano die 20. Ianuarii ad diem 26. Iulii, supplicarunt declarari: an hoc licuerit Vicario Generali? Et Sac. Cong. respondit: « non solum Vicario non licere mutare Festum alicuius Sancti positum in Breviario certo die, ad alium diem, sed nec etiam ipsi Episcopo; et propterea Festum S. Sebastiani reponendum esse in die 20. Ianuarii, non obstante licentia supradicti Vicarii. » Et ita omnino servari debere, prout in hunc sensum scriptum fuit Archiepiscopo, die 7. Decemb. 1630.

886. SENOGALLIEN.

Confratres Rosarii Civitatis Senogallien. supplicarunt declarari: quomodo Fratres Dominicani facere debeant Processionem Rosarii deferentes Imaginem B. Mariae Virginis, sine interventu Capituli Cathedralis? Et S. C. respondit: « Fratribus Dominicani non licere facere Processionem, nisi intra claustra Monasterii » iuxta alias resoluta in Hispalen. 26. Februarii 1628. Die 7. Decembris 1630.

887. TORNACEN.

Duo petiit Episcopus Tornacen. declarari:

1. An in Collectis Sacerdotes suae Dioecesis debeant in Missis publice proferre nomen Ordinarium? Et ad hoc Sacra Congregatio respondit: « negative. »

2. An Canonici, Cappellani, alique Choro intererentes, quando ipse populum benedicit solemniter, teneantur et ipsi ad benedictionem genuflectere? Et S. C. respondit: « praeter Dignitates et Canonicos Cathedralis, reliquos omnes teneri ad benedictionem Episcopi genuflectere, » prout in Osen. 4. Maii 1613. idem declaravit. Die 7. Decembris 1630.

888. BRUNDUSINA.

Canonicus quidam nomine Ioannes Donatus Cathedralis Brundusinae petiit declarari: 1. an Canonici possint ab Archiepiscopo cogi, quod e proprio stallo discedant, et accedant ad Lectorale pro canendis Antiphonis, et Responsoriis, stante quod adsunt Presbyteri, et Clerici ad haec munia exercenda destinati? Et S. C. respondit: « in casu proposito Canonicos non posse cogi. »

2. Petiit: an praesente Archiepiscopo, sed non celebrante, debeant Canonici, e proprio stallo discedere, et ante ipsum ad circulum dicere *Kyrie, Gloria, Credo, Sanctus, et Agnus Dei*? Et Sacra Congr. respondit: « debere Canonicos, et teneri circulum facere, et cum Archiepiscopo supradicta peragere. » Die 13. Ianuarii 1631.

889. FAVENTINA.

Cum Capitulum, et Canonici Cathedralis Faventinae assererent ab immemorabili solitos esse unam tantum Missam canere, sive ea sit votiva, sive de Feria, sive defunctorum, et cum ea recipere distributiones debitas pro Missa Conventuali, modo autem dubitent: an licite distributiones praedictas percipere possint, omnia Conventuali, supplicarunt declarari, licere ipsis cum unica tantum Missa iuxta solitum decantata lucrari distributiones. Et S. C. respondit: « Missam Conventualem omnino cantandam esse ad hoc, ut licite distributiones percipi possint, non obstante quavis contraria consuetudine, quam abusum esse, » declaravit, die 13. Ianuarii 1631.

890. MUTINEN.

Episcopus Mutinen. supplicavit declarari: quibus personis competat sumere paramenta de Altari pro celebratione Missarum, cum Ministerio propriorum famulorum pro ablucendis manibus cum polubro, et urceolo argenteis? nec non: an Abbates Benedictini, et Titulares possint praedicta peragere extra proprias Ecclesias ipsis subiectas

eum ad finem, ne introducantur abusus? Et Sacra Cong. respondit: « solis Episcopis privative competere paramenta sumere de Altari pro celebratione Missarum, cum ministerio famulorum inservientium pro abstergendis manibus cum polubro, et urceolo argenteis. Idemque licere Abbatibus Benedictinis habentibus usum Pontificalium, celebrantibus solemniter in eorum propriis Ecclesiis subiectis dumtaxat. » Die 13. Ianuarii 1631.

891. URBIS CANONICORUM REGULARIUM LATERANENSIIUM.

Petiit Abbas D. Marcus Antonius Gentilius de Bononia, Procurator Generalis Congregationis Canonicorum Regularium Lateranensium, declarari ab hac Sac. R. Congr.: an liceat Canonicis suae Congregationis in Processionibus publicis, dum in via processionaliter incedunt in concursu quorumcumque Regularium, quos ipsi Canonici praecedunt, superveniente pluvia, induere super habitum ordinarium, pallium nigrum vulgo *Ferraiolo*, absque ullo praeiudicio eorum praecellentiae? Et S. R. C. respondit: « licere in casu proposito super habitum ordinarium induere pallium nigrum, absque ullo prorsus praeiudicio suarum praecellentiarum. » Die 13. Ianuarii 1631.

892. URBIS ET ORBIS.

Decreta Sac. R. C. ad tollendos abusus, qui variis in locis irrepserunt.

1. « Non potuisse, nec posse locorum Ordinarios tam Saeculares, quam Regulares addere Calendariis, etiam propriis, Sanctorum Officia, nisi ea dumtaxat, quae Breviarii Romani Rubricis, vel S. R. C., seu Sedis Apostolicae licentia conceduntur: neque propria auctoritate quovis praetextu mutare ritum, qui habetur in Calendario Romano, seu Rubricis Breviarii, in altiore ritum, neque extendere concessa Officia de loco ad locum. »

« Insuper vetuit, et prohibuit celebrari per totam Civitatem, vel Dioecesim etiam de cuiuscumque Ordinarii auctoritate Missam, vel Festum cum Officio de Sancto, eo quod in loco adsit Ecclesia Parochialis, vel Regularis, vel Abbatialis, aut aliqua Reliquia, sed tantum in ipsis Sancti Ecclesiae Titulari, seu ubi asservatur Corpus, aut insignis Reliquia, et non alibi. »

« Insignes autem Reliquias, declaravit, esse Caput, Brachium, Crus, aut illam partem Corporis, in qua passus est Martyr, modo sit integra, et non parva, et legitime ab Ordinariis approbata. »

« De Sanctis Episcopis locorum, Martyribus, Civibus, et aliis, de quibus in Calendario Romano, seu Rubricis Breviarii nihil habetur, uti etiam de Beatis nondum Canonizatis, nihil propria aucto-

ritate constituatur, sed consulatur omnino, ut par est, S. R. C. »

« Missas, etiam, quae circumferuntur a S. C. non approbatas S. Gregorii pro vivis, et pro defunctis, quindecim Auxiliatorum, et de Patre Aeterno, et quascumque alias, exceptis iis, quae sunt permissae quibusdam Regularibus tantum, veluti Rosarii, Sanctae Mariae de Carmelo, et alias; sicut etiam Officia ab eadem non approbata, prohibuit, reiecit omnino, et damnavit respective, et pro prohibitis, reiectis, et damnatis haberi voluit. »

« Decretum nuper editum super electione Sanctorum in Patronos, omnino servetur. »

« Quae omnia decrevit, statuit, et mandavit sub poenis contentis in Bullis Pii V. initio Breviarii, et Missalis positis; quod scilicet non satisfaciant muneri recitandi Divinum Officium. Quo vero ad utentes supradictis Missis, sub aliis poenis contentis in Indice Librorum prohibitorum ex Decreto S. Concilii Tridentini edito. »

« Et ne praemissorum ignorantia possit ab aliquo allegari, neque oblivio ullo umquam tempore possit irrepere, eadem S. C. voluit, et ordinavit Decretum huiusmodi affigi in Sacristiis omnium Ecclesiarum tam Saecularium, quam Regularium, etiam Patriarchalium, Metropolitanarum, Cathedralium, Collegiatarum, et aliarum quarumcumque, in eisque perpetuo asservari. »

Facta demum relatione horum Decretorum SS. D. N. Urbano Papae VIII., ea laudavit, approbavit, atque ab omnibus ubique sub praedictis poenis servari praecepit, nec non in novis Breviariis, de ordine Sanctitatis Suae imprimendis, apponi mandavit die 13. Ianuarii 1631.

893. DECRETUM DE ORATIONIBUS

FIERI SOLITIS AB ADVOCATIS CONSISTORIALIBUS IN CONSISTORIIS PUBLICIS.

Fidem facio ego infrascriptus Em̄i, et Rm̄i Dñi Card. Ludovisi S. R. E. Vice-Cancellarii in hoc munere Secretarius, qualiter in Libris Actorum Consistorialium adest infrascriptum Decretum, videlicet:

Romae apud S. Petrum in Palatio Apostolico Feria secunda die 27. Ianuarii 1631. fuit consistorium secretum, in quo SS. D. N. Urbanus Papa VIII. proposita quaestione: an expediret abolere consuetudinem, quam hactenus servaverunt Advocati Consistoriales, cum fiunt publica Consistoria, proponentes causas fictitias; et rationibus per Sanctitatem suam adductis abolitionem hanc suadentibus, auditisque RR. DD. Cardinalium sententiis, approbantibus, et consentientibus decrevit, ut infra. « Decernimus, et mandamus loco

dictarum commentitiarum narrationum posthac ab Advocatis Consistorialibus agendum esse de genere, natalibus, ac virtutibus eorum, qui cum magna opinione Sanctitatis obierunt, et pro quibus fiunt instantiae, ut in Beatorum, seu Sanctorum numerum adscribantur; et eosdem Advocatos, se continere debere in huiusmodi relationibus habendis intra terminos praescriptos in Instructione de mandato nostro tradenda. »

In quorum fidem praesentes manu propria subscripsi, et supradicti Em̄i, et Rm̄i D. Cardinalis Vice-Cancellarii Sigillo, quo in talibus utor, firmavi etc.

Instructio de mandato SS. facta per me Secretarium pro Advocatis Consistorialibus de iis, qui in futurum servari debent in proponendis in Sacro Consistorio causis Beatificandorum, et Canonizandorum, loco commentitiarum narrationum.

1. Electio Causarum spectet ad Sac. R. Cong. Secretarium pro tempore, qui adnotabit in Codice ab ipso subscribendo nomen Servi Dei unicuique Advocato per turnum assignandi.

2. Quilibet Advocatus per octo saltem dies ante propositionem causae in Consistorio, ipsamet relaxet in manibus praedicti Secretarii, a quo si quid compertum fuerit contra dispositionem eorum, quae continentur in praesenti Instructione, amoveri debeat omnino, et accomodari ad mentem eiusdem Secretarii.

3. De Miraculis in individuo nihil afferatur, sed narrando seriem Vitae, permittitur agi solummodo de Virtutibus, de Miraculis vero in genere tantum.

4. Item de Fama Sanctitatis a die obitus usque ad praesentia tempora, referendo asperitatem vitae, vigiliis, orationes, ieiunia, eleemosynas, disciplinas, aliaque opera meritoria a Beatificandis patrata.

5. Similiter, et de Populorum concursu ad sepulcrum, de oblationibus, ac de instantiis multiplicibus Principum virorum.

6. De gloria militantis Ecclesiae in Beatificationibus Sanctorum, deque excitatione ad heroicas Virtutes eorumdem exemplo.

7. Instantiae debent fieri a procuratoribus Causarum, a quibus praestabuntur solita honoraria huc usque erogata a curia criminali Gubernatoris Urbis.

8. Advocatus proponens, habeat, et teneat in manibus commissionem in forma signandi ad effectum illam relaxandi, cui Sanctitas Sua mandaverit.

9. Promotor Fidei, cum sit ad praesens, et in posterum semper esse debeat de Collegio

Advocatorum Consistorialium, immunis sit a propositione dictarum causarum: esset enim inconveniens eum, qui ratione sui officii opponere debet Processibus Beatificandorum fabricatis, seu fabricandis ad hoc, ut in re tanti momenti veritas magis elucescat, praestare in eisdem causis suum favorabile patrocinium.

T. Tegrinus Episcopus Assisien. Secretarius.
894.

ACHERUNTINA.

Fratres S. Augustini loci Montis Sagoposi Acheruntinae Dioecesis, exhibentes quasdam novas Litanias compositas in honorem SS^mi Salvatoris, supplicarunt pro licentia eas libere recitandi in eorum Ecclesia. Et S. C. respondit: « non posse in Ecclesiis recitari alias Litanias, quam impressas in Breviario Romano, et ita servari mandavit a Fratribus S. Augustini supradicti loci, die 8. Februarii 1631.

895. CIVITATIS CASTELLI.

Magistratus Civitatis Castellae conquestus est, quod invitatus a Patribus Iesuitis in die festo Sancti Francisci Xaverii, Magister Caeremoniarum mandaverit thurificari ante Magistratum, solemniter Divinis interessentem, Praepositum, aliosque Canonicos Cathedralis sine habitu canonicali, et cum ferraiolo ordinario, pariter Divinis assistentes, supplicans declarari: non licuisse. Et Sac. Cong. respondit: « Canonicis nullam competere praecedentiam, seu praerogativam, quando assistunt sine habitu canonicali. » Die 8. Februarii 1631.

896. CASTELLANETAE.

Episcopus Castellanae supplicavit declarari: an in Sede stabili existente in Cathedrali pro Barone, liceat inter Missarum solemnias sedere Vice-Baronem, seu exactorem introituum Baronis, ipso D. Barone absente? Et S. Cong. respondit: « non licere, nec esse permittendam sedem stabilem. » Die 8. Februarii 1631.

897. CASTELLANETAE.

Pro parte Baronis Castellanae narratum fuit: Barones loci pro tempore semper fuisse thurificatos immediate post Episcopum, ante Dignitates, et Canonicos, et petitum mandari servari solitum. Et S. C. respondit: « non convenire, quia obstat dispositio Caeremonialis tollens contrariam consuetudinem, nisi probetur immemorabilis. » Die 8. Februarii 1631.

898. CASTELLANETAE.

Archidiaconus Cathedralis Castellanae egre ferens, ut prima Dignitas, quando debet thurificare Episcopum, sedere debeat in scamno posito post omnes gradus Throni episcopalis, et sic in inferiori loco, quam sedeant Canonici Assistentes

ipsi Episcopo, supplicavit provideri. Et S. C. respondit: « omnes Assistentes in eodem plano sedere debere, si locus sit capax. » Die 8. Februarii 1631.

THELESINA.

899.

Enio Muto referente petitionem Canonicorum Cathedralis Thelesinae residentium in Ecclesia S. Leonardi, existente intra fines Parochialis S. Martini Terrae Cerreti eiusdem Dioecesis: an possint dicti Canonici exponere pro eorum arbitrio orationem quadraginta horarum, et an possint benedicere Mulieres post partum? S. C. respondit: « quoad Orationem quadraginta horarum posse de licentia Episcopi: quo vero ad benedictionem Mulierum post partum, hoc esse munus Parochiale, et ad ipsum Parochum spectare. » Die 8. Februarii 1631.

900.

TROPIEN.

Fratres S. Mariae de Castillione, Ordinis S. Augustini Discalceati Tropien. Dioecesis, supplicaverunt, non adstringi vocatos ad funera convenire in Parochialem, sed ad domum defunctorum. Et S. C. mandavit: « servari Rituale in Tit. de Exequiis §. exequiarum, ordo, nempe: Clerum, et alios vocatos ad funus in Parochialem, vel in aliam Ecclesiam, iuxta loci consuetudinem, convenire debere. » Die 8. Martii 1631.

901.

SIPONTINA.

Narratum est in Ecclesia S. Michaelis Montis Gargani Sipontinae Dioecesis, adesse quatuor Dignitates, et duodecim Canonicos omnes praebendatos, et dubitari inter ipsos: an celebrante aliqua Dignitate, vel Canonico, inservire debeant pro Diacono, et Subdiacono Canonici, an vero inferiores Presbyteri de gremio eiusdem Ecclesiae? Item: an faciente Officium et Vesperas aliqua Dignitate, vel Canonico cum pluviali, assistentes alii cum pluvialibus debeant esse pariter Canonici, seu alii Presbyteri inferiores? et supplicatum in utroque responderi, quid servandum, non obstante, quod adsit consuetudo contraria circa ritus observandos? et S. C. respondit: « Dignitate, vel Canonico solemniter celebrante Canonicos pariter pro Diacono, et Subdiacono, et non alios inferiores inservire debere, non obstante contraria consuetudine, quam abusum » declaravit. Ad 2. « Dignitate, vel Canonico Vesperas cum pluviali celebrante, et Officium faciente, Presbyteros, non tamen Canonicos, cum pluvialibus assistere debere iuxta praescriptum Libri caeremonialis lib. 2. cap. 3. *ibi*: Presbyteros de gremio ipsius Ecclesiae, non autem Canonicos etc.; et in utroque casu in Ecclesia S. Michaelis Archangeli Mon-

tis Gargani servari *mandavit*. » Die 8. Martii 1631.

902. CALAGURITANA.

Emo Capponio referente controversiam inter Capitulum Cathedralis Calaguritanæ, et Abbates Beneficiatos Parochialium SS. Iacobi, et Andreae eiusdem Civitatis, super ritu planetarum complicatarum tempore Quadragesimæ, et Adventus, prætendens Capitulum Cathedralis ad ipsum solum pertinere usum dietarum Planetarum, private quoad alias Ecclesias inferiores; S. C. respondit: « Abbates, et Beneficiatos supradictarum Parochialium, posse uti dictis Planetis complicatis tempore Quadragesimæ, et Adventus. Die 8. Martii 1631.

903. CEDONEN.

Fr. Ferdinandus Brumis Episcopus Cedonen. Ordinis Minorum de Observantia, supplicavit pro licentia recitandi Officium iuxta regulam suæ Religionis, et cum eo satisfieri obligationi recitandi Officium. Et S. C. respondit: « Episcopum Regularem teneri recitare Officium Romanum, omissio Officio suæ Regulæ. » Die 8. Martii 1631.

904. PISAUREN.

Archipresbyter Terræ Basocci Pisauren. Diocesis exposuit, Fratres B. Petri de Pisis, tribus ab hinc annis introduxisse Processionem B. Mariæ de Carmine, cuius occasione mulieres associantes Processionem ingredi etiam septa Monasterii dictorum Fratrum, petens declarari: an hoc liceat? Et S. C. respondit: « Processionem extra claustra Monasterii non licere, et multo minus mulieres ingredi septa Monasterii, et ideo omnino proibendas. » Die 8. Martii 1631.

905. PISAUREN.

Emo Virili referente controversiam inter Capitulum Cathedralis Pisauren., et Curatos eiusdem Civitatis, præcedendi ipsos Canonicos, etiam occasione funerum per eorum Parochias, et quod cum Capitulo intelligantur omnes illi, qui sub Cruce Capituli incedunt, etiam quod sint amovibiles, S. C. respondit: « in Decisis; nempe Curatum, et Sacristam Cathedralis, etiam quod sint amovibiles, quando intervenit Capitulum dictæ Cathedralis, debere præcedere proprio Parocho defuncti. » Die 8. Martii 1631.

906. REGIEN.

Capitulum, et Canonici Cathedralis Regien. nomine etiam totius Civitatis, supplicarunt pro licentia apponendi in Litanis occasione Processionum tam publicarum, quam privatarum, et præcipue his temporibus calamitatis, Sanctos Titulares, et Patronos Civitatis. Et S. C. respon-

dit: « in Litanis non posse apponi alios Sanctos, præter descriptos in ipsis Litanis. » Die 8. Martii 1631.

907. SIPONTINA.

Dignitates Ecclesie Montis S. Angeli Sipontinæ Diocesis conquesti sunt de Canonicis eiusdem Ecclesie, 1. renuentibus obedire decretis iam emanatis, sub prætextu, quod ipsi Canonici non teneantur inservire pro Diacono, et Subdiacono nisi in Missis pro Episcopo celebrandis, non autem in aliis functionibus, puta cinerum, candelarum, et palmarum, in quibus Canonici dicunt, non teneri de iure Episcopum celebrare.

2. Quod cum Decreta S. C. loquantur in Missis solemnibus, non videntur posse habere locum in Vesperis, et Matutinis.

3. Quod cum Episcopus non teneatur, nisi in aliquibus festivitibus solemniter celebrare, Canonici prætendunt, non teneri inservire, nisi in dictis festivitibus, absente, vel impedito Episcopo.

Et S. C. respondit: ad 1. « Decreta iam emanata habere locum in omnibus functionibus, in quibus requiritur Diaconus, et Subdiaconus. » Ad 2. « Non procedere in Vesperis, et Matutinis, quia in ipsis non adhibetur neque Diaconus, neque Subdiaconus. » Ad 3. « Habere locum sive Dignitas celebret pro Episcopo, sive celebret per turnum ad Dignitatem spectantem. » Die 22. Martii 1631.

908. SUTRINA.

Archipresbyter Terræ Capranicæ Sutrinæ Diocesis exposuit, alios Sacerdotes in sua Parochia de licentia Episcopi, Oratore contradicente, administrare Sacramenta ad Parochum spectantia, nempe Baptismum, Matrimonia, et alia munia Parochialia, supplicans mandari: non gravari in suis Iuribus Parochialibus. Et S. C. respondit: « Munia Parochialia exerceri non posse, invito Parocho, nisi per ipsum Parochum. Et ita in Terra Capranicæ servari *mandavit*, » die 22. Martii 1631.

909. THELESINA.

Canonici Cathedralis Thelesinæ supplicarunt item declarari: licere ipsis benedicere Mulieres post Partum, cum hæc benedictio non sit de præcepto, sed ad bene esse, quæ propterea a quolibet Sacerdote potest impertiri. Et S. C. iterum « stetit in Decretis, nempe munia Parochialia ad proprium Parochum private spectare. » Die 22. Martii 1631.

910. VELITERNA.

Canonici Cathedralis Veliternæ conquesti sunt

de Canonico deputato Vicario, praetendente non solum praecedentiam supra omnes alios de Choro antiquiores, cum habitu canonicali in Choro, et Processionibus, sed etiam supra Hebdomadarii Officium facientem cum stola, supplicantes declarari: an praedicta liceant? Et S. C. respondit: « non licere; et Canonicum, licet Vicarium deputatum, in habitu canonicali stare, sedere, et incedere debere in loco suae admissionis, nulla habita ratione tituli Vicariatus, si vult lucrari distributiones; si vero uti Vicarius vult praecedere omnes alios, si est Protonotarius, stare, sedere, et incedere debere in habitu ordinario, puta Mantelletto, et Rocchetto; si vero non est Praelatus cum subtana, et mantello ordinario, et tunc non lucrari distributiones. » Et ita in Civitate Veliterna servari mandavit die 22. Martii 1631.

911.

THELESINA.

Parochus, et Canonici Collegiatae Ecclesiae Terrae Cerreti Thelesinae Dioecesis, narrarunt impediri per Canonicos Cathedralis Officia recitantes, et alia munera exercentes in Ecclesia Parochiali ipsius Collegiatae, ne functiones Parochiales spectantes ad solum Parochum per ipsum exercentur, iuxta alias resoluta per hanc S. C., supplicantes provideri. Et S. C. mandavit: « scribi Episcopo, quod faciat exequi Decreta iam emanata ad favorem Parochi. » Die 13. Aprilis 1631.

912. URBIS, ET ORBIS REGULARIUM.

Emi DD. Patres mandarunt: « extrahi Decretum prohibitivum, consulto SSmo, quod Mulieres de caetero non possint occasione quarumvis processionum, ingredi septa Monasteriorum Regularium, et quod sub eadem poena comprehendantur ipsi Regulares permittentes foeminas ingredi septa eorum Monasteriorum. » Die 6. Iulii 1631.

913. ANDRIEN. FUNERALIUM.

Capitulum Cathedralis Andrien. praetendens ab immemorabili tempore, quando vocatur ad funus alicuius defuncti tumulandi extra Cathedralis in Ecclesiis Regularium, et signanter in Ecclesia S. Mariae veteris, Ordinis Minorum de Observantia dictae Civitatis, ad ipsum spectare Officium facere, aliaque munera peragi solita super cadaveribus, etiam invitatis ipsis Regularibus in eorum Ecclesiis, petiit pluribus ab hinc mensibus Remissoriam ad probandam dictam immemorabilem per ipsum praetensam, prout fuit concessa; et examinatis Testibus super ea, obtinuit ipso instante disputari dubium: an probetur immemorabilis, quae relevet in casu, et ad effectum, de quo agitur? Quo Dubio ad instantiam pariter dicti Capituli acerrime discusso, S. R. C. ad relationem

Emi et Rmi D. Cardinalis S. Georgii, respondit: « Immemorabilem per Capitulum praetensam non esse probatam, et Officium super cadaveribus in dicta Ecclesia S. Mariae veteris, Ordinis Fratrum Minorum de Observantia, ad ipsos spectare, et pertinere, non obstante contraria immemorabili. » Et ita servari mandavit die 5. Iulii 1631.

914.

CATANIEN.

Vincentius Campituris Terrae Regalbuti Catanien. Dioecesis Sacerdos, et Doctor in Theologia, necnon Protonotarius Titularis, ad evitandas controversias, et iurgia, et pro bono pacis, circa praecedentiam cum aliis simplicibus Sacerdotibus non Protonotariis, etiam quod sint Vicarii Foranei, supplicavit assignari sibi locum in Ecclesia, quando Divinis Officiis praesens erit. Et S. Cong. respondit: « Protonotarium Titularem Apostolicum non participantem, in habitu praelatio in Ecclesiis, et Processionibus stare, sedere, et incedere debere iuxta dispositionem Libri Caeremonialis lib. 1. cap. 13. » Et ita in casu proposito servari mandavit die 5. Iulii 1631.

915.

CUSENTINA.

Canonici Cathedralis Cusentinae exposuerunt: Vicarium Generalem pro celebratione Missarum capere Paramenta de Altari, adhibere tres Cappellanos cum quatuor candelis accensis, contra formam Decreti S. C. supradicta adamussim prohibentis. Et S. C. « prohibuit Vicarium Generalem Cusentinae Dioecesis capere Paramenta de Altari pro celebratione Missarum, necnon adhibere plures Cappellanos cum quatuor candelis accensis, et declaravit Vicarium praedictum capere debere Paramenta in Sacristia, cum uno tantum Ministro Cotta induto, et duabus candelis accensis. » Et ita servari mandavit die 5. Iulii 1631.

916.

FLORENTINA.

Narratum fuit in funere ultimi Archiepiscopi Florentini demortui, ipsius cadaver ex Palatio Archiepiscopali exceptum ad Ecclesiam in qua tumulari debebat, fuisse per vias publicas delatum sub baldachino, et petitum declarari per hanc Sacram Cong.: an conveniat? Et S. C. respondit: « nullo modo convenire, et in posterum omnino abstinendum. » Die 5. Iulii 1631.

917.

LANCIANEN.

Duo petiit definiri Archiepiscoper Ecclesiae Lancianen. 1. An liceat Archiepiscopo erigere sibi Thronum Episcopalem a dexteris Altaris maioris, in quo asservatur SS. Eucharistiae Sacramentum cum quatuor gradibus, et Archiepiscopus sub suo Throno praetendat habere quinque gradus? 2. An liceat eidem Archiepiscopo sterna facere tapeta in

suis gradibus, quando gradus Altaris stant nudi sine paramentis? Et S. C. mandavit, « in casu proposito utrumque prohiberi. » Die 5. Iulii 1631.

918. LICIEN.

Franciscus Saetta Protonotarius Titularis semper idem decantans, et nihil aliud cogitans, quam praeeminentias acquirere, ratione sui Tituli Protonotariatus, petiit hodie declarari: licere sibi dum Divinis assistit stare immediate post Canonicos, ante omnes alios de Choro; et S. C. respondit: « Protonotariis Titularibus non licere ullo modo stare, nec supra, nec infra Canonicos, aliosque de Choro, sed stare debere in loco assignato in Caeremoniali Episcoporum lib. 1. cap. 13., » quem ad unguem in omnibus, et per omnia in casu proposito servari mandavit die 5. Iulii 1631.

919. ORTANA.

Idem Episcopus Ortanus exponens Canonicos Civitatis Castellanae, et Ortanae, se excusari ab obligatione canendi duas Missas, quando ultra Festum diei occurrit aliqua Vigilia, tempus Quadragesimae, quatuor Tempora, Rogationes, aut quid simile privilegiatum, ob penuriam Canonico- rum dictarum Cathedralium, supplicavit eos eximi a pensu canendi utramque Missam in dictis diebus privilegiatis. Et S. R. C., attentis narratis, censuit concedendum, « quod cantata Missa Conventuali de Festo, altera Missa recitetur sine cantu, eum interventu tamen omnium Canonico- rum. » Die 5. Iulii 1631.

920. PISAUREN.

Fratres Congregationis B. Petri de Pisis Ordinis S. Hieronymi, conquerentes de Decreto iam emanato, quod Mulieres occasione quarumcumque processionum, vel funeralium, non possint ingredi septa Monasteriorum Regularium, supplicarunt revocari ex eo, quod fel. record. Pius V. in sua Bulla prohibitiva, concessit Mulieres occasione Processionum posse ingredi septa Monasteriorum, simulantes nescire Bullam Gregorii XIII. revocatoriam Bullae Pii V. uti posteriorem. Et S. Cong. respondit: « standum esse in Decretis, et mandavit fieri Decretum generale prohibitivum super hoc, consulto SSmo, cum revocatione omnium concessionum haecenus factarum vivae vocis oraculo Emis DD. Cardinalibus. » Die 5. Iulii 1631.

921. POLICASTREN.

Coadiutor Archipresbyteri Terrae Laurae Policastren. Dioecesis supplicavit declarari: an, ipso Coadiuto absente, debeat praecedere eos omnes, quos praecederet Archipresbyter Coadiutus, si praesens esset? Et S. Cong. respondit: « Coadiutorem Dignitatis, absente Coadiuto, in Choro, et proces-

sionibus debere praecedere omnes alios, etiam Dignitates, quos, et quas praecederet Coadiutus, si praesens esset. » Et ita in casu proposito servari mandavit die 5. Iulii 1631.

922. ROSSANEN.

Archiepiscopus Rossanen. supplicavit declarari: an Decretum alias ab hac Sac. C. emanatum in favorem Archidiaconi primae Dignitatis suae Cathedralis, a qua ipse Archiepiscopus recipit candelam, cineres, et palmam; nempe quod ad dictum Archidiaconum spectet immediate ante omnes alios de Capitulo, etiam ante Vicarium Generalem candelam, cineres, et palmam resumere, suffragetur etiam stante contraria consuetudine tradendi supradicta Vicario Generali, ante Archidiaconum? Et S. C. declaravit: « supradictum Decretum alias emanatum habere locum, et suffragari, non obstante quacumque contraria consuetudine. »

Item petiit defini: quomodo se gerere debeat in supradictis functionibus cum assistentibus sibi, et Vicario Generali; quis eorum sit praefendus? Et S. C. respondit: « post Archidiaconum successive assistentes Episcopo in dictis functionibus praefendos esse, et post assistentes omnes alios paratos sacris vestibus; postea Vicarium generalem ante omnes alios indutos habitu canonicali: si vero praedicti assistentes, alique Canonici erunt in habitu ordinario, post Archidiaconum, et assistentes Episcopo, Vicario Generali ante omnes alios supradicta munia competere. » Et ita servari mandavit die 5. Iulii 1631.

923. TURRITANA.

Pro parte Ecclesiae Turritanae plura fuerunt petita:

1. An aspersio aquae benedictae in Dominicis diebus, fieri debeat per celebrantem, non obstante contraria consuetudine? Et Sac. Cong. respondit: « fieri debere per celebrantem, et non per alium, non obstante contraria consuetudine. »

2. A quo incensari debeant Canonici, Beneficiati, et Magistratus in Vesperis, quando assistunt Beneficiati cum Pluvialibus? Et S. C. respondit: « Incensationem in casu proposito fieri debere per aliquem ex Beneficiatis assistentibus Pluviali indutis. »

3. An Canonici praecedere debeant Beneficiatos Cappis indutos? Et S. C. respondit: « Canonicos semper praecedere debere Beneficiatos, licet Cappis indutos, dummodo Beneficiati non sint parati sacris vestibus. »

4. An tempore, quo cantantur horae Canonicae in Choro, possit aliquis de Choro celebrare Missas privatas ex devotione, vel ex obligatione

sine tamen necessitate, et lucrari distributiones? Et S. C. respondit: « sine necessitate aut iussu Superiorum, non posse lucrari. »

5. An in celebratione solemnī Missae Defunctorum possit aliquid brevitatis causa omitti de eo, quod notatur in Graduali? Et S. C. respondit: « nihil omittendum, sed Missam esse cantandam prout iacet in Missali. »

6. An in Missis tam de Sanctis, quam de feriis, possit recedi a regulis Missalis circa modum sedendi, standi, et genuflectendi? Et S. C. respondit: « Regulas Missalis in sedendo, stando, et genuflectendo omnino servandas esse. »

7. An in Processionibus Canonici auctoritate propria possint dare idem signum Mazzerio, quod deferunt Beneficiati ex indulto Apostolico? Et Sac. Cong. respondit: « si Mazzerius non est de gremio Beneficiatorum, non posse per Canonicos concedi signum, sine expressa licentia Sedis Apostolicae, concessum Beneficiatis: idem dicendum de Confaloniero, et Magistro Caeremoniarum. »

8. An liceat admittere in Choro aliquem, tempore Vesperarum, puta familiarem Episcopi, et illum collocare in sedibus Beneficiatorum? Et Sac. Cong. respondit: « posse admitti familiares Episcopi intra Presbyterium, in loco tamen, ubi collocatur credentia, sed nullo modo in sedibus Beneficiatorum. »

9. Quot ictibus thuribuli sint incensandi Canonici, et Beneficiati, Archiepiscopo praesente? Et S. C. respondit: « Canonicos, tam praesente, quam absente Archiepiscopo, duplici ductu thurificandos esse, Beneficiatos vero unico tantum ietu contentos esse debere. »

10. An tempore, quo cantantur horae Canonicae, vel Missa conventualis, possit convocari Capitulum, et lucrari distributiones? Et S. Cong. respondit: « Tempore Divinorum Officiorum, et Missarum non posse convocari Capitulum, et contrafacientes mulctandos esse in amissione distributionum quotidianarum. Et ita, in casibus supradictis, *servari mandavit* in Ecclesia Turritana, non obstante contraria consuetudine, » die 5. Iulii 1631.

924.

TARENTINA.

Dignitates, et Canonici Collegiatae Ecclesiae Terrae Grittagliae Tarentinae Dioecesis, petierunt declarari: an impedita prima Dignitate pro celebratione Missarum solemnium, Hebdomadarius possit allegare ad ipsum spectare: an vero dictae Missae solemniores pertineant ad alias Dignitates ordine successivo? et S. C. respondit: « Missas solemniores, impedita prima Dignitate, non ad

Hebdomadarium, sed ad secundam Dignitatem spectare, et pertinere, et impedita secunda, ad alias ordine successivo. » Die 5. Iulii 1631.

925.

BAREN.

Fratres Capuccini Terrae Modogni Dioecesis Baren. conquesti sunt de Clero Saeculari loci illius prohibente eos in publicis Processionibus incedere sub propria Cruce, supplicantes provideri. Et Sac. Cong. respondit: « Regulares in publicis Processionibus non posse prohiberi, quin incedant sub propria Cruce etiam per limites alterius Parochiae. Et ita in casu proposito *servari mandavit*, non obstante contraria consuetudine, » die 2. Augusti 1631.

926.

ISERNIEN.

Archipresbyter Cathedralis Iserniens. uti prima Dignitas conquestus est de Episcopo loci negligente mandari apponi scamnum seu sedem, prout apponitur assistentibus, quando ipse, uti Presbyter assistens inservit Episcopo, et prout praescribitur in Caeremoniali, supplicans provideri; et Sac. C. mandavit: « *servari in hoc omnino, quod disponitur in Caeremoniali de Officio Presbyteri assistentis Lib. 1. cap. 7.* » Die 2. Augusti 1631.

927.

ISERNIEN.

Pro parte Capituli Cathedralis Iserniens. narratum fuit Episcopum exercentem Pontificalia extra Cathedralem adhibere in ministerio Presbyteros simplices, neglectis Canonicis suae Cathedralis, et petitum declarari: an conveniat? Et S. Cong. respondit: « non convenire, sed Canonicos Cathedralis in casu proposito omnino inservire debere etiam extra Cathedralem, et non alios inferiores. » Die 2. Augusti 1631.

928.

ISERNIEN.

Idem Capitulum Cathedralis Iserniens. exponens Episcopum loci erexisse Thronum cum gradibus excedentibus altitudinem Altaris maioris, et sterni fecisse tapeta supra gradus Throni, gradus autem Altaris nudos remanere, supplicavit declarari: an haec liceant? Et S. C. respondit: « non licere. » Die 2. Augusti 1631.

929.

MARTERANEN.

Petiit Thesaurarius Cathedralis Marteranen. declarari: an liceat Decano primae Dignitati, absente, vel impedito Episcopo, distribuere candelas, cineres, et palmas, quando ipse Thesaurarius uti Dignitas celebrat solemniter Missas pro dictis functionibus? Et S. C. respondit: « in casu proposito non licere Decano non celebranti solemniter in functionibus candelarum, cinerum, et palmarum, cineres, candelas, et palmas distribuere, sed haec munera ad eum, qui solemniter celebrat in

dictis functionibus spectare, et pertinere: Missas autem solemnes pro dictis functionibus, absente, vel impedito Episcopo, primae Dignitati, et, ea impedita, alteri Dignitati ordine successivo competere. » Die 2. Augusti 1631.

930. MARTERANEN.

Dignitates, et Canonici Cathedralis Marteranen. conquesti sunt de Vicario Generale arrogante sibi plura, et primo: absente, vel impedito Episcopo ad ipsum spectare distribuere candelas, cineres, et palmas: secundo assistentem cum cotta supra omnes alios, etiam ante Dignitates thurificari, et habere pacem, etiam si non sit de gremio Capituli, et sine habitu vicariali: tertio Canonicum, seu alium e Choro abeuntem inter Missarum solemnia, seu horas Divinas, ab ipso petere debere licentiam contra solitum dictae Cathedralis, supplicantes definiri: an supradicta Vicario liceant, et competant? Et S. C. respondit: « nihil ex supradictis Vicario Generali licere, seu competere, sed functiones Episcopales, absente, vel impedito Episcopo, ad digniorem de Capitulo ordine successivo spectare, et pertinere, » die 2. Augusti 1631.

931. SYRACUSANA.

Officiales SS. Sacramenti Parochialis Ecclesiae S. Ioannis Baptistae Civitatis Ragusiae Syracusanae Dioecesis, supplicarunt pro licentia deferendi SS. Sacramentum processionaliter super humeros Sacerdotum, iuxta eorum antiquam consuetudinem. Et S. C. respondit: « nullo modo permittendum, sed deferendum esse manibus celebrantis, iuxta praescriptum in Caeremoniali Episcoporum, non obstante quacumque contraria consuetudine, quam abusum omnino tollendum declaravit » die 2. Augusti 1631.

932. SYRACUSANA.

Presbyteri, et Clerici Parochialis Ecclesiae Sancti Ioannis Baptistae Civitatis Ragusiae Syracusanae Dioecesis supplicarunt pro licentia addendi in Litanis B. M. V., quae recitantur quolibet Sabato in dicta Parochiali, prout cantantur in Domo Lauretana, S. Ioannem Baptistam. Et Sac. Cong. respondit: « nihil addendum in Litanis Beatae Mariae Virginis, sed omnino recitari debere, prout laeant impressae pro Domo Lauretana. » Die 2. Augusti 1631.

933. THELESINA.

Idem Parochus, et Canonici S. Martini Terrae Cerreti Thelesinae Dioecesis, conquesti sunt de Episcopo loci prohibente fieri per Oratores solitas Processiones, supplicantes provideri. Et S. C. respondit: « ad Episcopum privative pertinere indicare, et dirigere Processiones quo, et qua maluerit, nec

sine eius licentia aliter fieri licere. » Die 2. Augusti 1631.

934. TORNACEN.

Episcopus Tornacen. supplicavit declarari: an liceat Abbatibus Titularibus habentibus iurisdictionem quasi episcopalem cum usu mitrae, et baculi, deferre mitram extra proprias eorum Ecclesias per Dioeceses Ordinariorum, absque eorum licentia; et S. C. respondit: « absque indulto Sedis Apostolicae non licere nec sine, nec cum licentia Ordinariorum. » die 2. Augusti 1631.

935. THEATINA.

Praepositus, et Capitulum Ecclesiae Collegiatae S. Petri Terrae Vasthi Theatinae Dioecesis conquesti sunt de Fratribus Dominicanis eiusdem loci, renuentibus convenire in Ecclesiam Parochialem, sub qua decessit defunctus; supplicantes coerceri. Et S. C. respondit: « Regulares, omnesque alios processionaliter vocatos ad funus convenire debere in Parochialem Ecclesiam iuxta loci consuetudinem, et nullo modo per vias expectare permittendum; » et ita in Terra Vasthi omnino servari mandavit die 2. Augusti 1631.

936. ANDRIEN.

Tria petiit declarari Capitulum Ecclesiae Cathedralis Andrien.

1. An liceat Regularibus propria auctoritate levare cadavera defunctorum de domo propria, absque licentia Parochi, in cuius Parochia decesserunt, non obstante, quod cadavera sint sepelienda in eorum propriis Ecclesiis? Et S. C. respondit: « nullo modo licere Regularibus levare cadavera Defunctorum, nisi de licentia, et consensu proprii Parochi. »

2. An Confraternitates laicorum vocatae ad funus possint associare cadavera cum propria Cruce? Et S. C. respondit: « Confraternitates laicorum in actu associationis cadaveris nullo modo posse erigere Crucem propriam. »

3. An cadavera sint associanda cum pluribus Crucibus; an vero cum unica tantum, et cuius Ecclesiae debeat esse Crux? Et S. C. respondit: « cadavera defunctorum debere associari cum unica tantum Cruce, quae esse debeat illius Ecclesiae, ad quam corpus defuncti defertur, dummodo non interveniat Capitulum Cathedralis, sub qua omnes incedere debent funus associantes: Officium vero in Ecclesia praesente cadavere fieri debere per Sacerdotem illius Ecclesiae, in qua cadaver defertur. » Die 22. Novembris 1631.

937. ALEXANDRINA.

Capitulum Cathedralis Alexandrinae narrans tam vigore Statuti particularis, quam antiquae

consuetudinis, sex ultimos Canonicos teneri, et obligatos esse, licet Sacerdotes, inservire pro Diacono, et Subdiacono Canonicis antiquioribus solemniter celebrantibus; et modo Canonicos sex novissimos recusare haec munia peragere; supplicavit eos obstringi sub poena, quod non faciant fructus suos. Et S. C. respondit: « pro Diacono, et Subdiacono inservire debere habentes praebendas diaconales, et subdiaconales, non obstante statuto, et consuetudine in contrarium allegatis, quam consuetudinem abusum esse declaravit. » Et ita in Cathedrali Alexandrina omnino servari mandavit die 22. Novembris 1631.

938. MARTERANEN.

Dignitates, et Canonici Cathedralis Marteranen. exposuerunt Vicarium generalem absente Episcopo, vel impedito, praetendere cantare Missas solemnes, et deferre SS. Sacramentum in die Corporis Christi, contra Decreta alias ab hac S. C. emanata. Item velle praecedentiam supra Dignitates, et Canonicos in Choro, et extra, supplicantes declarari: an praedicta dicto Vicario convenient? Et S. Cong. « quoad Missas in casu proposito spectare censuit ad primam Dignitatem, et nullo modo ad Vicarium generalem; et impedita prima Dignitate ad aliam subsequentem ordine successivo. Quo vero ad praecedentiam, respondit, Vicario generali in habitu vicariali, deberi praecedentiam, supra Dignitates, Canonicos, omnesque alios de Choro tam intra, quam extra Ecclesiam. » Die 22. Novembris 1631.

939. S. AGATHAE.

Idem Episcopus (S. Agathae) exposuit in Civitate sua solitum esse celebrari Festum SS. Assumptionis cum duobus diebus immediate sequentibus, ad instar Festi Paschalis Domini nostri; et modo, stante Decreto contra abusus, dubitari: an licite huiusmodi solitum servari debeat? supplicans declarari sensum in hac re huius Sacrae Cong.: quae respondit: « si duo sequentes dies celebrantur solemniter ex devotione Populi cum Officio tamen currentis diei, et prout praescribitur in Calendario Romano, posse continuari: si vero Officium his diebus fit, ut in die Assumptionis, nullo modo permittendum, sed Officium omnino recitari debere, prout praescribitur in Calendario Romano. » Die 22. Novembris 1631.

940. CIVITATEN.

Supplicavit Episcopus Civitaten. per hanc Sac. R. Cong. declarari: SS. Sacramentum Feria V. in Coena Domini asservari debere sub unica tantum clave retinenda per Sacerdotem in crastinum celebraturum, et nullo modo apud personas laicas, et saeculares cuiuscumque gradus, status, vel con-

ditionis existant; non obstante quacumque contraria consuetudine. Item sub hoc Decreto comprehendendi omnes Ecclesias suae Dioecesis, tam saeculares, quam regulares quoquo modo a iurisdictione Ordinarii exemptas. Et Sac. C. respondit: « SS. Sacramentum Feria V. in Coena Domini sub unica tantum clave asservari debere, retinenda per Sacerdotem in crastinum celebraturum, et nullo modo apud personas laicas, et saeculares, cuiuscumque status, gradus, et conditionis existant, non obstante quacumque contraria consuetudine, quam abusum esse declaravit. Item praedictum Decretum afficere omnes Ecclesias tam saeculares, quam regulares, quovis modo a iurisdictione Ordinarii exemptas. » Et ita omnino in Civitate, et Dioecesi Civitaten. servari mandavit die 6. Decembris 1631.

941. THELESINA.

Canonici Collegiatae Ecclesiae Sancti Martini Thelesinae Dioecesis una cum Parocho dictae Terrae supplicarunt declarari: an in deferendis cadaveribus in concursu cum Capitulo Cathedralis, possit Parochus deferre Crucem propriam, stante quod in loco tam Confraternitatis Laicorum, quam Regularium vocati ad funus incedunt sub propria Cruce? Et S. C. respondit: « Cadavera defunctorum esse deferenda cum unica tantum Cruce, et Crucem esse debere illius Ecclesiae, ad quam corpus defuncti defertur, dummodo non interveniat Capitulum Cathedralis, quia tunc Crux erit ipsius Cathedralis, sub qua omnes funus associantur incedere debeant. » Die 6. Decembris 1631.

942. THELESINA.

Archipresbyter Parochialis, et Collegiatae Ecclesiae Terrae Cerreti Thelesinae Dioecesis, supplicavit definiri: 1. an liceat levare corpora defunctorum sine licentia, et intimatione proprii Parochi? Et S. C. respondit: « Corpora defunctorum non posse levari de domo propria, nisi cum intervenitu, vel de licentia Parochi, cum quo concordari debet de hora illa deferendi. »

2. petiit: an possit idem Parochus prohiberi per Canonicos Cathedralis Thelesinae, ne ingrediantur in Ecclesiam S. Leonardi filialem, et suppositam suae Parochiae, in qua translatum est servitium ob aeris intemperiem Civitatis Thelesinae, ad exercendas functiones Parochiales, et recipiendum solita emolumenta, et obventiones Parochiales? Et S. C. respondit: « in casu proposito nullo modo per Canonicos Cathedralis posse prohiberi. » Die 6. Decembris 1631.

943. ARIMINEN.

Pro parte Parochialis Ecclesiae Castri Sancti Ioannis in Marignano Ariminen. Dioecesis narra-

tum fuit, dictam Ecclesiam, uti caput aliarum Parochialium in loco existentium nuncupari Archipresbyteralem, et uti talem, haberi, et recognosci in Matricem, in eaque asservari Oleum Sanctum distribuendum Ecclesiis suis filialibus, necnon a Iulio II. unitam Monasterio S. Vitalis Civitatis Ravennaten. Congregationis Cassinensium, per cuius Congregationis Abbatem deputatur ad curam illius semper Monachus ad nutum ipsius Abbatis amovibilis, cuius praetextu alii Curati, licet recognoscant in Superiorem dictam Ecclesiam Sancti Ioannis, denegant praecedentiam, et praerogativam ipsi Monacho ad curam illius deputato, in processionibus, aliisque functionibus ecclesiasticis, et supplicatur definiri: quid in casu proposito servandum? Et S. C. respondit: « praecedentiam inter Curatos deberi in Processionibus, et aliis actibus deputato ad curam Ecclesiae S. Ioannis, non obstante quod sit amovibilis, et regularis. » Et ita in casu proposito servari mandavit die 6. Decembris 1631.

944. INCERTI LOCI.

Expositum fuit aliquibus in Cathedralibus. Solitum esse quolibet die Sabbati ultra Missam currentem celebrari etiam Missam votivam de Beata Virgine, cum commemoratione S. Iosephi ad Altare dictae B. V. erectum, quocumque die Festo in Sabbatis occurrente, nisi sit Natalis Domini, aut dies Epiphaniae. 2. Adesse Praebendas distinctas in Presbyterales, Diaconales, et Subdiaconales, nihilominus inter eos non attendi circa praecedentiam, nisi tempus captae possessionis, nulla habita distinctione an Praebenda sit Presbyteralis, vel Diaconalis, vel Subdiaconalis, et petitum responderi: An convenient dicta duo narrata? Et S. C. respondit:

Ad 1. « Expectandam esse resolutionem huius Dubii, quod de mandato huius S. Cong. pendet indecisum coram Eñno Capponio. » Ad 2. « Habentes Praebendas Presbyterales, licet posteriores in possessione, praeferrere debentibus Praebendas Diaconales, licet anterioribus in optione. Et ita omnino servandum, non obstante quacumque contraria consuetudine, quam ab usum eadem Sac. Cong. declaravit » die 6. Decembris 1631.

945. INCERTI LOCI.

Petitum fuit, tacito nomine Loci, et Personarum, responderi: an excipi debeat Episcopus ad ianuam Ecclesiae quocumque ad ea accedit habens habitationem distantem ab Ecclesia? Et S. C. respondit: « Episcopum venientem cum Cappa semper excipi debere a Capitulo, et Canonicis in habitu canonicali in aula suae habitationis, seu

alio loco per ipsum ad hoc destinato, eumque associari, et comitari ad Ecclesiam, et abeuntem pari modo reduci ad locum, ubi exceptus fuit, non obstante, quod Palatium, seu habitatio distet ab Ecclesia: venientem vero sine cappa, et Canonicis in Choro Divinas horas recitantibus, satis esse, quod a quatuor, vel quinque de Capitulo in ostio Ecclesiae excipiantur. »

2. An si extra tempus communis existentiae Canonicorum in Ecclesia reperiat ibi aliquis Canonicus, ab eo excipi debeat Episcopus veniens ad Ecclesiam, eique a dicto Canonico aspersionum porrigi, et ministrari? Et Sac. Cong. respondit: « Semper Episcopum venientem ad Ecclesiam in casu proposito excipi debere a Canonicis in Ecclesia existentibus in ostio Ecclesiae, eique Ecclesiam ingredienti a digniore Aspersionum ministrari. »

3. An Episcopus post peractam Missam privatam in Ecclesia, vel aliam functionem exercens, volens interesse Missae cantandae, vel praedicationi, teneantur Canonici accedere ad locum, in quo functiones exercuit, vel ad Cappellam, in qua celebravit ad effectum illum associandi in Choro, vel in loco praedicationis, an potius illum expectare in Choro, vel in loco, in quo debet accedere? Et S. C. respondit: « Episcopum a Canonicis excipi debere in Cappella, vel alio loco, in quo functionem exercuit, et ab iisdem in casu proposito associari in Choro, vel in loco praedicationis. » Die 6. Decembris 1631.

946. BONONIEN.

Don Marcus Antonius de Bononia, Abbas Monasterii B. Mariae de Pace de Urbe, Procurator Generalis totius Congregationis Canonicorum Regularium Lateranensium, conquestus est de Archidiacono Metropolitanae Ecclesiae Bononien. praetendente in Ecclesia propria dictorum Canonicorum Regularium occasione publicae Processionis porrigere Aspersionum Eñno Dño Cardinali Legato ad ipsorum Ecclesiam accedenti, contra dispositionem Libri Caeremonialis, et Decreta alias in his terminis per hanc S. C. edita, supplicans pro bono pacis declarari: quid servandum? Et S. R. Cong. respondit: « Aspersionum Eñno Legato, seu Ordinario Loci aliquam Ecclesiam suae Dioecesis, seu iurisdictionis quacumque de causa ingredienti, non ab Archidiacono, seu aliis de Capitulo cuiuscumque Ecclesiae porrigi debere, sed a digniore illius Ecclesiae, ad quam Eñnus Legatus accedit. » Et ita in posterum ubique servari mandavit die 11. Februarii 1632.

947. INCERTI LOCI.

Licet alias sub die 23. Decembris 1624. Sacra

haec R. C. decreverit per Fratres Ordinis Minimo-
rum S. Francisci de Paula in Litanis, Orationibus,
Versiculis, ceterisque actibus inter Divina Officia
occurrentibus nomen dicti *Sancti Francisci* invo-
candum esse absque expressione *de Paula*, et per
nonnullos modo apponatur, praedictum Decretum
dubitari an afficiat, ex quo non fuit facta mentio
de antiqua consuetudine per Fratres dicti Ordinis
invocandi semper cum particula *de Paula*; Sacra
Rit. C. ad removendum circa hoc omne dubium
respondit: « praedictum Decretum afficere, non
obstante quacumque contraria consuetudine, quam
abusum esse declaravit: et ita per omnes Fratres
Ordinis S. Francisci de Paula ubique omnino ser-
vari mandavit » die 14. Februarii 1632.

948.

TURRITANA.

Plura petiit definiri Archiepiscopus Turritanus.

1. An Rector alicuius Parochialis debeat in sua
Parochiali, dum recitantur Divina Officia sedere in
sella, vel potius in scamno? Et S. C. respondit:
« sedere debere in scamno, non autem in sella. »

2. A quo debeat porrigi aspersorium Archiepi-
scopo ingredienti aliquam Ecclesiam suae Dioecesis
associato a Dignitatibus, et Canonicis suae Cathedra-
lis? Et S. C. respondit: « aspersorium porrigi
debere a digniori illius Ecclesiae, ad quam Archiepi-
scopus accedit, non autem a Dignitatibus,
et Canonicis Cathedralis. »

3. An Archiepiscopo accedenti ad aliquam Pa-
rochiam suae Dioecesis cum Canonicis suae Cathedra-
lis, Rector illius Parochialis praecedere debeat
Canonicos Cathedralis, et sedere immediate post Archiepi-
scopum ante Canonicos? Et S. C. respondit:
« digniorem locum debere Canonicis Cathedralis, im-
mediate post Archiepiscopum; Rectorem vero sedere
debere post Canonicos, vel e regione Sedis Archiepi-
scopalibus. »

4. An Canonici, et Dignitates associantes Archiepi-
scopum in aliqua Parochiali, Rector Parochialis
cedere debeat digniorem locum ipsis Dignitatibus,
et Canonicis? et an Rector sedere debeat
in scamno, seu potius in sella, prout praetendit
Rector in sua Parochiali, non obstante, quod Can-
onici sedeant in scamno? Et S. C. « quoad dignio-
rem locum, *respondit*, debere Canonicis, ut ad pro-
ximum: quo vero ad sedem, *respondit*, Rectorem
in sua Parochiali sedere debere in scamno, prout
sedent Dignitates, et Canonici. » Die 14. Febr. 1632.

949.

AVERSANA.

Nomine Parochorum Terrae Iuliani Aversanae
Dioecesis supplicatum fuit declarari tria Dubia iuxta
alias resoluta.

1. An Curatus teneatur distribuere Candelas

in festo Purificationis ultra interessentes Proces-
sioni per domos Parochianorum, stante, quod
constitutio synodalis hoc praecise prohibet distribui
absentibus, et Rituale Romanum ad hac Parochos
non aetat. Et S. C. respondit: « in casu proposito
servandam esse constitutionum synodalem, et Ri-
tuale Romanum. »

2. An Cappellani, alique Sacerdotes cuiusvis
Ecclesiae vocati ad funus possint erigere propriam
Crucem, vel incedere debeant sub Cruce Ecclesiae,
ad quam cadaver defertur? Et Sac. C. respondit:
« omnes vocatos ad funus incedere debere sub
Cruce Ecclesiae, ad quam corpus defuncti defer-
tur, et nullam aliam Crucem erigendam in asso-
ciatione Cadaverum. »

3. An inter Sacerdotes SS. Annunciationis, et
Sanctae Sophiae Ecclesiarum non Parochialium in
functionibus Ecclesiasticis praecedentia debeatur
ei, qui primum delectus fuerit in Sacristam, vel
Presbyteratus ordinem fuit prius assequutus? Et
S. C. respondit: « in casu proposito illi Sacerdoti,
qui prius Presbyteratus Ordine fuit insignitus,
praecedentiam debere, non autem tempus deputa-
tionis in Sacristam esse attendendum in concursu
circa praecedentiam. » Die 13. Martii 1632.

950.

BITUNTINA.

Tria petiit declarari Episcopus Bituntinus.

1. An ipso absente, possit Vicarius declarare
quo, et qua dirigendae sint Processiones?

2. An Episcopo absente pertineat ad Vicarium
benedictionem impertiri concionem habituro?

3. An Vicarius Generalis praecedere debeat Di-
gnitates, et Canonicos? Et Sac. Cong. respondit
« nihil. » Die 13. Martii 1632.

951.

CORCYREN.

Archiepiscopus Corcyren. Romae immorans
visitaturus limina Apostolorum, ante reditum in
suam Dioecesim supplicavit definiri? an permittere
debeat inveteratam consuetudinem deferendi pro-
cessionaliter Feria 6. in Parasceve de sero SSmum
Sacramentum in quadam bara per 4. Sacerdotes,
duo ex Latinis, et duo ex Graecis; an potius il-
lam in posterum prohibere? Et S. C. respondit:
« SS. Eucharistiae Sacramentum non nisi manibus
celebrantis de mane deferendum, et allegatam con-
suetudinem deferendi illud Feria sexta de sero,
vel etiam de mane eo die nullo modo permitten-
dam, sed esse abusum omnino tollendum; et ita
in posterum servari mandavit » die 13. Martii 1632.

952.

CAMERACEN.

Petierunt Archiepiscopus, et Episcopi Provinciae
Cameracen. declarari: an Abbates, Priores,
Guardiani, Rectores Societatis Iesu, alique Supe-

riores Regulares, qui ex privilegio possunt benedicere vestes sacras, reconciliare caemeteria, et similia, possint ea benedicere non solum pro Monasteriis, et Ecclesiis propriis, sed etiam pro aliis promiscue, et indistincte? Et Sac. C. respondit: « Abbates, Priores, Guardianos, Rectores Societatis Iesu, et alios quoscumque habentes privilegium benedicendi vestes sacras, reconciliandi caemeteria, et similia, dicto Privilegio uti non posse, nisi in his rebus, in quibus sacra unctio non adhibetur, et pro servitio dumtaxat Monasteriorum, et Ecclesiarum propriarum. » Die 13. Martii 1632.

953. ASCULANA.

Petiit Episcopus Asculanus declarari: an liceat Regularibus in Feriis sextis Quadragesimae publice exponere SS. Eucharistiae Sacramentum, absque licentia Ordinarii? Item: an Confraternitates Laicorum possint absque licentia, vigore alicuius aggregationis, idem SS. Eucharistiae Sacramentum publice exponere bis in anno occasione quadraginta horarum, sine licentia proprii Ordinarii? Et Sacra Cong. respondit: « neque Regularibus, neque Confraternitatibus Laicorum quovis praetextu licere exponere SS. Eucharistiae Sacramentum absque speciali licentia proprii Ordinarii. » Die 3. Aprilis 1632.

954. BISUNTINA.

Cum Episcopo, et non aliis inferioribus concedat Congregatio Tridentina dirigere Processiones ordinarias, et extraordinarias per annum habendas, supplicavit Archiepiscopus Bisuntinus declarari,

1. An, absente Archiepiscopo, Processiones huiusmodi indicere spectet ad illius Vicarium generalem, an vero ad Capitulum? Et Sac. Congr. respondit: « Processiones indicere, absente Archiepiscopo, spectare ad Vicarium Generalem eo modo, quo spectabat ad Archiepiscopum. »

2. An Vicario Generali debeatur praecedentia supra Canonicos canonicali habitu indutos? Et S. C. respondit: « Vicario Generali deberi praecedentia supra Dignitates, et Canonicos, et alios quoscumque de Capitulo, licet antiquiores, tam praesente, quam absente Archiepiscopo. » Die 30. Aprilis 1632.

955. VESTANA.

Dignitates Cathedralis Vestanae supplicarunt declarari: an pro Episcopo celebranti inservire debeant pro Diacono, et Subdiacono Canonici, an alii inferiores? Item: an in Vesperis circa usum Pluvialium sit servandum solitum? Et S. Cong. respondit: « Dignitati, et Canonico pro Episcopo celebranti, Canonicos pro Diacono, et Subdiacono, et non alios inferiores inservire debere. Quo vero ad usum Pluvialium in Vesperis Dignitati, seu Canonico Officium facienti, non Canonicos, sed

alios inferiores cum Pluvialibus inservire debere. » Die 30. Aprilis 1632.

956. RELIGIONIS CARMELITARUM
DISCALCEATORUM.

Cum alias haec S. R. C. declaraverit: Officia super cadaveribus, quae tumulantur in Ecclesiis Regularium, non a Canonicis, neque a Clero, sed ab iisdem Regularibus peragi debere, fuit dubitatum: an sub hoc Decreto includantur, et comprehendantur etiam proprii Parochi, sive Curati ipsorum defunctorum? Et Sac. C. respondit: « in suprascripto Decreto includi, et comprehendi proprios Parochos, seu Curatos defunctorum. Et ita eveniente casu servari mandavit » die 30. Aprilis 1632.

957. MATERANEN.

Archipresbyter Parochialis Ecclesiae S. Ioannis Baptistae Civitatis Materanen. turbatus in sua solita Processione SSiñi Sacramenti in Dominica intra Octavam Corporis Christi a Fratribus Dominicanis, praetendentibus ad ipsos privativa spectare Processionem facere SS. Sacramenti in Dominica intra Octavam Corporis Christi, vigore Brevis fel. rec. Clementis VIII.; supplicavit dictos Fratres coerceri. S. R. C. ad relationem Em̃i D. Card. Virilis respondit: « Breve Clementis VIII. non afficere Parochos Saeculares, et Archipresbyterum suprascriptum non posse, nec debere impedi in sua solita Processione in Dominica intra Octavam Corporis Christi; et ita omnino servari mandavit » die 30. Aprilis 1632.

958. PLACENTINA.

Archidiaconus, et Praepositus Cathedralis Placentinae conquesti sunt de Canonicis eiusdem Cathedralis occupantibus stalla Dignitatum, ipsis Dignitatibus absentibus, supplicantes provideri. Et S. C. respondit, « Sedes Dignitatum absentium non debere occupari ab aliis Dignitatibus, sive Canonicis, sed unamquamque Dignitatem in proprio stallio permanere debere, prout in una Capuana 12. Martii 1618. » Die 30. Aprilis 1632.

959. ACERNAE.

Primicerius, qui est secunda Dignitas Cathedralis Acernae, conquestus est de Canonico eiusdem Cathedralis praetendente habere praecedentiam supra Oratorem in Choro, ex eo solum, quod sit Vicarius Generalis, et ab eodem Vicario suspensus, supplicans provideri, et mandari non molestari. Et S. C., quod praecedentiam respondit: « Vicarium Generalem, qui sit Canonici, si interveniat in Choro cum habitu canonicali, stare, sedere, et incedere debere in loco suae receptionis, et nullo modo habere praecedentiam supra Primicerium, nec alios antiquiores Canonicos in canonicatu; si vero interveniat cum habitu vicariali, tunc stare,

sedere, et incedere debere supra Primicerium, et omnes alios de capitulo; sed non lucrari hoc casu distributiones. Quo vero ad suspensionem, si est suspensus ex causa praecedentiae, *mandavit* solvi; si vero est innodatus ex alio capite, utatur iure suo. » Die 21. Iunii 1632.

960.

BARCHINONEN.

Episcopus Barchinonen. petiit declarari: an permittendus sit usus inveteratus in sua Dioecesi, quod, praesente cadavere, loco Missae *de requiem* dicatur Missa Angelorum in paramentis albis? Et S. C. respondit: « nullo modo permittendum, sed omnino prohibendum. » Die 21. Iunii 1632.

961.

ORITANA.

Petitum fuit declarari: An debeatur obedientia in Choro Vicario generali, seu capitulari absente Episcopo, antequam solemniter celebret, prout praestatur ipsi Episcopo, quando praesens est? Et S. C. respondit: « nullo modo deberi, et Vicarium sive generalem, sive capitularem omnino abstinere debere, cum obedientia in casu proposito non debeat, nisi proprio Episcopo. » Die 21. Iunii 1632.

962.

SYRACUSANA.

Narratum fuit pro parte Capituli, et Cleri Syracusanae Dioecesis, alias relictum fuisse Legatum pium sc. mille, et decem annuorum, cum onere celebrandi qualibet Feria V. Missam SS. Sacramenti, et cum eo faciendi post Missam Processionem, et petitum declarari: an liceat continuare? Et S. C. *mandavit*, *oretenus* responderi: « posse; dummodo non omittatur ea die Missa Conventualis. » Die 21. Iunii 1632.

963.

AQUILEGIEN.

Capitulum, et Canonici Aquilegien. exponentes semper solitos omittere Missam Conventualem, quando celebrant Officium mortuorum cum Missa solemnem, et in principio cuiuslibet mensis canere Missam Conventualem cum sola collecta pro defunctis, supplicarunt pro licentia continuandi, non obstantibus Decretis huius S. Cong. mandantibus utramque Missam celebrari. Et S. C. respondit: « nihil. » Die 7. Iulii 1632.

964.

ISERNIEN.

Dignitates, et Canonici Cathedralis Isernien. supplicarunt declarari: an praecedentia debeatur Vicario generali in incensatione, distributione candelarum, cinerum, palmarum, et similium, quando Dignitates, et Canonici sunt induti sacris vestibus? Et S. C. respondit: « in casu proposito non deberi, et *mandavit servari* Decretum factum in his terminis pro Ecclesia Rossanen. » Die 17. Iulii 1632.

965.

MONOPOLITANA.

Cum in Cathedrali Monopolitana adsit consue-

tudo inter Primicerium primum, et Primicerium secundum, quod, vacante stallo primi Primicerii, subintret secundus Primicerius in locum primi, et qui de turno providetur habeat stallum secundi Primicerii, orta fuit controversia inter Coadiutorem primi Primicerii coadiuvantem suum Coadiutum, et Primicerium secundum, in quo loco exercere debeat Coadiutor functiones pro suo Coadiuto; an in stallo proprio ipsius Coadiuti, an vero in stallo secundi Primicerii? Et, utraque parte plene informante, ad relationem Eñi Card. Pamphli, S. R. C. censuit: « Coadiutorem primi Primicerii exercentem functiones pro primo Primicerio, non in stallo proprio ipsius primi Primicerii Coadiuti, sed in stallo secundi Primicerii exercere, stare, sedere, et incedere debere; secundum vero Primicerium, absente, vel impedito primo Primicerio, stare, sedere, et incedere debere in loco primi Primicerii; nec non, vacante stallo primi Primicerii, secundum Primicerium statim subintrare in stallum, et locum primi Primicerii iuxta supradictae Cathedralis consuetudinem. » Die 17. Iulii 1632.

966. CONGREGATIONIS CAMALDULENSIUM.

Eñi, et Rñi Dño Card. Columna referente petitionem ad instantiam Procuratoris generalis Congregationis Camaldulensium, circa usum Baldachini, aliorumve Pontificalium cum certo numero Manaehorum inservientium, quando Abbates dictae Congregationis solemniter celebrant in eorum propriis Ecclesiis exemptis. S. R. C. censuit: « licere Abbatibus Congregationis Camaldulensium, quando solemniter celebrant, quod in tribus tantum quolibet anno Festivitatibus fieri permittitur, uti baldachino, sine auro tamen, et pompa, cum assistentia unius Presbyteri, et duorum Diaconorum ultra Diaconum, et Subdiaconum pro cantandis Evangelio, et Epistola, ac sex alios ad summum Monachos sacris vestibus indutos, quorum duo assistant cum Pluvialibus, duo cum Planetis, et duo cum Tunicellis coloris temporis convenientis: et dummodo iidem Abbates nullo modo teneant sedem abbatialem fixam, et permanentem prope Altare, ut sedes episcopalis retineri consuevit, sed eorum sedes retineantur in Ecclesia iis tantummodo diebus tribus festivis, quibus Abbates solemniter celebraturi erunt, et dicti sex Monachi, ut supra parati, non in sedibus choralibus, sed super scabellis sedeant in loco congruo, iuxta Ecclesiarum convenientem situm, ad hunc effectum tunc appositis, panno laneo coopertis. » Die 21. Augusti 1632.

967.

ISERNIEN.

Eodem Eñi Columna referente statum causae

Archipresbyteri, Cathedralis Isernien. carcerati ab Episcopo, ob non partitionem praecepti ab ipso Episcopo eidem Archipresbytero facti de imponendo, et deponendo sibi Biretum, quando idem Episcopus assistit Divinis cum Cappa, et Bireto, Sac. Cong. respondit: « Archipresbyterum, Dignitates, neque Canonicos assistentes teneri caput Episcopo tegere, et detegere, quando assistit Divinis cum Cappa, et Bireto, sed tantum quando assistit cum Mitra. Quo vero ad carcerationem indebitam, et expensas per Archipresbyterum praetensas, eadem S. C. censuit, Archipresbyterum uti posse iure suo coram A. C. » Die 21. Augusti 1632.

968.

PERUSINA.

Cum Eius Cardinalis de Torres Episcopus Perusinus mandaverit in Dominicis diebus, in quibus aspersio aquae benedictae fieri debet per ipsum celebrantem, iuxta praescriptum Missalis, fieri etiam debere per Dignitates solemniter celebrantes in diebus Dominicis; Horatius Rinaldus Archipresbyter Cathedralis Perusinae id aegre ferens sub praetextu, quod in dicta Cathedrali Dignitates celebrantes, numquam talem asperionem fecerint, supplicavit mandari nihil innovari. Et S. Cong. respondit: « Asperionem aquae benedictae in diebus Dominicis fieri debere per ipsum celebrantem, etiam quod sit prima, vel alia Dignitas; non obstante contraria consuetudine, quae potius corruptela, quam consuetudo dici debet, cum sit contra Rubricas Missalis Romani, et Caeremonialis lib. 2. cap. 30. Et ita in Cathedrali Perusina servari mandavit » die 27. Novembris 1632.

969.

SENOGALLIEN.

Narratum fuit in Dioecesi, et signanter in Terra Montis Bodii Senogallien. Dioecesis, vigere abusum, quod in Processionibus, in quibus interveniunt Sacerdotes diversarum Ecclesiarum, neglecta propria Cruce, turmatim, et confusim incedere velle sub ultima Cruce, et petitum declarari: non convenire. In illis vero Processionibus, in quibus ex antiqua consuetudine incedendum est sub unica tantum Cruce, digniorem locum obtinere debere illos saeculares Sacerdotes, qui inserviunt illi Ecclesiae, cuius est Crux, quae defertur in Processionibus. Et S. C. respondit: « in Processionibus, in quibus quilibet Clerus incedit sub propria Cruce, sub eadem Cruce propria incedere debere. In Processionibus vero, in quibus non intervenit nisi unica tantum Crux, Clerus illius Ecclesiae, cuius est Crux digniorem locum obtinere debere; et ita in Terra Montisbodii, iuxta antiquam consuetudinem, omnino servari mandavit » die 27. Novembris 1632.

970.

LIMANA.

Referente Eius Spinula quinque Dubia exhibita pro parte Archiepiscopi Limani, S. R. C.

Ad 1. An Processiones faciendae per Regulares, et Confraternitates laicorum, fieri liceat extra claustra Monasteriorum, vel proprias Ecclesias? Respondit: « Non licere Confraternitatibus laicorum, neque Regularibus Processiones facere extra claustra Monasteriorum, vel proprias Ecclesias; earentibus vero claustris, non nisi intra ambitum videlicet prope muros Ecclesiae, sive exeundo a ianua Ecclesiae, et intrando per aliam, sive per eandem, et semper prope muros Ecclesiae: extra vero ambitum Ecclesiae, non nisi de licentia, consensu, aut cum Cruce Parochi, iuxta alias resoluta in Hispanen.

Ad 2. An Ordinarius cogere possit Regulares, ut accedant ad Processiones? Respondit: « Regulares posse cogi per Ordinarios, ut accedant ad publicas, et generales Processiones. »

Ad 3. An Regulares vocati ad funus, convenire debeant in Parochialem, vel recto tramite, ut praetendant, ire ad domum defuncti, vel expectare per vias? Respondit: « omnino convenire debere in Parochialem, et nullo modo permittendum ire recto tramite ad domum defuncti, vel expectare per vias. »

Ad 4. An liceat celebrari Missas in navibus dum permanent in Portu? Respondit: « formandum esse Dubium, et mittendum per manus. »

Ad 5. An Regulares possint cogi per censuras ad observantiam supradictorum? Resp.: « adeundam esse Sac. Cong. Concilii. » Die 15. Decembris 1632.

971.

INCERTI LOCI.

Petitum fuit declarari: an liceat Canonico habenti suppellectilem valde pretiosam cum propriis insignibus pro celebratione Missarum, ea uti in celebratione Missarum privatarum, necnon et Missarum solemnium cum Diacono, et Subdiacono in Altari maiori per turnum suae Hebdomadae? Et S. C. respondit: « abstinere debere quando celebrat solemniter praesentibus Canonicis, et aliis de Capitulo. » Die 15. Decembris 1632.

972.

LUCANA.

Prior Collegiatae S. Alexandrini Civitatis Lucanae narrans, diem Consecrationis Ecclesiae concurrere cum Festo S. Alexandri Titularis, nec posse commode utrumque Festum, ut par est, celebrari, supplicavit pro licentia transferendi diem Consecrationis post Octavam S. Alexandri. Et S. C. respondit: « Festum Consecrationis prius agendum ut dignius, Festum vero Titularis transferendum

in diem proxime sequentem. » Die 15. Decembris 1632.

973. **MONOPOLITANA.**

Dignitates, et Canonici Cathedralis Monopolitanae supplicarunt definiri: an Dignitates, et Canonici assistentes inservientes, teneantur genuflexi ministrare? Et Sac. C. respondit: « non teneri. » Die 15. Decembris 1632.

974. **MONOPOLITANA.**

Dignitates eiusdem Cathedralis Monopolitanae supplicarunt declarari: quis inservire debeat Episcopo solemniter celebranti pro Presbytero assistente, et quis, quando Episcopus non celebrat, sed tantum Divinis praesens est? Et S. C. respondendum censuit: « aut Praebendae sunt distinctae in Presbyterales, et Diaconales; et tunc Episcopo solemniter celebranti assistere debere pro Presbytero assistente digniorem de Capitulo, quocumque nomine nuncupetur, dummodo sit in Sacerdotio constitutus; Episcopo vero non celebranti, sed Divinis tantum praesenti, pro Presbytero assistente inservire debere digniorem Canonicum post Dignitates. Aut Praebendae non sunt distinctae, et tunc Episcopo, sive solemniter celebret, sive Divinis tantum praesens sit, pro Presbytero assistente inservire debere digniorem de Capitulo, iuxta dispositionem Caeremonialis lib. 1. cap. 7. et 8. » Die 15. Decembris 1632.

975. **PENNEN.**

Alexander de Turre Canonicus Cathedralis Pennen. supplicavit declarari: an Episcopo non celebrante, functiones solennes spectent ad Archidiaconum, etiam quod dictae functiones faciendae contingant in hebdomada non sibi tangente? Et Sac. C. respondit: « functiones solennes, quas si Episcopus praesens esset obiret, Episcopo absente, vel impedito, spectare ad digniorem de Capitulo, quocumque nomine nuncupetur, dummodo sit in Sacerdotio constitutus, non autem ad hebdomadarium, prout idem alias respondit pro eadem Cathedrali Pennen. die 34. Ianuarii 1615. quibuscumque non obstantibus. » Die 15. Decemb. 1632.

976. **PENNEN.**

Canonici Cathedralis Pennen. exponentes nonnullos Regulares, et Confraternitates laicorum praetendere in Processionibus deferre intortitia post Capitulum; item Confratres Montis Pietatis Feria sexta maioris hebdomadae de sero post Clerum velle deferre Crucem; supplicarunt responderi: an haec duo convenient? Et S. S. respondit: « non convenire. » Die 15. Decembris 1632.

977. **SENOGALLIEN.**

Praemortua Uxore intra limites cuiusdam Pa-

rochiae, non electa Sepultura, et Marito declarante sepeliendam esse in Sepulcro avito ipsius Mariti, quod est in Ecclesia alterius Parochiae, supplicatum fuit definiri: an licite potuerit hoc facere Maritus pro uxore praemortua? Et Sac. R. C. in casu proposito sic respondendum censuit, nempe: « quod si Maritus habet propriam Sepulturam, in ipsa tumulanda esse etiam uxorem; sin minus, in Parochiali, intra cuius limites decessit. » Die 15. Ianuarii 1633.

978. **NOVARIEN.**

Capitulam, Archipresbyter, et Curati Cathedralis Novarien. conquesti sunt de Canonice Collegiatae Ecclesiae S. Gaudentii eiusdem Civitatis, quod ausi sint processionaliter ingredi limites Parochiae Cathedralis, pro efferendo quodam cadavere, intra cuius fines decesserat, ad eorum Collegiatam, absque licentia, et interventu proprii Parochi, supplicantes mandari restitui cadaver una cum emolumentis funeralibus, et provideri in posterum ad evitanda scandala, et pro bono pacis. Et Sac. Cong. in casu proposito respondit: « nullo modo licuisse Canonice Collegiatae S. Gaudentii ingredi limites Parochiae Cathedralis, irrequisito, et non expectato proprio Parocho, et cadaver supradictum fuisse sepeliendum in Parochiali, sub qua decessit, sed non propterea iustis de causis esse exhendum: omnia autem emolumenta funeralia esse per Canonicos dictae Collegiatae restituenda Parochiali Cathedralis absque ulla replicatione, prout in effectu integraliter restitui, et a similibus in posterum abstinere praecepit, et mandavit. » Die 15. Ianuarii 1633.

979. **BAREN.**

Prior, et Fratres S. Dominici, et S. Augustini Terrae Medugni Baren. Dioecesis, institerunt mandari servari Decreta alias de anno 1631. 11. Augusti, nempe eos non posse prohiberi in publicis Processionibus deferre propriam Crucem etiam per limites alterius Parochiae, necnon in funeralibus non licere aliam Crucem deferre, quam Crucem illius Ecclesiae, ad quam corpus defuncti defertur. Et S. C. mandavit: « servari Decreta alias facta. » Die 15. Ianuarii 1633.

980. **ALATRINA.**

Praetendentibus Canonicis Cathedralis Alatrinae Officium facere super cadaveribus, etiam in Ecclesiis extra Cathedralem, Curati petierunt declarari id eis non licere, iuxta alias resoluta. Et S. C. respondit: « non licere Canonicis extra Cathedralem Officium facere super cadaveribus, sed hoc munus spectare ad Curatos illarum Ecclesiarum, in quibus cadavera debent tumulari. » Die 5. Martii 1633.

981. AQUILEGIEN.

Petitum fuit declarari ad instantiam Collegiatae Ecclesiae de Civitate nuncupatae Aquilegien. Dioecesis: an in feriis Quadragesimae, Adventus, quatuor Temporum, Rogationum, et similibus, possit omitti Missa Conventualis, quando recurrit in dictis feriis aliquod Festum duplex, vel semiduplex, non obstante, quod adsit consuetudo illam omittendi? Et Sac. C. respondit: « Missam Conventualem de Feria numquam esse omittendam, etiam quod occurrat Festum duplex, vel semiduplex, non obstante contraria consuetudine. » Die 9. Aprilis 1633.

982. ALANA.

Expositum fuit in Terra Alani subortam controversiam: an verba Rubricae primae Missalis de praeparatione Sacerdotis celebraturi §. 2. disponentis, quod celebraturus sit calceatus pedibus, intelligi debeant de pedibus calceis coopertis, an vero sufficiat, quod pedes non sint denudati, et supplicatum responderi: quid sit servandum? et S. C. respondit « servandas esse Rubricas. » Item narratum in eadem Terra vigere consuetudinem post peractam Missam, immediate per ipsum celebrantem, adhuc sacris vestibus indutum, recitandi quotidie Passionem Domini Nostri secundum Ioannem ad evitandas tempestates, et supplicatum in hoc etiam responderi: an liceat? et S. Cong. censuit: « hoc esse remittendum ad Ordinarium. » Die 22. Aprilis 1633.

983. ORDINIS MENDICANTIUM.

Instantibus Procuratoribus Generalibus Praedicatorum, S. Francisci, S. Augustini, et Discalceatorum Carmelitarum declarari:

1. An liceat Curatis, salvis eorum iuribus Parochialibus, impedire contra voluntatem parentum defunctorum, ne Regulares vocati ad funus corpora defunctorum ad quascumque Ecclesias deferenda una cum Clericis, et Parochis associant? Et S. C. respondit: « Regulares in casu proposito non posse impediri. »

2. An praedicti Curati possint cogere haeredes, seu exequutores testamentarios, ut pro cadaveribus, quae tumulantur in Ecclesiis Regularium, in Ecclesiis Parochialibus celebrari etiam faciant Officia novendialia, necnon et anniversaria, prout celebrantur in Ecclesiis Regularium, in quibus sepeliuntur? Et Sac. C. respondit: « non posse cogi. » Die 22. Aprilis 1633.

984. PRAGEN.

Felix Cancellarius Praepositus Collegiatae Sanctorum Cosmae, et Damiani veteris Boleslaviae Praegen. Dioecesis, Protonotarius Apostolicus, et

Consiliarius Caesariae maiestatis asserens, habere indultum Apostolicum celebrandi ubique in Pontificalibus de consensu Ordinariorum, supplicavit declarari: licere sibi, ubicumque per ipsum in Pontificalibus, de licentia, ut supra, Ordinariorum celebrare contigerit, populum inibi praesentem solemniter benedicere. Et S. C., attentis narratis, respondit: « licere Oratori ubique de licentia Ordinariorum in Pontificalibus celebranti, solemnem benedictionem populo inibi praesenti dare, et elargiri. » Die 22. Aprilis 1633.

985. PRAGEN.

Felix Can. Verius Praepositus Collegiatae Ecclesiae SS. Cosmae, et Damiani Praegen. Dioec., Protonot. Apost., et Consiliarius Caesariae maiestatis gaudens indulto a Sede Apostolica utendi mitra, et baculo, supplicavit declarari: licere etiam sibi paramenta sumere de altari una cum ministro inserviente de candela. Et Sac. Cong. respondit: « licere quodcumque celebrat in locis suae iurisdictionis, extra vero suam iurisdictionem, non nisi quando celebrat in Pontificalibus de licentia Ordinariorum. » Die 18. Iunii 1633.

986. SENOGALLIEN.

Archipresbyter, et Canonici Collegiatae Ecclesiae loci Belvedere nuncupati, supplicarunt declarari licere sibi in omnibus Processionibus, aliisque publicis actibus, in quibus convenire debet Capitulum praedictae Collegiatae, deferre propriam Crucem, sub qua incedere debeant omnes inservientes in eadem Collegiata, et ultimo loco Archipresbyterum, eoque absente, antiquiorem Canonicum cum stola. Et S. C. respondit: « licere Capitulo praedicto in omnibus Processionibus deferre propriam Crucem, sub qua incedere debere etiam omnes inservientes in eadem Ecclesia Collegiata, praeterquam in funeralibus defunctorum, qui tumulari debent in aliis Ecclesiis: quo vero ad stolam, mandavit, servari solitum. » Die 18. Iunii 1633.

987. HISPALEN.

Supplicavit Clerus S. Iacobi Civitatis Ecirae declarari: clavem, sub qua reconditur SS. Sacramentum in Sepulchro feria V. in Coena Domini, esse consignandam Sacerdoti celebrato in die sequenti Feria VI. in Parasceve. Et S. C. respondit: « affirmative. » Die 9. Iulii 1633.

988. VESTANA.

Episcopo Vestano petenti declarari: an liceat iuxta solitum dare locum intra Presbyterium Praesidi, et eius Uxori, thurificationem, et pacem ambobus? S. C. respondit: « nullo modo licere. » Die 13. Aug. 1633.

989. HISPALEN.

Referente E^mo Muto dubium porrectum pro parte Cathedralis Hispalen., nempe: de quo Festo translato prius agendum sit, an de Patrono principali, qui est S. Isidorus, an vero de Titulari, qui est B. Virgo? Et Sac. Cong. respondit: « de digniori, nempe de B. Virgine. » Die 27. Augusti 1633.

990. ORTANA.

Referente E^mo Verospio praetensionem Vicarii generalis Civitatis Ortanae circa praecedentiam supra Hebdomadarii facientem Officium cum Pluviali, S. C. respondit: « non convenire Vicario generali praecedentiam supra facientem Officium cum sacris vestibus, et ideo Vicarium praedictum revocare debere censuras per ipsum contra Canonicos fulminatas. Et ita exequi, et servari mandavit, » die 17. Septembris 1633.

991. ARIMINEN.

Guardianus, et Minores Observantes Conventus Terrae Saviniani conquesti sunt de Archipresbytero loci turbante Oratores facientes Processionem per limites alterius Parochiae, etiam quod Curatus non contradicat, supplicantes mandari, non impediri. Et S. C. respondit: « posse Regulares supradictos de consensu Parochi pro tempore existentis, per cuius fines fit Processio, facere Processionem. » Die 19. Novembris 1633.

992. PARMEN.

Minores Observantes Ecclesiae S. Mariae loci S. Secundi supplicarunt declarari: non licere Curatis cogere Haeredes defunctorum ad celebrari faciendum Officium mortuorum, et Anniversaria in Ecclesiis ipsorum, prout celebrantur in Ecclesiis Regularium, in quibus cadavera sepeliri debent. Et Sac. C. respondit: « non licere. » Die 19. Novembris 1633.

993. SULMONEN.

Episcopus Sulmonen. volens consulere indemnitati Canonicorum suae Cathedralis, supplicavit declarari: quid tenendum circa praecedentiam inter Canonicos Sacerdotes, et non Sacerdotes, stante quod in sua Cathedrali non sunt distinctae Praebendae, videlicet: an Canonicus prius admissus, etiam quod non sit Sacerdos, praeferrere debeat Canonico Sacerdoti postea admissus? Item: dato quod praecedentia debeat Canonico Sacerdoti postea admissus supra Canonicum non Sacerdotem licet antea admissum, an hic Canonicus, Sacerdos postea factus, recuperet locum suae primae admissionis, an vero retinere debeat locum, in quo reperitur de tempore suscepti Sacerdotii? Et Sacra Cong., iuxta alias resoluta, respondit: « Canonicum

non Sacerdotem, licet prius admissum, cedere debere digniorem locum Canonico Sacerdoti postea admissus, et post susceptum Sacerdotium retinere debere eundem locum, in quo reperiebatur ante susceptum Sacerdotium. » Die 19. Novembris 1633.

994. HYDRUNTINA.

Archipresbyteri, seu Curati nuncupati Terrae Farpignani Hydruntinae Dioecesis, supplicarunt declarari: licere eorum Substitutis in absentia Curatorum exercere functiones omnes Parochiales: item declarari, indictionem Festorum de praeepto esse publicandam per Curatos, non autem per Vicarios Foraneos, ut ipsi praetendunt. Et Sacra Congregatio quoad primum, « remisit Eminentissimo Pamphilio: » quoad secundum, declaravit: « publicationem Festorum de praeepto esse faciendam per Curatos, et nullo modo per Vicarios Foraneos. Et ita quoad hoc servari mandavit » die 17. Decembris 1633.

995. ISERNIEN.

Episcopus Isernien. literis suis exponens ab immemorabili, et iuxta dispositionem Caeremonialis Episcoporum in sua Dioecesi servatum esse, quod Gubernator, et Electi Civitatis thurificentur ab Hebdomadario cotta induto, non autem a Diacono, a quo praetendit hodie Gubernator thurificari debere, supplicavit responderi. Et S. C. respondit: « servandam esse praedictam immemorabilem, cum sit conformis dispositioni Caeremonialis lib. 1. cap. 23.; et ita omnino servari mandavit » die 17. Decembris 1633.

996. NOVOCOMENSIS.

Episcopus Novocomensis supplicavit declarari: teneri Canonicos suae Cathedralis excipere Episcopum in habitu canonicali, comitari, et reducere quotiescumque venit ad Ecclesiam cum cappa, non obstante, quod Palatium suae residentiae distet a Cathedrali supra 186. passus. Et S. C. respondit: « teneri, non obstante distantia allegata. » Die 6. Martii 1634.

997. VELITERNA.

Institutum fuit responderi: an Priores Civitatis Veliternae thurificari debeant ante Canonicos, quando dicti Canonici assistunt uti singuli in aliqua Ecclesia? Et Sac. C. *in casu proposito* respondit: « Magistratum prius thurificari debere. » Die 6. Martii 1634.

998. CIVITATIS CASTELLI.

E^mo de Torres referente controversiam inter Praepositum Cathedralis, et alios de Capitulo circa praerogativas, quas Praepositus sibi privative debere praetendit, S. C. quoad primum Dubium respondit: « spectare ad Praepositum celebrare

Missas solennes, absente, vel impedito Episcopo.» Quoad 2. « Praepositum manutenendum esse in sua quasi possessione recipiendi tres thurificationes, absente Episcopo, eidemque Praeposito praefigendum esse terminum iuxta mentem ad probandum immemorabilem per ipsum allegatam coram Ordinario.» Quoad 3. « Praepositum uti posse suppedaneo, et postergali, quando solemniter celebrat pro Episcopo, et in casu impediti Praepositi eandem praerogativam debere etiam alteri celebranti pro Episcopo.» Die 1. Aprilis 1634.

999. ASCULANA.

Emo de Torres proponente memoriale Canonico-rum Cathedralis circa aggravia, quae praetendunt Canonici recipere ab Ordinario, S. C. respondit: Ad 1. « Canonicos expectare debere Episcopum; curare autem eundem Episcopum debere, ut, quo minus fieri possit, a Canonicis expectetur.» Ad 2. « Posse pertransiri ante Episcopum, facta ei reverentia.» Ad 3. « Fieri debere hora competenti, arbitrio Episcopi.» Ad 4. « Reducendum esse scamnum prope parietem.» Item ad memoriale Episcopi contra Canonicos. Ad 1. « Servandum esse solitum quoad tempus; matutinas vero horas esse cantandas, non vero recitandas.» Ad 2. « Servari debere Caeremonialis Episcoporum dispositionem; non obstante contraria consuetudine.» Ad 3. « Melius informari.» Ad 4. « Iterum audiendos Canonicos.» Die 15. Iulii 1634.

1000. ASSISIEN.

Renuentibus Canonicis Cathedralis intervenire cum vestibus sacris in Processione SS. Sacramenti in die eius solemnitate, iuxta praescriptum Caeremonialis lib. 1. de Processione SS. Sacramenti, sub eo praetextu, quod ipsi Canonici non teneantur, nisi quando Episcopus praesens est Processioni, idem Episcopus fuit coactus devenire ad mulctam contra inobedientes, supplicans declarari: An hoc rite, et recte factum fuerit? Et S. Cong. respondit: « Canonicos semper intervenire debere vestibus sacris in Processione solemnitate Corporis Christi, sive Episcopus interveniat, sive non, et inobedientes potuisse, et debuisse per Episcopum mulctari.» Die 15. Iulii 1634.

1001. OPPIDEN.

Dubiis per Episcopum Oppiden. transmissis, et ad relationem Emi de Torres Sac. C. respondit: Ad 1. « Consecrationem probari concludenter ex signis deductis, et signa probari per Testes deponentes de visu.» Ad 2. an per celebrationem Missae in Ecclesia polluta, dicatur reconciliata? S. C. respondit: « negative: et ideo debere reconciliari iuxta formam praescriptam in Pontificali.»

Ad dubium: an Ecclesia reconciliata ab Episcopo non habente iurisdictionem in loco, dicatur bene reconciliata, vel non? respondit « affirmative.» Quo vero ad diem Consecrationis, cum ignoretur dies certus ipsius Consecrationis, Sac. Cong. censuit: « Episcopum constituere debere ex nunc certum diem, qui deserviat quotannis pro Consecratione Ecclesiae.» Die 19. Augusti 1634.

1002. CIVITATIS CASTELLANAE.

Emo Caesarino referente memoriale datum pro parte Civitatis Castellanae circa praecminentias in Ecclesia debitas illi, quem vulgus appellat *Signor della Festa*, S. C. respondit: « quod oretenus significetur sensum S. Congregationis.» Ad relationem eiusdem Emi circa dubium: quisnam locus competat in Choro Civitatis Castellanae Canonico Hortano commoranti apud Episcopum, vel e contra? S. C. respondit: « nullum locum peculiarem competere.» Die 19. Aug. 1634.

1003. ALBANEN.

Confratres SSmi Sacramenti Castru Candulphi conquesti sunt de Archipresbytero loci turbante Regulares vocatos ab oratoribus pro celebratione Missarum, ne munia Confraternitatis exerceant, neque ad Processiones accedant. Et Sac. Cong. respondit: « Regulares vocatos a confratribus non posse prohiberi ab Archipresbytero, quin accedant ad Processiones, et ad celebrationem Missarum.» Die 19. Augusti 1634.

1004. LUCANA.

Capitulum, et Canonici Cathedralis exponentes solitum esse in omnibus Ecclesiis Civitatis Confalonerio Magistratus quando assistit Missae solenni, porrigi Textum Evangelii deosculandum, supplicarunt idem permitti etiam in ipsa Cathedrali, absente Episcopo. Et S. C. mandavit: « fieri verbum cum SSmo. SSmus annuit.» Die 19. Augusti 1634.

1005. CASTELLANETAE.

Supplicavit Thesaurarius Ecclesiae Cathedralis, habens curam Animarum, declarari: debere sibi praecedentiam supra omnes alias Dignitates, et Canonicos in benedictione Fontis in Sabbato Sancto. Et Sac. C. respondit: « praecedentiam debere in casu proposito illi, qui celebrat, et facit benedictionem Fontis cum habitu sacro.» Die 16. Septembris 1634.

1006. THEATINA.

Decanus Cathedralis supplicavit declarari: 1. cui conveniat, Episcopo solemniter celebrante, dare pacem Gubernatori, et Sindacis Civitatis? Et Sac. Congregatio mandavit: « scribi Ordinario pro informatione cum voto.» 2. Supplicavit idem De-

canus definiri, cui conveniat porrigere Aspersorium Archiepiscopo ingredienti Ecclesias suae Dioecesis, an ad ipsum Curatum, seu alium Sacerdotem, qui praees Ecclesiae? Et Sac. C. respondit: «spectare ad digniorem illius Ecclesiae.» Die 16. Septembris 1634.

1007. MISSALIS ROMANI.

A Theodosio de Rubeis in mathematicis disciplinis apprimè versato propositum fuit emendam esse Rubricam XV. Missalis Romani, ubi dicitur, quod Missa privata celebrari potest ab Aurora, usque ad meridiem; nam Rubrica hoc modo expressa non videtur aptari Regionibus habentibus Polum elevatum ultra gradus 48. min. 30., cum in aliquibus partibus sit aurora continua fere per totam noctem: et consequenter vigore huius Rubricae celebrari posset per totam noctem. In aliis autem locis, iuxta maiorem elevationem Poli, aliquando sunt tenebrae continuæ, aliquando lux continua per plures menses, ideoque deficiente Aurora in illis Regionibus, non habet locum dispositio Rubricae. Et cum de proximo publicandum sit novum Missale, quod sub praelo est, supplicavit SSmo prius perpendi, et emendari imperfectionem Rubricae. Et Sanctitas Sua, ut ista difficultas mature discuteretur, mandavit pro huiusmodi causa convocari infrascriptos coram Eno, et Rmo D. Card. Oregio.

Et die 18. Septembris 1634. interfuerunt coram eodem Eno in Palatio Quirinali RR. PP. DD. Sacrista SSmi, Magister Sacri Palatii, Lanuceus utriusque Signaturae Referendarius, Rospigliosus Sac. R. Cong. Secretarius, Errera Secretarius Brevium, Ingolus Secretarius Congregationis de Propaganda Fide, Don Bartholomaeus Gavantus, et Fr. Lucas Wandingus, interveniente etiam eodem Theodosio; et cum diutius quaestio esset agitata, praeter Ingolum, et Theodosium, qui consenserunt aliquid addendum esse Rubricae pro maiori declaratione, omnes alii fuerunt in voto contrario, attento quod agitur de immutanda Rubrica, quae diutissime mansit inconcussa, et est universalis: quia «in casibus propositis quoad Regiones carentes aurora, intelligitur moraliter de tempore, quod aequivalet, et correspondet Aurorae, hoc est de exordio diei civilis, moralis, et usualis, in quo homines diticulo surgere solent ad opera, iuxta receptas, et approbatas Regionum consuetudines. Ita ut quaelibet additio reddatur superflua, et potius parere posset varias difficultates, quae specialiter propositae, et consideratae fuerunt in Congregatione.»

Et per me de praedictis omnibus facta peculiariter relatione SSmo, Sanctitas Sua mandavit:

« nihil innovari, et solum adnotari in Registro Dubium excitatum, addens, quod, iuxta casuum contingentiam dabitur responsio a Sede Apostolica.»

Iterum deinde idem Theodosius habuit recursum ad SSmum enixe supplicando, rem melius considerari ante editionem Missalis, et varias congressit rationes pro fundamento suae opinionis, quas instetit imprimi pro maiori commoditate, prout impressae fuerunt. Et SSmum iussit hac de re iterum agi coram Emis, et Rmis DD. Cardinalibus Seaglia, Oregio, et Ginetto.

Itaque die 2. Novembris hora 20. in Palatio Emi Seaglia fuit Congregatio, in qua praesentes fuerunt supradicti Emi PP., nec non omnes alii supranumerati, excepto R. P. Sacrista, qui sequutus fuerat SS. eo de tempore progredientem ad septem Urbis Ecclesias. Et insuper interfuit R. P. D. Pauluccius S. C. Concilii Secretarius, et Octavianus Marianus Mathemanus. Et solis Ingolo, et Theodosio in prima sententia permanentibus, caeteri omnes fuerunt in voto, « praedictam Rubricam esse universalem, si intelligatur eo modo, quo est intelligenda; tanto magis, quod in alia Rubrica, ubi agitur de defectibus, qui occurrere possunt in Missa, additur, quod celebratur ab Aurora communiter: ex quo constat habitam fuisse rationem locorum, in quibus non apparet Aurora, ultra quod satis est, verificari in maiori Orbis parte; nam aliter corrigendi essent Hymni, in quibus habetur: *Iam lucis orto sydere: Iam Sol recedit igneus:* et multa alia dictis Regionibus incongruentia. » Haec et alia quamplurima fuerunt adducta pro substinenda priori Rubrica. Et denique Emus Seaglia luculenter admodum, et erudite innumera protulit fundamenta pro hac parte, et rationibus singulis in contrarium allatis plenissime respondit. Iulius Rospigliosus Secretarius.

1008. BARBASTREN.

Dubiis pro parte Episcopi Barbastren. porrectis in Sac. R. C. fuit ad relationem Emi Pamphili responsum, ut infra videlicet:

Ad 1. An Ecclesia, vel Sacristia teneatur subministrare Paramenta Pontificalia proprio Episcopo? Sac. C. respondit: « Episcopum posse uti praefatis Paramentis Pontificalibus. »

Ad 2. An omnes Canonici occurrere debeant Episcopo accedenti, et abeunti, dum divina Officia decantantur? Eadem S. C. respondit: « satis esse, quod Episcopo in casu proposito occurrant ad ostium Ecclesiae quatuor ex Canonicis, dummodo in Choro remaneant Canonici in maiori numero. »

Ad 3. An Episcopus teneatur praenunciare Ca-

nonicis per diem ante, quando intendit celebrare in Pontificalibus? S. C. respondit: « teneri. »

Ad 4. An concurrente Magistratu Saeculari cum Canonicis in associatione Episcopi ad Ecclesiam, teneantur Canonici assumere locum minus dignum? Sacra Congr. respondit: « servandam esse in hoc dispositionem Libri Caeremonialis lib. 1. cap. 15. »

Ad 5. An de Ministris Ecclesiae ad stipendium Canonicorum conductis, possit Episcopus ad sui libitum tam intra, quam extra Ecclesiam disponere? Sac. C. respondit: « posse Episcopum uti praedictis Ministris in Ecclesia; extra vero, dummodo non resultet in praeiudicium servitii Ecclesiae. » Die 9. Decembris 1634.

1009. TARENTINA.

Expositum fuit Capitulum, et Canonicos Terrae Martinae, teneri, et obligatos esse per hebdomadas ad celebrandum nonnullas Missas votivas certis diebus praescriptis, in quibus, cum multoties occurrat Festum de praecepto, supplicatum fuit responderi: an licite possint dictae Missae votivae diebus Festivis de praecepto celebrari, seu potius cum Missa currenti obligationi illarum satisfieri? Et S. C., ad relationem Emi Caesarini, respondit: « Missas votivas in casu proposito esse transferendas in alteram diem non impeditam Festo de praecepto. » Die 9. Decembris 1634.

1010. TURRITANA.

Cum Capitulum Ecclesiae Turritanae unum habeat Mensae Capitulari Castrum quoddam, in quo adest Parochialis sub perpetua Vicaria, seu Rectoratu, quaesitum fuit: an Canonicus Ecclesiae Turritanae accedens ad huiusmodi Ecclesiam Parochialem praecedere debeat Vicarium, seu Rectorem illius? Et S. C. respondit: « non deberi praecedentiam Canonico in casu proposito supra Vicarium Ecclesiae Parochialis. » Die 9. Decembris 1634.

1011. URBINATEN.

Petrus Rainaldus Curatus Ruralis S. Mariae Castri Durantis, conquestus est de altero Curato alterius Parochiae, quod illuc transiens Orator cum aliquo cadavere sui Parochiani, praetendat ille Curatus erigere propriam Crucem, et cadaver aqua benedicta aspergere in signum iurisdictionis, supplicans responderi: an hoc liceat? Et S. C. respondit: « non licere, sed omnino abstinendum, prout in posterum omnino abstineri » mandavit. Die 9. Decembris 1634.

1012. GALLIARUM.

Moniales S. Clarae Conventus Xantillae in Galliis, exponentes Festum Dedicacionis earum

Ecclesiae concurrere cum Festo S. Ludovici, quod ab ipsis celebratur sub ritu duplici, nec non concurrere etiam cum Octava S. Clarae, supplicarunt pro licentia transferendi diem Dedicacionis Ecclesiae. Et S. C. respondit: « si Ecclesia earum est consecrata, Officium Dedicacionis fieri debere ipso die Dedicacionis: in reliquis servandas esse Rubricas. » Die 9. Decembris 1634.

1013. JERACEN.

Dubiis per Decanum Cathedralis porrectis sic responsum fuit:

Ad 1. « Missas solemniores spectare, et pertinere ad primam Dignitatem absente, vel impedito Episcopo. »

Ad 2. « Non posse Episcopum pro suo arbitrio praefata munia alteri demandare, quam digniori, ordine successivo. »

Ad 3. « Delationem SS. Sacramenti semper spectare ad digniorem de Capitulo, dummodo dignior solemniter etiam celebret Missam dicta die. »

Ad 4. « Declarationem praedictam spectare ad digniorem, modo ut supra, non obstante, quod Vicarii pro tempore haec munia sibi usurpaverint, et non obstante contraria dispositione facta in Synodo. »

Ad 5. « Praecedentiam, Sede vacante, deberi Vicario Capitulari post digniorem de Capitulo. »

Ad 6. « Semper deberi praecedentiam Vicario Generali supra omnes, etiam quod sit de gremio Capituli, dummodo interveniat in habitu vicariali, et hoc casu non lucrari distributiones: in habitu vero canonicali stare, sedere, et incedere debere in loco suae receptionis, si vult lucrari distributiones. » Die 9. Decembris 1634.

1014. LUCANA.

Cum in Decreto novissime edito per hanc S. C. circa Textum Evangelii deosculandum a Confalonero Magistratus Republicae Lucanae, quando Magistratus assistit absente Episcopo, non fuerit expressum per quem porrigi debeat praedictus Textus; petierunt Beneficiati Cathedralis Lucanae definiri: per quem, et quo modo hoc munus peragi debeat? Et S. C. respondit: « Textum Evangelii porrigendum in casu proposito, debere porrigi per Cappellanum ipsius Magistratus in habitu ordinario, et cum diverso Missali, quo utitur Diaconus in decantando Evangelio, ad hoc praeparando, et porrigendo per praedictum Cappellanum ipsius Magistratus. » Die 23. Decembris 1634.

1015. OLOREN.

Petitum fuit pro parte Capituli Oloren. declarari: an prima Dignitas solemniter celebratura

pro Episcopo absente, vel impedito, teneatur etiam Officium facere ad matutinum, an vero hoc munus spectet ad Hebdomadarium? Et S. C. respondit: « spectare in casu proposito celebraturum omne id, quod spectaret ad Episcopum, si praesens esset. » Die 3. Martii 1635.

1016.

LUCANA.

Capitulum Cathedralis Lucanae exponit, in delatione SS. Sacramenti, quae fit per digniorem de Capitulo, absente, vel impedito Episcopo, transiens per limites Parochiae S. Frediani, Priorem ipsius Parochiae praetendere consignari sibi debere SSmum Eucharistiae Sacramentum, deferendum ab ipso Priore per limites suae Parochiae; quod cum sit contra solitum, et ritum universalis Ecclesiae, supplicavit responderi: quid servandum? S. R. C. respondit: « delationem SS. Sacramenti in casu proposito spectare ad digniorem Cathedralis per omnes vias, etiamsi contingat transire per limites alterius Parochiae. » Et ita servari mandavit die 21. Aprilis 1635.

1017.

ARETINA.

Institutum fuit declarari: an Episcopus possit prohibere Capellanis Confraternitatum, ne in Oratoriis separatis ab Ecclesiis celebrent Missas in diebus festis ante Missam Parochialem, aut saltem, non nisi de licentia Parochi? Et S. C., iuxta alias resoluta, respondit: « in Ecclesiis Parochialibus posse; in Oratoriis vero separatis ab Ecclesiis, non posse. » Die 21. Aprilis 1635.

1018.

NEAPOLITANA.

Quaesitum fuit definiri: an Regulares possint modestari a Parochis, ne in propriis Ecclesiis Missas privatas celebrent ante Missam Parochialem, et praecipue diebus festis? Et S. C. respondit: « non posse. » Die 21. Aprilis 1635.

1019.

OSCEN.

Petitum fuit responderi: an Episcopo solemniter celebranti, inservire debeant pro assistentibus personae de Capitulo, an vero alii, qui non sint de Capitulo? Et S. C. respondit: « deservire debere Personas de Capitulo, et nullo modo alios, qui non sint de eodem Capitulo. » Die 26. Maii 1635.

1020.

CIVITATIS CASTELLI.

Conquerente Magistratu Civitatis Castelli de Canonicis Cathedralis interessentibus in Ecclesiis extra Cathedrali uti singulis, et sine habitu canonicali, quod praetendant habere thurificationem super Magistratum solemniter interessentem Divinis, S. C. respondit: « nullam in casu proposito deberi Canonicis thurificationem. » Die 21. Iulii 1635.

1021.

ISERNIEN.

Petitum fuit responderi: an Regulares possint publice exponere SS. Sacramentum, absque licentia Ordinariorum? S. C. respondit: « non posse. » Die 21. Iulii 1635.

1022.

LICIEN.

Petit Episcopus Licien. mandari, quod Canonicis Capitulariter accedentibus ad Ecclesias Regularium, quando assistunt ipsi Episcopo, paretur scamnum cum aliquo panno. Et S. C. respondit: « apponi debere pannum in scamno, quando sunt in habitu Canonicali. » Die 21. Iulii 1635.

1023.

CREMONEN.

Curatus Parochialis Ecclesiae loci Castegninen. exponens Festum Patroni loci cadere in Vigilia S. Bartholomaei, et ob id ieiunium a populo non servari, pro quo servando supplicavit dictum Festum ipsius Patroni transferri quotannis in primam Dominicam immediate sequentem. Et S. C. attentis narratis censuit: « posse concedi quoad translationem petitam tantum, nulla facta alteratione Officii, et Missae in die proprio, quod cadit. » Die 21. Iulii 1635.

1024.

ZAREN.

Canonici Collegiatae Ecclesiae Terrae Pagi supplicarunt pro licentia celebrandi Festa Sanctorum descriptorum in Libello supplicis, cum Octavis, ob devotionem populi erga praedictos Sanctos. Et S. C. respondit: « quod non sunt alterandae Rubricae, ob devotionem populi. » Die 21. Iulii 1635.

1025.

THELESINA.

Episcopus Thelesinus supplicavit praecipere, celebrari in loco Officia SS. Donati, et Christinae sub ritu duplici tam in Civitate, quam in Dioecesi, ob peculiarem devotionem populi erga dictos Sanctos, iuxta constitutionem Synodalem. Et S. C. mandavit: « Festa praedictorum Sanctorum celebrari sub ritu, prout praescribitur in Calendario Romano, non obstante constitutione Synodali, cum ob particularem devotionem Populi, non possint ullo modo alterari Rubricae. » Die 11. Augusti 1635.

1026.

VICARIORUM GENERALIUM.

Petitum fuit responderi: an Vicario Generali debeatur praecedentia in Choro, Processionibus, et actibus publicis super omnes de Capitulo tam praesente, quam absente Episcopo? Et S. C. prout alias saepe, ita in casu proposito respondit: « Vicario Generali in habitu vicariali semper, et ubique deberi praecedentiam super omnes de Capitulo tam praesente, quam absente Episcopo,

dummodo Canonici, alique de Capitulo non sint saeris vestibus induti. » Die 13. Sept. 1635.

1027. SULMONEN.

Expositum fuit in Collegiata Terrae Polinae vigere abusum, ut celebrans in tertia Dominica cuiusque mensis, post peractam Consecrationem Corporis, et Sanguinis Domini, relicto super Altare praetiosissimo Sanguine exposito, pluribus extantibus, cum ipsa Hostia consecrata, quam celebrans sumere debet, Processionem incipiat per loca solita, qua peracta, celebrans redit ad Altare, ibique Missam perficit; et petium, provideri. Et S. C. mandavit, « scribi Episcopo, ut recepta quamprimum informatione huius indecentiae, et abusus, sine mora transmittat Informationem eum in finem, ut removeantur huiusmodi abusus. » Die 15. Septembris 1635.

1028. TRANEN.

Archiepiscopus Tranen. conquestus est de Capitulo, et Canonicis suae Cathedralis renuentibus contra solitum, et contra dispositionem Libri caeremonialis Episcoporum excipere in habitu canonicali proprium Archiepiscopum venientem cum cappa ad Ecclesiam, supplicans provideri. Et S. C. mandavit: « servari Caeremoniale adamussim, non obstante distantia 130. circiter passuum Palatii Archiepiscopalis ab Ecclesia, per Capitulum, et Canonicos allegata. » Die 15. Sept. 1635.

1029. HISPALEN.

Fiscalis Ecclesiae Hispalen. supplicavit declarari: an consuetudo, quae viget in Cathedrali, quod absente, vel impedito Archiepiscopo, lotio pedum in Feria V. in Coena Domini omittitur, sit servanda? et dato quod sit servanda: an hoc casu eadem caeremoniae debeantur celebranti solemniter eo die, ac si celebraret Archiepiscopus? Et S. C. respondit: « lotionem pedum in casu proposito non esse omittendam: modum vero cum caeremonia remittendum totaliter Eno Archiepiscopo pro sua prudentia. » Die 24. Novembris 1635.

1030. IUSTINOPOLITANA.

Circa petitionem Episcopi Iustinopolitani, an ipsum accedentem ad aliquam Collegiatam suae Dioecesis, teneantur Canonici eiusdem Collegiatae associare? et quomodo hoc casu incedere debeant, an ante, vel post? S. Cong. respondit: « teneri, et circa ordinem incedendi mandavit, servari dispositionem Caeremonialis Episcoporum lib. 1. cap. 15., et cap. 32. lib. 2. » Die 24. Novembris 1635.

1031. IUSTINOPOLITANA.

Petiit idem Episcopus definiri: an Canonici

suae Cathedralis, qui sit etiam Protonotarius de non numero Participantium, possit in Choro deferre Rocchettum discoopertum? Et Sac. Congregatio respondit: « non posse deferre neque coopertum, neque discoopertum. » Die 24. Novembris 1635.

1032. MESSANEN.

Archipresbyter loci Xandatae exposuit servari in sua Ecclesia, quod interveniente Magistratu Missae solenni, Sacerdos cum Pluviali facit confessionem cum eo, eidemque datur Pax cum Instrumento per Clericum Dalmatica indutum, supplicans: an praedicta convenient? Et S. C. in casu proposito respondit: « nullo modo licere confessionem facere cum Magistratu, et contrariam consuetudinem esse abusum removendum; Pacem vero Magistratui esse dandam cum Instrumento per aliquem Clericum Cotta indutum. » Die 24. Novembris 1635.

1033. SULMONEN.

Petium fuit responderi: an liceat mulieribus occasione Processionum ingredi septa Monasteriorum Regularium, etiam stante consuetudine ingrediendi? Et S. C. respondit: « nullo modo licere mulieribus ingredi septa Monasteriorum Regularium occasione quarumcumque Processionum, non obstante quacumque contraria consuetudine. » Die 24. Novembris 1635.

1034. IUSTINOPOLITANA.

Institutum fuit declarari: an liceat Canonico, qui sit Protonotarius de non numero participantium, interesse in Choro cum vestibus violaceis, et in quo loco sedere debeat? Et S. C. respondit: « si Protonotarius utitur veste violacea extra Ecclesiam, posse cum eadem veste interesse etiam in Choro, dummodo supra vestem, idest subtanam, deferat habitum canonicalem, et sedent in loco suae receptionis. » Die 12. Ianuarii 1636.

1035. CALARITANA.

S. R. C. respondit: « Regulares promotos ad Episcopatus debere uti Cappa Pontificali coloris propriae Religionis; et ideo in casu proposito Archiepiscopum Calaritanum Regularem Ordinis B. Mariae Mercedis Redemptionis Captivorum, non posse uti Cappa Pontificali alterius coloris, quam suae propriae Religionis, et renuentem, opportunitis remediis coercendum. » Et ita servari mandavit die 12. Ianuarii 1636.

1036. S. MARTINI.

Supplicavit Princeps Venantici pro licentia reponendi cadavera parentum suorum in sepulchrum de novo extractum. Et S. C. respondit: « Ordinarium non debere permittere, quod in

altum cadauera ponantur, sed subtus terram iacere debere. » Die 16. Februarii 1636.

1037. MANTUANA.

Petitur fuit responderi: an benedictio Fontis Baptismalis in die Sabbati Sancti fieri debeat per Dioecesim in Plebanis tantum, aut etiam in Plebaniae Ecclesiis subiectis? Et S. C. respondit: « fieri posse in omnibus Ecclesiis habentibus Fontem Baptismalem fixum. » Die 1. Martii 1636.

1038. PENNEN.

Episcopus Civitatis Pennen. supplicavit defini: an praecedentia competat Clericis Seminarii in Processionibus, supra omnes alios Clericos in minoribus constitutos? Et S. C. respondit: « Praecedentiam competere Clericis Seminarii. » Die 1. Martii 1636.

1039. VERCELLEN.

Petiit Episcopus Vercellen. declarari: an possit Nuncius Apostolicus exercere Pontificalia, et Populum benedicere absque licentia Ordinariorum? Et S. C. respondit: « affirmative. » Die 1. Martii 1636.

1040. URBIS.

Quaesitum fuit defini, quo die recitari debeat Officium hoc anno SS. Philippi, et Iacobi, ex quo cadit in diem Ascensionis Domini? Et S. C. respondit: « recitari debere prout disponitur in Rubrica de Translatione Festorum titulo decimo. » Die 12. Aprilis 1636.

1041. URBINATEN.

Duo petiit Archipresbyter loci Talachi: 1. An liceat apponere palmas in manibus, et coronas in capitibus adulatorum defunctorum? Et ad hoc S. C. mandavit, « scribi Archiepiscopo pro Informatione cum voto. » 2. An liceat in Processionibus canere Evangelia, et similia loco Litaniarum? Et S. C. respondit: « nonnisi Litanias in Processionibus, prout iacent in Breviario, esse canendas. » Die 28. Aprilis 1636.

1042. CIVITATIS CASTELLI.

Dignitates, et Canonici Cathedralis Civitatis Castelli supplicarunt responderi: an liceat Coadiutoribus Canonicorum inservire pro Assistentibus Episcopo cum cappa Divinis interessenti, absentibus eorum Coadiutis? Item: an praedicti Coadiutores possint interesse in Choro cum habitu canonicali, quando eorum Coadiuti sunt praesentes in Choro, aut Processionibus? Et S. C. respondit: « non licere Coadiutoribus Canonicorum, absentibus Coadiutis, inservire pro Assistentibus Episcopo solemniter celebranti, vel cum cappa Divinis interessenti, sed hoc munus spectare et pertinere ad veros Canonicos ordine suc-

cessivo. Prout nec posse praedictos Coadiutores stare, sedere, aut incedere inter Canonicos, quando assistunt, vel incedunt Coadiuti. » Et ita in Cathedrali Civitatis Castelli servari mandavit die 24. Maii 1636.

1043. TRANEN.

Enno Roccio referente Instantiam Canonicorum Cathedralis Tranen. circa exarcerationem obtinendam, eo quia noluerint parere Decreto huius S. C., eadem S. C. respondit: « quod Canonici omnino pareant, et postea audiantur super distantia, et super observantia. Quo vero ad exarcerationem posteaquam paruerint, adeant Archiepiscopum. Quoad verbum *quandocumque* in Decreto appositum, referendum semper esse ad illa Tempora, in quibus cum cappa Archiepiscopus incedit. Quoad modum associandi: an antea, vel postea debeant Canonici? servandam esse dispositionem Caeremonialis Episcoporum. Quoad assistentiam in Ecclesiis extra Cathedrallem, Canonicos assistere debere in habitu canonicali iuxta alias resoluta. Quoad numerum Canonicorum, servandam esse dispositionem Caeremonialis. » Die 21. Iunii 1636.

1044. INTERAMNEN.

Supplicarunt Canonici Cathedralis Interamnen. declarari: an celebrante solemniter prima Dignitate pro Episcopo absente, vel impedito, teneatur ipsa prima Dignitas celebrare primas, et secundas Vesperas, nec non Matutinas horas, et Laudes? Et S. Cong. respondit: « omnia supradicta peragi debere per primam Dignitatem, quando solemniter celebraturus est pro Episcopo absente, vel impedito. » Die 21. Iunii 1636.

1045. PIENTINA.

Dubis tribus per Parochum S. Petri Terrae Sinalungae porrectis sic respondendum:

Ad 1. « Canonicos Collegiatae capitulariter convenientes in Ecclesia Parochiali S. Petri occasione festivitatum, aut funeralium habere debere praecedentiam supra omnes alios, praeter celebrantem solemniter, aut Officium facientem. » Ad 2. « Missas solennes in Parochiali spectare ad Parochum, seu Rectorem. » Ad 3. « Officium super cadaveribus peragi debere ab ipso Rectore in sua Parochiali, etiam quod interveniat Capitulum Collegiatae. » Die 21. Iunii 1636.

1046. MAIORICEN.

Duo petiit modernus Episcopus Maioricen. 1. An in Processionibus publicis debeat praecedentia Vicario generali supra Canonicos, et Dignitates? Et S. C. respondit: « deberi Vicario generali praecedentiam supra Dignitates,

et Canonicos tam praesente, quam absente Episcopo, dummodo Canonici, et Dignitates non sint induti sacris vestibus. »

2. Cui incumbat onus communicandi omnes de Capitulo in Missa solemnè Coenae Domini, si forte Episcopus tunc esset impeditus? Et S. C. mandavit: « servari Caeremoniale Episcoporum. » Die 6. Septembris 1636.

1047. SYRACUSANA.

Cum S. R. C. sub die 24. Maii 1636., ad relationem Em̃i, et Rm̃i D. Cardinalis Caesarini, declaraverit Ecclesiam S. Georgii Civitatis Modicae Syracusanae Dioecesis, esse Collegiatam insignem, et Matricem, eique uti talem deberi praecedentiam, et praecminentiam supra omnes alias Collegiatas eiusdem Civitatis, institutum fuit pro bono pacis declarari: quatenam sint huiusmodi praecminentiae? Et S. R. C., ad relationem Em̃i et Rm̃i D. Cardinalis Sacchetti, censuit esse infrascripta, videlicet:

1. « Quod in solemnitate Corporis Christi, Processio incipere debeat ab ipsa Ecclesia Matrice, ad quam convenire debeant Archipresbyter S. Petri cum suo Clero, et omnes alii interesse debentes enumerati in Caeremoniali Episcoporum lib. 2. cap. 33., et nullo modo per vias expectare. »

2. Quod in eadem festivitate delatio SS. Corporis Christi spectet ad Praepositum S. Georgii, uti primam Dignitatem, et, eo absente, ad aliam Dignitatem eiusdem matricis, ordine successivo, dummodo ipsa Dignitas, quae SS. Eucharistiae Sacramentum deferre debet, illa die solemniter celebraverit. »

3. « Quod omnes aliae Processiones publicae, puta S. Marci, Rogationum, pro pluvia petenda, serenitate impetranda, et similes, incipere pariter debeant ab ipsa matrice. »

4. « Quod in die Ascensionis Domini, et Processionibus S. Marci, nec non Rogationum, tam intra, quam extra Civitatem Praepositus S. Georgii, seu alia Dignitas, quae succedit, deferendo Stofam, officium faciat, benedicendo segetes, et similia. »

5. « Quod in omnibus actibus, in quibus intervenit Clerus S. Georgii, et Clerus S. Petri, Praepositus S. Georgii praecedentiam habeat, et votum supra Archipresbyterum, et Canonicos S. Petri. »

6. « Quod, accedente Clero S. Georgii ad Ecclesiam S. Petri, pro exercenda publica functione, spectet, et pertineat ad Praepositum S. Georgii, et hoc casu praecedentiam deberi eidem Clero

S. Georgii; in functionibus autem privatis, puta ex devotione, vel simili, praecedentiam competere Clero S. Petri in propria Ecclesia. »

7. « Quod in Sabbato Sancto pulsatio Campanarum spectet, et pertineat, privative quoad omnes alios, ad Matricem S. Georgii. »

8. « Quod Indulgentiae, seu excommunicationes publicandae, nullibi publicari valeant, nisi prius publicatae fuerint in Ecclesia Matrice S. Georgii. »

9. « Quod Fideles in die Paschatis recipientes SS. Eucharistiae Sacramentum in Ecclesia Matrice S. Georgii, satisfaciant obligationi de recipiendo Communionem in Parochiali. »

10. « Quod, quando aliquis Parochianus S. Petri eligit sepulturam in Ecclesia S. Georgii, Praepositus S. Georgii officium faciat super cadavere, etiam praesente Archipresbytero, et Clero S. Petri. »

11. « Quod in associatione cadaveris, quando intervenit Clerus S. Georgii, et Clerus S. Petri, semper praecedentia debeatur Praeposito, et Clero S. Georgii, etiamsi cadaver deferatur in Ecclesia S. Petri, quo casu Crux erit deferenda S. Georgii, sub cuius Cruce omnes funus associantes incedere debeant; officium vero super cadavere spectet, et pertineat ad Curatum, vel Sacerdotem illius Ecclesiae, in qua cadaver tumulari debet. »

12. « Quod Archipresbyter S. Petri nullo modo ministrare valeat Sacramenta suis Parochianis extra propriam Parochiam. » Die 6. Septembris 1636.

1048. HISPALEN.

Expositum fuit reperiri nonnullos saeculares in Civitate, et Dioecesi Hispalensi, qui sub praetextu quod sint Patroni Ecclesiarum, praetendunt in Feria V. Coenae Domini clavem SS. Sacramenti, quod eo die asservatur reconditum sub clave, ipsis esse consignandam, et proinde petitum definiri: an hoc conveniat? stante quod alias haec S. R. C. consulta super hoc in Paen. 30. Ianuarii 1610., in Compostellana 29. Ianuarii 1625., in Civitaten. 6. Decembris 1631. respondit: SS. Eucharistiae Sacramentum in Feria V. in Coena Domini sub unica tantum clave esse asservandum, retinendam per Sacerdotem in crastinum celebraturum, et nullo modo apud personas laicas, et saeculares cuiuscumque gradus, status, et conditionis, non obstante quocumque contraria consuetudine, quam abusum esse declaravit. Et S. C. respondit: « supradicta Decreta omnino servanda esse, prout illa servari

debere in Civitate, et Diocesi Hispanen. *mandavit*, quibuscumque non obstantibus. » Die 22. Novembris 1636.

1049. BENEVENTANA.

Lucas Coadiutor Donati Paichae Canonici in Ecclesia Metropolitana aegre ferens subire onera Canonicorum iuniorum, praeter onera sui Coadiuti, supplicavit definiri: an teneatur, et cogi possit? et S. C. respondit: « non teneri, nec cogi posse, nisi ad onera dumtaxat sui Coadiuti. » Die 11. Maii 1638.

1050. HORTANA.

Promotor Fiscalis Civitatis Hortanae, supplicavit declarari: 1. utrum Clerus Civitatis, et Diocesis, teneatur celebrare festum Ss. Ioannis, et Marci Patronorum, cum Octava?

2. An Populus eiusdem Civitatis, et Diocesis, teneatur colere diem festum de dictis Sanctis tamquam de praeepto, prout Episcopus in Synodo de anno 1626. edita praecipit?

Et S. R. C. « quoad Officium cum Octava respondit, servandas esse Rubricas. »

« Quo vero ad venerationem festi uti de praeepto, non esse introducendam, sed si Populus voluerit illum diem celebrare absque opere servili, esse permittendum, absque ullo penitus incurso poenarum. » Die 11. Maii 1638.

1051. RECANATEN.

Clerus, et Canonici Cathedralis Recineti supplicarunt pro licentia transferendi festum Consecrationis ipsius Cathedralis, quae cadit 24. Mensis Maii, quae dies hoc anno est dies 2. Pentecostes, in Dominicam secundam Mensis Iulii, et S. C. respondit: « Festum Consecrationis, eadem in diebus privilegiatis, prout hoc casu contingit, esse transferendum iuxta Rubricas Breviarii Romani. » Die 11. Maii 1638.

1052. VALVEN.

Tria petierunt declarari Decanus, et Canonici Castri Veteris Valven. Diocesis.

1. An Decretum iam per S. C. editum circa praecedentiam dandam Decano supra Archipresbyterum eiusdem Ecclesiae, locum habeat etiam ad favorem Canonicorum?

2. Quatenus dictum Decretum locum habeat ad favorem Decani, et Canonicorum, hoc intelligatur tam intra, quam extra Ecclesiam?

3. An Archipresbyter eiusdem Ecclesiae denominari debeat Archipresbyter S. Pamphili, an vero S. Ioannis?

Et S. C., ad relationem Emi Pamphili, sic respondere censuit: « circa primum, et secundum, Decano, et Canonicis collegialiter inceden-

tibus tam intra, quam extra Ecclesiam praecedentiam competere supra Archipresbyterum; quo vero ad tertium circa denominationem, videndum quomodo hucusque denominatus fuerit Archipresbyter, an S. Pamphili, an S. Ioannis. » Die 11. Maii 1638.

1053. ASSISIEN.

Expositum fuit onus canendi Missas diebus festivis in Cathedrali Assisien. ex antiqua consuetudine spectare ad Canonicos, qui per turnum faciunt Hebdomadas, et cum hoc anno festum SS. Corporis Christi cadat in Hebdomadam cuiusdam Canonici, qui praetendit ad se etiam spectare delationem SS. Corporis Christi processionaliter pro Episcopo absente, vel impedito, petitum fuit declarari: an ad hebdomadarium, an vero ad dignorem de Capitulo praedicta delatio spectet, et pertineat? Et S. C. respondit: « delationem SS. Corporis Christi in casu proposito non ad hebdomadarium, sed ad dignorem de Capitulo spectare, et pertinere, eoque impedito ad alium proxime succedentem. » Et ita in Cathedrali Assisien. servari mandavit die 11. Maii 1638.

1054. ASSISIEN.

Capitulum, et Canonici Cathedralis Assisien. aegreferentes Decretum in antecedenti Congregatione factum, in quo declaratum fuerat SS. Corpus Christi in solemnitate ipsius festivitatis non ad hebdomadarium, ut praetendebat Capitulum, sed ad dignorem de Capitulo spectare, et pertinere, hodie de novo iidem Canonici supplicarunt responderi: an supradictum Decretum suffragetur in casu, quod adsit contraria consuetudo? Et S. C. respondit: « Decretum iam editum procedere etiam non obstante contraria consuetudine, quam abusum declaravit. Et ideo super hoc eisdem Capitulo, et Canonicis perpetuum silentium imponendum esse, prout imposuit. » Die 12. Iunii 1638.

1055. BRUNDUSINA.

Petiit Archidiaconus Cathedralis Brundusinae: an quando ipse uti prima Dignitas accedit ad Altare pro recipienda pace ab Archipresbytero solemniter celebrante, debeat stare, vel genuflexus recipere pacem? Et S. C. respondit: « debere stare, facta prius, et post receptam pacem genuflexione, ex Caeremoniali Episcoporum lib. 1. cap. 24. » Die 12. Iunii 1638.

1056. CASERTANA.

Cum in Collegiata Ecclesia Terrae Magdalini fuerint per Ordinarium creatae duo Praebendae, altera Diaconalis, et Subdiaconalis altera, et novissime per eundem Ordinarium creatae quatuor Praebendae Presbyterales, praetendebant Prae-

bendae Diaconales, et Subdiaconales tamquam primo erectae, praecedentiam habere supra quatuor Praebendas Presbyterales noviter erectas, nec teneri subire ea munera, quae prius subibant tamquam Diaconi, et Subdiaconi; et ob id supplicatum definiri, quid in casu proposito servandum? Et S. C. respondit: « obtinentes Praebendas Presbyterales, licet noviter erectas, praecedentiam habere debere supra obtinentes Praebendas Diaconalem et Subdiaconalem, licet antea erectas, et obtinentes praebendas Diaconalem, et Subdiaconalem, teneri in casu proposito subire eadem onera, ad quae tenebantur, antequam erigerentur Praebendae Presbyterales. » Die 12. Iunii 1638.

1057. NULLIUS.

Vicarius Capitularis Altamurae conquestus est de prima Dignitate denegante sibi praecedentiam, etiamsi incedat in habitu vicariali, supplicans responderi: an debeat? Et S. C. respondit: « praecedentiam deberi Vicario supra omnes de Capitulo, excepta prima Dignitate, vel alio representante Capitulum. » Die 12. Iunii 1638.

1058. SULMONEN.

Petitum fuit pro parte Canonicorum Cathedralis Sulmonen. responderi: an licitum fuerit Vicario Capitulari facere Processiones per vias cum SS. Sacramento, extra dies praescriptos a Sacris Canonibus? Et S. Cong. respondit: « delationem SS. Sacramenti extra Ecclesiam non esse permissam, nisi occasione solemnem Processionem in festo, et per octavam Corporis Christi, nec non occasione Infirmorum, et orationis quadraginta horarum, iuxta Sacrorum Canonum decreta, et in praedictis casibus semper intervenire debere Clerum cum Cruce. » Die 12. Iunii 1638.

1059. THELESINA.

Petierunt duo Canonici Cathedralis Thelesinae, nempe:

1. An ipsi teneantur ad paratum Missarum Conventualium in Ecclesia S. Leonardi Terrae Cereti, in qua translatum est servitium Cathedralis ob aeris intemperiem, prout tenebantur in Cathedrali Thelesina?

2. An ipsi possint in Missis Conventualibus satisfacere intentioni dantium sibi elemosynam pro Missa, iuxta dantis intentionem? Et S. C. quoad primum, respondit, « teneri, et obligatos esse iuxta Missalis Romani Rubricas. Quo vero ad secundum, remittendum esse ad S. C. Concilii. » Die 12. Iunii 1638.

1060. VALVEN.

Archipresbyter Terrae Reiani conquestus est de Regularibus S. Francisci de Observantia, quod,

non obstante Decreto alias per hanc S. C. edito, audeant sepelire cadavera defunctorum in ipsorum Ecclesiis solo praetextu, quod in vita mandaverint Testatores velle sepeliri cum habitu S. Francisci, et hoc etiam sine interventu proprii Parochi. Et S. C. respondit: « servanda esse Decreta per S. C. edita, et cadavera non posse extrahi de Parochia sine interventu, aut de consensu proprii Parochi. » Die 12. Iunii 1638.

1061. URBANIAE.

Duo petiit Episcopus Urbanae. 1. An ipse possit uti in sua Dioecesi Decretis alias editis, non licere Regularibus exponere SS. Eucharistiae Sacramentum sine licentia Ordinarii? Et S. Cong. respondit: « debere uti, etiam non obstante contraria consuetudine. » 2. An iidem Regulares habere possint conciones, et sermones, non petita prius benedictione ab Episcopo, iuxta constitutionem Gregorii XV.? et S. C. respondit: « non posse. » Die 12. Iunii 1638.

1062. ASCULANA.

Capitulum Cathedralis Asculanae plura petiit definiri.

1. An Provincialis alicuius Ordinis Regularium possit inter Canonicos Cathedralis vocatos ad Vesperas, et Missas solemnes a Regularibus in ipsorum Ecclesiis sedere?

2. An idem Provincialis in Ecclesiis sui Ordinis possit paramenta accipere de Altari pro celebratione Missarum?

3. An idem Provincialis possit in Ecclesiis sui Ordinis concedere sedes camerales mulieribus non illustribus, neque titulatis, non obstante Ordinarii prohibitione desuper facta?

Et S. C. censuit respondendum, quoad primum: « expectandum esse responsum Episcopi ad effectum sciendi, an Canonici vocati a Fratribus assistant cum habitu canonicali, in reliquis negative in omnibus et per omnia. » Die 10. Iunii 1638.

1063. BENEVENTANA.

Rector S. Donati Parochialis Ecclesiae, asserens se esse in possessione in associandis cadaveribus defunctorum incedendi cum stola ante feretrum, etiam quod interveniat Capitulum Cathedralis, post omnes de Capitulo, supplicavit manuteneri. Et S. C. respondit iuxta alias etc. « praecedentiam deberi Capitulo, et Canonicis Ecclesiae Cathedralis supra proprium Parochum deferentem stolam, non obstante contraria consuetudine. » Die 10. Iulii 1638.

1064. CREMEN.

Episcopus cum suo Capitulo Cremen. suppli-

cavit responderi: quotnam ietus thurificationis debeantur Canonico solemniter celebranti, dum Episcopus assistit Divinis pontificaliter cum cappa? Et S. C. respondit: « servandam esse dispositionem Caeremonialis Episcoporum. » Die 10. Iulii 1638.

1065.

ORITANA.

Episcopus Oritanus supplicavit declarari: an liceat pulsare Campanas in adventu Domini loci? Et S. C. respondit: « non licere pulsare Campanas Ecclesiarum, neque Piorum Locorum in adventu Domini loci, sine licentia Ordinarii. » Die 10. Iulii 1638.

1066.

PIENTINA.

Canonici, et Clerus Cathedralis Pientinae supplicarunt declarari, thurificationem, et pacis osculum distribuendum Magistratui, esse porrigendum per aliquem Acolithum cotta indutum, et nullo modo per Diaconum, et Subdiaconum respective, prout hactenus per septem annos servatum est. Et S. C. mandavit: « servari dispositionem Caeremonialis Episcoporum. » Die 10. Iulii 1638.

1067.

PLACENTINA.

Rector Parochialis loci Pradaverae obligatus in Sabbato Sancto accedere ad Ecclesiam Archipresbyteralem Traven. pro exercendis Functionibus Ecclesiasticis praescriptis in dicto die, supplicavit eximi a praedicta obligatione, stante distantia loci ad locum. Et S. C. respondit: « nihil. » Die 10. Iulii 1638.

1068.

SPOLETANA.

Priores Casciae conquesti sunt de Vicario Foraneo, qui, cum sit Canonicus Collegiatae, praetendit in Processionibus incedere non cum suis Canonicis, sed post Processionem una cum Magistratu ratione tituli Vicariatus Foranei, supplicantes coerceri. Et Sac. C. mandavit: « responderi iuxta alias resoluta contra Vicarios Foraneos. » Die 10. Iulii 1638.

1069.

SUTRINA.

Expositum fuit pro parte graduatorum Terrae Capranicae Magistrum quemdam Regularem audere, relicta Cruce sui Ordinis, incedere in Processionibus seorsum a suis Fratibus, post Magistratum; et supplicatum responderi: an conveniat? Et S. C. respondit: « non convenire, nec esse permittendum, quod Regulares immisceant se cum Saecularibus in publicis Processionibus. » Die 10. Iulii 1638.

1070.

BRIXINEN.

Episcopus Brixinen. conquestus est de Abbatibus Regularium suae Dioecesis petentibus benedictionem ab aliis Abbatibus suorum Ordinum,

contra expressam prohibitionem huius S. Cong., supplicans provideri. Et S. C. respondit: « Abbates in casu proposito non ab alio, quam ab Ordinario, benedictionem petere debere, et ita servari » mandavit die 24. Iulii 1638.

1071.

BITUNTINA.

Archidiaconus Cathedralis Bituntinae conquestus est de Vicario generali, quod praeter solitum praetendat sedere in proprio stallo destinato pro Archidiacono, supplicans mandari servari solitum. Et S. Cong. censuit: « addendum esse sedile in Choro, et primum locum obtinere debere Vicarium generalem. » Die 24. Iulii 1638.

1072.

CONSTANTIEN.

Fratres Minores Conventuales supplicarunt declarari, in arbitrio esse Haeredum exequias facere die 3. 7. et 30. pro defunctis ubicumque voluerint, non obstante contradictione Parochorum praetendentium medietatem eleemosynae, quae elargitur occasione dictarum exequiarum, non aliter, quam si dictae exequiae fierent in eorum propriis Ecclesiis. Et S. C. « remisit ad Ordinarium, qui faciat observare ius comune, cum Parochi non possint praetendere, nisi ius funerale, quando eligitur alibi sepultura. » Die 24. Iulii 1638.

1073.

MONOPOLITANA.

S. R. C. respondit: « Decretum alias factum sub die 6. Febr. proxime praeteriti ad favorem Primiceriorum Cathedralis Monopolitanae omnino esse servandum, prout servari mandavit, nempe: impedita prima Dignitate pro Episcopo pariter impedito, ad primarias Dignitates proxime subsequentes ordine successivo spectare, et pertinere solennes functiones, quas Episcopus, si praesens esset, per se ipsum obiret. » Die 24. Iulii 1638.

1074.

OXOMEN.

Episcopus Oxomen. ob particularem devotionem cupiens etiam diebus ferialibus interesse Divinis, supplicavit pro licentia assistendi cum Rocchetto, et Mozzetta. Et S. C. concessit, « dummodo non in sede ordinaria, sed in primo stallo in Choro, supra omnes alios assistat, et hoc etiam casu absque ulla assistentia Canonicorum, de qua loquitur Caeremoniale Episcoporum lib. 1. cap. 8. » Die 24. Iulii 1638.

1075.

SANCTI MINIATI.

Episcopus S. Miniati conquestus est de Rectore S. Bartholomaei, arrogante sibi, sub titulo Protonotarii de numero non participantium, in pileo funiculum sericum coloris violacei, una cum subtana, et mantelletto pariter violaceis, supplicans responderi: an praedicta insignia convenient

supradicto Rectori? Et S. C. respondit: « nullo modo licere Protonotariis de numero non participantium uti in pileo funiculo serico coloris violacei; quo vero ad subtanam cum mantelletto, inspiciendas literas patentes sui Protonotariatus. » Die 24. Iulii 1638.

1076. SUTRINA.

Graduati Terrae Capranicae aegre ferentes Superiorem Regularem Ordinis S. Francisci in publicis Processionibus velle se immiscere cum Saecularibus, supplicarunt responderi: an hoc liceat? Et S. C. respondit: « nullo modo permitendum, quod Regulares immisceant se cum Saecularibus. » Die 24. Iulii 1638.

1077. SULMONEN.

Receptis Literis informativis per Vicarium Capitularem transmissis circa Processionem per ipsum factam cum SS. Sacramento per Civitatem de ordine laicorum indictam, S. C. respondit: « quod absteineat Vicarius imposterum a dictis functionibus. Quo vero ad expositionem SS. Sacramenti per Confratres Confraternitatum, fuit eidem iniunctum, ut nullo modo permittat huiusmodi expositionem. » Die 24. Iulii 1638.

1078. SYRACUSANA.

Stante Decreto huius S. C., quod SS. Eucharistiae Sacramentum in Processione non deferatur Sacerdotum humeris, sed manibus tantum celebrantis, fuit quaesitum: an praedictum SS. Eucharistiae Sacramentum sit deferendum manibus tantum unius, an vero plurium Sacerdotum in Terra Miniae, in qua viget etiam hodie consuetudo, quod deferatur humeris quatuor Sacerdotum? Et S. C. respondit: « SS. Eucharistiae Sacramentum non Sacerdotum humeris, sed manibus dumtaxat illius, qui solemniter celebravit in dicta solemnitate, deferendum esse. Et ita in Collegiata Ecclesia Terrae Miniae omnino servari » mandavit die 24. Iulii 1638.

1079. THELESINA.

Orta differentia inter Confratres Confraternitatum S. Antonii, et SS. Conceptionis Terrae Cerreti circa praecedentiam in Processionibus, supplicatum fuit declarari: cuinam Confraternitati sit danda praecedentia in Processionibus? Et S. C. respondit: « praecedentiam dandam esse illi Confraternitati, quae prius saccis usa est, iuxta dispositionem Bullae Gregorii XIII., quae incipit: Exposcit etc. » Die 24. Iulii 1638.

1080. FARFEN., SEU NULLIUS.

Clerus Terrae Accumuli non suppositus visitationi Episcopi Asculani exposuit, fuisse prohibitum ab ipso Episcopo, ne interveniat Proces-

sionibus, aliisque functionibus Ecclesiasticis, prout haec tenus intervenire solitus erat, supplicans praecipere eidem Episcopo, qui faciat in hoc servari solitum. Et S. C. mandavit: « servari solitum quoad Processiones. » Die 24. Iulii 1638.

1081. FIRMANA.

Canonici Collegiatae Ecclesiae Terrae Morri supplicarunt declarari, non licere Confraternitatibus laicorum, neque Regularibus, cuiuscumque Ordinis existant, vocatis ad funus, aut ad Processiones, expectare per vias, aut recto tramite ire ad domus defunctorum, sed omnino convenire debere in Ecclesiam praedictam Collegiatam. Et S. C., iuxta alias resoluta, respondit: « nullo modo in supradictis casibus licere expectare per vias, vel ire ad domos defunctorum, sed convenire debere in Collegiatam, dummodo non adsit contraria consuetudo in loco conveniendi in aliam Ecclesiam, prout disponit Rituale Romanum. » Die 24. Iulii 1638.

1082. MONOPOLITANA.

Controversia diu agitata in S. C. inter Archidiaconum, et Archipresbyterum Cathedralis Monopolitanae: ad quem ipsorum pertineant solemnes functiones, absente, vel impedito Episcopo? fuit hodie ad relationem Eñi Cardinalis Burghesii examinata in petitorio ad favorem Archidiaconi, quibuscumque non obstantibus allegatis per Archipresbyterum, nempe « ad Archidiaconum primam Dignitatem spectare, et pertinere functiones solemnes Episcopo absente, vel impedito. » Die 24. Iulii 1638.

1083. MELEVITANA.

Episcopus Melevitanus conquestus est de Regularibus suae Dioecesis vocatis ad funus nolentibus convenire in Parochialem, supplicans coerceri. Et Sac. Cong. respondit: « esse cogendos opportunis remediis. » Die 24. Iulii 1638.

1084. MONTIS REGALIS.

Clerus Saecularis Civitatis Cunei petiit declarari: an liceat Regularibus facere Processiones extra claustra Monasteriorum, non obstante contraria consuetudine? Item, an liceat facere publicas Processiones sine interventu Cleri Saecularis? Et S. Cong. respondit: « negative in utroque casu, iuxta alias resoluta. » Die 24. Iulii 1638.

1085. SENOGALLIEN.

Decretum ut in antecedenti.

1086. URBIS.

Fuit dubitatum, quomodo se gerere debeat Sacerdos celebraturus, dum transit ante Altare, in quo sit publice expositum SS. Sacramentum: an post factam genuflexionem detecto capite,

surgens debeat caput tegere, donec ad Altare pervenerit; an vero detecto capite iter prosequi ob reverentiam tanti Sacramenti sic publice expositi, cum Rubrica Missalis Romani non videatur loqui de hac praecisa adoratione in casu, de quo agitur? Et S. Cong. respondit: « servandas esse Rubricas Missalis Romani, quae videntur innuere, quod post factam adorationem genibus flexis, detecto capite, surgens caput operiat. » Die 24. Iulii 1638.

1087. UGENTINA.

Episcopus Ugentinus supplicavit responderi: an Cantor prima Dignitas in sua Cathedrali inservire possit per substitutum, ut ipse Cantor praetendit, sive potius per se ipsum munia obire debeat? Et S. C. iuxta alias resoluta, respondit: « per se ipsum obire debere, et nullo modo per substitutum, non obstante contraria consuetudine. » Die 24. Iulii 1638.

1088. UGENTINA.

Duo petiit desiniri Cantor Cathedralis Ugentinae:

1. Licere sibi tamquam primae Dignitati praeminentiam assistendi pro Presbytero Assistente Episcopo solemniter celebranti, vel Divinis interessenti.

2. Licere sibi pariter iuxta solitum substituere alium sibi benevisum in huiusmodi functione, quando impeditus erit.

Et S. C. ad 1. respondit « affirmative. » Ad 2. vero « negative, non posse alium substituere, non obstante contraria consuetudine. » Die 24. Iulii 1638.

1089. ZAGAROLAE.

Petrus Pazich Canonicus Collegiatae Ecclesiae Terrae Zagarolae, Protonotarius Apostolicus, supplicavit responderi sibi: an liceat in Choro, et Processionibus stare, et incedere cum habitu Praelatitio, puta Rocchetto, et Mantelletto, iuxta consuetudinem observatam supra quadraginta annos? Et S. C. respondit: « nullo modo licere, non obstante contraria consuetudine, quae potius abusus, et corruptela nuncupari debeat, quam consuetudo. » Die 24. Iulii 1638.

1090. URBIS, ET ORBIS.

Die 25. Septembris 1638. Post dictas Causas Beatificationum, et Canonizationum, proposui Dubium subortum de vigilia, et ieiunio S. Ioannis Baptistae, quod cadit anno proximo venturo 1639. in diem solemnitatis Corporis Christi, et unanimi Eminentium Patrum consensu responsum, non esse ieiunandum, prout in Decreto tenoris sequentis, videlicet:

Cum anno proxime venturo 1639. vigilia S. Ioannis Baptistae incidat in diem solemnitatis Corporis Christi, fuit a pluribus Locorum Ordinariis supplicatum SS. pro declaratione: quid agendum de ieiunio eo die praescripto? Supplicatione per *Sanctitatem suam* ad Sac. Rit. Cong. remissa, eadem S. C., re mature discussa, censuit: « non esse ieiunandum, neque abstinendum a carnibus, in Festo solemnitatis Corporis Christi, sed anticipandum ieiunium die antecedenti, nempe Feria IV., prout ieiunaretur in ipsa vigilia, et videri eidem S. Cong. quod Sanctitas Sua, si ita placuerit, praeciperet super hoc expedire Breve pro perpetuis temporibus futuris, quando idem casus contigerit; et facta per me Secretarium relatione de praemissis Sanctitati Suae, Sanctitas Sua sententiam S. C. laudavit, et Breve per totum Orbem expediri, » mandavit, prout expeditum fuit tenoris, ut infra.

« Urbanus PP. VIII. ad perpetuam rei memoriam. Cum evenire quandoque possit, ut vigilia S. Ioannis Baptistae in diem Festum solemnitatis Corporis D. N. Iesu Christi incidat, Nos attendentes Festum diem huiusmodi, quo tanti Sacramenti institutio, summa totius Populi Christiani laetitia recolitur, et principalibus totius anni festivitatibus existere, propterea de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus praepositorum consilio, deinceps perpetuis futuris temporibus, quoties vigiliam praedictam in dictam diem festivam solemnitatis SS. Corporis D. N. Iesu Christi incidere contigerit, non esse ieiunandum, neque a carnibus abstinendum in die Festo huiusmodi; sed anticipandum ieiunium die immediate antecedenti, nempe Feria IV., prout ieiunaretur in ipsa Vigilia, Apostolica auctoritate tenore praesentium statuimus, et ordinamus, in contrarium facien. quibuscumque non obstantibus. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo Personae in Dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. » Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die 15. Octobris 1638. M. A. Muraldus.

1091. CASTELLANETEN.

Emo Pamphilio referente praetentionem Domini Loci habendi solum cum tribus gradibus in Ecclesia, necnon recipiendi thurificationem per manus Diaconi, S. C. respondit: « nihil permittendum. » Die 24. Septembris 1638.

1092. **FIRMANA.**
Canonici Collegiatae Ecclesiae Morri Vallis supplicarunt praecipi Regularibus loci, ne audeant pulsare Campanas pro Salutatione Angelica, nisi prius dato signo per Ecclesiam Collegiatam. Et S. C. respondit: « nihil. » Die 24. Septembris 1638.

1093. **FIRMANA.**
Priores Terrae Offidiae supplicarunt definiri: quomodo regulari debeat praecedentia inter Augustinianos, et Capuccinos in Processionibus, attento quod Capuccini incedentes prius sub Cruce Augustinianorum habebant praecedentiam super Augustinianos, quam hodie iidem Augustiniani denegant Capuccinis accedentibus cum propria ipsorum Cruce. Et S. C. respondit: « praecedentiam non competere Capuccinis incedentibus cum propria Cruce. » Die 24. Septembris 1638.

1094. **HYDRUNTINA.**
Archidiaconus Hydruntinus supplicavit declarari: an sit permittendum iuxta solitum, quod celebrante Canonico solemniter in festis secundae classis, interveniant pro Diacono, et Subdiacono Sacerdotes non Canonici. Et S. C. respondit, iuxta alias resoluta: « non licere, sed teneri, et obligatos esse Canonico solemniter celebranti inservire pro Diacono, et Subdiacono pariter Canonicos, non obstante quacumque contraria consuetudine, quam abusum S. C. pluries » declaravit. Die 24. Septembris 1638.

1095. **HISPANIARUM.**
Marchio Aricae supplicavit responderi: thurificationem, et pacem deberi sibi per Diaconum, et Subdiaconum iuxta *dispositionem Caeremonialis*. Et S. C. respondit: « nihil. » Die 24. Septembris 1638.

1096. **LUCANA.**
Universitas Cappellanorum Beneficiatorum Cathedralis Lucanae, conquesta est de Canonicis eiusdem, praetendentibus porrigi debere thuribulum illi Canonico, qui thurificare debet Magistratum, per illum Cappellanum, qui pro Diacono inservivit Canonico solemniter celebranti, supplicans declarari, id non convenire, sed per Acolythum deferendum esse thuribulum ad Canonicum, qui debet thurificare Magistratum. Et S. C. respondit: « servari debere dispositionem Caeremonialis Episcoporum cap. 23. et 24. lib. 1. » Die 24. Septembris 1638.

1097. **VICENTINA.**
Capitulum, et Canonici Collegiatae Ecclesiae Terrae Schiae petierunt responderi: an pars Capituli cum Cruce propria, de mandato ipsius Capituli accedens ad associandum funus, prae-

cedentiam habere debeat supra Curatum defuncti? Et Sac. Rit. Congregatio mandavit: « tradi Decretum iuxta alias resoluta. » Die 24. Septembris 1638.

1098. **VERULANA.**
Canonici Cathedralis Verulanae conquesti sunt de Episcopo praetendente Parochum in associandis cadaveribus praecedentiam habere debere supra Canonicos Cathedralis, capitulariter associantes funus, supplicantes praecipi servari debere Decreta alias facta ad favorem Capituli, et Canonicorum. Et S. Cong. respondit: « praecedentiam competere Capitulo, et Canonicis supra omnes alios, et etiam supra proprium Parochum Stolum deferentem. » Die 24. Septembris 1638.

1099. **BOIANEN.**
Communitas Terrae Campibassi supplicavit definiri contentionem inter Parochos, et Regulares, ad quos spectet Officium facere super cadaveribus in Ecclesiis Regularium, quando cadavera defunctorum tumulari debent in ipsorum Ecclesiis. Et S. C. respondit: « spectare ad Regulares, non obstante contraria consuetudine. » Die 27. Novembris 1638.

In eadem Congregatione similia edita sunt Decreta in una *Minorum Observantium etc.*, et in alia *Marsicana etc.*, ac in *Novarien. etc.*

1100. **CIVITATIS CASTELLI.**
Praepositus Cathedralis Civitatis Castelli supplicavit declarari: deberi sibi thurificationem ante Vicarium generalem, quotiescumque ipse Orator inservit pro Presbytero Assistente. Et Sac. Cong. respondit: « Presbyterum Assistentem thurificari debere ante Vicarium generalem iuxta dispositionem Caeremonialis Episcoporum. » Die 27. Novembris 1638.

1101. **MELITEN.**
Referente Eno D. Cardinali Pamphilio, Sac. Cong. respondit: « in casu proposito praecedentiam deberi Ecclesiae Collegiatae, supra omnes alias Ecclesias non Collegiatas, etiamsi praedictae Ecclesiae non Collegiatae habuerint praecedentiam supra Ecclesiam Collegiatam, antequam in Collegiatam erigeretur: Confraternitatem vero, quae erat erecta in dicta Ecclesia noviter Collegiata, debere incedere ante omnes alias Ecclesias in loco, iuxta dispositionem Bullae Gregorii XIII., quae incipit: *Exposit.* » Die 27. Novembris 1638.

1102. **PIENTINA.**
S. R. C. respondit: « non licere facere Processiones per Confratres Societatum sine licentia Episcopi, imo solitas posse per ipsum prohiberi. » Die 27. Novembris 1638.

1103. ALBANEN.

S. R. C. iuxta alias resoluta respondit: « Officium super cadaveribus in Ecclesiis Regularium per ipsos Regulares, non autem per Parochos defunctorum peragi debere; ac ita in Ecclesia S. M. Rutundae, per Monachos S. Alexii in Civitate Albanen. » servari mandavit die 9. Decembris 1638.

1104. BITUNTINA.

Archidiaconus Bituntinus supplicavit rescribi: servandam esse dispositionem *Caeremonialis Episcoporum* circa assistentiam debitam Episcopo tam solemniter celebranti, quam cum Cappa Divinis assistenti. Et S. C. mandavit: « servari dispositionem *Caeremonialis Episcoporum*. » Die 9. Decembris 1638.

1105. BRUNDUSINA.

S. R. C. respondit: « Dignitatem, sive Canonicum Officium facientem debere habere pulvinar cum tapete supra scamnum, iuxta dispositionem *Caeremonialis Episcoporum* lib. 2. cap. 3. » Die 9. Decembris 1638.

1106. CAMERINEN.

Supplicarunt Canonici S. Urbani Terrae Aperi responderi: quomodo thurificari debeat Magistratus Terrae, et quomodo sit ei pax danda, quando intervenit Divinis? Et S. C. respondit: « servari debere dispositionem *Caeremonialis Episcoporum*. » Die 9. Decembris 1638.

1107. HYDRUNTINA.

Prima Dignitas in Cathedrali asserens, se esse in possessione immemorabili, ipsa impedita, deputare sibi benevisum ad solemnes functiones spectantes ad primam Dignitatem, supplicavit manuteneri in sua asserta possessione. Et S. C. respondit: « non posse primam Dignitatem impeditam alium sibi benevisum deputare loco sui pro functionibus faciendis, sed spectare, et pertinere ad secundam Dignitatem ordine successivo. » Die 9. Decembris 1638.

1108. MELITEN.

Procurator Generalis S. Augustini Fratrum Discalceatorum supplicavit declarari, iuxta eorum solitum, non teneri accedere ad Processionem die Octava Corporis Christi, sed solum in ipsa die Corporis Christi. Et S. C. respondit « ad ipsorum favorem, et ideo non posse cogi ab Ordinario in die Octava. » Die 9. Decembris 1638.

1109. MESSANEN.

S. R. C. respondit: « Archipresbyterum loci Gangii incedere debere ante baldachinum in Processionibus una cum suo Clero, et nullo modo sub baldachino, non obstante quacumque contra-

ria consuetudine, quam abusum eadem S. Cong. declaravit, eamque sub censuris, quatenus opus sit, prohiberi » mandavit die 9. Decemb. 1638.

1110. PLACENTINA.

S. R. C. ad relationem Em̃i D. Card. Caesariini, respondit: « Magistro *Caeremoniarum* nullo competere locum in sedendo, sed stare debere, dum munus suum exercet, iuxta dispositionem *Caeremonialis Episcoporum* lib. 1. cap. 17. » Die 9. Decembris 1638.

1111. PLACENTINA.

Referente Em̃o Caesarino petitionem Capituli Placentini circa Baldachinum apponen: per Regulares, quando Episcopus accedit ad eorum Ecclesias pro exercendis Pontificalibus, S. C. respondit: « servari debere Decretum fel. rec. Clementis VIII. » Die 9. Decembris 1638.

1112. BRUNDUSINA.

S. R. C. respondit: « Vicarium Generalem in habitu vicariali tam praesente quam absente Archiepiscopo, thurificari, et sedere debere ante, et supra omnes Dignitates, et Canonicos. » Die 9. Decembris 1638.

1113. BRUNDUSINA.

Sac. R. C., iuxta alias resoluta, Dignitatibus petentibus responderi: quid servandum quando Vesperae celebrantur per aliquem ex Dignitatibus, seu Canonicis circa assistentiam, prout etiam quando solemniter praedictae Dignitates, seu Canonici Missas celebrant? respondit: « in celebratione Missae sollemnis inservire debere pro Diacono, et Subdiacono Canonicos, et non alios inferiores: Officium vero facientibus ad Vesperas, non Canonicos cum pluvialibus assistere debere, sed alios Sacerdotes inferiores de gremio Capituli. » Die 22. Ianuarii 1639.

1114. BRUNDUSINA.

Archidiaconus Cathedralis, qui est caput Capituli, aegre ferens hebdomadarios non expectare Oratorem pro inchoando Officio, supplicavit definiri per quantum temporis spatium expectari debeat. Et S. C. respondit: « Oratorem expectandum usque ad horam destinatam pro inchoando Officio. » Die 22. Ianuarii 1639.

1115. CONCHEN.

Dubiis sex, prout in supplici libello, porrectis per Agentem Decani Capituli Conchen., Sac. Rit. Cong., ad relationem Em̃i Pallotti, sic respondendum censuit:

Ad 1. « Servandas esse Rubricas Breviarii Romani. » Ad 2. « Presbyterum deferentem Reliquias incedere debere detecto capite, Episcopum vero cum Mitra. » Ad 3. « Docendum esse de ap-

probatione orationis petita. » Ad 4. « Benedictio-
nem esse dandam per Episcopum cum Mitra, sed
laudabilius esse hoc casu reponere SS. Eucharistiae
Sacramentum in alio Altari. » Ad 5. « Servandum
esse Caeremoniale Episcoporum. » Ad 6. « Servan-
dum esse pariter Caeremoniale Episcoporum. »
Die 22. Ianuarii 1639.

1116. CAMERINEN.

Priores Terrae Offidiae aegre ferentes Capucci-
nos eiusdem Terrae recusare accedere ad Proces-
siones ex eo, quia Augustiniani denegant praecedentiam
dictis Capuceinis, postquam ipsi Capuccini
propriam Crucem erexerunt, supplicarunt provi-
deri. Et Sac. Cong. mandavit, « servari id cum
Capuceinis, quod servatur cum aliis Religionibus. »
Die 22. Ian. 1639.

1117. MELEVITANA.

Supplicavit Episcopus Melevitanus declarari:
non licere Regularibus facere Processiones extraordi-
narias absque sua licentia. Et S. C. respondit:
« non licere. » Die 22. Ianuarii 1639.

1118. AQUEN.

Capitulum Cathedralis Aquen. exposuit Episco-
pum praetendere, quando assistit Divinis cum Cappa,
quod Canonici Assistentes teneantur illi ponere,
et deponere biretum, supplicans declarari, iuxta
alias resoluta: non teneri Canonicos, sed per se
ipsum Episcopum debere sibi caput tegere, et de-
tegere. Et S. C. respondit « ad favorem Canonico-
rum. » Die 5. Februarii 1639.

1119. ATREBATEN.

Capitulum Collegiatae Ecclesiae S. Amati Opi-
pidi Duacen. exposuit, festum Patroni loci cadere
hoc anno in diem festum SS. Trinitatis, ideoque
supplicavit pro licentia transferendi festum Tri-
nitatis in Dominicam sequentem, et celebrandi Fe-
stum Patroni in ipso die, quo cadit. Et S. Cong.
respondit: « servari debere Rubricas de Traslatione
Festorum. » Die 5. Februarii 1639.

1120. IMOLEN.

Curatus Massae Lombardae conquestus est de
Regularibus Carmelitis exponentibus SS. Eucha-
ristiae Sacramentum sine licentia Ordinarii, et pro-
prij Parochi, supplicans prohiberi. Et Sac. Congr.
respondit: « esse prohibendos. » Die 5. Febr. 1639.

1121. MELEVITANA.

Capitulum, et Canonici Collegiatae Ecclesiae
Loci de Bircarcra supplicarunt declarari, deberi
ipsis in omnibus Processionibus praecedentiam su-
pra omnes alios Sacerdotes Ecclesiarum non Col-
legiatarum. Et Sac. C. respondit: « deberi praecedentiam
Oratoribus supra omnes alios Ecclesiarum
non Collegiatarum. » Die 5. Februarii 1639.

1122. SENOGALLIEN.

Curatus Montis Marciani supplicavit praecipui
Confratribus SS. Sacramenti, quod non audeant
facere Processiones intra limites suae Parochiae,
sine expressa Oratoris licentia. Et S. C. respondit
« ad favorem Oratoris. » Die 5. Februarii 1639.

1123. SALERNITANA.

Capitulum Collegiatae Ecclesiae Castellonis as-
serens teneri qualibet Feria secunda cantare unam
Missam de Requiem, et quolibet Sabbato Missam
de B. Virgine petiit definiri: an occurrente in di-
ctis diebus Festo duplici, adstrictus sit ad utram-
que Missam, seu cum una tantum currenti satisfaciat?
Et Sac. Cong. respondit: « in utroque casu
servandas esse Rubricas Breviarii Romani. » Die 5.
Februarii 1639.

1124. SABINEN.

Archipresbyter Terrae Montis Albotti suppli-
cavit responderi, quando sit danda benedictio cum
SS. Sacramento, an in fine Hymni *Pange Lingua*,
an quando pervenitur ad versiculum Hymni (*sit
et Benedictio*)? Et S. Cong. respondit: « in fine
Hymni. » Die 5. Februarii 1639.

1125. TURRITANA.

Decanus, et Archipresbyter Cathedralis Tur-
ritanae conquesti sunt de Vicario generali, renuente
obedire Decretis huius S. C. circa praecedentiam,
quam ipse Vicarius praetendit supra Oratores etiam
quando assistit Divinis in habitu canonicali, sup-
plicantes coerceri. Et S. C. respondit: « Vicarium
generalem obedire debere Decreto emanato pro Ec-
clesia Arboren. die 11. Aug. 1635. » Die 5. Febr. 1639.

1126. ARIANEN.

Archidiaconus Arianen., qui est Vicarius Ca-
pitularis, supplicavit responderi sibi: an in Adventu
Baronum locorum Dioecesis liceat pulsare campa-
nas? Et S. C. respondit: « nullo modo licere. »
Die 19. Febr. 1639.

1127. AQUEN.

Capitulum Cathedralis conquestum est de Or-
dinario loci praetendente, quod ad Capitulum spe-
ctet stipendiare Magistrum Caeremoniarum, vel
quod unus de Canonicis hoc munus subeat, sup-
plicans responderi: quid servandum? Et S. R. C.
respondit: « servari debere id, quod disponit Caer-
emoniale Episcoporum. » Die 19. Februarii 1639.

1128. AESINA.

Cum in Cathedrali Aesina sint distincti Ordi-
nes, et aliquando eveniat, ut alter ex Diaconis,
qui debet assistere Episcopo ob aliquam necessi-
tatem sit absens, et necesse sit, ut ultimus ex
Canonicis Diaconi vicem subeat; supplicatum fuit
an iste Canonicus, qui est Sacerdos, assistendo

stare debeat a dextris, vel a sinistris? Et S. C., ad relationem Em̃i D. Cardinalis Caesarini, respondit: « Canonicum Sacerdotem debere assistere a sinistris, et dare praecedentiam Diacono exereenti Officium suum, iuxta dispositionem Caeremonialis Episcoporum Lib. 1. cap. 26. » Die 19. Februarii 1639.

1129.

ARIMINEN.

Episcopus Ariminen. exposuit, nonnullos Regulares suae Dioecesis inter Missarum solemnias canere laudes idiomate sermone compositas, supplicans responderi: an hoc conveniat? Et S. C. respondit: « non convenire, sed omnino prohibendas, prout prohiberi mandavit » die 12. Martii 1639.

1130.

BAREN.

Syndacus, et Electi Terrae Aquavivae supplicarunt pro licentia celebrandi Festum S. Antonii de Padua Patroni dictae Terrae cum Octava, non obstante, quod cum Octava celebrent etiam festum S. Eustachii pariter Patroni. Et Sac. C. respondit: « de Principiori dumtaxat Patrono celebrandum esse Festum cum Octava. » Die 26. Martii 1639.

1131.

CIVITATIS CASTELLANAE.

Archipresbyter Cathedralis supplicavit declarari, Missam solemnem in feria 4. Cinerum celebrari debere per illummet, qui Cineres distribuit, iuxta alias resoluta. Et S. C. respondit: « celebrari debere per distribuentem Cineres. » Die 26. Martii 1639.

1132.

FANEN.

Carolus Fortunatus primus post Decanum in Collegiata S. Constantii supplicavit declarari ad ipsum spectare, et pertinere Missas solemnes absente, vel impedito Decano. Et S. C. respondit: « ad Oratorem spectare Missarum solemniis celebrationem, absente, vel impedito Decano. » Die 26. Martii 1639.

1133.

FESULANA.

Fr. Alexius Bossius, Ordinis S. Hieronymi, supplicavit responderi tribus dubiis:

1. An in die Palmarum propter indispositionem Celebrantis possit omitti Passio?

2. Quid servandum in concursu cum Patrono loci occurrente in diebus, et Octavis privilegiatis?

3. An in Sabbato, etiam quod fiat Officium de aliquo Sancto, si celebretur Missa de B. Virgine, dici debeat hymnus *Gloria in excelsis etc.*

Et S. C. respondit: « in omnibus supradictis Dubiis servandas esse Rubricas Breviarum, et Missalis Romani. » Die 26. Martii 1639.

1134.

IUVENACEN.

Primicerius Cathedralis Iuvenacen. supplicavit declarari: an Dignitates assistentes in Choro de-

beant canere Antiphonas, et Responsoria, ad hoc, ut licite lucentur distributiones quotidianas? Et S. C. respondit: « servandam esse dispositionem Caeremonialis Episcoporum. » Die 26. Martii 1639. 1135.

NEAPOLITANA.

Referente Em̃o Caesarino petitionem Monialium S. Gaudiosi, S. C. concessit, « ut Festum Sancti Gaudiosi Episcopi Bitiniae earum Fundatoris, una cum Festo S. Gaudiosi Ecclesiae Titularis, possit celebrari die 28. Octobris, non obstante quod die dicto cadat Festum SS. Apostolorum Simonis, et Iudae, quod erit transferendum iuxta Rubricas Breviarum Romani. » Die 26. Martii 1639.

1136.

ROSSANEN.

Presbyteri inservientes Canonico solemniter celebranti, conquesti sunt de Canonicis denegantibus sibi praecedentiam, supplicantes coerceri. Et Sac. Cong. respondit: « praecedentiam debere assistentibus solemniter celebrantibus supra Canonicos in casu proposito. » Die 26. Martii 1639.

1137.

SENOGALLIEN.

Plebanus Terrae Corinaldi supplicavit prohiberi Regularibus, ne audeant pulsare campanas in Sabbato Sancto ante Matricem Ecclesiam, iuxta formam Bullae Leonis X., et Decretorum huius S. C., quae mandavit « prohiberi » Die 26. Martii 1639.

1138.

SENOGALLIEN.

Eodem (Em̃o Pamphilio) proponente difficultatem subortam: an Vicarius generalis potuerit baptizare, sine consensu proprii Parochi? Et Sac. Cong. respondit: « posse Vicarium baptizare, si sit Sacerdos, et non habeat ab Episcopo facultatem limitatam. » Die 16. Aprilis 1639.

1139.

CASERTANA.

In causa differentiae subortae inter Canonicos Collegiatae Ecclesiae Terrae Magdaloni, et tres Canonicos noviter erectos: an Diaconi teneantur inservire his tribus Canonicis, quando solemniter celebrant extra Collegiatam? S. C. ad relationem Em̃i Caesarini, respondit: « non teneri Canonicos Diaconos inservire tribus Canonicis ultimo loco aditis celebrantibus extra Collegiatam, nisi interveniente Capitulo. » Die 16. Aprilis 1639.

1140.

ANGLONEN.

Canonici Collegiatae Ecclesiae S. Mariae Maioris Tursi, turbati ab Episcopo in praerogativa pulsandi campanas in Sabbato Sancto privative quoad omnes alias Ecclesias tamquam Ecclesia Matrix, supplicarunt mandari servari solitum. Et Sacra Cong. mandavit: « servari solitum. » Die 16. Aprilis 1639.

1141.

BRUNDUSINA.

Sac. Rit. Cong. ad relationem Em̃i Caesarini,

respondit: « Decretum iam emanatum sub die 10. Decembris proxime praeteriti ad favorem Archidiaconi circa pulvinar cum tapete, non habere locum praesente Archiepiscopo. » Die 16. April. 1639.

1142. BITUNTINA.

Archidiaconus Cathedralis conquestus est de Vicario generali occupante stallum Oratoris in choro, supplicans mandari apponi Sedem portatilem pro Vicario generali. Et Sacra Congregatio mandavit: « apponi sedem portatilem pro Vicario. » Die 16. Aprilis 1639.

1143. BRUNDUSINA.

Praetendente Ordinario Brundusino deberi sibi per assistentes apponi biretum in capite, et deponi, quando cum cappa assistit Divinis, Archidiaconus supplicavit declarari: an hoc conveniat? Et Sacra Cong. respondit: « non convenire, sed Ordinarium cum cappa Divinis assistentem debere per se ipsum caput tegere, et detegere. » Die 16. Aprilis 1639.

1144. BENEVENTANA.

Cappellani, et Oeconomi S. Mariae Sanitatis turbati a Parocho in celebratione Missarum ante Ecclesiae Parochialis Missam, supplicarunt provideri. Et Sac. Cong. iuxta alias resoluta respondit: « Oratores non posse impediri in eorum Ecclesia circa horam celebrandi Missam, et alia Divina Officia exercendi. » Die 16. Aprilis 1639.

1145. CAMERINEN.

Canonici Collegiatae Ecclesiae Terrae Mathehae supplicarunt prohiberi Regularibus, ne audeant facere Processiones extra claustra Monasteriorum absque Cruce Parochi, vel eius licentia; et S. Cong. respondit: « prohibendos esse, prout prohiberi mandavit » die 16. Aprilis 1639.

1146. IANUEN.

Moniales Monasterii SS. Iacobi, et Philippi asserentes hoc anno Festum ipsorum Titularium cadere in Octavam Paschatis, supplicarunt pro licentia celebrandi praedictum Festum Titularium cum Octava. Et S. Cong. respondit: « servandas esse Rubricas Breviarii Romani. » Die 16. Aprilis 1639.

1147. SERMONETAE.

Canonici Collegiatae Ecclesiae S. Mariae, asserentes eorum Ecclesiam esse Matricem, supplicarunt prohiberi aliis Ecclesiis, ne audeant in Sabato Sancto pulsare Campanas ante Ecclesiam Matricem. Et Sac. Cong. mandavit: « prohiberi, constito prius de Matricitate eiusdem Ecclesiae Collegiatae. » Die 16. Aprilis 1639.

1148. TURRITANA.

Dignitates, et Canonici Ecclesiae Turritanae aegre ferentes Vicarium generalem velle obire fun-

ctiones solennes, quas Episcopus, si praesens esset, per se ipsum obiret, supplicarunt coerceri iuxta alias resoluta. Et S. C. respondit: « ad digniorem de Capitulo ordine successivo spectare, et pertinere functiones solennes, absente, vel impedito Ordinario, et nullo modo ad Vicarium generalem, etiam quod sit de gremio Capituli. »

Item iidem Canonici, et Dignitates pariter petierunt responderi, quis ordo sit servandus in subscribendo acta capitularia, stante, quod quidam Canonicus, cum sit Vicarius generalis, praetendit ipse primo loco subscribere in praedictum aliorum Canonice antiquiorum ipso Vicario? Et S. C. respondit: « Vicarium generalem, qui sit de gremio Capituli, subscribere debere in loco suae receptionis in Canonice. » Die 16. Aprilis 1639.

1149. APRUNTINA.

Gaspar Sachi Protonotarius Apostolicus de non numero participantium petiit declarari: « praescribi sibi locum in Ecclesiis, quando cum habitu Praelatitio Divinis assistit; et an possit cogi ab Ordinario ad interessendum, cum non obtineat Beneficium aliquod Ecclesiasticum? Et S. Cong. quoad primum respondit: « stare, et sedere debere, prout praescribitur in Caeremoniali Episcoporum lib. 1. cap. 23. » Quoad 2. respondit: « Oratorem non posse cogi in casu proposito, neque adstringi ab Ordinario ad interveniendum Divinis, neque Processionibus. » Die 7. Maii 1639.

1150. ASSISIEN.

Confratres Societatis S. Sebastiani Castrimorae supplicarunt declarari: licere ipsis Missas celebrare in eorum Oratorio, nec non Sacramenta Poenitentiae, et Eucharistiae administrare, excepto die Paschatis, etiam renuente proprio Parocho. Et S. C. mandavit: « servari Decreta alias in his terminis edita. » Die 7. Maii 1639.

1151. ASSISIEN.

Guardianus, et Fratres Minores Observantes S. Francisci Terrae Bettonae supplicarunt declarari, iuxta alias resoluta, licere ipsis in Processionibus incedere sub propria Cruce. Et S. C. respondit: « Decreta in casu proposito alias edita, videlicet: quod unaquaeque Religio incedat in Processionibus sub propria Cruce, esse executioni demandanda, prout omnino exequi mandavit, quibuscumque non obstantibus, » die 7. Maii 1639.

1152. BRIXIEN.

Civitas Brixien. asserens diem Octavam Consecrationis Ecclesiae cadere in diem Transfigurationis D. N., supplicavit pro licentia celebrandi Festum Transfigurationis cum commemoratione Octavae Dicationis Ecclesiae, prout alias eadem

facultas fuit concessa Civitati Regien. Et Sac. C. respondit: « servandas esse Rubricas Breviarii Romani. » Die 7. Maii 1639.

1153. IUSTINOPOLITANA.

Capitulum Cathedralis Iustinopolitanae petiit declarari: an PraeCEDentia debeat Capitulo Cathedralis assistenti Episcopo in aliqua Ecclesia Collegiata suae Dioecesis, quando Episcopus intervenit solemniter Divinis; aut Capitulo, et Clero eiusdem Ecclesiae Collegiatae? Et eadem S. C., iuxta alias resoluta, respondit: « praecedentiam deberi in casu proposito Capitulo Cathedralis supra Capitulum, Clerum, et quoscumque alios Sacerdotes Ecclesiarum inferiorum. » Die 7. Maii 1639.

1154. LUCANA.

Eodem Eñio (Caesario) referente causam Lucanam Processionis, S. Congr. ex noviter deductis censuit: « licere Capitulo, et Decano Cathedralis Processiones facere per omnes vias, etiam absente Episcopo, nulla habita, neque petita licentia Superiorum Ecclesiarum S. Fridiani, et S. Michaelis Civitatis Lucanae. » Die 23. Maii 1639.

1155. CAVEN.

Episcopus Caven. duo petiit declarari:
1. An de Protectore Principali Civitatis celebrari debeat Officium cum Octava per Civitatem, et Dioecesim?

2. An idem permittendum de Officio B. Mariae de Carmine?

Et S. C. quoad 1. respondit: « affirmative tam in Civitate, quam in Dioecesi. » Ad 2. respondit: « nihil. » Die 23. Maii 1639.

1156. CASERTANA.

Ad relationem Eñii Caesarii, S. C. mandavit corrigi Decretum iam emanatum in Casertana sub die 16. Aprilis proxime praeteriti in hanc formam, quae sequitur: « Sac. Congregatio censuit teneri Diaconum, et Subdiaconum inservire ultimis tribus Canonicis, ultimo loco additis, solemniter celebrantibus in Collegiata, sed non extra Ecclesiam Collegiatam, nisi interveniente Capitulo. » Die 23. Maii 1639.

1157. IMOLEN.

Petiit Episcopus Imolen.: an permitti debeat addi in recitatione Salutationis Angelicae verba quaedam denotantia dolorem, videlicet - *Ave Maria plena doloribus etc.* - an vero potius dicta verba addita prohiberi? et Sac. C. respondit: « in casu proposito nihil esse addendum, et per Ordinarium omnino prohibendum. » Die 23. Maii 1639.

1158. IMOLEN.

Supplicavit Episcopus Imolen. responderi: an liceat Regularibus suae Dioecesis exponere SSmum

Sacramentum Eucharistiae absque expressa ipsius licentia; et an possit hoc Regularibus prohiberi? Et S. C. respondit: « non licere Regularibus exponere SS. Sacramentum sine expressa licentia Ordinarii, et contrafacientes censuris coercendos. »

Die 23. Maii 1639.

1159. ORIEN.

Orta differentia inter duos provisos de Canonatu, alterum Sacerdotem, in minoribus alterum dumtaxat constitutum, sed cum praevenerit tam in expeditione Bullarum, quam etiam in capienda possessione Clericus Sacerdotem, praetendens Clericus Sacerdoti praeferrri in praecedentia, petitum fuit definiri: cuinam ipsorum debeat praecedentia? Et Sac. Rit. C. iuxta alias resoluta in facti contingentia in eadem Civitate Orien. respondit: « Canonicum Sacerdotem praeferrendum esse. » Die 23. Maii 1639.

1160. TURRITANA.

Dignitates, et Canonici Ecclesiae Turritanae supplicarunt responderi: an Vicario generali, qui est de gremio Capituli, debeat in actibus Capitularibus praeceminentia supra Dignitates, et Canonicos antiquiores in Canoniatu? Et S. Cong. respondit: « non deberi. » Die 23. Maii 1639.

1161. UGENTINA.

Episcopus Ugentinus consuluit S. C.: an permittit debet Principi Terrae Praesicciae Baldachinum in Ecclesia Matrice eiusdem Terrae, quando intendit assistere Divinis? Et S. R. C. respondit: « nullo modo permittendum. » Die 23. Maii 1639.

1162. VICENTINA.

Petitum fuit pro parte Collegiatae Ecclesiae Terrae Schii declarari: an vocato Capitulo ad funus alienius, si interveniant de ordine Capituli tres, vel quatuor ex Canonicis, dicantur capitulariter incedere ad effectum gaudendi praeceminentia Capitulo Collegiatae concessa? Et Sac. C. respondit: « iuxta alias resoluta tres ex Canonicis in casu proposito sub Cruce Capituli associantes funus representare totum Capitulum ad effectum habendi praecedentiam supra omnes alios funus associantes. » Die 23. Maii 1639.

1163. TUDERTINA.

Sebastianus Vicus Sacerdos asserens se non habere Beneficium aliquod ecclesiasticum, nec alicui Ecclesiae inservire, supplicavit responderi, an cogi possit ab Ordinario ad interessandum Processionibus? Et S. C. *attentis narratis*, respondit: « non teneri, nec posse cogi. » Die 18. Iunii 1639.

1164. LUNEN. SARZANEN.

S. R. C. censuit: « praecedentiam inter Confraternitates illi deberi, quae prius saccis usa est

etiam in concursu cum Confraternitate SS. Sacramenti, cui tamen debetur praecedentia in Processionibus SS. Sacramenti, dummodo accedat etiam ad alias Processiones, et in loco sibi debito incedat. » Die 18. Iunii 1639.

1165. AUXIMANA.

Referente Eñõ Pallotto petitionem Magistratus Civitatis Auximanae circa scamnum tenendum pro Magistratu, quando solemniter assistit Divinis, S. C. respondit: « ponendum esse extra Presbyterium iuxta planetam signandam per d. Eñm Pallottum. » Die 2. Iulii 1639.

1166. CONGREGATIONIS TULLEN.

Procurator generalis Congregationis Tullen. Ordinis Cisterciens. supplicavit responderi: an sua Congregatio utens Breviario Benedictino reformato, teneatur recitare Officia illorum Sanctorum, qui fuerunt inserti de mandato Sedis Apostolicae in *Calendario Romano* post acceptationem praedicti *Breviarii Benedictini* reformati? Et S. C. mandavit: « fieri de hoc verbum cum SS. Qui SS. respondit: teneri. » Die 2. Iulii 1639.

1167. CONGREGATIONIS TULLEN.

Idem Procurator Generalis petiit definiri: an Decretum generale emanatum, in quibus locis liceat celebrari Festum S. Rochi, afficiat, et comprehendat loca ultra montes, in quibus adest consuetudo celebrandi Festum dicti Sancti, etiam quod in iis locis deficient requisita praescripta in dicto Decreto generali? Et Sac. Cong. respondit: « supradictum Decretum uti generale servandum esse ubique, et in toto Orbe, » prout servari mandavit die 2. Iulii 1639.

1168. FERRARIEN.

Coadiutor Decani, qui est prima Dignitas, supplicavit assignari sibi locum in Choro, absente, vel impedito suo Coadiuto. Et Sac. C. respondit: « in casu proposito assignandum esse ipsummet locum, in quo sederet suus Coadiutus si praesens esset, et praecedere debere omnes alios de Capitulo. » Die 2. Iulii 1639.

1169. IANUEN.

Bartholomaeus Classa Ianuen., provisus de Praebenda Theologica aggregata Praebendae Subdiaconali in Cathedrali Ianuen., supplicat declarari: deberi sibi locum inter Canonicos Sacerdotes, attendita Praebenda Theologica. Et S. Cong. respondit: « in casu proposito habere debere locum uti Canonicum Subdiaconum. » Die 2. Iulii 1639.

1170. NULLIUS.

Sac. R. C., referente Eñõ Dño Card. Columna petitionem Presbyterorum Collegiatae Ecclesiae Terrae Cirignolae circa praecedentiam inter ipsos,

respondit: « praecedentiam deberi Canonicis Presbyteris prius assumptis ad Sacerdotium. » Die 2. Iulii 1639.

1171. ARIANEN.

Duobus Dubiis porrectis pro parte Capituli Arianen. S. Congr. sic respondendum censuit. Ad 1. « Canonicos non teneri, nec posse cogi ad deferendum hastas Baldachini, quae in casu proposito deferri debent per digniores ex Beneficiatis, seu Mansionariis, iuxta dispositionem Caeremonialis Episcoporum lib. 2. cap. 23. » Ad 2. « idem, quod supra. » Die 20. Augusti 1639.

1172. BRUNDUSINA.

Dubitatum fuit: an Ordinario solemniter celebranti extra Cathedralem debeat assistere Vicarius generalis, an vero dignior de Capitulo? Sacra Cong. respondit: « assistentiam semper, et ubique deberi Ordinario per digniorem de Capitulo, et nullo modo per Vicarium generalem. » Die 20. Augusti 1639.

1173. HIERACEN.

Decanus Cathedralis Hieracen. conquestus est de Vicario generali praetendente contra formam Decreti huius S. C. celebrare Missas solennes pro Episcopo absente, sub praetextu contrariae consuetudinis, supplicans mandari apponi in Decreto iam edito, *non obstante contraria consuetudine*. Et Sac. Cong. concessit die 20. Augusti 1639.

1174. SURRENTINA.

Archidiaconus Surrentinus petiit declarari: ad quem spectent pro Episcopo absente solennes functiones, an ad primam Dignitatem, an vero ad Archidiaconum, qui est quarta Dignitas, habentem curam Animarum? Et S. C. respondit: « ad primam Dignitatem, et ea impedita, ad aliam proxime sequentem ordine successivo. » Die 20. Augusti 1639.

1175. SUTRINA.

Frater Franciscus Iannucius Ordinis Minorum Conventualium petiit assignari sibi locum in Processionibus, quando ad eas vocetur uti privata Persona. Et S. Congreg. respondit: « Regularem debere incedere sub Cruce Monasterii sui Ordinis, alias abstinere debere. » Die 20. Augusti 1639.

1176. URBANIAE.

Capitulum, et Canonici Cathedralis Urbanae supplicarunt responderi: an Mansionarii ipsius Cathedralis habere debeant praecedentiam supra Curatos Rurales? Sac. C. respondit: « affirmative non solum supra Curatos ipsius Civitatis iuxta dispositionem Caeremonialis Episcoporum lib. 2. capit. 33. (sic) Item petierunt responderi: quid servandum in casu, quo praedicti Curati appellent

ab hoc Decreto? Et Sac. C. respondit: « servari debere Decretum remittendo appellationem ad hanc S. C. » Die 20. Augusti 1639.

1177. HIERACEN.

Vicarius generalis aegre ferens Decretum editum ad favorem primae Dignitatis circa Missas solennes pro Episcopo absente, allegavit consuetudinem contrariam. Et S. C. mandavit apponi in Decreto edito, *etiam non obstante contraria consuetudine*. Die 20. Augusti 1639.

1178. TOLETANA.

Petitum fuit responderi: an de Octava S. Leocadiae Patronae Metropolitanae cadente in diem 17. Decemb., qui est dies privilegiatus ad instar Quadragesimae, fieri debeat Officium, an vero cessare hoc casu diem Octavae? Et S. Congr. respondit: « cessare debere diem Octavae. » Die 17. Septembris 1639.

1179. URBEVETANA.

Em̄us Crescentius literis suis exposuit Capitulum Cathedralis solitum quotannis accedere una cum sua Dominatione Em̄a in Vigilia Assumptionis B. M. V. ad Ecclesiam Collegiatam S. Andreae, ad interessendum Vesperis solemnibus, et Priorem dictae Ecclesiae Collegiatae uti primam Dignitatem praetendere in sua Ecclesia assistentiam facere Em̄o Cardinali, supplicans pro bono pacis responderi: quid hoc casu servandum? Et S. C. iuxta alias resoluta, respondit: « assistentiam proprio Ordinario fieri debere per digniorem de Capitulo Cathedralis, et non per digniorem Collegiatae, quando Ordinarius accedit ad Ecclesias, quantumvis exemptas suae Dioecesis, sive ut Divinis assistat, sive ut Pontificalia exerceat. » Et ita servari mandavit die 17. Septembris 1639.

1180. TURRITANA.

Decanus Turritanus supplicavit declarari: Vicarium generalem, qui sit de gremio Capituli, in habitu vicariali non fuisse lucratum distributiones. Et S. C. respondit: « non fuisse lucratum. » Die 17. Septembris 1639.

1181. CONCHEN.

Petitum fuit responderi: an in Oratione, seu Collecta incipiente *Excita Domine in Populo tuo Spiritum Charitatis*, quando terminatur repeti debeat verbum *eiusdem Spiritus Sancti*? Et S. C. ad relationem Em̄i Pallotti censuit: « debere repeti *eiusdem Spiritus Sancti*. » Die 17. Septembris 1639.

1182. OPPIDEN.

Episcopus Oppiden. supplicavit responderi: an permitti debeat Fratribus Dominicis, ut in Salutatione Angelica post verbum *Jesus*, addant *Chri-*

stus? Et S. Congr. ad relationem eiusdem Em̄i Pallotti, respondit: « negative, et omnino prohibendum esse. » Die 19. Novembris 1639.

1183. THEATINA.

Eodem Em̄o (Caesarino) referente literas transmissas circa genuflexorium pro Praeside cum gradibus ad instar Solii Archiepiscopalis, Sac. Congreg. respondit: « concedendam solum Braedellam Praesidi, uti Praesidi; quando vero intervenit uti Vicarius generalis, tunc apponendum unicum gradum, et nullo modo permittendum eidem Praesidi deoseulationem Textus Evangelii. » Die 19. Novembris 1639.

1184. ACERNEN.

Conquestus Archipresbyter prima Dignitas Collegiatae Ecclesiae S. Petri M. Corvini de Vicario generali arrogante sibi in Choro stallum Oratoris, supplicans provideri, S. R. C. respondit: « Vicarium generalem non posse sibi mutare sedem, sed sedere debere in loco solito, et consueto. » Die 19. Novembris 1639.

1185. CUSENTINA.

S. R. Cong., iuxta alias resoluta, respondit: « functiones solennes pro Episcopo absente, vel impedito, non ad alium, quam ad digniorem de Capitulo spectare, et pertinere ordine successivo. » Die 19. Novembris 1639.

1186. IMOLEN.

Clerus Imolen. exposuit Regulares S. Augustini ausos esse in Missa solemnī defunctorum thurificare Magistratum, supplicans responderi: an conveniat? Et S. C. respondit: « non convenire, sed omnino prohibendum. » Die 19. Novembris 1639.

1187. INCERTI LOCI.

Quaesitum fuit tacito nomine: an consuetudo immemorabilis allegata non cantandi duas Missas in Cathedralibus, et Collegiatis, tempore Quadragesimae, et quatuor Temporum, Vigiliarum, et similium, probari debeat concludenter, an sufficient coniecturae? Et Sac. C. respondit: « nullo modo probari, sed concludentissime probari debere, et interim servari debere *mandavit* Rubricam tertiam Missalis Romani. » Die 19. Novembris 1639.

1188. MONTIS PELUSII.

Exposuit Episcopus Montis Pelusii vigere consuetudinem in sua Civitate obviam eundi Clericos, et Presbyteros extra Civitatem cum superpelliceis, Cruce, et Baldachino, ad excipiendos cives suos quando graduati redeunt in patriam, supplicans responderi: an hoc conveniat, an potius sit prohibendum? Et S. C. respondit: « non convenire, sed prohibendum, prout omnino prohiberi mandavit » die 19. Novembris 1639.

1189. ORDINIS S. AUGUSTINI.

Petitio Augustinianorum: an celebraturi incedere debeant cum pileolo, quo in claustris utuntur, an vero caputio, prout utuntur alii Regulares, amictu cooperto? fuit remissa ad Em̄m Pallottum, iuxta mentem S. C., quae est, « ut caput tegant cum amictu. » Die 19. Novembris 1639.

1190. TIBURTINA.

Prior, et Fratres S. Georgii Rivi Frigidi supplicarunt declarari, unicam tantum Crucem esse deferendam in associandis cadaveribus, eamque esse debere illius Ecclesiae, in qua tumulari debet cadaver. Et S. C. respondit: « affirmative. » Die 19. Novembris 1639.

1191. NULLIUS.

Petitum fuit responderi: an liceat Episcopo in locis suae Dioecesis, ac iurisdictionis, uti Mozzetta super Rochetto discooperto praesente Nuntio Apostolico in eadem Provincia commorante cum facultate Legati? Et S. C. ad relationem Em̄i Caesarini respondit: « servari dispositionem Caeremonialis Episcoporum lib. 1. cap. 3. » Die 10. Decemb. 1639.

1192. ACERNEN.

Episcopus Acernen. supplicavit declarari: an liceat, et sit permittendum thronum paratum pro Episcopo, deservire Domino loci in Ecclesiis Regularium? Et S. C. respondit: « non licere, neque ullo modo permittendum. » Die 14. Ianuarii 1640.

1193. CAPUANA.

S. R. C. respondit: « Clericos Seminarii incedere debere in casu proposito ante Curatos Ecclesiarum Parochialium iuxta dispositionem Caeremonialis Episcoporum lib. 2. cap. 33. » Die 14. Ianuarii 1640.

1194. INTERAMNEN.

S. R. C. iuxta alias resoluta, respondit: « gradum doctoratus non suffragari quoad praecedentiam in concursu cum Sacerdotio; et ideo deberi praecedentiam in casu proposito Sacerdoti antiquiori in ordine etiam quod non sit graduatus. » Die 14. Ianuarii 1640.

1195. LUNEN. SARZANEN.

Sac. R. C. respondit: « ordinem Ecclesiasticae Hierarchiae servandum esse, ut primum, et digniorem locum obtineant Canonici Presbyteri, 2. Diaconi, 3. Subdiaconi; licet Diaconi, et Subdiaconi ante Canonicos Presbyteros sui Canonicatus possessionem acceperint, non obstante contraria consuetudine. » Die 14. Ianuarii 1640.

1196. ORDINIS MINORUM OBSERVANTIUM.

S. R. C. respondit: « numerum Religiosorum, ac electionem Religionum pro associandis cadaveribus ad haeredes defunctorum pro libitu volun-

tatis eorum spectare, et pertinere, et ita ubique in posterum servari debere declaravit » die 14. Ianuarii 1640.

1197. OSTUNEN.

Archidiaconus Cathedralis Ostunen. supplicavit responderi: in quibus casibus Vicarius generalis habere debeat praecedentiam supra Oratorem? Et Sac. Congregatio respondit: « semper, quando intervenit cum habitu Vicariali. » Die 14. Ianuarii 1640.

1198. BRIXIEN.

Petitum fuit responderi: an liceat in die Parasceve deferre SS̄m Eucharistiae Sacramentum processionaliter in quadam bara super humeros? Et Sac. C. respondit: « nullo modo licere, neque permittendum. » Die 4. Februarii 1640.

1199. BITUNTINA.

Moniales S. Petri narrantes diem Dedicacionis earum Ecclesiae cadere in diem Sancti Ioannis Baptistae, supplicarunt pro licentia transferendi diem Dedicacionis in secundam Dominicam currentem post Octavam S. Petri. Et S. C. respondit: « servandas esse Rubricas Breviarii Romani de translatione Festorum. » Die 4. Februarii 1640.

1200. PARMEN.

Duo petijt definiri Capitulum Cathedralis Parmen,

1. Scilicet: an occurrente Festo Patroni in Dominica secunda Adventus, possit de eo celebrari Festum, an vero veniat transferendum?

2. An in Octava SS. Innocentium, quorum quatuor Corpora asservantur in Cathedrali, debeat dici *Credo* in Missis?

Et S. C. mandavit: « in utroque servari Rubricas. » Die 4. Febr. 1640.

1201. SUTRINA TERRAE TULPHAE.

S. R. Cong., iuxta alias resoluta, respondit: « omnes vocatos ad funus convenire debere in Ecclesiam Parochialem, vel aliam iuxta loci consuetudinem, et nullo modo permittendum, ut recto tramite accedant ad domum defuncti, vel per vias expectent. Et ita omnino servari mandavit » die 4. Februarii 1640.

1202. TURRITANA.

S. R. C. respondit: « habitum vicarialem esse subtanam cum mantello. Et ideo in casu proposito Vicarium generalem Turritanum, nisi sit Praelatus, non posse uti subтана cum cauda, et mantelletto. Et ita servari mandavit, quibuscumque non obstantibus » die 4. Februarii 1640.

1203. REATINA.

Sac. R. C. ad relationem Em̄i Card. Caietani censuit: « a Rubricis Breviarii Romani, Caeremo-

nialis, et Ecclesiae Reatinae consuetudinibus non esse recedendum, et ad Hebdomadarium, sive Canonicum, sive Beneficiatum spectare singulis repetitive diebus ad Matutinum, et ad omnes alias horas Canonicas, *Pater noster, -Domine labia mea etc., Deus in Adiutorium etc.* Absolutiones, Benedictiones, Capitula, preces, et orationes dicere, non vero ad maiorem Sacristam, vel alium Cappellanum amovibilem. Et ita omnino servari *mandavit*, non obstante quacumque contraria consuetudine, » die 10. Martii 1640.

1204. FANEN.

Sac. R. Cong. respondit: « non licere facere Processiones per limites alterius Parochiae, et ideo in casu proposito Cappellano Confraternitatis Rosarii omnino prohibendum, absque licentia proprii Parochi. » Die 10. Martii 1640.

1205. SALERNITANA.

Canonici Collegiatae Ecclesiae Solofari conquesti sunt de Vicario Foraneo, praetendente ratione huius tituli praecedentiam supra Oratores, supplicantes coerceri. Et Sac. C. « iuxta alias resoluta, *mandavit* dari Decretum, non obstantibus Constitutionibus Synodalibus. » Die 10. Martii 1640.

1206. TURRITANA.

Decanus Cathedralis Turritanae exposuit, Vicarium Generalem praetendere, uti digniorem de Capitulo, porrigere Aspersionem Archiepiscopo venienti ad Ecclesiam, supplicans responderi: an hoc ei liceat? Et S. C. respondit: « non licere, sed hoc munus spectare, et pertinere ad digniorem de Capitulo, ordine successivo absente digniore. » Die 10. Martii 1640.

1207. URBANIAE.

Episcopus Urbaniae petiit sibi responderi: quomodo se gerere debeat in distributione Candelarum, Cinerum, et Palmarum cum Potestate, et Magistratu loci? Et S. Cong. respondit, « quod Episcopus servet dispositionem Caeremonialis Episcoporum cap. 18. lib. 2. » Die 10. Martii 1640.

1208. AQUILEIEN.

Petitum fuit responderi: an in Ecclesiis filiabilibus liceat fieri distributiones Candelarum, Cinerum, et Palmarum? Et Sac. C. respondit: « non solum licere, sed etiam fieri debere praedictas distributiones in unaquaque Ecclesia diebus tantummodo praescriptis in Caeremoniali Episcoporum. » Die 31. Martii 1640.

1209. AMERINA.

Episcopus Amerinus supplicavit responderi sibi: an in sua Cathedrali permittere debeat, ut Dignitate, vel aliquo Canonico solemniter celebrante, inservire debeant pro Diacono, et Subdiacono in-

feriores, iuxta observatam huc usque consuetudinem? Et Sac. Cong. respondit: « nullo modo permittendum, sed in casu proposito inservire debere pariter Canonicos, et non alios inferiores, non obstante quacumque contraria consuetudine. » Die 31. Martii 1640.

1210. BURGI S. SEPULCRI.

Moniales S. Clarae, exponentes diem Consecrationis earum Ecclesiae eadere in Dominica in Albis, supplicarunt pro licentia transferendi in aliam Dominicam. Et S. C. respondit: « servandas esse Rubricas de Translatione Festorum. » Die 31. Martii 1640.

1211. CAMERINEN.

Capitulum Collegiatae Terrae Mathelicae conquestum est de Ordinario loci mandante, in associandis Cadaveribus, quando intervenit Capitulum cum sua Cruce, etiam Crucem Ecclesiae S. Antonii deferendam esse a sinistris Crucis Ecclesiae Collegiatae, supplicans responderi: an hoc liceat? Et S. C. respondit: « non licere, sed unicam Crucem tantum esse debere ipsius Collegiatae. » Die 31. Martii 1640.

1212. CONGREGATIONIS MISSIONUM.

Congregatio Missionis, exhibens quasdam litanias compositas in honorem nominis Iesu, supplicavit illas approbari, et concedi licentiam illas passim recitandi. Et S. C. respondit: « non licere alias Litanias recitare, nisi iam approbatas a Sede Apostolica, et impressas in Breviario Romano. » Die 31. Martii 1640.

1213. AESINA.

Capitulum Cathedralis Aesinae exposuit Cancellarium Magistratus praetendere duas thurificationes ad instar Magistratus, supplicans responderi: quid servandum? Et S. C. respondit: « servandam esse dispositionem Caeremonialis libri. » Die 31. Martii 1640.

1214. LAURETANA.

Prepositus, et Curati Terrae Montisluponi supplicarunt coerceri Regulares, praetendentes habere praecedentiam, non solum in Ecclesiis ipsorum Regularium, sed etiam in Ecclesiis Oratorum, et petierunt responderi: an hoc conveniat? Et S. C. respondit: « non convenire. » Die 31. Martii 1640.

1215. MINORUM CONVENTUALIUM.

Procurator Ordinis Min. Conventualium supplicavit declarari: licere Fratribus Regularibus facere Processiones proprias, non solum per ambitum Ecclesiarum, sed etiam per claustra Monasteriorum. Et Sac. Cong. respondit: « licere, dummodo Mulieres non ingrediantur claustra occasione Processionum. » Die 31. Martii 1640.

1216. NUCERINA.
Capitulum Nucerinum supplicavit responderi: quinam inservire debeant pro Diacono, et Subdiacono Dignitati, vel Canonico solemniter celebranti? Et S. C. respondit: « Canonicos in casu proposito inservire debere, non obstante contraria consuetudine. » Die 31. Martii 1640.

1217. PLACENTINA.
Canonici Diaconi Cathedralis Placentiae, exponentes Clerum esse adeo numerosum, ut Diaconus, qui in Missis solemnibus debet thurificare omnes de Choro, vix possit supplere ad hoc, ut in tempore possit assistere Celebranti pro suo munere peragendo, supplicarunt responderi: an hoc casu liceat, thurificatis Dignitatibus, et Canonici per Diaconum, subdelegare alium, qui reliquos de Choro thurificet? Et Sac. Cong. respondit: « non licere, sed servandam esse dispositionem Caeremonialis Episcoporum lib. 1. cap. 23. » Die 31. Martii 1640.

1218. PISAUREN.
Iulius Caesar Cavalea Canoniceus Pisauren. supplicavit declarari, ad ipsum spectare praecedentiam tamquam Sacerdotem supra alios Canonicos non Sacerdotes, etiam quod hi possessionem eorum Canoniceatum prius acceperint. Et S. C. respondit: « praecedentiam hoc casu spectare ad Oratorem Sacerdotem supra alios non Sacerdotes, non obstante anteriori possessione capta per non Sacerdotes. » Die 31. Martii 1640.

1219. VIGILIEN.
Regulares Civitatis Vigilien. turbati ab Ordinario ad obsequium eidem praestandum circa associationem, quando ipse venit ad Ecclesiam cum Cappa, supplicarunt responderi: an teneantur? Et Sac. Cong. respondit: « nullo modo teneri, neque in hoc posse Regulares molestari. » Die 31. Martii 1640.

1220. URBANIAE.
Cum in Pontificali Romano functiones Olei Sancti adscribantur Archidiacono; et Praeposito uti prima Dignitas in Cathedrali, ad ipsum spectare praetendat, supplicavit Episcopus pro declaratione: ad quem ipsorum pertineant? Et S. C. respondit: « servandum esse Caeremoniale Episcoporum. » Die 31. Martii 1640.

1221. LAUDEN.
Petitum fuit pro parte Praepositi Ecclesiae Terrae Contonei: an liceat lucrari distributiones, interessendo Divinis sine habitu assignato, uti Praeposito? Et S. C. respondit: « debere interesse cum habitu sibi in erectione assignato ad effectum lucrandi distributiones. » Die 31. Martii 1640.

1222. CAMERINEN.
Capitulum Collegiatae Terrae Mathelicae aegre ferens Decretum Ordinarii, quo disponitur, Curatum Ecclesiae S. Antonii incedere debere a sinistris Curati Collegiatae supplicavit revocari praefatum Decretum. Et Sacra Congr., iuxta alias resoluta, respondit: « Vicarium S. Antonii, etiam quod sit stola indutus, in concursu cum Capitulo Collegiatae incedere debere ante ipsum Capitulum in funeralibus. » Die 31. Martii 1640.

1223. ALBANEN.
Eño Cornelio referente petitionem Magistratus circa thurificationem, S. C. mandavit: « servari Caeremoniale, nempe quod Magistratus thurificetur, prout thurificentur Canonici. » Die 28. Aprilis 1640.

1224. CRACOVIAN.
Expositum fuit in Civitate, et Dioecesi Cracovien. passim exponi SS. Eucharistiae Sacramentum per Regulares, et quod magis urget, sine debita decentia; et petitum responderi: an conveniat? Et S. C. respondit: « nullo modo convenire, nec posse per Regulares publice exponi sine expressa licentia Ordinarii, et ideo omnino prohibendos contrafacientes. » Die 28. Aprilis 1640.

1225. NEAPOLITANA.
Abbatissa, et Moniales S. Marcellini exponentes Anniversarium Dedicacionis earum Ecclesiae cadere sub die 2. Iunii, et multoties, ob festa Mobilis, non posse dictum Anniversarium cum integra Octava celebrari; supplicarunt pro licentia transferendi in diem 16. Iulii. Et S. C. respondit: « non posse transferri, nisi iuxta Rubricas. » Die 28. Aprilis 1640.

1226. PARMEN.
Archidiaconus Cathedralis Parmen. supplicavit declarari, ad ipsum tamquam ad primam Dignitatem spectare, et pertinere solennes functiones pro Episcopo absente, vel impedito. Et S. Cong. respondit: « ad primam Dignitatem spectare, et pertinere. » Die 28. Aprilis 1640.

1227. VICENTINA.
S. R. C., iuxta alias resoluta, respondit: « tres ex Canonici Collegiatae associantes funus repraesentare totum, et integrum Capitulum vocatum ad funus. » Die 28. Aprilis 1640.

1228. LICIAN.
Petiit Episcopus Licien. responderi: an liceat Regularibus facere Processiones extra claustra Monasteriorum? Item, an iisdem liceat exponere Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sine eius licentia? Et S. C., « in neutro licere, » respondit die 28. Aprilis 1640.

1229. ARIANEN.

Archidiaconus Cathedralis Arianen. exposuit, se iam obtinuisse ab S. C. Decretum, quo cautum fuit, hastas Baldachini non esse deferendas a Canonicis in Processione Feriae V. in Coena Domini, et Parasceve, supplicavit hodie responderi: an praedictum Decretum habeat locum, etiam stante contraria consuetudine, in casu proposito? Et Sacra Congr. respondit: « habere locum non obstante contraria consuetudine. » Die 2. Iulii 1640.

1230. ASSISIEN.

Nomine Capituli, et Canonicorum Cathedralis Assisien. expositum fuit, Priorem primam Dignitatem velle interesse in Choro cum habitu Praelatitio, et lucrari distributiones, necnon arrogare sibi tapetum ante se in Choro; petitum fuit, an supradicta convenient? Et S. C. « quoad habitum nullo modo, respondit, convenire interesse in Choro cum habitu Praelatitio, et in hoc esse coercendum: quo vero ad tapete, si est in possessione illud tenendi, posse continuare; sin minus abstinere debere. » Die 2. Iulii 1640.

1231. BALNEOREGIEN.

S. R. C. respondit: « Canonicos Ecclesiarum Collegiatarum in concursu cum Capitulo Cathedralis non debere incedere in Processionibus cum vestibus sacris, sicut incedunt Canonici Cathedralis. » Die 2. Iulii 1640.

1232. REGIEN.

Episcopus Regien. supplicavit declarari: an Canonicis Collegiatarum Ecclesiarum suae Dioecesis in Processionibus SS^mi Sacramenti liceat incedere cum vestibus sacris, prout incedunt Canonici Cathedralis? Et Sac. C. respondit: « non licere. » Die 2. Iulii 1640.

1233. TRAGURIEN.

S. R. Cong., iuxta alias resoluta, respondit: « Vicarium generalem, si est de gremio Capituli, non posse praetextu tituli Vicariatus occupare sedes Dignitatum, sed sedere debere in habitu vicariati in eadem sede, ubi sedebant Vicarii generales, qui non erant de gremio Capituli, et in hoc casu non lucrari distributiones. In habitu vero canonicali stare, sedere, et incedere debere in loco suae receptionis ad effectum lucrandi distributiones. Et ita in Cathedrali Tragurien. omnino servari mandavit, non obstante contraria consuetudine. » die 2. Iulii 1640.

1234. TUSCULANA.

Magistratus Civitatis Tusculanae exposuit, Vicarium generalem praetendere in Processione SS^mi Sacramenti incedere post Baldachinum, et occupare locum Magistratus, supplicans responderi: an

sit permittendum? Et S. C. respondit: « Vicarium generalem in casu proposito abstinere debere. » Die 2. Iulii 1640.

1235. FERRARIEN.

Cum Capitulo, et Canonicis Cathedralis Ferrarien. videantur Decreta S. C. Concilii Tridentini, et huius S. R. C. inter sese contraria circa distributiones quotidianas, quas lucratur Canonice Coadiutus, etiamsi Coadiutor non inserviat pro ipso Coadiuto, supplicatum fuit declarari per hanc S. C.: quomodo dicta Decreta sunt intelligenda; nec non quinam locus debeatur Coadiutori inservienti pro suo Coadiuto?

S. R. C. ad 1. respondit: « Decretum S. C. Concilii Tridentini in casu proposito non esse contrarium Decreto huius S. R. C., sed intelligendum, et conciliandum hoc modo, videlicet, Coadiuto infirmo deberi non distributiones quotidianas de distributionibus capitularibus, sed de bursa ipsius tantum Coadiutoris non inservientis pro suo Coadiuto: prout etiam declaravit, Coadiutorem inservientem pro suo Coadiuto lucrari distributiones quotidianas, ad utilitatem tamen sui Coadiuti: » prout hoc idem alias respondit, ac declaravit in una Coimbricen. 16. Sept. 1626.

Ad 2. respondit: « Coadiutorem inservientem pro suo Coadiuto Canonice semper stare, sedere, et incedere debere in ultimo loco post omnes Canonicos: si vero Coadiutor sit Coadiutor Dignitatis, Coadiutorem inservientem pro suo Coadiuto semper stare, sedere, et incedere debere in eodem loco, et stallo ipsius Coadiuti. » Die 2. Iulii 1640.

1236. PAPIEN.

Eno Pallotto referente petitionem cuiusdam Canonici Coadiutoris, praetendentis suffragari sibi possessionem captam, vivente suo Coadiuto, ad effectum praecedendi Canonicos admissos, durante vita Coadiuti, S. C. respondit: « Coadiutori post mortem sui Coadiuti non suffragari in casu proposito possessionem captam in vita Coadiuti, sed opus esse nova possessione post mortem Coadiuti, et ab hac ultima possessione esse regulandam praecedentiam sibi debitam, uti vero Canonice. » Die 17. Iulii 1640.

1237. VICENTINA.

Eno Burghesio referente petitionem Canonice, quando vocantur ad funus, an eis debeat praecedentia supra omnes alios funus associantes, etiam supra Parochum deferentem Stolum? Sac. C. respondit: « non deberi praecedentiam, quando incedunt uti singuli, sed tantum quando incedunt capitulariter, et cum Cruce Capituli. » Die 17. Iulii 1640.

1238. THEATINA.

Eodem Eñño (Caesarino) referente litteras transmissas per Archiepiscopum super praetensione Praesidum Regionum circa locum in Presbyterio; Sac. Cong. «stetit in Decretis, nempe, non licere laicis sedem habere in Presbyterio, et mandavit scribi Archiepiscopo, ut exequi faciat Decretum, non obstantibus rationibus per Praesides adductis.» Die 17. Iulii 1640.

1239. ARBOREN.

Fabritius Casu antiquior Canonicus in Cathedrali Arboren., supplicavit addi Decreto iam obtento contra Vicarium generalem praetendentem praecedentiam in habitu canonicali supra Oratorem, non obstante contraria consuetudine; et S. C. «concessit.» Die 17. Iulii 1640.

1240. APRUTINA.

Vicarius generalis Aprutinus supplicavit declarari: deberi sibi praecedentiam supra omnes de Capitulo, quando assistit cum habitu vicariali. Et Sac. C., iuxta alias resoluta, respondit: «deberi praecedentiam Oratori in casu proposito.» Die 17. Iulii 1640.

1241. CASSANEN.

Petitum fuit declarari: an Coadiutori Cappellani amovibilis debeat aliqua praerogativa praeter actus, quos exercet uti Coadiutor, etiamsi adsit contraria consuetudo habendi praecedentiam? Et S. C. respondit: «nullam praerogativam deberi in casu proposito, praeter actus, quando illos exercet, et hoc, non obstante contraria consuetudine.» Die 17. Iulii 1640.

1242. CAPUTAQUEN.

Dignitates, et Canonici Cathedralis Caputaquen., ob aeris intemperiem non obligati ad residentiam in civitate, supplicarunt declarari: an ipsis existentibus in locis Dioecesis, debeatur praecedentia supra alios Presbyteros in deferendo Sanctissimum Sacramentum? Et S. Cong. respondit: «Canonice uti singulis, nullam deberi praecedentiam, aut praerogativam.» Die 17. Iulii 1640.

1243. CAMPANAEAE.

Supplicavit Episcopus Campanaeae responderi: an teneantur Presbyteri, qui non sunt de Capitulo, associare ipsum, et reassociare, quando venit cum Cappa ad Ecclesiam? et Sac. C. respondit: «non teneri.» Die 17. Iulii 1640.

1244. POLICASTREN.

Observantes S. Francisci Terrae Larinae supplicarunt eximi ab obligatione conveniendi in Parochialem, quando vocantur ad funus. Et Sacra Cong. respondit: «servandam esse dispositionem Rit. Rom. tit. de exequiis.» Die 17. Iulii 1640.

1245. MONTIS PELUSII.

Capitulum Cathedralis Montis Pelusii supplicavit responderi: an liceat Confraternitatibus laicorum exponere SS. Sacramentum? Et Sac. Cong. respondit: «non licere, et esse prohibendum.» Die 17. Iulii 1640.

1246. MONTIS PELUSII.

Supplicatum fuit responderi: an liceat in eadem Ecclesia erigere Cappellas sub eadem invocatione? Et S. Cong. respondit: «non licere.» Die 17. Iulii 1640.

1247. TURRITANA.

S. R. C. censuit: «Vicario generali in habitu vicariali, qui sit de gremio Capituli, deberi praecedentiam supra omnes de Capitulo; in Capitulo vero uti Vicarium non habere vocem; uti vero Canonicum, non nisi in loco suae receptionis.» Die 17. Iulii 1640.

1248. TURRITANA.

S. R. C. respondit: «Vicarium generalem, qui est de gremio Capituli, in habitu vicariali stare, sedere, et incedere debere supra omnes Dignitates, et Canonicos, sed non lucrari distributiones; in habitu vero canonicali, in loco suae receptionis ad effectum lucrandi distributiones.» Die 17. Iulii 1640.

1249. FIRMANA.

Remigius Laetus Curatus S. Matthaei supplicavit declarari: ad ipsum in sua propria Ecclesia spectare Officium facere super Cadaveribus, non autem per Regulares, ut Augustiniani praetendunt. Et Sac. C. respondit «ad favorem Curati» die 17. Iulii 1640.

1250. LAURETANA.

Petitum fuit declarari: quomodo, et quando thurificari debeat Magistratus Terrae Montis Luponi? et S. C. respondit: «Magistratum thurificandum esse iuxta dispositionem Caeremonialis; idemque servandum circa distributionem Pacis.» Die 17. Iulii 1640.

1251. NEAPOLITANA.

Bartholomaeus Mendez de Andrada Cappellanus maior in Ecclesia S. Iacobi, asserens se celebrasse in Pontificalibus, prout celebrabat suus Antecessor, uti Protonotarius, supplicavit pro licentia continuandi. Et S. C. mandavit «abstineri omnino ab usu Pontificalium.» Die 17. Iulii 1640.

1252. PLACENTINA.

Eñño Brancaccio proponente petitionem Canonicorum Ecclesiae Placentinae contra Decanum eiusdem Ecclesiae, habentem duplicem praebendam, et uti presbyteralem, ac etiam uti Diaconalem, et renuentem inservire pro Diacono, quando

per turnum ad ipsum tamquam Diaconum contigit inservire, S. Cong. censuit: « inservire debere in utroque Officio, si vult gaudere illorum proven- tibus. » Die 21. Augusti 1640.

1253. CONVERSANEN.

Curator Terrae Noci supplicavit declarari, an Archipresbytero impedito uti prima Dignitate fa- cere solennes functiones, possit idem Archipresbyter illas alteri sibi benevisio delegare, an vero illae spectent ad digniorem ordine successivo? Et Sac. Cong. respondit: « non posse Archipresbyterum dictas functiones alteri delegare, sed illas spectare ad digniorem ordine successivo. » Die 21. Augusti 1640.

1254. CAIETANA.

Supplicavit Episcopus sibi responderi, quo in loco incedere debeat, quando ipse intervenit Processioni, in qua defertur aliqua Reliquia, an post Capitulum, an ad dexteram deferentis Reliquiam, an vero post Reliquiam? Et S. Cong. respondit, « Episcopum hoc casu incedere debere post Reliquiam. » Die 21. Augusti 1640.

1255. LAURETANA.

Clerus Montis Luponi exposuit, Ordinarium loci praecepisse, servari diem festum S. Antonii Patavini de praecepto, tamquam de Patrono, cum non fuerit electus servatis servandis; supplicans declarari: an Clerus teneatur servare hoc casu praeceptum Episcopi? Et S. C. respondit: « non teneri. » Die 21. Augusti 1640.

1256. RECANATEN.

Episcopus Recanaten., asserens ignorari diem Consecrationis eiusdem Cathedralis supplicavit assignari certum diem pro Anniversario ipsius Dedicacionis. Et Sacra Congr. censuit; « posse per Episcopum hoc casu eligi certum diem pro anniversario; cum hoc, quod certus dies electus amplius immutari nequeat. » Die 21. Augusti 1640.

1257. S. AGATHAE GOTHORUM.

Capitulum S. Agathae Gothorum asserens, ratione Legati sibi relicti, teneri quotidie post Completorium recitare Psalmum *De Profundis* cum Oratione *Inclina etc.*, prout haec tenent inconcussae observatum fuit, et modo a nonnullis dubitari, an liceat hoc in diebus festis de praecepto; supplicavit responderi, quid servandum? Et S. Cong. respondit, « continuari debere post Completorium. » Die 21. Augusti 1640.

1258. SURRENTINA.

Emo Sacchetti referente petitionem Archidiaconi, et Primicerii circa distributionem Candelarum, an spectet ad celebrantem, an vero ad Vicarium generalem? Sac. C. respondit: « spectare

ad Celebrantem, non autem ad Vicarium. » Die 21. Augusti 1640.

1259. THELESINA.

Parochus Terrae Casaldoni supplicavit prohiberi Sacerdotibus, ne audeant celebrare Missam in diebus festis in Oratorio ante Missam Conventualem in sua Parochia: et S. C. respondit: « non posse prohiberi. » Die 21. Augusti 1640.

1260. AVERSANA.

Emo Pallotto referente dubia exhibita pro parte Parochorum Civitatis Aversanae. S. C. praedictis Dubiis sic respondendum censuit.

Ad 1. « Vocato ad funus Capitulo Cathedralis non aliam Crucem, quam ipsius Capituli deferendam esse. » Ad 2. « Capitulo interveniente, ut supra, Parochum defuncti, etiam quod sit Stola indutus incedere debere ante Canonicos Cathedralis. » Ad 3. « Ad solum Parochum spectare aspergere aqua benedicta cadaver, antequam levetur de domo, et ad eundem pertinere intonare Antiphonam, *si iniquitates etc.*, ac Officium super cadavere in sua Ecclesia facere. » Die 15. Septembris 1640.

1261. ARIMINEN.

Petitum fuit, in qua sepultura tumulari debeat Infans: an in sepulcro parvulorum, an in propria sepultura parentum, in qua concurrat consensus patris ipsius Infantis? Et Sac. C. censuit: « posse parvulum tumulari in sepultura propria, si illius parentes eam habebunt. » Die 15. Septembris 1640.

1262. ASTEN.

Supplicatum fuit declarari: ad quem spectent Vesperae primae solennes, quas celebraret Episcopus, si praesens esset; an ad Hebdomadarium, an vero ad digniorem de Capitulo qui in crastinum est solemniter celebraturus? Et S. C. respondit: « non ad Hebdomadarium, sed ad digniorem, qui in crastinum est solemniter celebraturus. » Die 15. Septembris 1640.

1263. BISINIANEN.

Dubiis tribus per Rectorem Ecclesiae S. Angeli Terrae Lutiorum sic fuit responsum:

Ad 1. « Non posse in aliena Ecclesia quidquam ordinari, aut exerceri invito proprio Parocho. » Ad 2. « Orationem Sancti Titularis in propria Ecclesia ad proprium Parochum spectare, et pertinere. » Ad 3. « In aliena Ecclesia Parochiali non posse per Archipresbyterum fieri Processionem, invitq. proprio Parocho. » Die 15. Septembris 1640.

1264. CIVITATIS CASTELLANAE.

Archipresbyter Civitatis Castellanae supplicavit declarari, Missam solemnem celebrari debere per illummet, qui distribuit Candelas, Cine-

res, et Palmas. Et S. C. respondit: « distribuentem Candelas, Cineres, et Palmas, et similia teneri, et obligatum esse celebrare solemniter in dictis functionibus. » Die 15. Septembris 1640.

1265. CASTELLANATEN.

Episcopus Castellanatens. supplicavit responderi: an liceat Archidiacono, seu alteri imponere superpelliceum Clericis ordinatis ad primam Tonsuram in primo ingressu pro exercendo eorum munere? et Sac. C. respondit: « non licere, immo omnino prohibendum. » Die 15. Septembris 1640.

1266. FOROLIVIEN.

Petitum fuit declarari praecedentiam deberi Moniali prius professae, seu prius Abbatissae. Et Sac. Cong. respondit: « praecedentiam in casu proposito deberi prius professae. » Die 15. Sept. 1640.

1267. MONOPOLITANA.

Civitas Monopolitana supplicavit praecipere Festum de praecepto diem immediate sequentem post Festum Assumptionis B. Virginis, iuxta solitum servatum usque in praesens. Et S. C. respondit: « nova Festa de praecepto non esse introducenda, et ideo in casu proposito non nisi diem festum Assumptionis esse de praecepto celebrandum. » Die 15. Septembris 1640.

1268. OSTUNEN.

Promotor Fidei Curiae Episcopalis conquestus est de Domino loci praetendente sedem in Presbyterio, supplicans responderi: an sit permittendum? Et S. Cong. respondit: « nullo modo licere, sed omnino prohibendum: quo vero ad thurificationem Iudicis post Gubernatorem, *mandavit*, servari Caeremoniale Episcoporum. » Die 15. Sept. 1640.

1269. VERULANA.

Capitulum Cathedralis Verulanae supplicavit declarari, deberi sibi praecedentiam per vias supra Parochos defunctorum etiam stolam deferentes. Et Sac. C. respondit: « deberi, dummodo Capitulum interveniat cum propria Cruce. » Die 15. Septembris 1640.

1270. VICENTINA.

Archipresbyter Ecclesiae Terrae Schii habens curam Animarum petit responderi: an ipso absente, vel impedito, suus Coadiutor Stola indutus, praecedentiam habere debeat supra Canonicos capitulariter incedentes? Et S. C., stante quod cura animarum sit annexa dicto Capitulo, respondit, « in casu proposito praecedentiam deberi Coadiutori deferenti stolam supra Canonicos dictae Collegiatae, ratione Stolae. » Die 17. Septembris 1640.

1271. BRUNDUSINA.

Canonici Metropolitanae Ecclesiae supplicarunt responderi, an Canonico solemniter celebranti in-

servire debeant pro Diacono, et Subdiacono pariter Canonici, non obstante contraria consuetudine, quae viget in eadem Metropolitana. Et S. Cong. respondit: « Canonicos, in casu proposito, inseruire debere, non obstante contraria consuetudine, quae abusus dicitur, non consuetudo. » Die 6. Octobris 1640.

1272. CAPUTAQUEN.

Decanus Caputaquen. Cathedralis conquestus est de Curato Ecclesiae Terrae Padulae, recusante dare praecedentiam Oratori in Ecclesia Parochiali, supplicans declarari, an dictus Curatus possit cogi ad dandum Oratori praecedentiam? Et S. Cong. respondit: « praecedentiam competere in casu proposito Curato in sua propria Ecclesia, et maxime quando Orator accedit ut privata Persona. » Die 6. Octobris 1640.

1273. MELPHITEN.

Iacobus Sanctorius Canonicus Cathedralis Melphiten. supplicavit responderi: an prima Dignitas in Cathedrali possit functiones solennes alteri sibi benevisio demandare? Et S. C. respondit: « non posse. » Die 6. Octobris 1640.

1274. NOVARIEN.

S. R. C. Decreto iam edito ad favorem Archidiaconi Cathedralis Novarien., circa quartam Antiphonam praeventonandam, quando Episcopus solemniter per se ipsum celebrat Vesperas in Pontificalibus, « mandavit addi ad maiorem supradicti Decreti expressionem, quod dicta quarta Antiphona praeventonari debet a digniore de Capitulo in Choro manente, sive is dignior nuncupetur Archidiaconus, sive Archipresbyter, sive Decanus, dummodo sit dignior in Choro manens. » Die 6. Octobris 1640.

1275. BISINIANEN.

Marcus Capaltus Curatus in Terra Lutiorum supplicavit declarari: ad quem spectent functiones solennes in Ecclesia simplicis intra fines alicuius Parochiae existente: an ad Archipresbyterum loci, an ad Curatum, intra cuius fines Ecclesia existit, an vero ad Rectorem ipsius Ecclesiae simplicis? Et S. C. respondit: « ad Rectorem ipsius Ecclesiae. » Die 6. Octobris 1640.

1276. VENETIARUM.

Alexander de Francisca Archidiaconus supplicavit declarari, functiones solennes, quas Eius Patriarcha, si praesens esset, per se ipsum obiret, eo absente, vel impedito, spectare, et pertinere ad ipsum Oratorem, uti primam Dignitatem. Et Sac. C. respondit, « ad primam Dignitatem, quocumque nomine appelletur, spectare, et pertinere. » Die 6. Octobris 1640.

1277. CATANIEN.

Episcopus Catanien. consuluit hanc S. C. pro declaratione: quomodo se gerere debeat circa praecedentiam inter Regulares, Conventuales, Observantes, et Reformatos S. Francisci in Processionibus. Et S. C. respondit: « quod faciat observare Bullam Gregorii XIII., quae incipit: exposcit. » Die 17. Novembris 1640.

1278. UMBRIATICEN.

Benedictus Castagnanus Subcantor Cathedralis Umbriaticen. conquestus est de Vicario Foraneo, arrogante sibi praecedentiam supra Sacerdotes antiquiores in ordine, supplicans coerceri. Et S. C. respondit: « Vicario Foraneo nullam praeeminentiam competere supra Sacerdotes antiquiores in ordine. » Et ita omnino in casu proposito servari mandavit die 17. Novembris 1640.

1279. BRUNDUSINA.

Archiepiscopus Brundusinus conquestus est de Principe Vetranae, audente retinere Baldachinum in Ecclesia, contra formam Decretorum huius S. C., et Congregationis Immunitatis usque de anno 1635. Et S. C. respondit: « quod Archiepiscopus exequatur Decreta iam transmissa. » Die 15. Decembris 1640.

1280. FAVENTINA.

Eodem Eñio (Sacchetto) referente petitionem Coadiutoris Poenitentiarum, sedendi in eodem stallum ipsius Poenitentiarum, ex eo, quod est stallum fixum, S. C. respondit: « deberi eidem Coadiutori locum in sede fixa eiusdem Poenitentiarum. » Die 12. Ianuarii 1641.

1281. BRUNDUSINA.

S. R. C., iuxta alias resoluta, respondit: « in associandis cadaveribus non nisi vocatos intervenire debere, et ideo in casu proposito Capitulum Collegiatae Ecclesiae abstinere debere, prout abstinere » mandavit die 12. Ianuarii 1641.

1282. INTERAMNEN.

Civitas, et Populus Interamnen. conquesti sunt de Capitulo Cathedralis, praetendente intervenire in funeralibus etiam non vocato, supplicantes coerceri. Et S. C. respondit: « non debere intervenire, etiam stante contraria consuetudine. » Die 12. Ianuarii 1641.

1283. SURRENTINA.

Archidiaconus, et Primicerius Metropolitanae Surrentinae conquesti sunt de Vicario generali, arrogante sibi functiones Episcopales, absente, vel impedito Archiepiscopo, supplicantes provideri. Et S. C. respondit: « nullo modo ad Vicarium generalem, sed ad primam Dignitatem, et, ea absente, vel impedita, ad aliam proxime suc-

cedentem spectare, et pertinere functiones Episcopales in casu proposito. » Die 12. Ianuarii 1641.

1284. S. AGATHAE GOTHORUM.

S. R. C. censuit: « non licere thurificationem Oeconomis, seu Electis loci, quando in Ecclesia sunt in se disiuncti, et uti singuli, sed sufficere in casu proposito thurificationem, quae fit populo per Acolithum post thurificatos omnes de Choro. » Et ita in terra Vallis omnino servari mandavit die 12. Ianuarii 1641.

1285. URBANIAE.

Episcopus Urbaniae exposuit, non dedisse executionem Decreto iam sibi transmissa circa distributionem candelarum, quam praetendit Magistratus post Dignitates, et Canonicos ex eo, quia aderat consuetudo in Civitate S. Angeli in Vado, quando non erat Civitas, Magistratui dandi candelam post omnes de Choro, instans sibi responderi: quid observare debeat in hoc casu proposito. Et S. C. respondit: « quod mandet executioni Decretum iam transmissum, non obstante contraria consuetudine, quae vigeat, antequam erigeretur in Civitatem, cum ex diversis non sit bona illatio. » Die 12. Ianuarii 1641.

1286. VOLTURANEN.

S. R. Cong. respondit: « distributionem Lectorum, et Antiphonarum non ad Magistrum Caeremoniarum, sed ad Primicerium in casu proposito spectare, et pertinere, assistentiam vero Episcopo faciendam, fieri debere iuxta dispositionem Caeremonialis Episcoporum lib. 1. cap. 3. et 11. » Die 12. Ianuarii 1641.

1287. POLIGNANEN.

S. R. Cong., iuxta alias resoluta, respondit: « Vicario generali in habitu vicariali deberi praecedentiam supra Dignitates, et Canonicos tam praesente, quam absente Episcopo, dummodo Dignitates, et Canonici non sint sacris vestibus induti, et ita in Cathedrali Polignanen. omnino servari mandavit, contraria consuetudine non obstante. » Die 12. Ianuarii 1641.

1288. RUBEN.

Eñio Torres referente instantiam Archidiaconi Ruben. circa sedem Vicarii generalis, S. Cong. respondit: « digniorem locum deberi Vicario, deinde alium digniorem Archidiacono, et sic deinceps aliis Dignitatibus. » Die 26. Ianuarii 1641.

1289. FIRMANA.

Clerus Saecularis Montis Cosari asserens se fecisse semper officium super cadaveribus, etiam in Ecclesiis Regularium, supplicavit mandari servari solitum. Et S. C. respondit: « Officium super cadaveribus in Ecclesiis Regularium ad ipsos Re-

gulares spectare, et pertinere, non obstante contraria consuetudine. » Die 26. Ianuarii 1641.

1290. NEAPOLITANA.

Capitulum, et Canonici Metropolitanæ Ecclesiæ Neapolitanæ supplicarunt coerceri Regulares, renuentes Capitulum vocatum ad funus ingredi cum propria Cruce in Ecclesiis ipsorum Regularium, et signanter Monachos Benedictinos, Coelestinos, et Olivetanos. Et S. Cong. respondit: « licere Capitulo, et Canoniceis in casu proposito, cum propria Cruce ingredi Ecclesiam Regularium, nec posse a dictis Regularibus Oratores impediri. » Et ita servari mandavit, quibuscumque non obstantibus, die 26. Ianuarii 1641.

1291. ACERNEN.

Episcopus Acernen. supplicavit responderi: an liceat Principi Hoiae, Domino M. Corvini retinere, et uti Baldachino in Ecclesiis Regularium, quando accedit ad audiendas conciones. Et S. C. respondit: « non licere laicis in Ecclesiis retinere, aut uti Baldachino, neque assidere in throno, et ideo in casu proposito prohibendum, prout prohiberi *mandavit*, et renuentem opportunis remediis coercendum iuxta sacrorum Canonum Decreta. » Die 26. Ianuarii 1641.

1292. COMEN.

Emo Sacchetto referente petitionem cuiusdam Familiae, quae a fundamentis extruxerat Cappellam in Ecclesia Parochiali, eamque sufficienter, ut asserbatur, dotatam: an in ea liceret affigere inscriptiones virorum in Dignitate Ecclesiastica constitutorum ex eadem Familia cum Imaginibus, et status ipsorum? Et S. C. respondit: « non licere. » Die 2. Martii 1641.

1293. REGNI SARDINIAE.

Referente Emo Sabello controversiam praecedentiae inter Episcopos servandae, Sac. Cong. respondit: « praecedentiam regulandam esse a die Decreti Consistorialis super expeditione Ecclesiae. » Die 2. Martii 1641.

1294. ALBANEN.

Orta differentia inter Vicarium generalem praetendentem tres thurificationes, in concursu cum Governatore, et Prioribus Civitatis Albanen, S. C. respondit: « Vicario generali in casu proposito deberi duas tantum thurificationes, nisi adsit consuetudo, quod thurificetur triplici ductu, quae tamen erit probanda. » Die 2. Martii 1641.

1295. ALBANEN.

Praetendente Vicario generali Albanensis Civitatis incedere in Processionibus post deferentem SS. Sacramentum, quando Canonici incedunt cum vestibus sacris, in concursu cum Governatore,

et Magistratu Civitatis; et S. C. respondit: « Vicarium generalem in casu proposito abstinere debere a Processione, prout omnino abstinere » mandavit die 2. Martii 1641.

1296. ALBANEN.

Gubernator, et Magistratus Civitatis Albanen. supplicarunt responderi, quando, et quot ictibus thurificationis incensari debeat Gubernator Civitatis, praesente Vicario generali. Et S. C. respondit: « Governatorem, absente Emo Episcopo, thurificari debere duobus ictibus immediate post Vicarium generalem, ante Dignitates, et Canonicos; Magistratum vero post Dignitates, et Canonicos eodem modo, prout incensantur ipsae Dignitates, et Canonici iuxta dispositionem Caeremonialis Episcoporum lib. 1. cap. 23. » Die 2. Martii 1641.

1297. LAURETANA.

Thomas Marcholinus Praepositus Montis Luponi, timens molestari a Vicario Foraneo, ut accedat cum suo Clero ad benedictionem Fontis Baptismalis in Sabatho Sancto ad Ecclesiam Parochialem ipsius Vicarii Foranei, in praedictum propriae Ecclesiae, in qua adest Fons Baptismalis fixus, supplicavit non molestari. Et S. C. censuit: « non posse molestari in casu proposito, nec posse impediri, quo minus benedictionem Fontis faciat in sua propria Ecclesia cum assistentia Presbyterorum ad hunc actum necessaria; prout nec posse Oratorem turbari in pulsando Campanas in Sabatho Sancto ante alias Ecclesias, dummodo pulsentur post Matricem. » Die 2. Martii 1641.

1298. PRAENESTINA.

Archipresbyter Terrae Zagaroli conquestus est de Regularibus Conventualibus Ecclesiae S. Antonii eiusdem Terrae, existentis intra limites Parochiae Oratoris, benedicientibus homines, et bruta animalia in die festo S. Antonii, nec non facientibus Processiones extra claustra, supplicans responderi: an haec liceant? Et S. Cong. respondit: « non licere. » Die 2. Martii 1641.

1299. VERULANA.

Exposuit Curatus Parochialis Ecclesiae S. Petri Terrae Bauchi, Archipresbyterum S. Angeli eiusdem loci praetendere functiones facere in propria Ecclesia Oratoris, supplicans declarari: an liceat? Et S. C. respondit: « non licere, sed ad proprium Parochum functiones omnes ecclesiasticas spectare, et pertinere in propria Ecclesia, non obstante quacumque contraria consuetudine. » Die 2. Martii 1641.

1300. RUBEN.

Emo Burghesio referente controversiam inter

Archidiaconum primam Dignitatem, et Archipresbyterum circa functiones Episcopales, S. C. respondit: « servandum esse Caeremoniale Episcoporum, prout servari *mandavit*, non obstantibus probationibus per Archipresbyterum factis. » Die 23. Martii 1641.

1301. MONOPOLITANA.

In Causa Monopolitana circa locum sedendi per Parochos in Ecclesia Cathedrali, quando ipsi accedunt, ut assistant in Choro, S. C., ad relationem Em̄i Caesarini, respondit: « Parochos manutenendos esse in possessione sedendi in stallis Canonicalibus post omnes Canonicos, et in Processionibus, et in funeralibus incedendi immediate ante ipsos Canonicos, et quod, si altera pars velit facere probationes, admittatur etiam ad repetitionem testium. » Die 23. Martii 1641.

1302. RUBEN.

S. R. C. in causa verten. inter Vicarium Episcopi Ruben., et Archidiaconum eiusdem Ecclesiae, ad relationem Em̄i de Torres, censuit: « primum stallum in Choro assignandum Vicario, firmandum tamen in loco fixo, ita ut amplius variari non possit, absente, vel praesente Episcopo, in privata, seu pontificali Sede interveniente; secundum vero stallum relinquendum esse Archidiacono, et post hos, aliis Dignitatibus, et Canonicis. » Die 23. Martii 1641.

1303. ANCONITANA.

Petitum fuit declarari: an in Decreto edito in una *Turritana* 19. Maii 1614., in quo dicitur: Canonicos solemniter celebrantes non debere sedere coram Episcopo in sede cum postergali, comprehendantur etiam Dignitates. Et S. Cong. respondit: « comprehendendi. » Die 23. Martii 1641.

1304. CAUCIEN.

Modernus Episcopus supplicavit responderi: quomodo, et a quibus debeat excipi, quando cum cappa accedit ad Ecclesiam. Et S. C. respondit: « Episcopus in casu proposito excipi debere a Dignitatibus, et a Canonicis in eorum habitu canonicali a loco ab Episcopo designato, eumque comitari, et associare ad Ecclesiam, et in reditu pari modo reducere ad eundem locum, ubi exceptus fuit. » Die 23. Martii 1641.

1305. CASTELLANETEN.

Praetendente Archidiacono imponere cottam Clericis prima vice accedentibus ad Ecclesiam, et prohibitio ab Ordinario, supplicatum fuit pro manutatione. Et S. C. respondit: « omnino prohibendum. » Die 23. Martii 1641.

1306. CAMERACEN.

Capitulum Collegiatae Ecclesiae S. Crucis sup-

plicavit responderi: an ipse teneatur subministrare Capitulo Cathedralis accedenti ad dictam Collegiatam alios Libros, quam Breviarium Romanum? Et Sac. Cong. respondit: « non teneri: » Die 23. Martii 1641.

1307. CAMERINEN.

Canonici Collegiatae Ecclesiae Terrae Apiri supplicarunt cogi Minores Conventuales vocatos ad funus, quando intervenit Capitulum Collegiatae, incedere sub Cruce Collegiatae. Et S. Cong. respondit: « teneri Minores Conventuales incedere in casu proposito sub Cruce Capituli. » Die 23. Martii 1641.

1308. FANEN.

Supplicavit Plebanus Terrae Cartoceti praecipere Regularibus eiusdem Terrae, ne audeant diebus Festis celebrare Missas in eorum Ecclesia, antequam celebretur in Ecclesia Parochiali. Et S. C. respondit: « non posse prohiberi. » Die 23. Martii 1641.

1309. FLORENTINA.

Prior S. Basili exponens Festum Dedicationis Ecclesiae cadere in diem 16. Augusti, supplicavit responderi sibi: an primae Vesperae decantari debeant de Dedicatione, an vero de Assumptione B. Virginis? Et S. C. respondit: « de Dedicatione iuxta Rubricas. » Die 23. Martii 1641.

1310. GIENNEN.

Petitum fuit responderi: quid servandum occurrente Festo Corporis Christi cum Vigilia S. Ioannis circa recitationem Officii Vigiliae? S. Cong. respondit: « casum hunc esse expressum in Rubricis Missalis Romani: Rub. 3. num. 2. nempe, nihil hoc casu fieri de Vigilia nec in Missa, nec in Officio. » Die 23. Martii 1641.

1311. HYERACEN.

Cum in Rubrica Missalis Romani habeantur sequentia verba, videlicet « In Choro genuflectitur ab iis, qui non sunt Praelati ad Confessionem, cum suo Psalmo, » et in Cathedrali Hyeracen, dum Missa solemniter celebratur, absente Episcopo, Canonici, et totus Clerus stet, quaeritur responderi: quid servandum? Et S. C. respondit: « Rubricas Breviarii Romani in casu proposito omnino servandas esse. » Die 23. Martii 1641.

1312. IMOLEN.

Magister Caeremoniarum Cathedralis Imolen. instetit responderi: an in solemnibus benedictione Episcopi Magistratus stare debeat, seu potius genuflectere? Et S. C. respondit: « Magistratum debere genuflectere. » Die 23. Martii 1641.

1313. HISPALEN.

S. R. C. respondit: « inter Capitulares cu-

iuscumque Ecclesiae tam in functionibus ecclesiasticis, quam actibus quibuscumque capitularibus, quoad praerogativas, et praecipientias, attendendum esse tempus captae possessionis, et iuxta cuius admissionem illos stare, sedere, et incedere debere, ipsorumque stallum in Choro, et habitum debere esse communem, et uniformem cum aliis Capitularibus eiusdem ordinis, quibuscumque aliis qualitatibus, et dignitatibus saecularibus minime attentis. » Et ita in Metropolitana Ecclesia Hispanen. servandum esse declaravit die 23. Martii 1641.

1314. NATIONIS ANGLICANAE.

Instante Eño, et Rño D. Card. Francisco Barbarino Nationis Anglicanae Protectore pro licentia continuandi in antiquissima consuetudine celebrandi Missam, et recitandi Officium cum Octava in Festo S. Thomae Cantauriensis cadentem in diem 29. Decembris in Ecclesiis dictae Nationis non obstante impedimento aliorum Festorum, et dispositione contraria Rubricarum Breviarii Romani auctoritate SS. D. N. recogniti, S. R. C. censuit: « si Sanctissimo videbitur, petita posse concedi pro Anglicanis, et confluentibus ad eorum Ecclesiam in ipsa die festi, et Octava dumtaxat; infra vero Octavam aliis festis impeditam, faciendam esse commemorationem Octavae iuxta Rubricas dicti Breviarii. » Et facta relatione per me Secretarium ad SS., Sanctitas Sua S. C. sententiam approbavit. Die 23. Martii 1641.

1315. ALGAREN.

Orta differentia inter Canonicos Cathedralis Algaren, et Canonicos Collegiatae Ecclesiae Opidi Oteri occasione Visitationis, quae fiebat per Episcopum in Ecclesia Collegiata, circa praecedentiam, quam Canonici Collegiatae Ecclesiae praetendebant supra Canonicos Cathedralis, qui assistebant Episcopo visitanti tamquam in propria Ecclesia, supplicatum fuit responderi: quid hoc casu servandum? Et S. C., iuxta alias resoluta, respondit: « praecedentiam deberi Canonicis Cathedralis supra Canonicos Collegiatae etiam in propria Ecclesia. » Die 20. Aprilis 1641.

1316. CUSENTINA.

Decanus Metropolitanae Cusentinae exposuit ex voto Civitatis pro gratiarum actione, ex quo non fuit afflicta Terraemotu, fuisse factam solemnem Processionem cum Reliquia per primam Dignitatem delata, et modo turbata a secunda Dignitate praetendente delationem Reliquiae spectare gradatim inter Dignitates ordine successivo; supplicavit responderi: ad quem delatio Reliquiae pertineat? Et S. C. respondit: « semper ad primam

Dignitatem in casu proposito, et ea impedita, ad secundam ordine successivo. » Die 20. Aprilis 1641.

1317. CLUSINA.

Archipresbyter Cathedralis Clusinae supplicavit definiri: ad quos spectet inservire ipsi Oratori solemniter celebranti pro Diacono, et Subdiacono: Et S. C., iuxta alias resoluta respondit: « Dignitati, seu Canonico solemniter celebranti pro Diacono, et Subdiacono inservire debere pariter Canonicos, et non alios inferiores, non obstante contraria consuetudine, quam abusum, » eadem S. C. declaravit die 20. Aprilis 1641.

1318. ISERNIEN.

Moniales Benedictinae Monasterii S. Mariae Civitatis Iserniae conquestae sunt de Canonicis Cathedralis praetendentibus vocatis ad funus in Ecclesia ipsarum Monialium facere Officium super cadaveribus in dicta Ecclesia, supplicantes coerceri. Et S. C. respondit: « non ad Canonicos Cathedralis in casu proposito spectare Officium facere super cadaveribus, sed ad Confessarium, sive Cappellanum inservientem in Ecclesia ipsarum Monialium. » Die 20. Aprilis 1641.

1319. PISAUREN.

Patres S. Caroli Congregationis Clericorum Regularium petierunt responderi: an liceat in nocte Nativitatis Domini, post cantatam primam Missam, alias duas immediate celebrare, et communicare fideles? Et S. C. respondit: « nullo modo licere, sed omnino prohibendum. » Die 20. Aprilis 1641.

1320. REGIEN.

Capitulum Cathedralis Regien. supplicavit declarari, ipsi soli competere in Processionibus incedere cum vestibus sacris, et non aliis Ecclesiarum Collegiatarum. Et S. C. respondit: « soli Capitulo Cathedralis licere incedere cum vestibus sacris. » Die 20. Aprilis 1641.

1321. SMIRNEN.

Archiepiscopus Smirnen. petiit responderi: an Regulares intra hebdomadam Corporis Christi inter Missarum solemnias, et ad Vesperas possint exponere SS. Sacramentum absque eius licentia? Et S. C. respondit: « posse Regulares in casu proposito publice exponere SS. Eucharistiae Sacramentum absque licentia Ordinarii. » Die 20. Aprilis 1641.

1322. RAVENNATEN. PRAECEDENTIAE.

Delata ad SS. D. N. differentia inter Archidiaconum primam Dignitatem Metropolitanae Ecclesiae Ravennaten., et Sapientes Magistratus eiusdem Civitatis; et negotio per Sanctitatem suam remisso ad particularem Congregationem super eo

a Sanctitate Sua indictam cum interventu Em̄orum Cardinalium Capponi, et Sacchetti, nec non RR. PP. DD. Maraldi, Cerri, Contelorii, et Cincii, eadem Congregatio, re mature discussa, censuit, si SS. videbitur, « quaecumque in Ecclesiis, vel alibi Archidiaconum, Praepositum, et Capitulum simul esse contigerit, deberi eisdem Archidiacono, Praeposito, et Capitulo praecedentiam supra dictum Magistratum. Ubi vero sit Corpus Magistratus, Archidiaconus autem, vel Praepositus, aut Canonici uti singuli, praecedentiam deberi Corpori Magistratus; et uti Personae Magistratus fuerint uti singulae, etiam in habitu, et cum servis Magistratus, deberi praecedentiam Archidiacono, Praeposito, et Canonici pariter uti singulis stantibus, vel incedentibus, aut sedentibus. » Et ita servari mandavit die 25. Aprilis 1641.

1323.

AMPURIEN.

Ad relationem Em̄i Sacchetti, S. C. respondit: « Canonicos, et Clerum Cathedralis in Synodo sedere debere a dexteris; a sinistris vero Canonicos Collegiatae de Tempio cum suo Clero; in incedendo vero Capitulum cum suo corpore, et membris debere praecedere Capitulum Collegiatae. » Die 11. Maii 1641.

1324.

THELESINA.

Referente eodem Em̄o Pamphilio controversiam inter Canonicos Cathedralis, et Canonicos Collegiatae Ecclesiae S. Martini circa delationem SS. Sacramenti in solemnitate Corporis Christi, S. Cong. respondit: « delationem SS. Sacramenti spectare, et pertinere ad primam Dignitatem Cathedralis, dummodo ipsa prima Dignitas Missam solemnem celebret dicta die. » Die 11. Maii 1641.

1325.

CAJACEN.

Deputati Seminarii Cajacen. supplicarunt declarari: an liceat Clericis Seminarii habitare diu, nocturne, et etiam dormire in domibus aedificatis super Cappellis dexterae navis Ecclesiae Cathedralis, in quibus quotidie celebratur? Et S. Cong. respondit: « non licere, sed omnino prohibendum. » Die 11. Maii 1641.

1326.

NOLANA.

Guardianus Minorum Conventualium supplicavit praecipere, quod Regulares in publicis Processionibus incedant per se sub propria Cruce, et nullo modo mixtim, alterum Ordinis Conventualis, alterum Observantiae. Et S. C. respondit: « Minores Conventuales debere incedere separatim sub propria Cruce, et nullo modo mixtim cum Observantibus. » Die 11. Maii 1641.

1327.

NUCERINA PAGANORUM.

Capitulum Cathedralis Nucerae supplicavit

responderi; an Canonicus, qui est etiam Dignitas, habere debeat duas voces in Capitulo, an vero unicam tantum, maxime cum Dignitati non sit adnexus Canonicatus. Et S. Cong. respondit: « unam tantum vocem in casu proposito habere debere. » Die 11. Maii 1641.

1328.

LICIEN., SEU MINORUM

OBSERVANTIUM REFORMATIUM.

Procurator Generalis Minorum Observantium Reformatum conquestus est de Capitulo Collegiatae Ecclesiae Terrae Salicae praetendente associare funera, etiam non vocato, ad Ecclesiam suorum Regularium, supplicans coeundi, et eos abstinere debere declarari, nisi expresse vocentur ab haeredibus defunctorum. Et S. C. respondit: « Capitulum praedictum non debere intervenire, nisi expresse vocatum, alias abstinere debere, ne graventur haeredes ultra eorum voluntates. » Die 11. Maii 1641.

1329.

ORITANA.

Capitulum, et Clerus Collegiatae Ecclesiae Casalis novi asserentes esse in possessione faciendi officium super cadaveribus, etiam in Ecclesia Minorum Observantium dicti loci, supplicarunt manuteneri. Et Sac. Congreg. respondit: « officium super cadaveribus in casu proposito spectare ad Regulares Ecclesiae, in qua tumulari debet cadaver, non autem ad Capitulum Collegiatae, non obstantia contraria consuetudine. » Die 11. Maii 1641.

1330.

REATINA.

Vicarius generalis supplicavit declarari: deberi sibi praecedentiam in Processionibus supra Dignitates, et Canonicos, tam praesente, quam absente Episcopo. Et S. C. respondit: « semper, et ubique deberi praecedentiam Vicario generali supra Dignitates, et Canonicos tam praesente, quam absente Episcopo, dummodo Vicarius generalis incedat cum suo habitu vicariali, nempe cum subtana, et mantello, et dummodo Dignitates, et Canonici non sint sacris vestibus induti. » Die 11. Maii 1641.

1331.

SPALATEN.

Franciscus Manolla Canonicus in Urbe destinatus Vicarius generalis in Metropolitana Spalateni, supplicavit praescribi sibi locum in Choro, et Processionibus, tam in habitu suo ordinario, quam cum cotta, quando interveniet: et S. Cong. respondit: « Vicario generali in casu proposito deberi semper, et ubique praecedentiam supra Dignitates, et Canonicos, dummodo sit in habitu ordinario, videlicet, subtana, et mantello, et nullo modo cum cotta, et dummodo Dignitates,

et Canonici, non sint sacris vestibus induti. » Die 11. Maii 1641.

1332. VALLISOLETANA.

Petitum fuit declarari: an sit permittendum, quod celebretur Capitulum tempore Divinorum Officiorum? Et S. C. respondit: « non licere, nec debere celebrari Capitulum tempore Divinorum Officiorum, nec inter Missarum solemnias, et ideo omnino prohibendum. » Die 11. Maii 1641.

1333. ARETINA.

Iacobus Tornaimus Sacerdos Terrae Lucignani supplicavit definiri: ad quem spectet praecedentia in associando cadavere defuncti improvisa morte intra limites alterius Parochiae; an ad illum, an vero ad Parochum domicilii? Et S. C. respondit: « ad Parochum domicilii. » Die 2. Iulii 1641.

1334. BRUNDUSINA.

Dignitatibus Metropolitanæ Ecclesiae deponentibus declarari: an secunda, et tertia dies post utramque Pascha sint dies solemnes, et tales, in quibus celebrare teneantur ipsae Dignitates, cum assistentia Diaconorum, et Subdiaconorum Canonicorum? S. C. respondit: « esse dies solemnes, in quibus, et in omnibus aliis, Dignitatibus, seu Canonicis semper pro Diacono, et Subdiacono inservire debere Canonicos, non obstante contraria consuetudine. » Die 6. Iulii 1641.

1335. CAURIEN.

Episcopus Caurien. consulit S. C.: an conveniat, quod Dignitates, et Canonici suae Cathedralis sumant paramenta de Altari pro celebratione Missarum? Et S. C. respondit: « nullo modo licere, sed omnino prohibendum. » Die 6. Iulii 1641.

1336. LICIEN.

Episcopus Licien. per literas significavit, Duce S. Donati Patronum Terrae tenere thronum, sive solium fixum in Ecclesia Parochiali S. Caesaris cum baldachino, et genuflexorio pariter fixo, et non amovibili, idemque servari per Marchionem Patronum Terrae Caballini, supplicans responderi sibi: quomodo circa praedicta se gerere debeat? Et S. C. mandavit: « scribi Episcopo, quod faciat in praemissis ad unguem servari Caeremoniam Episcoporum. » Die 6. Iulii 1641.

1337. DISCALCEATORUM S. AUGUSTINI IN GALLIIS.

S. R. C., iuxta alias resoluta, respondit: « corpora defunctorum, qui in Ecclesiis Regularium sepulturam sibi elegerunt, non esse prius ad Ecclesiam Parochialem deferenda, sed Parochos teneri cadavera suorum Parochianorum levare e loco, ubi asservantur, et associare usque ad portam Ecclesiae Regularium, etiam ipsis

Regularibus non associantibus, nec Parochos se ingerere posse in faciendo super iisdem cadaveribus Officium in Ecclesiis Regularium, sed ad ipsos Regulares in propria Ecclesia spectare, et pertinere. » Die 6. Iulii 1641.

1338. SPOLETANA.

Emo Sacchetto referente querelam Episcopi Spoletani contra Abbatem S. Benedicti Terrae Nursiae, arrogantem sibi processionaliter posse incedere cum Mitra extra propriam Ecclesiam, S. C. respondit: « non licuisse, nec licere in casu proposito incedere cum Mitra, et proinde Abbatem abstinere debere, prout omnino abstinere mandavit. » Die 3. Augusti 1641.

1339. VALENTINA.

Emo Pamphilio referente causam praeeminentiarum inter Praepositos, et Canonicos Ecclesiae Valentinae, S. Cong. mandavit, expediri Decreta iuxta Decisiones Rotae in hac causa emanata de ordine ipsiusmet Congregationis, tenoris infra-scripti.

Valentina praeeminentiarum: Delatis ad S. C. R. pluribus controversiis excitatis inter Capitulum, et Canonicos Ecclesiae Metropolitanæ Valentinae, et Praepositos in dicta Ecclesia a *fel. rec. Sixto V.* institutos, placuit S. C. desuper exquirere votum Rotae; illoque habito, in vim quatuor Decisionum ab ea emanatarum, eadem S. R. C., referente Emo, et Rmo D. Card. Pamphilio, viso voto, dictis Decisionibus examinatis, et re mature discussa, decrevit, et declaravit: « licere dictis Praepositis sedere immediate post Canonicos in iisdem sedibus, seu scamnis, in quibus sedent Canonici ad audiendas conciones Ecclesiae, et sermones Candelarum, et Palmarum. *Item* incedere una cum Canonicis ad recipiendas Candelas in die Purificationis, Cineres in die Cinerum, Palmas in die Palmarum, Eucharistiam feria V. in Coena Domini, et ad adorationem Crucis feria VI. in Parasceve. *Item* accipere Candelas accensas ab Acolyto, seu Scolano (sic) immediate post Canonicos in functionibus, in quibus deferuntur. *Item* thurificandos esse Praepositos, eisdem deferendum pacem eodem modo, prout Canonicis. *Item* Praepositos debere salutari a Canonico Praesidente, et ab aliis Canonicis in Choro existentibus eodem modo, quo ipsi Canonici salutantur. *Item* licere Praepositis associare D. Archiepiscopum, quando accedit ad Ecclesiam, ad Offleia Divina, et cum eo facere circulum una cum Canonicis ad *Introitum Missae, Kyrie, Gloria, Credo* etc. *Item* Praepositos posse ingredi Chorum per portam principalem, praesente ibidem D. Ar-

chiepiscopo, ac ab eo salutatione honorari debere. *Item* licere Praepositis sedere in sedibus, quae apponuntur in Ecclesia SS. Conceptionis in die Processionis Bullae Cruciatæ. *Item* debere deferri Viaticum ad Praepositos infirmos eodem modo, quo defertur Canonicis, et in sepeliendis Praepositis Defunctis esse observandum eundem ritum, qui observatur in sepeliendis Canonicis, eorumque corpora in eodem sepulcro Canonicorum esse tumulanda, et campanas eodem modo esse pulsandas. *Item* in cantandis Missis posse Praepositos uti assistente, sicut Canonici, parique modo, ut Canonici, incedere ad praedicandum, nec debere Praepositos genuflectere ad benedictionem recipendam. *Item* distribuendam esse ceram Praepositis in Sabatho Sancto immediate post Canonicos, et eodem modo, prout distribuitur Canonicis. *Item declaravit*, Sacerdotem cum Reliquia in Processionibus occurrentem recipiendum esse inter Praepositos; eosdemque tam in supradictis actibus, quam in omnibus, et quibuscumque aliis non expressis, dummodo non sint Capitulares, facere unum corpus cum Canonicis, et gaudere omnibus praecipientiis, et praerogativis Canonicorum, absque ulla differentia. Capitulares autem actus eos solos intelligendos esse, *censuit*, qui concernunt gubernium, et administrationem Ecclesiae, et iura Capituli, et vota eorum, qui sunt de Capitulo exquirunt. » Et ita observari mandavit die 3. Augusti 1641.

1340. CAMERINEN.

Capitulum, et Canonici Collegiatae Ecclesiae S. Venantii supplicarunt responderi: an Coadiutores teneantur, vel possint subire onera aliorum Canonicorum, praeter onera suorum Principalium? Et S. Cong. respondit: « non teneri, nec posse onera sustinere, nisi suorum Principalium. » Die 17. Septembris 1641.

1341. FOROLIVIEN.

Clerus Forolivien. supplicavit responderi: an Canonici, et Dignitates, in actu praestandae obedientiae, debeant ab Episcopo recipi ad osculum manus, an vero ad osculum genu? Et S. C. respondit, « Episcopum debere Dignitates, et Canonicos, aliosque de Capitulo recipere in casu proposito ad osculum dumtaxat manus, iuxta dispositionem Caeremonialis Episcoporum lib. 1. cap. 2. » Die 17. Septembris 1641.

1342. PACEN.

Sae. Rit. Cong. ad relationem Em̃i Pamphili, censuit: « Vicarium generalem, quando Dignitates, et Canonici sunt sacris vestibus induti, debere incedere post Episcopum, et, eo ab-

sente, post Celebrantem. » Die 17. Septembris 1641.

1343. THEATINA.

S. R. C. respondit: « non licere Praesidi, quantumvis titulo Generalis Armorum, et Vicarii generalis insignito, deosculari Textum Evangelii, neque eidem licere habere in Ecclesia sub sua sede plusquam duos gradus, nec eos debere esse maioris altitudinis, quam sunt duo gradus ex tribus, qui subiiciuntur sedi Archiepiscopali. » Et ita in utroque casu omnino servari debere declaravit, die 17. Septembris 1641.

1344. ASSISIEN.

Supplicavit Vicarius Capitularis responderi: an Regulares possint facere Processiones cum delatione Reliquiarum, et sonitu Campanarum absque eius licentia? Et S. C. respondit: « Regulares, quoad Processiones ex indulto Apostolico concessas, illas posse facere absque alia licentia. Quo vero ad Processiones extraordinarias, non nisi de licentia Ordinarii. » Die 11. Novembris 1641.

1345. CAMERINEN.

Commissarius Minorum Observantium Reformatorum in Romana Curia conquestus est de Canonicis Collegiatae Ecclesiae Terrae Mathelicae volentibus associare cadavera defunctorum, quae tumulari debent in Ecclesia suorum Regularium, etiam non vocatis, cum Cruce Capituli, in praedictum Crucis ipsorum Regularium, supplicans responderi: an hoc eis liceat? Et S. Cong. iuxta alias resoluta, respondit: « in associandis cadaveribus processionaliter, non nisi vocatos ad funus intervenire debere, et ideo Capitulum Collegiatae Ecclesiae, in casu proposito, non vocatum abstinere debere. Quod si Canonici sponte, et bono zelo impulsus funus associare velint, non in habitu canonicali, neque collegialiter cum propria Cruce, sed in eorum habitu ordinario, uti singuli post feretrum sequi debere. » Et ita declaravit, die 11. Novembris 1641.

1346. AESINA.

Cum non acquiescerent Canonici Diaconales, et Subdiaconales Praebendas obtinentes in Cathedrali Aesina literis huius Sac. Cong. usque de anno 1625. editis circa praecedentiam per ipsos dandam Canonicis Praebendas Presbyterales possidentes, licet postea receptos, et admissos, supplicarunt de novo audiri. Et S. Cong. illis iterum auditis, et etiam Ordinario loci, respondit: « Praebendas Diaconales, et Subdiaconales in Cathedrali Aesina non potuisse in casu proposito mutari in Presbyterales sine auctoritate Sedis Apostolicae; et proinde servandas esse literas huius S. Cong.

emanatas usque de anno 1625., in quibus praescribitur praecedentiam dari Canonicis obtinentibus Praebendas Presbyterales, licet provisus post obtinentes Praebendas Diaconales, et Subdiaconales in functionibus, quae fiunt non solum cum vestibus sacris, sed etiam in omnibus aliis actibus, et functionibus, quae fiunt cum habitu canonicali. » Et ita omnino servari mandavit, quibuscumque non obstantibus, die 11. Novemb. 1641.

1347. FIRMANA.

Commissarius in Curia Minorum Observantium Reformatorem S. Francisci exponens, Capitulum Cathedralis Firmanae renuere obedire Decreto per hanc S. C. edito ad favorem suorum Regularium circa officium faciendum per ipsos Regulares super cadaveribus in eorum Ecclesia propria, sub praetextu contrariae consuetudinis ad favorem Capituli introductae, supplicavit provideri. Et S. C. « stetit in decretis, et mandavit servari omnino Decretum iam editum ad favorem Regularium, non obstante contraria consuetudine. » Die 11. Novembris 1641.

1348. LAUDUNEN.

Petitum fuit responderi: an habens indultum utendi Mitra et Baculo cum facultate benedicendi Cruces, Imagines, Campanas, Vasa, et alia ad divinum cultum necessaria, possit consecrare Altaria, et Calices, et similia, in quibus requiritur sacra unctio? et S. C. respondit: « negative. » Die 11. Novembris 1641.

1349. NULLIUS ALTAMURAE.

Orta differentia inter Moniales Monasterii Suecursus, quanam ipsorum praecedere debeat: an prius admissa, et recepta, sed non professa, an vero postea admissa, et prius professa? fuit supplicatum responderi: quid servandum? Et S. C. respondit: « prius professam, licet postea receptam, praecedere debere. » Die 11. Novemb. 1641.

1350. NUCERINA PAGANORUM.

Capitulum Cathedralis Nucerinæ Paganorum institit responderi: an liceat Canonico, vel Dignitati, qui sit etiam Protonotarius titularis, in Cathedrali confectionari cum habitu praelatio, videlicet subтана, rocchetto, et mantelletto, et stola? S. C. respondit: « licere. » Die 11. Novemb. 1641.

1351. THELESINA.

Canonici Collegiatae Ecclesiae S. Martini supplicarunt responderi: an eis liceat tam in Anniversariis, quam etiam in funeralibus recitare ad libitum primum, aut secundum nocturnum defunctorum quacumque die hebdomadae? Et S. Cong. respondit: « servandas esse Rubricas. » Die 11. Novembris 1641.

1352. PRAENESTINA.

Canonicus Poenitentiarius de novo provisus in Cathedrali Praenestina supplicavit declarari: non posse eidem prohiberi, dum audit confessiones fidelium tenere in manibus virgam, seu bacchetam, prout retinent Poenitentarii Patriarchalis Ecclesiae S. Petri. Et S. C. censuit: « non posse prohiberi. » Die 11. Novembris 1641.

1353. RECANATEN.

Patres Societatis Iesu exponentes diem Dedicacionis eorum Ecclesiae celebratam fuisse retroactis annis in die Pentecostes, et postmodum intermissam dietam celebrationem Dedicacionis; supplicarunt assignari alium diem pro celebrando Anniversario. Et S. C. respondit: « diem certum per Episcopum esse eligendum, qui semel electus amplius mutari nequeat pro Anniversario Dedicacionis Ecclesiae. » Die 11. Novemb. 1651.

1354. RITHIMEN.

Supplicavit Episcopus Rithimen. responderi: quomodo se gerere debeat in confectione Olei Sancti, stante penuria Sacerdotum, non constitutum numerum, quem requirit Pontificale Romanum? Et S. C. respondit: « Episcopum supplere debere cum Regularibus Sacerdotibus. » Die 11. Novembris 1641.

1355. NARNIEN.

Cappellanus Societatis SS. Trinitatis Loci Calvi Narnien. Dioecesis prohibitus a Parocho celebrare Missam ante Missam Parochialem, supplicavit responderi: an licite hoc possit prohiberi? et S. C. respondit: « non posse prohiberi. » Die 11. Nov. 1641.

1356. IANUEN.

Expositum fuit in Cathedrali Ianuen. solennes functiones, de quibus in *Caeremoniale Episcoporum lib. 2. cap. 24.* non solere peragi per Archiepiscopum, sed per aliquem ex Canonicis ipsi Archiepiscopo benevisum; ideoque supplicatum fuit responderi: an hoc liceat Ordinario, vel potius praedicta munia spectare ad digniorem de Capitulo? Et S. C. respondit: « ad digniorem spectare, et pertinere, non obstante contraria consuetudine. » Die 11. Novembris 1641.

1357. THEANEN.

Sacrista Ecclesiae Annunciationis Civitatis Theanen. conquestus est de Episcopo loci, praecipiente aspersionem porrigi debere a digniore suae Ecclesiae Cathedralis, quando ipse Episcopus accedit ad Ecclesiam Oratoris, supplicans responderi: an hoc liceat Episcopo? Et S. C. respondit: « non ad digniorem Cathedralis, sed ad digniorem praedictae Ecclesiae Annunciationis. » Die 11. Novembris 1641.

1358. TRANEN.

Archiepiscopus Tranen. institit praeceptis Regularibus suae Dioecesis, ne audeant ullo modo praebere deosculandum Textum Evangelii Ministris Regiis in ipsorum Ecclesiis. Et S. C. respondit: « tam in Missis solemnibus, quam privatis prohibendum. » Die 11. Novembris 1641.

1359. NUSCANEN.

Archipresbyter Parochus Terrae Bagnoli turbatus ab Ordinario loci circa publicationem Matrimoniorum, et Ordinandorum, mandante haec fieri per Vicarium foraneum, supplicavit provideri. Et S. C. respondit: « praedicta munia esse exercenda per proprium Parochum, et nullo modo per Vicarium Foraneum. » Die 11. Novembris 1641.

1360. TRIUM MISSARUM IN NOCTE
NATALIS DOMINI.

Cum superioribus diebus consulta hac S. R. C., an esset permittendum in media nocte Natalis Domini post Missam decantatam successive alias duas Missas, et in eis Sacram Communionem exhibere fidelibus illam deposcentibus? et respondisset, « non esse permittendum, sed omnino utrumque prohibendum; » nihilominus nonnulli Regulares asserentes hoc licere, supplicarunt audiri; et S. C., ipsis auditis cum Procuratoribus, et advocatis, ad relationem Rm̄i Pallotti, *stetit in Decretis*, et respondit: « iterum prohibendum tam Sacerdotibus celebrare volentibus, quam confluentibus in media nocte ad Ecclesias, et communionem deposcentibus. » Die 7. Decembris 1641.

1361. MEDIOLANEN.

Congregatio nuncupata Transitus, solita qualibet Dominica recitare litanias B. M. V. pro agonizantibus, cum Orationibus non approbatis ab hac Sac. Rit. C. institit declarari, an liceat continuari, an vero sit prohibendum? Et S. R. Cong. respondit: « omnino prohibendum. » Die 7. Decembris 1641.

1362. ORDINIS PRAEDICATORUM.

Religio S. Dominici supplicavit declarari, non licere contra dispositionem Bullae Clementis VIII. erigere duas Confraternitates in eodem loco sub eadem invocatione. Et Sac. C. respondit: « duas Confraternitates in eodem loco sub eadem invocatione erigi non posse, et ideo tam in civitate Mediolanen., quam ubique locorum id esse prohibendum, prout omnino per Ordinarios prohiberi mandavit » Die 7. Decembris 1641.

1363. SENARUM.

Procuratores generales Ordinum Mendicantium supplicarunt declarari, esse in arbitrio haeredum defunctorum vocare Regulares, qui funus associare debeant, et nullo modo ad Curatos Civitatis Sena-

rum, non obstante Decreto synodali disponente ad Curatos hoc munus pertinere; et S. R. C., iuxta alias resoluta, respondit: « in arbitrium haeredum defunctorum residere numerum Regularium, qui funeri intervenire debent, non autem in voluntatem Parochorum, non obstante contrario Decreto synodali. » Die 7. Decembris 1641.

1364. HYDRUNTINA.

S. R. C. ad instantiam Communitatis, et Hominum Terrae Sancti Petri in Palatina Hydruntinae Dioecesis censuit: « in casu, quo defunctus tumulatur in Ecclesia Regularium, non posse Parochum defuncti impediri ab ipsis Regularibus, quin pulset Campanas Parochiales, neque ipsos Regulares Ecclesiae, in qua defunctus sepelitur, impediri a Parocho, quin pulsent Campanas eorum Ecclesiae, » prout ita servari mandavit die 8. Februarii 1642.

1365. REGIEN.

Sacra Rituum Congr. ad instantiam Dignitatum Cathedralis Ecclesiae Regien. censuit, et declaravit, prout alias saepe: « Episcopo in Ecclesiam Cathedrali ingrediendi aspersorium porrigi debere per Digniores ipsius Ecclesiae tunc praesentem. Et ita, quibuscumque non obstantibus, in Ecclesia Regien. » servari mandavit die 8. Februarii 1642.

1366. REGIEN.

S. R. Cong. ad instantiam Fratrum Servorum S. Mariae Civitatis Regien. respondit: « Episcopo extra suam Cathedrali in aliam Ecclesiam suae Dioecesis sive Saecularium, sive Regularium ingrediendi, aspersorium porrigi debere per digniores illius Ecclesiae, ad quam Episcopus accedit, et nullo modo per Dignitates, aut Canonicos Cathedralis illum associantes. » Et ita in casu proposito servari mandavit die 8. Februarii 1642.

1367. NUCERINA PAGANORUM.

Canonici Collegiatae Ecclesiae principalis Oppidi Angriae Nuceriae Paganorum, petierunt per S. R. C. declarari: an Abbates eiusdem Ecclesiae, qui sint Protonotarii Apostolici, debeant incedere in habitu Protonotarii, vel in habitu Canonicorum in Ecclesia, Processionibus, et aliis functionibus Canonicalibus, cum hactenus consueverint incedere in habitu Protonotarii.

Et S. C., inhaerendo similibus declarationibus alias saepe factis, respondit: « Abbates praedictos, Dignitates, et Canonicos in Choro, Processionibus, et functionibus canonicalibus non posse intervenire, nisi cum habitu canonicali, alias non gaudere distributionibus. » Die 8. Febr. 1642.

1368. MEDIOLANEN.

Sac. R. C. respondit: « nullo modo licere Regularibus facere Processiones suas extra claustra

Monasteriorum, et, illis carentibus, claustris tantum circa ambitum, et prope muros Ecclesiarum, non obstante contraria consuetudine; » et ita per Minores Conventuales Burgi S. Mariani Mediolanen. Dioecesis servari mandavit die 8. Februarii 1642.

1369. **RECANATEN.**

S. R. C. respondit: « Benedictiones Candelarum, Cinerum, et Palmarum, ipsarumque distributionem pro Episcopo absente, vel impedito ad digniorem de Capitulo spectare, et pertinere, dummodo ipse dignior post peractam benedictionem, et distributionem, solemniter etiam celebret Missam; » et ita in casu proposito servari debere declaravit die 8. Februarii 1642.

1370. **LUNEN. SARZANEN.**

Canonici novae Collegiatae Ecclesiae Massae accedere debentes prima vice ad Synodum Dioecesanam institerunt declarari, ipsis deberi praecedentiam supra Priorem Regularem Ordinis Canoniorum Regularium Terrae Carrariae eiusdem Dioecesis Lunen. Sarzanen. S. R. Cong. ad relationem Em̃i Cardin. S. Ceciliae censuit: « praecedentiam deberi in casu proposito Canonice dictae Collegiatae Ecclesiae collegialiter incedentibus, stantibus, vel sedentibus supra dictum Priorem Regularem Ordinis Canoniorum Regularium Terrae Carrariae. » Die 22. Martii 1642.

1371. **RAVENNATEN. PRAECEDENTIAE.**

Non acquiescente Magistratu Sapientum Civitatis Ravennae Decreto alias sub die 25. Aprilis 1641. edito per particularem Congregationem a SSmo D. N. indictam, super praecedentia controversa inter ipsum Magistratum, ac Dignitates, et Capitulum Ecclesiae Metropolitanae eiusdem Civitatis, habitoque recursu ad SS., et per Sanctitatem Suam remisso iterum negotio examinando ad eandem particularem Congregationem, cui propter absentiam Em̃i, et Rm̃i Domini Cardinalis Capponi adiunctis EE. et RR. DD. Cardinalibus Caietano, et Pamphilio; eadem Congregatio partibus in facto, et in iure auditis, omnibusque hinc inde deductis mature discussis, censuit, si SSmo videbitur: « standum esse in decisio iuxta Decretum iam emanatum, et non nisi parito Brevi Sanctissimi super dicti Decreti confirmatione obtento, concedendas esse literas remissoriales ad probandam consuetudinem per dictum Magistratum allegatam. » Et facta per me Secretarium infrascriptum de praemissis relatione SSmo, Sanctitas Sua sententiam eiusdem Congregationis approbavit die 27. Martii 1642.

1372. **URBANIAE.**

Cum praetenderent Fratres Conventuales Sancti

Francisci in Civitate Urbanae contra ordinationem Episcopi, debere attendi allegatam consuetudinem de accedendo directe ad domum, vel Ecclesiam, ubi cadaver tumulandum reperitur, non autem ad Cathedralis, vel Parochiam, ubi reliquus Clerus pro funere ducendo congregatur; S. R. C. censuit. « in hoc servandam esse dispositionem Ritualis Romani, et ita servari mandavit in casu proposito, consuetudine allegata non obstante, » die 14. Aprilis 1642.

1373. **URBANIAE.**

Cum Archipresbyter in Collegiata Ecclesia Terrae Mercatelli Urbanien. Dioecesis, qui est inibi unica, et principalis Dignitas, quae non est de Capitulo, sit in antiqua possessione sedendi in dicta Ecclesia super sede fixa cum genuflexorio prope Altare maius a cornu Evangelii e conspectu alterius sedis pro Celebrante, quae est a cornu Epistolae, et ageretur in Sac. R. C., an dicta sedes Archipresbyteri retinenda esset, postquam per novam erectionem Episcopatus Urbanien. cessavit iurisdictione, quam dictus Archipresbyter prius exercere consueverat; eadem S. R. C. referente Em̃o D. Card. Montalto censuit: « dictam sedem pro Archipresbytero tolerandam esse, absente tamen Episcopo; praesente vero, praedictum Archipresbyterum in illa sedere non debere. » Et ita servari mandavit die 14. Aprilis 1642.

1374. **ASCULANA.**

Quaesitum fuit a Presbyteris Terrae Acumuli: an Parochorum praecedentia ratione antiquitatis intelligatur inter simplices Parochos, quorum aliqui habent specialem praerogativam, ut Archipresbyteri, Plebani, et similes, ita ut Parochus Archipresbyter praecedere debeat simplici Parocho nullam aliam praerogativam habenti. Et S. Congregatio respondit: « in praecedentis Parochorum attendendam esse antiquitatem, et Dignitatem Ecclesiae Parochialis, non autem ipsorum Parochorum. » Die 10. Maii 1642.

1375. **CASTELLANETEN.**

Proponente Em̃o D. Card. S. Ceciliae, Dignitates, et Canonici Cathedralis supplicarunt declarari sequentia Dubia:

1. An Episcopo pontificaliter celebranti praedicti teneantur ministrare de libro, et de candela, an potius ad Cappellanos pertineat? Et S. Congregatio respondit: « candellam per Cappellanum esse ministrandam. »

2. An Episcopo assistenti Divinis, non tamen celebranti, teneantur ministrare biretum, vel alia similia, quae ad usum proprium manu gestantur? Et Sacra Congregatio respondit: « non teneri;

et servandum esse Decretum alias super hoc editum. »

3. An Episcopo accedente ad Ecclesiam sine cappa, et cum mozzetta tantum, teneantur dictae Dignitates, et Canonici habitu canonicali induti assumere illum a proprio Palatio, et comitari ad Ecclesiam? Et Sac. Congregatio respondit: « non teneri. »

4. An Episcopus, Canonice ad ipsius Palatium in habitu canonicali accedentibus ad illum associandum ad Ecclesiam, teneatur statim dare aditum, et sedes in anticamera, absque eo quod morerentur in aula inter caeteros. Et Sac. C. ad hoc « nihil voluit praescribere. » Die 19. Maii 1642.

1376. FOROLIVIEN.

Proponente Ermo D. Card. Brancaccio preces Episcopi contra Abbatem S. Mercurialis Ordinis Vallisumbrosae.

1. Quod dictus Abbas bis tantum in anno cum suis Monachis Processionibus intersit, non autem omnibus ad instar aliorum Regularium.

2. Quod idem Abbas faciat sibi in eisdem Processionibus anteferre intortitum per unum ex conversis dicti Ordinis:

3. Quod erigat Crucem cum vexillo bifurcato contra communem ritum Ecclesiae, et Ordinum etiam Monachorum; supplicans propterea declarari: quid iuris?

Et Sac. C. ad 2. respondit: « non decere: ad reliqua vero audiendum esse Abbatem. » Die 10. Maii 1642.

1377. GRANATEN.

Episcopus Termopolensis Suffraganeus Archiepiscopi Granatensis supplicavit declarari: deberi sibi praecedentiam supra omnes Canonicos, et Dignitates dictae Ecclesiae tam in Choro, quam extra, qua haecenus caruit. Et S. C. respondit: « praecedentiam competere Episcopo Oratori super omnes Canonicos, et Dignitates tam in Ecclesia, et Choro, quam extra. » Die 10. Maii 1642.

1378. GROSSETANA.

Episcopus Grossetanus, qui ob aeris insalubritatem consuevit certis anni temporibus in Oppido suae Dioecesis commorari, est in possessione habendi sequentia obsequia a Plebano illius Ecclesiae, cuius observantiam demandari supplicavit:

1. Ut Episcopo Missam privatam audienti Plebanus praebet librum Evangeliorum, et pacem ad osculum.

2. Ut Plebanus associetur Episcopum venientem ad Ecclesiam cum cappa a domo Episcopali distante triginta passus.

3. Habendi ab eodem Plebano paramenta, et

alia ad usum Missae pro suis Cappellanis ibidem celebraturis.

4. Erigendi sibi in eadem Ecclesia Sedem Pontificalem cum baldachino.

Et S. Cong. respondit ad quartum: « Episcopo competere: ad reliqua: nihil. » Die 10. Maii 1642. 1379. HYDRUNTINA.

Archidiaconus S. Petri in Galatina petiit declarari ad se spectare munus solemnum functionum, absente Archipresbytero, qui est prima Dignitas, et quaesivit, quatenam sint dictae functiones? Et Sac. C. respondit: « quod videat ex Caeremoniali lib. 1. cap. 26. §. quo casu; et lib. 2. cap. 34. » Die 10. Maii 1642.

1380. MACERATEN.

Clericis Societatis Iesu, qui antea consueverunt per se ipsos facere funeralia in Ecclesiis propriis super corporibus ibidem sepeliendis, coeperunt abstinere, et vocare ad easdem Ecclesias Presbyteros externos, qui hoc facerent: quapropter Parochus S. M. de Porta, intra cuius limites Ecclesia Societatis Iesu existit, conquestus est apud S. C., et petiit declarari: ad quem spectet hoc munus obire? et S. C. censuit: « in casu proposito spectare ad Sacerdotes Societatis Iesu officia funeralia facere super defunctis, si demum per se ipsos ea exercere voluerint; sin vero per se ipsos exercere noluerint, non per externos Presbyteros, sed per proprium Parochum esse peragenda. » Die 10. Maii 1642.

1381. MESSANEN.

Occasione Decreti huius S. C., quod Presbyteri Saeculares non possint officium celebrare super cadaveribus existentibus in Ecclesiis Regularium, Clerus Saecularis praetendit Regularem non posse crucem erigere, quando funera ad Ecclesias Regularium deferuntur, unde multa scandala oriuntur, quibus Carmelitae Terrae Cerami petierunt provideri. Et S. C. mandavit: « dari Decreta antiqua ad favorem Regularium emanata, et iniungi Archiepiscopo eorum observantiam. » Die 10. Maii 1642.

1382. THELESINA.

Quaesitum fuit: an liceat Parocho, et Canonice Collegiatae S. Martini de Cerreto tam in tumulandis cadaveribus, quam in Anniversariis celebrandis, recitare ad libitum unum ex tribus nocturnis defunctorum in qualibet feria. Et Sacra Congregatio mandavit « Episcopo, ut faciat servare Rubricas. » Die 10. Maii 1642.

1383. URBANIEN.

Archipresbyter Collegiatae Ecclesiae Mercatelli supplicavit mandari continuationem antiqui obse-

quii Capituli, et Cleri eiusdem Ecclesiae praestandi assistentiam in Sabbato Sancto Benedictioni Fontis, et Divinis Officiis, nec non Missae, et Processioni in die Corporis Christi. Et S. C. proponente Eño, et Rño D. Card. Montalto, censuit: « consuetudinem praedictam tamquam laudabilem esse in posterum, ut hactenus, servandam. » Die 10. Maii 1642.

1384. URBANIEN.

Archipresbyter Collegiatae Ecclesiae Mercatelli supplicavit mandari Canonicis dictae Ecclesiae continuationem soliti obsequii deducendi Archipresbyterum a suis aedibus ad Ecclesiam, dum itur ad assistendum Divinis. Et S. C. proponente Eño, et Rño D. Card. Montalto, censuit: « consuetudinem praedictam tamquam laudabilem esse in posterum, ut hactenus, servandam. » Et ita fieri mandavit die 10. Maii 1642.

1385. BALNEOREGIEN.

Capitulum Ecclesiae Cathedralis quaesivit:

1. Utrum Collegiata dictae Civitatis, quae in Processionibus consuevit incedere sub Cruce Cathedralis, debeat in funeralibus defunctorum propriae Parochiae incedere sub eadem Cruce, an e converso?

2. An liceat Priori, et Canonicis dictae Collegiatae deferre almutium de camellotto, vel de lana violaceis sine licentia Sedis Apostolicae?

Et S. C. die 31. Maii 1642., Decretis antiquis inhaerendo, respondit: « in deducendis funeribus, in quibus intervenit Capitulum Ecclesiae Cathedralis omnes funus associantes sub illius Cruce incedere debere. » Ad 2. « non licuisse, neque licere sine expressa Sedis Apostolicae licentia. » Die 31. Maii 1642.

1386. BITETTEN.

Capitulum Ecclesiae Cathedralis exposuit Baronem Bitetti Baldachinum in Ecclesia, alias iussu S. C. depositum, iterum, tolerante Episcopo, erexisse, et thurificationem a Caeremoniario immediate post Episcopum celebrantem exigere; supplicans propterea huiusmodi abusibus provideri. Et S. Cong. mandavit: « Baldachinum amoveri, et quoad thurificationem servandum esse Caeremoniale lib. 1. cap. 23. vers. Barones circa finem. » Die 31. Maii 1642.

1387. HIPPORECIEN.

Communitas Stambini petit declarari: verba illa *Ritualis in titulo de Processionibus. §. Laici a Clericis, foeminae a viris separatae orantes prosequantur*, an intelligenda sint, quod foeminae omnis generis, tam nobiles, quam ignobiles post viros tam nobiles, quam ignobiles post sequantur;

foeminas nobiles praetendentes immediate post viros nobiles incedere? Et Sac. C. respondit: « Rituale requirere, ut in Processionibus post Clerum viri a foeminis separatim incedant; caeterum quoad locum, et modum eundi nihil statuuisse. » Die 31. Maii 1642.

1388. MONTIS PELUSII.

Episcopus petit sibi committi, non obstante inhibitione R. P. D. Auditoris Camerae concessa Fratribus S. Francisci Minor. Conventual. circa deductionem Processionum per vias, et modum parum decenti; ut possit eisdem decernere loca, per quae dirigendae, et deducendae sint. Et S. C., iuxta alias Decreta, respondit: « ad Episcopum pertinere Processiones deducere, atque dirigere, de consilio tamen, non autem de consensu Capituli; monendum R. P. D. Auditorem Camerae, ut praedictam inhibitionem revocet, et ab his in posterum absteineat. » Die 31. Maii 1642.

1389. MEDIOLANEN.

Posita *Rubrica Breviarii in princ. §. 1. et 4. ibi De Sanctis Episcopis locorum etc., de quibus in Calendario Romano, seu Rubricis Breviarii nihil habetur etc. nihil propria auctoritate constituitur, sed omnino consulatur S. R. C.*, quaesitum fuit ab aliquibus Regularibus: an licite celebrari possint Officia Sanctorum Archiepiscoporum, de quibus nihil habetur in Calendario Romano, seu Rubricis Breviarii, omisso Officio de Feria, aut de Simplici occurrente? et Sac. Congregatio, proponente Eño Card. Caesarino, respondit: « licere Regularibus utentibus Breviario Romano Officia dictorum Archiepiscoporum celebrare, si eorum Festa apud Ecclesiam Mediolanen. consueverant per biscentum annos ante constitutionem S. M. Pii PP.V. celebrari, dummodo non sub altiore ritu, quam quo in eadem Ecclesia Mediolanensi recitantur. » Die 31. Maii 1642.

1390. RUSSIAE GRAECORUM.

Metropolita Ruthenorum Graeci Ritus Serenissimo Regi Poloniae subiectorum, et S. Romanae Ecclesiae unitorum exposuit, quod post celebratam sub S. M. Clemente VIII. anno 1595. unionem, quatuor Metropolitae sine pallio de Corpore B. Petri sumpto decessere, alio non usi nisi Stola Pontificali Graeco ritu, quam *Homofrion*, seu *Periforion* appellant, quam ipsi deinde Episcopi sibi subiectis tradere consueverunt, bona fide putantes Pallium non esse necessarium, vel a summo Pontifice cum ipsis fuisse dispensatum propter Schismaticos, ne forsitan ex hac novitate difficiliiores redderentur ad unionem cum Ecclesia Romana suscipiendam; et quod tam praedicti Metropolitae

defuncti, quam modernus adhuc vivens plures Consecrationes Episcoporum, Ordinationes Presbyterorum, et alias manuum impositiones, et munera Pontificalia gesserunt, de quorum validitate nunc dubitat: quamobrem petiit a Sede Apostolica, quid sibi in praefatis agendum sit? responderi, paratus si SS. D. N. placuerit, antiquum pallium Graeci Ritus deponere. Et Sac. C., re mature examinata, inclinavit, « ut Pallium de Corpore B. Petri sumptum dicto Metropolitanae instantissime petenti concedatur tradendum, et adhibendum iuxta consuetum usum Ecclesiae Romanae, relicto Episcopis Periforio, seu Homoforio, scilicet Stola Pontificali cum Crucibus rubris ad distinguendum eos a simplicibus Presbyteris, cum absolute antecessorum, et moderni Metropolitanae ob impensas sine Pallio Consecrationes, et similia. » Sed quia res visa est ulteriori discussione digna, mandavit haberi desuper Congregationem particularem coram Eñno Domino Card. Brancaccio cum Eñnorum Cardinalium, tum Praelatorum, et Theologorum reformationi Euchologii praepositorum. Die 31. Maii 1642.

1391. SAVONEN.

Propositum fuit dubium Episcopi Savonensis in praecedenti Congregatione dilatum: an permittendum sit Regularibus, ut possint in nocte Nativitatis Domini primam, secundam, et tertiam Missam celebrare? Et S. C. inhaerendo Decretis in hoc alias editis, respondit: « non expedire, ut a Regularibus huiusmodi ritus introducantur tamquam Rubricis Missalis, et inveteratae Ecclesiae consuetudini contrarii, ideoque illum in casu proposito non esse permittendum. » Die 31. Maii 1642.

1392. SAVONEN.

Vicarius Foraneus Marchionatus Finalis conquestus est de Fratribus Ordinis Praedicatorum Burgi *del Finale*, quod nimis frequentes sint in SS. Eucharistiae Sacramento, ex levissimis causis, et sine congrua decentia exponendo. Et S. C. mandavit: « servari Decreta antiqua super hoc edita, scilicet: non licere Regularibus etiam in eorum propriis Ecclesiis SS. Eucharistiae Sacramentum palam adorandum exponere, nisi ex causa publica, quae probata sit ab Ordinario, ex causa vero privata licere, dummodo non extrahatur e tabernaculo, et maneat velatum, ita ut ipsa Sacra Hostia videri non possit. Et ita servari mandavit, nec non circa decentiam in exponendum standum esse definitioni, et iudicio Ordinarii. » Die 31. Maii 1642.

1393. TARENTINA.

Promotor Curiae Archiepiscopalis quaesivit: utrum teneantur Fratres Minores Reformati Sancti Francisci accedere ad Processiones Rogationum,

et S. Cataldi Patroni: et an censuris possint compelli? et S. C. mandavit: « observari Decreta antiqua tam huius, quam Sac. C. Concilii: scilicet, dictos Regulares poenis arbitrariis cogi posse ab Episcopo ad interveniendum praedictis Processionibus, nisi docuerint de Apostolicis Privilegiis contrarium disponentibus, quae sint Sacro Concilio Tridentino posteriora. » Die 31. Maii 1642.

1394. AQUILANA.

Episcopus fundatus in asserta consuetudine memorabili eiusdem Ecclesiae permittendi Gubernatori, et Magistratui locum in Presbyterio, permisit bis, vel ter Praesidi Regiae Audientiae sedem cum duobus gradibus in eodem, cuius occasione cum Praeses eam deinde ad instar Cathedrae erexisset, coactus fuit illum a Presbyterio arcere; quamobrem concitata sibi Laicorum ira, S. Cong. consuluit: quid sibi in posterum agendum esset? supplicans sibi saltem permitti, ut, in casu absentiae Magistratus, locus illius in Presbyterio possit eidem Praesidi assignare. Et S. C., « damnando gesta per Episcopum, mandavit, scribi eidem, ut omnino servet Caeremoniale lib. 1. cap. 13. §. Sedes autem, et Nuncio Neapolitano, ut ei assistentiam praebet, ut in registro Literarum habetur. » Die 28. Iunii 1642.

1395. BRIXIEN.

Abbas Castillonis, qui habuit indultum a Sede Apostolica utendi Pontificalibus ornamentis in locis temporali Dominio Marchionis Castillonis subiectis, supplicavit declarari: utrum iis uti liceat etiam extra limites illius, de licentia tamen Dioecesanorum? Et S. Cong., Decretis antiquis inhaerendo, respondit: « non licere absque indulto Sedis Apostolicae, nec sine, nec cum licentia Dioecesanorum. » Die 28. Iunii 1642.

1396. GRASSEN. IN GALLIA.

Episcopus consuluit S. C., quid sibi agendum esset in sua Ecclesia, in qua asserit antiquam vigere consuetudinem singula tertia Dominica Mensis, loco Missae Conventualis, celebrandi Missam votivam solemnem de SS. Sacramento? Et S. Cong. respondit: « omittendam nullatenus esse Missae Conventualis solemnem celebrationem propter Missam votivam, consuetudine quavis contraria non obstante, ut in Registro Literarum. » Die 28. Iunii 1642.

1397. MATERANEN.

Quaesivit, proponente Eñno, et Rmo Cardinali S. Ceciliae, Cantor secunda Dignitas Ecclesiae de Ferrandina:

1. An Archipresbyter, prima Dignitas dictae Ecclesiae Collegiatae, non habens usum Mitrae, nec

Baculi, in celebratione Missae Conventualis, praeter Diaconos, et Subdiaconos assistentes, possit adhibere alium assistentem cum Cappa, et Pluviali?

2. Utrum idem Archipresbyter thurificandus sit triplici ductu, et num idem agendum sit cum Cantore secunda Dignitate?

3. Utrum in Processionibus Archipresbyter praedictus aequaliter cum Cantore bini incedere debeant, an potius Archipresbytero liceat in fine solus cum habitu consueto nigro talari incedere?

Et S. C. respondit: Ad 1. « non licere. » Ad 2. « non esse thurificandum nisi duplici ductu, ut et Cantor. » Ad 3. « non licere nisi Archipresbyter cum habitu sacro, Cantor vero sine illo incedat. » Die 28. Iulii 1642.

1398. DUBIUM.

Dubitatum fuit: an Ordinarii locorum, quibus diriguntur literae Apostolicae benedictionis agrorum cum his verbis: *auctoritate nostra benedicat, seu benedici cures*, in subdelegando deputare possint Sacerdotes ad libitum; an rationem habere debeant dignioris in loco? Et S. C., iuxta consuetum tenorem huiusmodi Brevium, respondit: « non teneri ad eligendum digniorem, sed eorum arbitrio esse relinquendum. » Die 28. Iunii 1642.

1399. UGENTINA.

Quidam Barones, et Domicelli thurificationem duplici, vel triplici ductu immediate post Presbyterum, et alios Sacerdotes in Ecclesiis Parochialibus, non tamen Collegiatis, exigunt ab eodem Ministro, a quo celebrans recipit; quapropter Episcopus supplicavit sibi praescribi: quid in his servandum sit? Et S. C., iuxta alias Decreta, respondit: « Barones Dominos loci in Parochialibus non habentibus Canonicos, sed tantum Archipresbyterum curam exercentem cum aliquibus Presbyteris, sive Clericis, thurificandos esse duplici ductu ab eodem Ministro, qui caeteros thurificat, immediate post Celebrantem, et Diaconum, et Subdiaconum sacris ministrantes, et Archipresbyterum, ante alios Clericos dietae Ecclesiae Parochialis. » Et ita servari mandavit die 28. Iunii 1642.

1400. VENETIARUM.

Erasmus D. Card. Cornelius Patriarcha Venetiarum quaesivit: an possint Episcopi de licentia Dioecessani benedicere Calices, Patenas, et Cruces, Paramenta, Vestes Sacerdotales, et similia privatim, et sine solemnitate. Et S. C. respondit: « non posse in casu proposito. » Die 28. Iunii 1642.

1401. INTERAMNEN.

Orta controversia inter Canonicos Ecclesiae Cathedralis, et Magistratum, Canonici recursum habuerunt ad S. C. petentes declarari infrascripta, et

respective mandari super eisdem observantiam Caeremonialis.

1. Magistratus, qui antehac consueverat in concione sedere a sinistris Episcopi remotius ab illo, et in scamno eiusdem qualitatis cum illo, quo Canonici a dexteris sedent, nunc usurpat sibi sessionem ad dexteram in scamno eminentiore, et proximo Episcopo cum genuflexorio.

2. Idem Magistratus contra formam Caeremonialis usurpat sessionem in Presbyterio e regione Episcopi cum genuflexorio, quo nec ipse Episcopus utitur.

3. Contra eiusdem Caeremonialis dispositionem, praetextu cuiusdam Decreti Episcopalis, thurificationem exigit eodem tempore, quo Canonicis exhibetur.

4. Distributionem Candelarum ante Canonicos, vel eodem saltem tempore postulat.

5. Idem de Cineribus.

6. Idem de Palmis.

7. Idem de adoratione Crucis feria 5., et 6. maioris hebdomadae.

8. In Processionibus SS. Corpori Christi locum sibi vindicat immediate post SS. Sacramentum.

9. Idem Magistratus ab immemorabili tempore consuevit in ipso die sui ingressus ad Ecclesiam cathedralem accedere, et Missae solemniter interesse, et publicam eleemosynam elargiri, nunc, praedictorum obtentu, neutrum facere contendit.

Et Sacra Congregatio, proponente Ermo, et Rmo Cardinali Rocco, Partibus in ius vocatis, ac Decretis alias editis inhaerendo, ad 1. respondit: « Magistratui non licere occupare locum Capituli, et Cleri, qui debet esse dignior immediate post Episcopum. » Ad 2. 3. 4. 5. 6. 7. et 8. « servandum omnino esse Caeremoniale. » Ad 9. eum Magistratum teneri consueta obsequia, et accessus in diebus solitis, et solemnibus Ecclesiae Cathedralis praestare, et ad id cogi posse. » Et ita in die 19. Iulii 1642.

1402. PISTORIEN. PRAECEDENTIAE.

Proposita fuit per Ermo D. Card. Caesarinum Causa praecedentiae inter Abbatem S. Bartolomaei Ordinis Canonicorum Regularium Lateranensium, et Abbatem S. Michaelis Ordinis S. Benedicti Congregationis Vallisumbrosae praetendentem, nolle assentiri praecedentiam Abbatibus Lateranensibus, quando incedunt cum mozzetta, eo quia tunc non incedant in habitu Clericali, sed Monachali, iuxta formam praescriptam in sententia Pii IV. *Bullario novo constit.* 75. Et S. C. animadvertens in Canonicis Regularibus Lateranensibus duplicem esse

naturam, nimirum Saecularis et Regularis, et mozzettam in ipsis esse non posse nisi signum Regularitatis, tum quia ipsius delatio eis permittitur ab eadem S. C. etiam praesentibus Episcopis, ut in *Vercellen.* 9. Decembris 1617., et 30. Martii 1621., tum etiam quia in colore non concordat cum Clericali, quae debet esse violacea, et non nigra; inhaerendo eidem sententiae Pii IV. censuit: « ab Abbate S. Michaelis Congregationis Vallisumbrosae deberi praecedentiam Abbati S. Bartholomaei Canonico Lateranensium, dummodo iste in habitu Clericali, vesteque linea sine pallio nigro, et sine Mozzetta incedat. » Die 19. Iulii 1642.

1403. DE SACRIS IMAGINIBUS.

Die 26. Iulii 1642. Publicatum fuit Breve SS^{mi} D. N. PP. Urbani VIII. de consilio S. C. emanatum de sacris Imaginibus sub novis habitibus non exponendis, et non nisi ea forma, qua ab antiquo tempore consueverat in Ecclesia Romana exhiberi, tenoris, ut infra. Causa vero huius reformationis potissima fuit abusus, qui paulatim irreperat pingendi Imagines D. N. I. C. et B. Mariae Virginis, ac Sanctorum cum habitibus Ordinum Regularium, ut Carmelitarum, Cruciferorum, vel Nationum, ut Gallicae, Hispanicae, et similibus, quod non solum falsitatem praeseferebat, cum veritatem oppugnet, quam Ecclesia debet sectari, et colere in omnibus etiam extrinsecis, praesertim in Imaginibus, quae sunt Cathedismis Idiotarum, et rudium; sed etiam dissensiones inter Ordines et Nationes gignebat, et nundinationibus, ac avaritiae fomitem praebat Apostolicae Sedis providentia omnino extinguendum.

Constitutio, cuius supra mentio facta est, hic subiicitur.

De Veneratione SS. Imaginum habes Gregorii XIII. Constit. 51. Sanctissimus etc., tomo 4. part. 3. Magni Bullarii pag. 311. §. 15. circa formam autem et habitum Sacrarum Imaginum lege Sacrosanctae Tridentinae Synodi Decretum.

URBANUS PAPA VIII. Sacrosancta Tridentina Synodus optime agnoscens non leve scandalum afferre posse, si quid inordinatum, aut praepostere accommodatum, vel profanum in Ecclesiis appareat, statuit, nemini licere ullo in loco, vel Ecclesia etiam quomodolibet exempta ullam insolitam Imaginem ponere, vel ponendam curare, nisi ab Episcopo adprobata fuerit.

§. 1. Cum autem, sicut accepimus, ex praedicti Decreti inobservantia varii abusus irrepererint; idcirco Nos abusus huiusmodi tollere pro debito pastoralis Officii nostri volentes, re etiam cum Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus

Sacris Ritibus praepositis communicata, et mature considerata, et discussa, inhaerendo dictae dispositioni Sacrosanctae Tridentinae Synodi, motu proprio, et ex certa scientia nostra, deque Apostolicae potestatis plenitudine, ne quis cuiuscumque gradus, qualitatis, ordinis, status, vel conditionis, ac dignitatis, et praecminentiae etiam Ecclesiasticae, etiam individua, et speciali expressione dignae existat, Imagines D. N. I. C., et Deiparae Virginis Mariae, ac Angelorum, Apostolorum, Evangelistarum, aliorumque Sanctorum, et Sanctarum quoruncumque sculperet, aut pingere, vel sculpi, aut pingi facere, aut antehac sculptas, pictas, et alias quomodolibet effictas tenere, seu publico aspectui exponere, aut vestire, cum alio habitu, et forma, quam in Catholica, et Apostolica Ecclesia ab antiquo tempore consuevit, nec etiam cum habitu peculiari alicuius Ordinis Regularis, tenore praesentium prohibemus, ac, ut Imagines aliter pictae, vel sculptae ab Ecclesiis, et aliis locis quibuslibet amoveantur, et deleantur, vel reducantur, et reformentur ad habitum, et formam in Ecclesia Catholica, et Apostolica ab antiquo tempore consuetam, ut veneratio, et cultus sic dictis Imaginibus augeatur, et quae oculis Fidelium subiiciuntur, non inordinata, nec insolita appareant, sed devotionem pariant, et pietatem; et ne exponantur in Ecclesiis, quibuslibet, ac quomodolibet qualificatis, ac earum frontispiciis, et atriis imagines profanae, vel alias indecentiam, et inhonestatem praeseferentes, cum Domum Dei deceat sanctitudo, praecipimus. Quocirca quibuscumque Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, et aliis locorum Ordinariis, ac Nostris, et Apostolicae Sedis Nunciis, Legatis, etiam de latere, sub obstestatione divini iudicii mandamus, ut praedicta inviolabiliter, et exacte observent. Mandantes insuper omnibus Capitulis Ecclesiarum etiam Cathedralium, et maiorum, Universitatibus etiam studiorum, Monasteriis, ac Collegiis, et personis quibuscumque etiam Ecclesiasticis, Saecularibus, et Regularibus cuiuscumque Ordinis etiam Cisterciens. Instituti, Congregationis et Societatis etiam Iesu, etiam Militaribus, etiam Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, aliorumque Militarum, et caeteris quibuscumque, quomodolibet qualificatis, ac eadem individua expressione, et speciali nota dignis, ac Monialibus, etiam Regularium gubernio subiectis, ac etiam Sedi Apostolicae immediate suppositis, ut in eorum Ecclesiis, et locis omnia, et singula praemissa observent, et observari faciant.

§. 2. Quatenus vero ipsi, praesertim Regulares,

ac Moniales praesentibus literis, ac omnibus in eis contentis parere neglexerint, possint, et debeant. Episcopi, et locorum Ordinarii, et Metropolitanus, Primates, et Patriarchae, Nuncii, et Legati Apostolici de Latere missi, tamquam in hoc a Sede Apostolica specialiter delegati, contra omnes, et singulos praedictos, et quoscumque alios quomodolibet inobedientes, et transgressores procedere, et quaecumque appellatione, recursu, reclamatione, aliisque iuris, et facti remediis ordinariis, et extraordinariis penitus, et omnino remotis, ad omnimodam observantiam illos praevia unica monitione, censuris Ecclesiasticis, et aliis eorum arbitrio, et praesertim, quoad loci Superiores etiam privationis officii, et vocis activae, et passivae poenis compellere.

§. 3. Praesentes quoque literas, et in eis contenta quaecumque nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel quocumque alio, etiam quantumvis substantiali defectu notari, impugnari, vel redargui posse, sed illas semper validas, firmas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios effectus sortiri, et obtinere, et ab omnibus, ad quos spectat, et spectabit in futurum, inviolabiliter observari.

§. 4. Sicque, et non aliter in praemissis per quoscumque Iudices, Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos nunc, et pro tempore existentes, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, seu interpretandi facultate, et auctoritate iudicari, et definiri, et interpretari debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

§. 5. Non obstantibus fel: rec: Bonifacii Papae VIII. Praedecessoris nostri de una, et Concilii generalis de duabus dietis, aliisque Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis in favorem etiam personarum, atque Ordinum quorumcumque etiam Cisterciensium, ac tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Militarium, etiam S. Ioannis Hierosolimyitani, Congregationum, Societatum etiam Iesu, ac cuiusvis alterius Instituti, etiam necessario, et individue exprimen. Monasteriorum, Conventuum, Capitulum, Ecclesiarum, et aliorum quorumcumque tam Saecularium, quam Regularium locorum, necnon illorum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis, et privilegiis, etiam in corpore iuris clausis, aut ex causa, et titulo oneroso, vel in limine foundationis

concessis etiam, Mari magno, seu Bulla aurea, aut alias nuncupatis, Conservatorum deputationibus, eorumque, atque aliis inhibitionibus, quibus Episcopi, et alii Ordinarii, et Superiores praedicti deferre minime teneantur, et quibusvis aliis, sub quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, necnon irritantibus Decretis, etiam motu proprio, et ex certa scientia, ac de Apostolica potestatis plenitudine, aut alias quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, et iteratis vicibus approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per Clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis, et ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Et ne praemissorum ignorantia possit ab aliquo praetendi, volumus, et Apostolica auctoritate decernimus, ut praesentes Literae, seu illarum exemplum ad valvas Basilicae Principis Apostolorum Urbis, ac in acie Campi Florae affixae, omnes perinde arceant, atque afficiant, ac si uni-que personaliter intimatae fuissent.

§. 7. Quodque praesentium transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, ac sigillo alicuius personae in Dignitate Ecclesiasticae constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub anno Piscatoris die 15. Martii 1642. Pontificatus nostri XIX.

1404. LUNEN. SARZANEN. PRAEEMI- NENTIARUM.

In Ecclesia Sarzanensi ex fundatione Testatoris, auctoritate ordinaria erectus fuit Canonatus cum Praebenda Sacerdotali, et cum plenitudine iuris Canonialis, subsequuta confirmatione Apostolica cum conditione tam in erectione, quam in confirmatione praedictis apposita, quod provisos non possit de distributionibus quotidianis, aliisque emolumentis mensae capitularis participare, vel ius optandi, conferendi, instituendi, ac nominandi, si quid Capitulo competat praetendere, neque etiam vocem in Capitulo, nisi pro rebus dictae Ecclesiae tantum, non autem mensae habere; et cum hoc,

quod ultimum, et inferiorem locum post omnes dietae Ecclesiae Canonicos in ea Canonicatus, et Praebendas de praesenti institutas habentes tam sedendo, quam incedendo tenere debeat. Cum vero postmodum ab Episcopo ad formam Sac. C. Trid. facta fuerit distributio Ordinum, et distinctio Praebendarum, quae alias erant confusae, in Subdiaconales, et Diaconales, et Presbyterales, ea a Sacra R. C. approbata, quaesitum fuit: an huiusmodi Canonicus sic institutus debeat habere locum inferiorem inter omnes Canonicos tam Presbyteros, quam Diaconos, et Subdiaconos? Et S. C. proponente Eño, et Rño D. Cardinali Pallotto, censuit: « Canonicus, praedicto, ita ut praefertur instituto, semper, et perpetuo deberi ultimum locum in ordine Canonicorum Presbyterorum. » Die 9. Aug. 1642.

1405.

AQUILANA.

Episcopus, cui S. C. consulenti alias responsum fuit: « nec Magistratum dietae Civitatis, nec Praesidem, aut Regiam Audientiam admittendos esse in Presbyterio, non obstante consuetudine respectu Magistratus praetensa, » iterum supplicavit id saltem permitti Praesidi, secluso Magistratu. Et S. C. « stetit in Decretis, ut servetur Caeremoniale, sed si opus fuerit, Episcopo ad aures insinuetur, ut prudenter se gerat. » Die 16. Augusti 1642.

1406.

BITETTEN.

Baro Bitetti, qui est etiam Marchio Ceglieae, cum Baldachini usum ex indulgentia Episcopi antecessoris assumpsisset, et eidem S. C. alias deponi mandasset, recursum ad eandem habuit, exhibendo indultum eiusdem Episcopi per apocham concessum, et petens propterea in quasi possessione manuteneri. Et S. C. admisit quidem excusationem in praeterito, stante bona fide allegata, sed pro futuro *stetit in Decretis, ut deponeretur*, quibus quidem Baro omnino obtemperatum professus est. » Die 16. Augusti 1642.

1407.

CAMPANIEN.

Episcopus veritus, ne novus Princeps illius Civitatis Baldachini usum, quem nullus adhuc e Praedecessoribus usurpavit, necnon pulsum campanarum in eius solemnibus ingressu postulet, S. C. consuluit: quid sibi in praemissis sit agendum? et Sac. C. « quoad Baldachinum *mandavit*, dari Decreta antiqua, quoad vero ad pulsum Campanarum, oretenus insinuari, ut Ecclesiastici omnino abstineant. » Die 16. Augusti 1642.

1408.

CATHACEN.

Episcopus conquestus est de aliquibus Regularibus, quod in Missis privatis, et forsitan etiam in Solemnibus librum Evangeliorum Praesidi Regiae Audientiae ad osculum praebeant, et quod

propterea idem Praeses coeperit praetendere in Cathedrali eandem praerogativam, et propterea, ut tam liber praedictus, quam thurificatio eodem tempore, quo Episcopo, exhibeatur; petens idcirco sibi praescribi: quid in hoc sit servandum? Et S. C. respondit: « servanda esse Decreta antiqua, et exprimenda nomina Regularium. » Die 16. Augusti 1642.

1409. ECCLESIIEN. IN SARDINIA.

Universitas, quae elegerat pro Patrona minus principali B. Virginem de Monte Carmelo, existente Patrono Principali S. Antiocho, supplicavit pro approbatione, ita ut posset die 16. Iulii solemnitas illius sub dup. mai. celebrari, et Officium particulare de B. M. assignari ex Breviario Romano. Et S. C. « improbavit abusum in electione Patronorum praefereendi B. M., et aliis Sanctis maioris ordinis Sanctos minoris ordinis, et non servandi etiam in hoc Hierarchiam saltem respectu Sanctorum, qui ab Ecclesia habent specialem adorationem; *et in reliquis respondit*: assumendum esse Festum aliquod B. M. ex duplicibus Maioribus. » Die 16. Augusti 1642.

1410.

PARISIEN.

Cum ex antiqua consuetudine in Ecclesia Parisiensi passim recitentur, et impressae post Breviaria publicae venales habeantur Litaniae Nominis Iesu, supplicarunt Sacerdotes Missionarii pro illarum approbatione. Et S. C. antiquis Decretis inhaerendo, et praesertim « Decreto S. M. Clementis VIII. abnuit, cum Ecclesia non consueverit approbare alias Litanias, quam communes Sanctorum, et S. Mariae Lauretanae. » Die 16. Augusti 1632.

1411. PRO OBSERVATIONE FESTORUM.

Urbanus Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Universa per Orbem novit Ecclesia Romani Pontificis supremam incumbere sollicitudini, Dominicum gregem ad aeternam dirigere salutem, et apostolica sic explicare praecepta, ut Fideles in viam mandatorum currere, et ad beatitudinem feliciter valeant pervenire.

§. 1. Plurimorum siquidem Venerabilium Fratrum Nostrorum Archiepiscoporum, et Episcoporum per varias regiones constitutorum relatione, ad Nos pervenit, Festorum multitudinem per singulas eorum Dioeceses, et provincias adeo crevisse devotione, atque consuetudine nova in dies introducente, ut multi iam dubitare videantur, quatenam ex praecepto, quaeve ex libera cuiusque voluntate sint servanda, pietatis fervore ob nimiam eorundem numerositatem tepescente. Quin imo, et clamor pauperum frequens ascendit ad Nos, eandem mul-

titudinem ob quotidiani victus laboribus suis comparandi necessitatem, sibi valde damnosam conquerentium, et quod summopere dolendum est, magno cum animi nostri moerore didicimus, tanta saepe saepius machinatum inimicum in Sanctos, ut ipsa multitudine, non ad aedificationem, et ad laudandum in Ecclesiis Deum populi utantur, sed ad otia, vanitates, et vitia frequenter abuti non formident, ita ut quae ad glorificandum divinum Numen sunt primitus instituta, temporis decursu inimicus homo corruperit, et in magnam illius offensionem, gravemque iacturam converterit animarum. Quamobrem dicti Venerabiles Fratres Archiepiscopi, et Episcopi, Nobis fecerunt humiliter supplicari, ut in praedictis de Apostolicae potestatis plenitudine congruam aliquam iniremus rationem.

§. 2. Nos itaque volentes ex debito Pastoralis Officii providere, et sanctificationis Festorum certum deinceps firmare praeceptum, antiquam Ecclesiae in hoc consuetudinem sectantes, habitis prius frequentibus per doctos, piosque Viros, quos ad haec specialiter deputavimus, consultationibus, ut rei videtur gravitas postulare, Motu proprio, et ex certa scientia, meraque deliberatione nostris, nec non de praedictae Apostolicae plenitudine potestatis, hac perpetuo valitura Constitutione, de voto etiam Ven. Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Sacris Ritibus Praepositorum, Apostolica auctoritate decernimus, et declaramus, infrascriptos dumtaxat dies pro Festis ex praecepto colendos esse, quos nempe vel ab initio veneranda sacravit antiquitas, vel universalis Ecclesiae probavit consuetudo, vel omnium gentium unanimis pietas veneratur. Dominicos scilicet dies totius anni, Nativitatis D. N. I. C., Circumcisionis, Epiphaniae, Resurrectionis, cum duabus pariter sequentibus feriis, Ascensionis, Pentecostes cum duabus pariter sequentibus feriis, SS. Trinitatis, Solemnitatis Corporis Christi, et Inventionis S. Crucis; necnon Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, et Nativitatis Deiparae Virginis, Dedicationis S. Michaelis Archangeli, Nativitatis S. Ioannis Baptistae, SS. Petri, et Pauli, S. Andreae, S. Iacobi, S. Ioannis, Sancti Thomae, SS. Philippi, et Iacobi, S. Bartholomaei, S. Matthaei, SS. Simonis, et Iudae, et S. Mathiae Christi Domini Apostolorum; item S. Stephani Protomartyris, SS. Innocentium, Sancti Laurentii Martyris, S. Silvestri Papae, et Confessoris, Sancti Iosephi etiam Confessoris, et S. Annae Deiparae respectivae Sponsi, ac Genitricis, solemnitatis omnium Sanctorum, atque unius ex principalioribus Patronis in quocumque Regno, sive Provincia, et alterius pariter prin-

cipalioris in quacumque Civitate, Oppido, vel Pago, ubi hos Patronos haberi, et venerari contigerit.

§. 3. Ad reliquorum vero dierum observantiam, quos haecenus, sive in universa Ecclesia, sive in quavis Natione, aut Regno, Provincia, Dioecesi, aut loco quomodocumque, sive ex praecepto, sive ex consuetudine, sive ex devotione, Christi Fideles tamquam festivos celebrarent, nequaquam ex praecepto ipsos teneri, dicta auctoritate tenore praesentium perpetuo etiam decernimus, et declaramus. Ne autem dies festos a locorum Ordinariis, nimia aliquorum facilitate, aut Populorum importunitate deinceps iterum multiplicari contingat, eosdem Ordinarios in Domino monemus, ut ad Ecclesiasticam ubique servandam aequalitatem de cetero perpetuis futuris temporibus ab indictione sub praecepto novorum festorum studeant abstinere. Ut vero ea, quae superius expressa sunt, ferventiori, qua decet veneratione, ac devotione colantur, eisdem Ordinariis, antiquiorum Canonum observantiam ad memoriam revocamus, in concedendis licentiis laborandi diebus festis; quae quidem licentiae non aliter, quam ad formam praedictorum Canonum, ut praemittitur, concedendae, non nisi gratis, libere, et sine ullo prorsus pretio, aut pacto, directe, vel indirecte, concedantur, sub poenis etiam gravioribus nostro, successorumque nostrorum arbitrio infligendis. Non intendimus tamen per hanc nostram Constitutionem dies feriatos circa iudicialia in aliquo immutare, quos ad hunc effectum relinquimus in iisdem statu, et terminis, in quibus erant ante eiusdem promulgationem.

§. 4. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, et sub indignationis nostrae poena, nunc, et pro tempore existenti nostro in Urbe, eiusque districtu Vicario in spiritualibus generali, ac universis, et singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque Praelatis, ac cuiuscumque generis locorum Ordinariis, et si Cardinalatus honore fulgeant, ut has praesentes literas, omniaque, et singula in eis contenta singuli videlicet in eorum respective Dioecesibus publicent, et ab omnibus eorum subditis ad unguem observari faciant.

§. 5. Non obstantibus quibusvis Apostolicis, etiam in Provincialibus, Synodalibus, et universalibus Conciliis editis, et edendis specialibus, vel generalibus Constitutionibus et Ordinationibus, ac singularum Provinciarum, Civitatum, Oppidorum, et Locorum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus longissimo tempore praescriptis, ac observatis, etiam immemorabilibus,

privilegiis quoque, indultis, decretis, declarationibus, et literis Apostolicis, aliisque gratis, tam per ipsos Romanos Pontifices Praedecessores nostros, ac per Nos etiam motu simili, etiam concistorialiter, quam per Ordinarios Locorum cuiuscumque qualitatis, etiam Cardinalatus honore, ut praefertur, fulgentes, Legatos etiam de Latere, et Sedis Apostolicae Nuncios, ipsius Provinciae, Civitatibus, Oppidis, et Locis, aliisque quibuscumque etiam quantumvis privilegiatis personis, etiam Imperatoris, Regum, Reginarum, Rerumpublicarum, Ducum, aut aliorum Principum contemplatione, vel intuitu, ac alias in contrarium forsitan quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, et si alias pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata inserti forent, eisdem praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus harum serie specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, ut earundem praesentium transumptis etiam impressis, et manu Notarii publici subscriptis, ac sigillo personae alicuius in Dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides, ubique locorum tam in iudicio, quam extra illud adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

§. 7. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrorum Decretorum, declarationum, monitionis, intentionis, mandati, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicae 1642. Idibus Septembris Pontificatus nostri Anno XX.

1412. CALAGURITANA.

Capitulum Ecclesiae Collegiatae Civitatis de Victoria petit mandari observantiam Decretorum S. C., quod clavis Sacrarum SS. Corporis Christi in fer. V. asservatur, non custodiatur a Laicis etiam illustribus, qui plerumque id sibi usurpare conantur, et S. Congr., Decretis antiquis inhaerendo, respondit: « Clavem Tabernaculi, in quo SSimum Eucharistiae Sacramentum fer. V. in Coena Do-

mini asservatur, nequaquam Laicis etiam illustribus tradendam esse, sed potius Dignitati, vel Canonico in crastinum celebraturo. » Et ita in Ecclesia praedicta servari mandavit die 13. Septemb. 1642.

1413. CREMONEN.

Confraternitate disciplinatorum de Cassano praetendente vigore aggregationis Archiconfraternitati SS. Trinitatis de Urbe, exponere semel in mense SS. Sacramentum in forma quadraginta horarum, Parochus dicti loci supplicavit declarari: an id ei liceret? Et Sac. C., Decretis antiquis inhaerendo, respondit: « Confraternitates vigore cuiuscumque aggregationis non posse exponere SS. Eucharistiae Sacramentum sine licentia Ordinarii. » Die 13. Septembris 1642.

1414. CAIACEN.

Archidiaconus prima Dignitas Ecclesiae Cathedralis petit declarari: ad ipsum spectare Episcopales functiones peragere, absente, vel impedito Episcopo. Et S. C., antiquis Decretis inhaerendo, respondit: « functiones solemnes, quas Episcopus, si praesens esset, obiret, ipso absente, vel impedito ad digniorem de Capitulo, quocumque nomine nuncupetur pertinere, dummodo sit in Sacerdotio constitutus. » Die 13. Septembris 1642.

1415. CASTELLANATEN.

Archidiaconus prima Dignitas Ecclesiae Cathedralis conquestus est de Thesaurario tertia Dignitate, qui tamquam Curatus praetendit incedendo cum Stola ipsum praecedere capitulariter procedentem, necnon functiones solemnes, absente Episcopo, peragere. Et Sac. Cong., Decretis antiquis inhaerendo, respondit: « locum digniorem in funeralibus semper relinquendum esse Capitulo, et Clero Ecclesiae Cathedralis. » Ad 2. « ut supra in Caiacen. » Die 13. Septembris 1642.

1416. RAVENNATEN.

Orta non ita pridem controversia praecedentiae inter Capitulum, et Magistratum Sapientum Civitatis Ravennae, eorumque singulares personas, eaque discussa, et examinata per Congregationem particularem a SS. D. N. deputatam, cum interventu Emorum DD. Card. Caietani, Sacchetti, et Pamphili, nec non RR. DD. Maraldi, Cerri, Contelorii, et Cineii Secretarii S. R. C.

Emanavit desuper ex sententia eiusdem Congregationis Breve tenoris sequentis, videlicet: « quod quandocumque in Ecclesiis, vel alibi Archidiaconus, Praepositus, et Capitulum simul esse contigerit, debeatur eidem Archidiacono, Praeposito, et Capitulo praecedentia supra dictum Magistratum: ubi vero concurrant Corpus Magistratus, et Archidiaconus, vel Praepositus, aut Canonici uti singuli,

praecedentia debeatur eidem Magistratui; et ubi Personae Magistratus interfuerint uti singulae, quamvis in habitu, et cum servis Magistratus, debeatur praecedentia Archidiacono, Praeposito, et Canonicis pariter uti singulis, sive stantibus, sive incedentibus, sive sedentibus. » Sed cum super executione huiusmodi Brevis difficultates multae subortae fuissent; ad sedanda scandala erumpentia, Eñus, et Rñus D. Card. Capponius Archiepiscopus ibidem tunc praesens, vocatis coram se partibus, ita ut sequitur de consensu utriusque quaestionem diremit, videlicet:

1. « Quod Capitulum Ecclesiae Metropolitanae in corpore praecedere debeat Magistratui in corpore cum insigniis incedenti tam in Ecclesia, quam extra. »

2. « Quod Archidiaconus, Praepositus, et Canonici uti singuli praecedentiam cedant Magistratui collegialiter incedenti. »

3. « Quod si contigerit Caput Magistratus, et alios Sapientes per Civitatem incedere non quidem collegialiter, sed uti singuli sine insigniis tamen Magistratus, et sic invicem obviare, tunc ille praecedentiam (sive ut vulgo dicitur *il muro*) retineat, qui dexteram obtinet. »

4. « Quod iidem Sapientes Magistratus uti singuli cum insigniis praecedant Canonicis uti singulis. »

5. « Quod Canonici uti singuli praecedant Sapientibus uti singulis quamvis cum famulo publico, sine tamen insigniis, incedentibus. »

Quae quidem Articula sic conclusa eadem C. examinavit, et attentis narratis ab Eño, et Rño D. Card. Capponio Archiepiscopo approbari posse censuit, si SS. D. N. placuerit. Et facta per me Secretarium infrascriptum praemissorum relatione SS., Sanctitas Sua sententiam dictae Congregationis approbavit, et iuxta illam Breve expediri mandavit hac die 24. Septembris 1642.

1417. CALAGURITANA.

Capitulum, et Clerus insignis Collegiatae Civitatis de Victoria petiit declarari: non licere, ut Processio Corporis Domini in die Solemnitatis eiusdem intret, et transeat per Ecclesias, et Claustra Conventuum S. Dominici, et S. Francisci. Et Sac. Congr., Decretis antiquis inhaerendo, respondit: « Processiones dirigere, atque deducere ad Episcopum de consilio tamen Capituli Ecclesiae suae pertinere. » Die 22. Novembris 1642.

1418. MARIANEN.

Quaesivit Episcopus Marianensis: utrum Laicis aliquod ius adquiratur in sedibus, et scamnis, quae in Ecclesiis tenere consueverunt, ita ut ab

ipso Episcopo removeri non possint? Et S. Cong. respondit: « Laicis ius in praedictis non adquiri, quominus Episcopo liceat ex causa super his disponere. » Die 22. Novembris 1642.

1419. NULLIUS PROVINCIAE CAPUANAE.
Quaesitum fuit: an Clericus, vel Presbyter Ecclesiae receptitiae relinquens servitium illius ratione Beneficii incompatibilis obtenti, et postmodum de consensu Capitularium receptus iterum ad eandem, gaudeat privilegio antianitatis, quam obtinebat antequam a dicto servitio discederet? Et S. C. in casu proposito censuit: « antiqua antianitate non gaudere. » Die 22. Novembris 1642.

1420. RUSSIAE PALLII GRAECORUM.
Relatae fuerunt per Eñum D. Card. Brancacium literae Nuntii Apostolici Poloniae cum informatione, et voto ipsius, super petitione in praecedenti Congregatione sub die 31. Maii 1640. facta circa traditionem Pallii pro Metropolita Ruthenorum, quae in substantia tria continent.

1. « Non expedire, ut mutetur antiquum Homoforium, ne querelis locus detur, quae pro alternationibus minoris ponderis, videlicet, quod Episcopi Graeci uniti habitum externum Episcoporum Latinorum assumerent, illic accidere. »

2. « Quod in unione sub Clemente VIII. nihil fuit circa Pallium innovatum, et S. Inquisitio in abiurando Schismate nihil quoad Episcoporum consecrationem exigit. »

3. « Expedire, ut Homoforia de Corpore Beati Petri, ut et Pallia Latina desumantur, et Metropolitanis, atque Archiepiscopis Graecis, iuxta formam benevisam mittantur. »

Et S. C. scilicet Brancaccius, Roccus, Bragadinus, et Sacchettus fuerunt in voto, « quod daretur Pallium Metropolitanae more Romano, et quod Pallium praedictum sit de materia lanea, de forma vero graeca ab instar Homoforii, quod quidem Homoforium relinquatur Episcopis in genere tamquam nudum ornamentum. » Pamphilius vero, et Pallotus fuerunt in voto, « ut supersederetur nihil respondendo, sed interim consulatur unus Religiosus, qui scrutetur antea necessaria circa scandalum. *Omnes tamen convenerunt*, quod de rigore iuris Pallium latinum de Corpore B. Petri Metropolitanae petendum in terminis Cap. Antiqua de privileg., retento ad instar simplicis ornamenti Pontificalis antiquo Homoforio, sed propter periculum magni scandali resolutionem esse differendam, quousque res quoad scandalum melius claruerit, ut supra. »

Ad 2. « Quoad actus hactenus gestos sine Pallio esse quidem validos, quamvis peccaminosos respectu agentis; sed visum est cessare peccatum,

attenta bona fide Metropolitanorum, quae in facto supponitur. » Die 22. Novembris 1642.

1421. TOLETANA.

Fratres S. Francisci Minorum Observantium Conventus Sancti Gregorii de Morra petierunt sibi concedi ob angustiam claustrum, ut Processionem singulis feriis sextis fieri solitam, ducere possint per circuitum Conventus praedicti, et horti eiusdem. Et S. Congr., attentis narratis, et antiquis inhaerendo Decretis, respondit: « Oratoribus licere prope muros Ecclesiae, et Conventus proprii inclusive, non vero extra ambitum eiusdem, Processiones habere. » Die 22. Novembris 1642.

1422. BERGOMEN.

Canonici Ecclesiae Cathedralis supplicarunt pro confirmatione conventionis inter ipsos initae, ut Missae Conventuales in diebus ferialibus celebrentur a Cappellanis proprio stipendio conducendis, quas Missas ipsi Canonici absque ministris hactenus celebrare consueverunt. Et S. C., proponente Eñõ, et Rñõ Dño. Card. Pamphilio, respondit: « conventionem praedictam non esse observandam. » Die 17. Decembris 1642.

1423. MAZARIEN.

Petit Eñõs D. Card. S. Caeciliae Archiepiscopus Mazariensis infrascriptorum Dubiorum declarationem.

1. An possit animadvertere contra Regulares, qui cadavera defunctorum in conditoriis ligneis supra terram in loco eminentiori circa Ecclesias deponere, et conservare consueverunt, et hunc abusum tollere, ut hactenus cum Clero Saeculari factum est.

2. An Capitulo, Sede vacante, liceat propria auctoritate addere quidquam, vel minuere caeremoniis Ecclesiae contra ritum praescriptum in Caeremoniali Romano?

Et Sac. C. respondit: ad 1. « servandam esse constitutionem S. M. Pii V. quae incipit, *cum primum relat.* in Bullario, eamque habere locum tam contra Clerum Saecularem, quam Regularem. » Ad 2. « non licere. » Die 17. Decembris 1642.

1424. PISAUREN.

Episcopus Pisaurensis accedere volens ad Ecclesiam Cathedralem habet duas vias, alteram brevior, qua per porticum Sacristiae ex propriis aedibus intrat, et per hanc consueverunt hactenus Canonici ei obviare, eumque reducere in diebus minus solemnibus; alteram longiorem per plateam ad portam maiorem Ecclesiae tendentem, quam tenere consueverunt diebus solemnioribus. Quaesierunt propterea Canonici praedicti, utrum teneantur eundem Episcopum per secundam viam

longiorem ad ipsius libitum in quibuscumque diebus ducere, et reducere? Et S. Cong. respondit: « Canonicos teneri Episcopum cappa indutum per eam viam, et ex ea aula, seu camera, quas ipse ad hoc singulis vicibus destinaverit, ad Ecclesiam progredientem comitari, atque deducere, et ad easdem sic, ut praemittitur, destinatas reducere. » Die 17. Decembris 1642.

1425. VENDEN. IN POLONIA.

Supplicavit Episcopus Vendensis declarari: utrum eius consecratio celebrata a duobus Episcopis tantum, adhibito pro tertio Decano Ecclesiae Cathedralis, sit valida? et quatenus opus sit, convalidari. Et Sac. C. amplectens opinionem *Turrecrematae in cap. Porro num. 3. dist. 66.*, quod ternarius numerus Episcoporum non sit de substantia Ordinis Episcopalis, censuit, si SS. Domino N. placuerit: « consecrationem praedictam convalidari posse, una cum omnibus inde sequutis. » Et relatione Sanctissimae facta, Sanctitas Sua benigne annuit die 17. Decembris 1642.

1426. CREMONEN.

Fratres S. Augustini Congregationis Lombardiae de Soresina asserentes se esse in quasi possessione habendi Processionem, quam vocant *de centura*, singulis quartis Dominicis mensis, et super ea turbari a Confraternitate Nominis Iesu, ibidem posterius erecta, quae suam eodem die habere contendit, supplicarunt propterea provideri. Et S. C. respondit: « Processiones duas eodem die, in eodem loco habendas non esse, sed illos manu tenendos esse in quasi possessione, qui in Processione faciendae sunt antiquiores; recentiores vero aliam sibi diem non impeditam eligere debere. » Et ita in casu proposito servari mandavit die 24. Ian. 1643.

1427. HIERACEN.

Magister Caeremoniarum Ecclesiae Cathedralis supplicavit sibi responderi infrascriptis Dubiis.

1. An stante dispositione Missalis Romani rubric. 17. num. 5. quod in Choro genuflectatur ab his, qui non sunt Praelati ad confessionem cum suo Psalmo, et consuetudine Ecclesiae Hieracensis, quod Canonici Ecclesiae etiam non parati, et totus Clerus stet, debeat observari dicta consuetudo?

2. An genuflexio versus Altare faciendae a Canonico superveniente ad Chorum, sit faciendae a parte anteriori, vel posteriori Altaris, ubi est positus Chorus dictae Ecclesiae Cathedralis?

3. An quod disponitur in Caeremoniali Episcoporum lib. 2. cap. de matutinis, absente Episcopo, videlicet: quod congregentur omnes Canonici in Sacristia, et induti consueto habitu canonicali, incipiant progredi versus Chorum, ordine praescripto

in dicto Caeremoniali, observari debeat, non obstante contraria consuetudine immemorabili?

4. An quod ibidem dicitur: cum pervenerint ante Altare omnes genuflexi orent: an dicta genuflexio fieri debeat ante Altare a parte Chori, vel extra illum?

Et S. C. ad 1., et 3. respondit: « servandas esse Rubricas Missalis, nec non Caeremoniale Episcoporum. » Ad 2. vero: « genuflexionem faciendam esse a parte Chori circumstantis. » Ad 4. « genuflexionem faciendam esse ante faciem Altaris. » Die 24. Ianuarii 1643.

1428. ORDINIS MINISTRANTIUM INFIRMIS.

Cum ex regula dicti Ordinis habeatur, ut nullus praecedendi locus sit inter Clericos, et Laicos, quaesitum fuit: utrum, et ipsis defunctis eadem lex eatenus sit servanda, ut tam Clerici, quam Sacerdotes sine sacris vestibus ad instar Laicorum sint exponendi? Et S. C. respondit: « ab Oratoribus in vita servandas esse constitutiones, in morte vero servandum esse Rituale Romanum; » et sic deinceps fieri mandavit die 24. Ianuarii 1643.

1429. RETTHIMEN.

Episcopus Retthimensis cum ob penuriam Presbyterorum uti non possit in consecratione Oleorum Sanctorum numero Sacerdotum, Diaconorum, et Subdiaconorum praescripto in Pontificali Romano, supplicavit ex causa praedicta sibi concedi licentiam conficiendi Olea Sacra cum minori numero Ministrorum.

Et S. C. censuit, si SSiño Dño N. placuerit: « petitam facultatem Episcopo Oratori concedi posse, quatenus sufficiens numerus Presbyterorum in Dioecesi Retthimensi non reperiatur, vel aliter commode haberi nequeat, super quo eius conscientia oneratur, et dummodo in in reliquis, quantum fieri potest, Pontificali praedicto se conformet. » Et relatione SS. facta, Sanctitas Sua, iuxta praedicta, benigne annuit die 24. Ianuarii 1643.

1430. THELESINA.

Quaesitum fuit: utrum alicui poenae obnoxius sit Sacerdos, qui Missa semel celebrata, eadem die Commissario loci ad Ecclesiam supervenienti perlegit, seu recitavit super Altare cum luminibus, superpelliceo, et stola indutus sine Calice, et Hostia, et omissis consecratione, et Secretis. Et Sac. Cong. « quamvis in partem negativam iret, nihilominus remisit ad Congregationem S. Officii. » Die 24. Ianuarii 1643.

1431. VERONEN.

Quaesivit, proponente Eñño, et Rñño D. Card. Caesarino, Episcopus Veronensis: an Festa duplicia in Breviario Romano, ac translata, et ex

huiusmodi translatione cadentia infra Octavam S. Patroni, debeant celebrari singulis diebus non impeditis infra dictam Octavam? an vero post ipsam Octavam stante discrepantia Rubricae 7. de Octavis num. 3., et Rubric. 10. de Translat. Festorum num. 5? Et S. C. respondit: « Officium de duplici translato faciendum esse infra Octavam S. Patroni, non tamen in Dominicis, vel aliis festis semiduplicibus, iuxta Rubricas Breviarii Romani. » Die 24. Ianuarii 1643.

1432. ABUSUS.

Iuxta antiquum morem huius S. C. relati fuerunt per me Secretarium duo abusus, qui reformatione indigere videbantur.

1. Quod in multis Ecclesiis ad inserviendum lepori Musices, alteratur notabiliter Textus Sacrarum Scripturarum mutilando, anteponendo, postponendo, et alterando verba, et sensum illarum, et adaptando eas modulationi, ita ut non Musica Sacrae Scripturae, sed haec illi inservire videatur.

2. Quod in Missis solemnibus concentus musicales, qui ad rem non pertinent, miscantur, et in tantum spatium protrahantur, ut Sacerdotes otiosi diutius ad Altare distracti haereant, et Caeremoniarum ordo inflectatur, ita ut non Musica Missae, sed Missa Musicae famuletur.

Et S. C. censuit: « indigere reformatione, et quousque ratio congrua ineatur, iniungendum Eñño D. Card. Vicario, ut praedicta prohibeat, prout magis expedire cognoverit. » Die 21. Febr. 1643.

1433. ROMANA, SEU URBIS.

Referente Eñño, et Rñño Card. Pallotto, et citato, et audito R. P. D. Promotore Fidei, quaesitum fuit: an stante Constitutione anno 1642. emanata super reformatione Sacrarum Imaginum, permittenda sit Imago B. M. V. de septem doloribus in Ecclesiis Ordinis Servorum cum habitu nigro eorum coloris. Et S. C., videlicet Sanctae Ceciliae, Pamphilius, Franciottus, Bragadinus, Caesarinus, et Columna censuerunt: « non licere Fratribus Servitis induere Beatam Virginem habitu nigro eorum coloris. Saechettus vero, et Pallottus fuerunt in contrario voto; plerique nihilominus in eam ivere sententiam, ut nulla desuper addatur declaratio ad praecavenda scripta, quae possent prurire, et alia forsitan scandala. » Et ideo responsum fuit « dilata. » Ratio vero primae sententiae fuit, quia Constitutio praedicta de sacris Imaginibus, ubi praecipit in his servari antiquum morem Ecclesiae universalis, intelligit de praxi Ecclesiae antiquissima per MDC. annos, ut inquit Ioannes Molanus de Sacris Imaginibus lib. 2. cap. 56. Secundo quia Ordo Servorum non probabat fun-

damentum suae intentionis, quod Beata Virgo in fundatione dicti Ordinis ante quatuorcentum annos apparuerit vestita hoc habitu, et quod deinde praxis universalis habitum praedictum admiserit, quinimo constabat de contrario in pluribus Ecclesiis eiusdem Ordinis Servorum, in quibus inspicitur depicta eadem B. Virgo iuxta antiquum morem colore ceruleo, et rubro, nec praxis Ordinis praedicti constituit consuetudinem Ecclesiae universalis, quam Constitutio exposcit. Tertio, propter auctoritatem *Synodi 4. Constantinopolitanae sub Adriano II., et III.* ubi habetur Imaginem intemeratae Matris Dei Genitricis Mariae depingi, quemadmodum eam figurat verbis Divina Scriptura. Quarto, quia etsi Ecclesia tribuat ipsi typum doloris propter Prophetiam illam Simeonis - *et tuam ipsius animam pertransibit gladius* - nihilominus ob conformitatem voluntatis suae cum voluntate Filii sui Christi ita dolores suos temperatos habuit, ut non modo communi caeteris mulieribus eos supportasse censendum sit, propter quod et Ecclesia, quando dolorem exprimere vult, non nigrum, ut in Orationibus defunctorum, sed violaceum colorem protendit. Die 21. Februarii 1643.

1434. SURRENTINA.

Quaesivit Archiepiscopus Surrentinus: an attendenda sit consuetudo, quod Decanus, cui incumbit cura animarum Ecclesiae Cathedralis, in deducendis funeribus Stolum assumat in domo defuncti, et mox exiens deponat illam, et sine Stola procedat? Et S. C. mandavit: « servari Rituale, et contrariam consuetudinem uti abusum reiici. » Die 21. Febr. 1643.

1435. DE FESTORUM TRANSLATIONE.

Quaesitum fuit: an Officium Angeli Custodis, celebrandum prima die non impedita Officio novem lectionum, possit dici impeditum Officio novem lectionum translato? Et Sac. C. respondit: « censi impeditum. » Die 14. Martii 1643.

1436. GROSSETANA.

Plebanus de Rocca Strada petiit declarari: utrum in administratione Sacramenti Baptismatis, infantes offerre debeant linteolum candidum loco vestis albae, quam efferunt adulti? Et Sac. C. respondit: « servandum esse Rituale Romanum de Sacramento Baptismi Tit. de Sacris Oleis, vers. Altaribus. » Die 14. Martii 1643.

1437. DUBIUM.

Quaesitum fuit: an Episcopus quando reperitur in aliquo Oppido suae Dioecesis in visitatione, seu alia de causa, possit licite recitare Officium Sanctorum, de quibus ex forma Rubricarum, seu ex concessione S. C., et quod sint Patroni, seu Titu-

lares in eisdem Oppidis recitatur, et sic praecepto de recitando Officio satisfaciat? Et Sacra Congreg. respondit: « posse, et satisfacere. » Die 14. Martii 1643.

ORIOLEN.

1438.

Clerus Collegiatae S. Nicolai de Alicante petiit reformari abusum contra consuetudinem vicinarum Ecclesiarum introductum, quod nimirum Candelae, et Palmae dentur prius Iuratis, seu magistratui loci, et aliis Saecularibus, ante Clerum inferiorem. Et S. C. mandavit: « servari dispositionem Caeremonialis Episcoporum lib. 2. cap. 16. §. tum. » Die 14. Martii 1643.

1439.

ORITANA.

Capitulum, et Clerus exponentes antiquam ibi vigere consuetudinem, ut Candelae, et Palmae prius Canonicis, et universo Clero distribuantur, deinde Gubernatori, Sindaco, et aliis de Magistratu; petierunt mandari servari dictam consuetudinem. Et Sac. C. censuit: « consuetudinem praedictam esse servandam iuxta dispositionem Caeremonialis Episcoporum lib. 2. cap. 16. §. tum, vers. nisi. » Die 14. Martii 1643.

1440.

SICILIAE.

Quaesitum fuit: an Episcopis, vel Archiepiscopis liceat cum habitu Episcopali ordinario, sive cum habitu sacro, uti pileolo coloris rubri, quo utuntur S. R. E. Cardinales? Et S. C. respondit: circumscripto Privilegio Apostolico, neutro modo licere, nec esse tollerandum. » Die 14. Martii 1643.

1441.

VERGELLEN.

Capitulum, et Canonici Ecclesiae Cathedralis Vercellen. officiant, et resident in duabus Ecclesiis Cathedralibus, octo scilicet in S. Maria Maiore, et viginti quatuor in S. Eusebii, qui omnes ad perpetuo conservandam unitatem Capituli, solemnioribus, et stas diebus, ac in omnibus publicis supplicationibus, et functionibus solent insimul convenire, et officiare in una tantum Ecclesia; reliquis vero diebus univique in sua Ecclesia. Canonici quidem S. Mariae quotidie cantant Missam Conventualem cum Diacono, et Subdiacono paratis, sed numquam solent cantare duas Missas, ut certis diebus praescribit *Rubrica Missalis*, tum propter minorem numerum Canonicorum, carentium etiam omni adiutorio Beneficiorum, vel Cappellanorum, tum etiam quia in S. Eusebio cantatur dicta Missa: ex quo respectu totius Capituli satisfiit praecepto Rubricae.

Propterea solent Canonici S. Mariae recitare Officium de Sanctis, quorum Reliquiae, et Cappellae sunt in S. Eusebio ad hoc, ut unitati Capituli respondeat etiam uniformitas Officiationis, sed quia

nonnullis oritur serupulus, cupiunt dicti Canonici S. Mariae declarari?

1. An causis supradictis attentis, possint tuta conscientia iuxta antiquam consuetudinem non cantare dietam secundam Missam?

2. An possint recitare Officia de Sanctis quorum Reliquiae venerantur, vel Cappellae erectae sunt in S. Eusebio?

3. Cura Animarum S. Mariae Maioris Cathedralis Vercellen. erecta in Vicariam, exercetur per Vicarium perpetuum; cura vero Animarum Cathedralis S. Eusebii exercetur per Vice-Curatum amovibilem; et quando dictus Vicarius perpetuus, et Vice-Curatus conveniunt in Processionibus, et aliis ecclesiasticis functionibus, contendunt de praecedentia. Quaeritur, cui debeat?

4. An, quando Episcopus Pontificaliter cantat in aliqua Ecclesia Civitatis, ad quam convenire debent, et solent Canonici omnes, deferenda sint de Cathedrali S. Eusebii omnia Indumenta Pontificalia, et quae ipsis Canonice quoque congruunt, et an idem servandum sit, quando Episcopus Pontificaliter cantat in dicta Cathedrali S. Mariae Maioris?

5. An liceat Episcopo Pontificalia exercenti in Civitate, sed extra Cathedralem, invitis Canonice, pro se, et suis Assistentibus, et inservientibus paramenta a Cathedrali desumere?

6. Quaesivit Episcopus Vercellensis: an Dignitatibus Ecclesiae Cathedralis habentibus usum Mitrae, dum illa utuntur in solemnioribus diebus, absente Episcopo a Choro, Canonici teneant ministrare de Mitra, an potius ad Cappellanos, et alios inferiores pertineat? Et S. C., proponente Eño, et Rño D. Card. Sacchetto, respondit: ad 1. «satisfacere praecepto Rubricae modo praedicto, quando Canonice insimul conveniunt; quando vero simul non conveniunt, teneri ad celebrandas duas Missas a Rubrica praescriptas in utraque Ecclesia; sed si aliqui ex Canonice conveniunt, convenientibus suffragari unam ex dictis Missis in altera Ecclesia celebratam.» Ad 2. «convenientes tantum in alterutra Ecclesia satisfacere recitando Officium proprium eiusdem Ecclesiae, in qua conveniunt.» Ad 3. «Praecedentiam deberi Vicario perpetuo.» Ad 4. «paramenta deferenda esse de Cathedrali S. Eusebii, etiam quando Pontificalia sicut in Cathedrali S. Mariae Maioris.» Ad 5. «Episcopo licere.» Ad 6. «Mitram per Cappellanos, seu Ministros inferiores esse ministrandam.» Die 14. Martii 1643.

1442. ADIACEN.

Archidiaconus supplicavit declarari: an ipse uti prima Dignitas teneatur ad benedictionem Episcopi, vel aliquo modo solemniter celebranti in-

serviens genuflectere? Et S. C. iuxta alias decreta respondit: «Dignitates, et Canonice Ecclesiae Cathedralis non teneri genuflectere ad benedictionem Episcopi, sed tantum caput inclinare, et assistentes pariter, et inservientes eidem Episcopo non teneri genuflexos ministrare.» Die 18. Aprilis 1643.

1443. BOSSANEN.

Marchio de Siettefontes praetendit sibi, et uxori pacem, et thus esse exhibendum ante Rectorem Ecclesiae Parochialis dicti loci, et praeterea osculum Libri Evangeliorum, et, ut unus ex Sacerdotibus, vel Curatis cum Stola, et Cotta accedat ad eos ad faciendam confessionem, et introitum ad Missam. Quaesivit Episcopus Bossanen.: an praedicta admittere debeat? Et S. C. respondit: «nihil ex praedictis esse permittendum.» Die 18. Apr. 1643.

1444. DE FESTORUM OBSERVATIONE.

Quaesitum fuit a multis Episcopis: an Constitutio super observatione Festorum comprehendat Festa ex voto alicuius Personae vel Communitatis introducta? Et interrogatis prius Consultoribus Sac. C., qui post latum suffragium recesserunt, Fr. Lucas dixit, constitutionem tollere festa de voto. P. Alciatus festa de voto esse sublata, quia votum non obligat successores, sed habendam rationem dictorum festorum. Abbas Hilarion, successores non teneri ex voto, sed ex directione Communitatis, accedente auctoritate Episcopi. Ideoque Constitutionem tollere festa de voto pro illis, qui non voverunt, secus pro illius qui voverunt. R. P. D. de Rubeis, festa de voto remanere in dispositione Iuris communis. R. P. D. Sacrista, tolli ex vi clausularum derogatarum in fine Bullae, quae tollunt omnia statuta etiam iuramento firmata. Eius Cardinalis Sacchettus, successores non obligari, voverentes obligari: Pamphilius in eodem, et in derogatoriis tolli statuta iuramento firmata; Roccius in eodem. Pallottus teneri, ad festa de voto qui voverunt, et non esse edendum Decretum generale, sed respondendum ad particularia; Franciottus, teneri, qui voverunt, uti particulares, et responsiones dandas tantummodo petentibus, vel dicta festa ponenda sub festis de devotione. Bragadinus in eodem, Caesarinus in eodem. Ideoque S. C. unanimi consensu Decretum desuper concepit tenoris sequentis.

Proposito Dubio ad instantiam quamplurium Reverendissimorum Episcoporum: an stante Constitutione SS. D. N. Urbani PP. VIII. super observatione Festorum, quae incipit *Universa*, Idibus Septembris 1642. promulgata, Universitates, seu Communitates Civitatum, seu locorum teneantur ex praecepto servare festa ex voto eorundem introducta? Die 18. Aprilis 1643. S. R. C., referente

Emo, et Rmo D. Cardinali Sacchetto, censuit: « ex dispositione Constitutionis praedictae Personas voventes tantum teneri; » quam S. C. sententiam sibi relatum SSms D. Noster laudavit, et approbavit, dixitque « intentionem suam fuisse per eam Constitutionem tollere Festa de voto quoad vim praecepti, et reducere illa ad instar Festorum de devotione, reservata obligatione ratione personarum tantum, quae voverunt. » Die 18. Apr. 1643.

1445.

IANUEN.

Ad instantiam Emi, et Rmi D. Cardinalis Duratii tacito tamen nomine quaesitum fuit: an liceat Sacerdoti Missam solemniter celebranti cum assistentia Diaconi, et Subdiaconi, facere confessionem a cornu Epistolae, praesente ibidem Rege, vel alio simili Principe loci, qui sit magnus, et supremus non recognoscens superiorem, absente vero Episcopo, vel Archiepiscopo? Et S. C. censuit: « non licere. » Die 18. Aprilis 1643.

1446.

NICIEN.

Episcopus conquestus est de Regularibus Ordinibus Mendicantium, qui Processiones generales per Civitatem, etiam ante ipsam Cathedrali Ecclesiam, dum in ea Pontificalia celebrantur, habere non dubitant, supplicans propterea opportune consuli. Et S. C. respondit: « non licere Regularibus praedictis extra Claustra Monasteriorum, vel proprias Ecclesias, et non nisi prope ambitum earumdem habere Processiones, nisi de licentia Ordinarii, aut de consensu, vel cum Cruce Parochi. » Die 18. Aprilis 1643.

1447.

DE ECCLESIA LATERANENSI,
ET VATICANA.

Die Lunae 20. Aprilis 1643. habita fuit Congregatio specialiter deputata super controversiis pendentibus inter Basilicas Lateranensem, et Vaticanam coram Emo, et Rmo Cardinali Vicario SSmi D. N., in qua interfuerunt Rmi DD. Fachinettus Archiepiscopus Damiatensis, Alterius Episcopus Camerinensis Vicesgerens, Fagnanus, Franciscus Paulutius Secretarius Sac. Cong. Concilii, Rospigliosus, Carolus Paulutius Sacror. Rituum Secretarius, P. Hilarion Abbas Cisterciensis, et D. Dominicus Bellus Magister Caeremoniarum; et auditis prius coram ipsa Congregatione, praesentibus in eadem Vicariis utriusque Basilicae, iuribus ambarum partium per Canonicosmet luculenter deductis circa delationem Clavarum, seu *delle Mazze* cum insignibus, et nomine Ecclesiae Lateranensis, et Cardinalis Vicarii per mandatarios Cardinalis Vicarii intra Basilicam Vaticanam in Processionibus S. Marci, quando Suffraganeus, eius comitante

Capitulo Lateranensi, pergunt ad dictam Basilicam, deferri solitarum: exclusis dictis Vicariis Basilicarum, deventum fuit ad vota. Et quatuor, videlicet Emus Cardinalis Vicarius, Fachinettus, Carolus Paulutius, et Abbas Hilarion fuerunt in voto simpliciter, ut servaretur solitum: Cardinalis tamen Vicarius, et Fachinettus addiderunt cum praesupposito, quod illa Insignia sint Papae, et ipsius Vicarii: alii quatuor, nempe Vicesgerens, Fagnanus, Franciscus Paulutius, et Rospigliosus fuerunt in voto servandum solitum, sed cum praeservativa Iurium ambarum Partium. Vicesgerens tamen addidit: non esse tollerandum, quatenus Matiae non sint Cardinalis Vicarii. Fundamenta fuerunt potissime, 1. quod Claves, seu Matiae, de quibus agitur, praesefereunt ipsam Ecclesiam Lateranensem, non autem Capitulum, quod diversis plane utitur insignibus; 2., quod consuetudo deferendi praedictas Matias per mandatarios Cardinalis Vicarii est antiqua 56. annorum, et habuit originem a *Decreto Cardinalis Iacobi Sabelli die 10. Aprilis 1583. annuente S. M. Sixto PP. V.*, et ita semper pacifice servatum fuit, praeterquam anno praeterito, qui actus dedit causam liti. 3. Quod non obstat *Decretum S. C. R. die 17. Martii 1607. emanatum*, in quo declaratur, non licere mandatariis Vicarii deferre dictas Matias, nisi in functionibus privatis tantum, et intra Ecclesiam Lateranensem, quia non fuit facta mentio *Decreti Cardinalis Sabelli*, non fuit audita Ecclesia Lateranensis, et emanavit inter tertios cum praesupposito, quod illi propria auctoritate usurpassent eiusmodi delationem, et sic subreptitiae, 3.; quod etiam posita exemptione per Basilicam S. Petri praetensa ab Episcopo Romano, quam asserere conantur Canonici illius, adhuc sustineri posset delatio Clavarum per Lateranenses intra eandem Basilicam, quia sunt insignia denotantia dignitatem, et non iurisdictionem iuxta receptam distinctionem *Abb. et Doctorum in cap. 1. ut lit. pend.* ut a pari videmus S. R. Ecclesiae Cardinales deferre ante se in Urbe, etiam in Palatio Apostolico Matias cum propriis insignibus, non obstante praesentia Papae: secus autem in Rochetto discooperto, et aliis denotantibus iurisdictionem, quae Cardinales deferre non possunt nisi Sede vacante. Et relatione praemissorum SS. facta, Sanctitas Sua mandavit: « servari solitum sine praedictis ambarum partium: » quemadmodum factum fuit, et ita receptum fuit Capitulum Lateranense stipatum mandatariis consuetis, cum solitis Matias, et sic illaesa remanserunt iura Ecclesiae Lateranensis absque offensione iurium Ecclesiae Vaticanae. Die 20. Aprilis 1643.

1448.

MEDIOLANEN.

Magister Caeremoniarum Ecclesiae Metropolitanae Mediolanensis supplicavit pro declaratione sequentium Dubiorum :

1. An in Ecclesiis Cathedralibus, seu Collegiatis, ubi plures sunt Dignitates, absente, vel impedito Episcopo, debeat qui primam post eum obtinet Dignitatem, Missas, et Vesperas cantare ?

2. An ipso digniore, vel impedito, vel absente, alter, qui secundam Dignitatem obtinet, debeat id munus obire ; et si iste non adesset, an ad tertiam Dignitatem spectet ; et an omnibus Dignitatibus absentibus, vel impeditis, antiquior Canonicus id praestare debeat, an vero Canonicus hebdomadarius ?

3. In Ecclesiis, ubi unica tantum Dignitas existit, ut Praepositus, vel Archipresbyter, an ipso absente, vel impedito antiquior Canonicus, an potius hebdomadarius debeat vices illius Dignitatis subire in Missis cantandis, et aliis obsequiis, quae ad Praepositum ipsum pertinerent, si praesens esset.

4. In Ecclesiis Collegiatis prima Dignitas solet incensari ter, sicut Archiepiscopus in Metropolitana, Canonici vero bis ; quaeritur : an bis tantum ipse Praepositus, et primam obtinentes Dignitatem debeant incensari, cum terna incensatio videatur exhibenda Archiepiscopo tantum, aut Episcopo in sua Dioecesi, aut in aliis, ubi nulla maior extat Dignitas ?

5. An tunc inferiores Praeposito semel tantum debeant incensari, ut aliqua differentia constituantur inter eos, vel bis ; et an sint incensandi iuxta solitum ; et ubi solitum non est, an debeat hic usus introduci ?

6. An Canonico Missam canente, Praeposito absente, teneantur alii Canonici illis diebus Evangelium, et Epistolam cantare, sicut si ipse Praepositus cantaret ?

7. In pluribus Ecclesiis, et fere in omnibus Praepositi, et qui maiorem obtinent Dignitatem in Collegiatis, et Parochialibus solent SS. Sacramentum singulis mensibus processionaliter per Ecclesiam deferre, benedicere Candelas, Cineres, Palmas, et huiusmodi benedictiones facere. Sed ex Rubricis Missalis videntur hae benedictiones ad hebdomadariam spectare. Quaeritur quid agendum, praesertim cum in Caeremoniali Romano haec obeat Papa, si praesens est ?

8. An Praepositi, et alii eiusmodi, qui Pontificalia exercere nequeunt, in sua Ecclesia debeant scamnis, et scabellis tantum uti, vel etiam cathedris aliquo panno etiam serico ornatis, cum Mis-

sas, et Vesperas canunt, aut etiam quando de suggestu concionantur ?

Et S. C., proponente Eñño, et Rñño D. Cardinali Caesarino, respondit : Ad 1. « Absente Episcopo pertinere ad primam Dignitatem praesentem, dummodo sit in Sacris Ordinibus constituta. » Ad 2. « Si turni usus quoad celebrationem Officiorum huiusmodi indistincte inter Dignitates, et Canonicos servatur, non esse ab eo recedendum, prima Dignitate celebrare impedita. » Ad 3. « Impedito Praeposito Hebdomadariam celebrare debere, cum non eadem Dignitas sit Praepositorum, et Episcoporum, nec propterea eodem iure censendi. » Ad 4. « Ternam thurificationem Episcopo, vel Archiepiscopo tantum debitam, eodem praesente, alteri non esse tribuendam. » Ad 5. « Regulariter cum omnibus pari modo esse procedendum ; si vero Praepositus propriam habeat a Capitulo separatam iurisdictionem, plures ipsi, quam aliis Canonicis thurificationes posse exhiberi. » Ad 6. « Canonicos teneri, quoties alter Canonicus celebrat, de Diacono, et Subdiacono ministrare, et Epistolam, atque Evangelium canere, et ita in Ecclesia Metropolitana Mediolanensi servari *mandavit*. » Ad 7. « Hebdomadarii celebrantis munus esse benedicere Candelas, et caetera huiusmodi, neque exemplum sumendum a Summo Pontifice, cuius supremae potestatis propria, et specialis praerogativa existit semper, et ubique benedicere, etiam praesente Celebrante. » Ad 8. « Non licere Praeposito, et aliis eiusmodi, qui Pontificalia exercere nequeunt, uti cathedris serico ornatis, quibus utuntur Episcopi celebrantes. » Die 16. Maii 1643.

1449.

FULGINATEN.

Renuentibus Dignitatibus, et Canonicis Ecclesiae Cathedralis, Episcopo Pontificalia exercente, cum Pluvialibus, et habitu Sacro inservire, nec non etiam impediti alios substituere ; Episcopus supplicavit declarari : an ad dicta teneantur ? Et S. C. censuit : « Dignitates, Canonicatus, vel alia Beneficia in Ecclesia praedicta obtinentes teneri Episcopo solemniter celebranti, vel Pontificalia exercenti assistere, ac vestibus sacris suis quisque Ordinis, vel Officii munera per se ipsos exercendo inservire, iuxta Sacrorum Canonum dispositionem, et particularia eiusdem Ecclesiae statuta : legitimo vero impedimento detentos, si per se ipsos adimplere praemissa nequiverint, alios respective eiusdem Ordinis, et Dignitatis substituere debere, idque per Episcopum opportunis iuris remediis exigi posse. » Die 13. Iunii 1643.

1450. HIERACÉN.

Posita antiqua consuetudine Ecclesiae Hieracensis, in qua omnes Canonici habent adnexum Ordinem Presbyteratus, quod Episcopo solemniter celebrante, sex, vel octo Canonici tantum pluralibus induantur, caeteri vero in habitu Canonicali assistant; quaesitum fuit: an continuari debeat huiusmodi consuetudo, an vero, ea non obstante, observari dispositio *Caeremonialis Episcoporum lib. 1. cap. 15.* ? Et S. C. respondit: « Servandum esse Caeremoniale, eiusmodi consuetudine non obstante. Die 13. Iunii 1643.

1451. MAIORICEN.

Parochi Insularum Maioricae, et Minoricae retulerunt contra Regulares tres abusus, quos prohiberi postularunt.

1. Quod Fratres Ordinis SS. Trinitatis habent in sua Ecclesia antiquam Cappellam rotundam, et in ea septem Altaria erecta sub titulo Septem Misteriorum Planetus, et Dolorum Beatae Mariae Virginis, Privilegio Apostolico pro defunctis, ut asserunt, decorata, in quibus Altaribus coeperunt septem Missas semel celebrare, uno Sacerdote totum Sacrum Canonem alta voce proferente, ita ut alii Celebrantes simul consecrent, simul elevent Hostiam, et simul terminent Missam.

2. Fratres Carmelitae proponunt verbo, et scriptis Bñam Virginem dicentem: ego Mater Gratiae, et Misericordiae proximiorie die Sabathi post obitum alicuius Religiosi, sive Confratris mei existentis in poenis Purgatorii liberabo eorum animas ab eisdem poenis, et ducam eas ad gaudia gloriae sempiternae.

3. Plures Religiosi extruxerunt in propriis Ecclesiis Sepulera sub nomine, et titulo suorum Confratrum laicorum virorum, ac mulierum, praetendentes, quoties contigerit aliquos ex ipsis Sodalibus mori sine Testamento, aut alia ultima dispositione ius Sepulturae eorumdem Sodalium defunctorum ad suas Ecclesias pertinere.

Et S. Cong. 1. mandavit « aboleri dictum, abusum, et servari Rubricas, prout latius in *Regestro Literarum.* » Ad 2. remisit « ad S. Cong. Generalis Inquisitionis: » Ad 3. « Ad S. Cong. Concilii. » Die 13. Iunii 1643.

1452. DUBIUM.

Quaesitum fuit: « an Episcopo in actu Visitationis suae Ecclesiae existenti liceat ob occupationes, quibus tunc temporis impeditur, Officium, quod ex Breviarii Romani Rubricis simplex recitari debet, sub ritu duplici, vel semiduplici recitare, et loco Officii de Feria possit aliud brevius persolvere? Et S. C. respondit: « non licere

eo potissimum tempore, quo magis Rubricarum observantiam praesefere debet. » Die 13. Iunii 1643.

1453. NULLIUS CASTILIONIS.

Posito, quod Abbas Castilionis sicut caput dictae Collegiatae, et prima Dignitas cum usu Pontificalium, et iurisdictione Ordinaria spirituali super universo illius Clero, et quod ex statuto illius debeat solemnem Missam in Coena Domini decantare; quaesitum fuit: an etiam in eadem Missa communionem Cleri, et populi, qui forsitan Clero tunc temporis adiungitur, facere possit, contradicente secunda Dignitate, quae curam Animarum Capitulo incumbentem exercet, et an communicantes tunc ab eo, non autem a Parocho satisfaciant praecepto Ecclesiae? Et S. C. ad 1. respondit: « posse. » Ad 2. « remisit ad S. Cong. Concilii. » Die 13. Iunii 1643.

1454. THELESINA.

Joseph Minillus Canonicus S. Mariae de Cerreto quaesivit: 1. utrum infra Octavam Corporis Christi, et qualibet Dominica Mensis possint ad libitum Archipresbyteri deferre in Processione SS. Sacramentum?

2. Utrum in Missa solemnem *Benedictus, qui venit etc.* cantari debeat post *Sanctus*, vel post elevationem.

3. An in Choro, et in Sacratio intra Missas sumere possint tabaccum?

Et S. C. ad 1. et 2. respondit: « Servandum esse Caeremoniale Episcoporum, et Rubricas Missalis Romani. » Ad 3. « Servandum esse Breve, seu Constitutionem SS. D. N. Urbani PP. VIII. die 30. Ianuarii 1642. editum, incipiens « Cum Ecclesia. » Die 13. Iunii 1643.

1455. VELITERNA.

Magistratus praetendit a Sacerdotibus solemniter celebrantibus reverentiam, seu capitis inclinationem in fine Missae deberi, ideo supplicatum fuit ad tollenda scandala responderi: an Sacerdotes praedicti ad id teneantur? Et S. C. respondit: « non teneri. » Die 13. Iunii 1643.

1456. ADIACEN.

Archidiaconus Ecclesiae Cathedralis quaesivit: an Episcopus teneatur ad stabiliendam horam pro dando signo ad incipienda Divina Officia diebus festis: et an Capitulum possit huiusmodi horam deputare iuxta formam in Synodo Dioecessana praescriptam, eaque elapsa, incipere dicta Officia non reposito, et non expectato Episcopo? Et S. C., antiqus inhaerendo Decretis, respondit: « horam certam inchoandorum Officiorum antea cum Episcopo consultandam, et stabiliendam esse, et in-

tra eam non esse inchoanda Officia, nisi expectato adventu ipsius Episcopi: ultra ultimum vero signum datum non debere Episcopum immorari, sed post illud posse per Canonicos Officium, etiam non expectato Episcopo, inchoari. » Die 11. Iulii 1643.

1457. ALBINGANEN.

Quaesitum fuit: 1. an Vicarius Canonicus teneatur ad Divina Officia sedere in stallo suae receptionis, ad hoc, ut lucretur distributiones quotidianas, et ibidem non sedens eas non lucretur, et an sedere possit super omnes de Capitulo?

2. An Vicarius non existens de Capitulo debeat sedere extra Chorum in sede particulari, absque eo quod veniens in Choro occupet locum ante caeteros Canonicos?

Et S. C., Decretis antiquis inhaerendo, respondit: « Vicarium Canonicum ad effectum lucrandi distributiones quotidianas debere in Choro sedere in suo stallo Canonicali. » Ad 2. « Servandam esse laudabilem loci consuetudinem. » Die 11. Iulii 1643.

1458. BRIXIEN.

Praepositus Cathedralis, qui est Protonotarius Apostolicus, quaesivit: an liceat sibi, dum privatim celebrat extra Cathedralis, paramenta sumere de Altari? Et S. C. iuxta Decreta alias edita, et in Missali novo impressa, respondit. « Paramenta pro celebratione Missarum numquam per Oratorem esse sumenda de Altari, cum id competat solis Episcopis, sive solemniter, sive privatim celebrantibus. Inferioribus vero habentibus usum Pontificalium, non nisi quando in Pontificalibus celebrant. » Die 11. Iulii 1643.

1459. BELLICASTREN.

Quaesitum fuit: an primae Dignitati vice Episcopi celebranti debeant Canonici inservire de Diacono, et Subdiacono, an potius soli Episcopo debeat? Et S. Cong. respondit: « Canonicos de Diacono, et Subdiacono inservire debere. » Die 11. Iulii 1643.

1460. CALAGURITANA.

Curatus, et Vicarius Foraneus Oppidi de Biablo petierunt declarari: an liceat corpora defunctorum sepelire prope Altaria, et sub pradellas? Et S. C. respondit: « non licere sed omnino esse amovenda, et servandam dispositionem Sacrorum Canonum in cap. percipiendum 13. quaest. 2., nec non Constitutionem S. M. Pii PP. V. in Bullar. novo quinam in ordine. §. 6. » Die 11. Iulii 1643.

1461. COMEN.

Erecta auctoritate Ordinarii Ecclesia in Oppido

de Riva cum Cappellano ad eius servitium deputato, Archipresbyter, infra cuius Parochiae limites existit, prohibuit Missas in ea diebus festis celebrari ante Missam Parochialem: quapropter Fundatores supplicarunt declarari, id non posse prohiberi. Et S. C., iuxta alias decreta, respondit: « a Parocho prohiberi non posse, quin Missae in Ecclesia praedicta diebus festis ante, vel post Missam Parochialem celebrentur, nisi eadem Ecclesia aliquo speciali iure subiectionis ipsi Parochiali sit obnoxia. » Die 11. Iulii 1643.

1462. LUGDUNEN.

Quaesitum fuit ad instantiam Provincialis Capuccinorum Provinciae Lugdunensis.

1. An illae Religiones, quae ex privilegio recitant singulis quintis feriis Officium de SS. Sacramento, vel singulis Sabbatis de Conceptione, vel semel in mense, die non impedita de Patrono, possint, et debeant aliquod ex dictis Officiis recitare quando in illo mense alia non superest dies, qua Officium de defunctis secundum Rubricas recitari possit?

2. An Missa celebrari possit de Sanctis illis, qui non sunt notati in Calendario in diebus, in quibus notatur illorum solemnitas in Martyrologio?

3. Quid in locis, et Ecclesiis particularibus, in quibus celebratur illorum memoria?

4. An debeat dici Missa de defunctis feria secunda post Dominicam Passionis, quando Officium defunctorum recitatum est, cum in aliis feriis secundis Quadragesimae non dicatur secundum Rubricas, eo quod Oratio *Sempiternae* sit communis pro vivis, et defunctis, quae Oratio non dicitur post Dominicam Passionis, unde videtur, ut concordet Missa cum Officio, quod debeat dici Missa de defunctis, vel Oratio *Fidelium etc.*?

5. An in Officiis votivis SS. Sacramenti, quod singulis quintis feriis celebratur apud quasdam Religiones debeant dici Alleluia in Responsoriis brevibus Horarum?

6. An cum huiusmodi Officium, vel aliquod votivum, velut de semiduplici, recitari contigit, debeat incipi tale Officium a Capitulo Festi praecedentis?

Et S. C., proponente Eñõ, et Rñõ D. Card. Caesarino, respondit:

Ad 1. « non esse omittendum Officium de Defunctis. » Ad 2. « Posse celebrari servata forma Rubricarum. » Ad 3. « Explicandum esse quid appellatione memoriae intelligatur. » Ad 4. « In casu proposito non teneri nec ad Missam de defunctis, nec ad Orationem Fidelium. » Ad 5. « Omittendum esse Alleluia in Responsoriis bre-

vibus Horarum. » Ad 6. « Servandas esse Rubricas Breviarii Romani. » Die 11. Iulii 1643.

1463. LUNEN. SARZANEN.

Protonotarii ex privilegio Apostolico Civitatis Massae supplicarunt declarari: an ipsis liceat, ubi adest Capitulum Ecclesiae Collegiatae, locum habere in eadem Ecclesia Rocchetto, et Mantel-letto indutis, dum Concionibus et Divinis, aliisque Ecclesiasticis functionibus assistunt, et in eodem habitu post SS. Sacramentum, vel Celebrantem in Processionibus incedere. Et S. C. respondit: « utrumque licere. » Die 11. Iulii 1643.

1464. MASSANEN.

Quaesivit Archiepiscopus Massanensis.

1. An ipso visitante cum duobus adiunctis Canonicis Ecclesias Parochiales suae Dioecesis, aspersorium dari debeat ab Archipresbyteris dictarum Ecclesiarum, an autem a Canonicis praedictis?

2. An Canonicis, eidem Archiepiscopo, dum Pontificaliter in dietis Ecclesiis celebrat, de Diacono, et Subdiacono inservientibus, Archipresbyteri praedicti debeant inservire de Presbytero Assistente, an vero spectet ad ipsos Canonicos?

Et S. C. respondit: Ad 1. « spectare ad Archipresbyterum. » Ad 2. « Archiepiscopum, dum in Pontificalibus celebrat, propriorum Canonicorum ministerio uti debere. » Die 11. Iulii 1643.

1465. PORTUGALLIAE ORDINIS

S. IOANNIS EVANGELISTAE.

Quaesitum fuit: 1. An Altaribus Privilegiatis pro omnibus diebus, vel pro aliquibus, celebrando Missas de occurrente in festo duplici, in quo non potest dici Missa defunctorum, obtineatur eadem gratia?

2. An in Missis votivis, quae solemniter celebrantur ab aliqua Confraternitate extra propriam diem, dicenda sint *Gloria*, et *Credo*?

Et S. C. Ad 1. respondit: « exhibendam esse copiam Brevis. » Ad 2. « Servandas esse Rubricas. » Die 11. Iulii 1643.

1466. TUDERTINA.

Supplicatum fuit declarari, quod in distributione Palmarum debeat per Celebrantem praeferri dignior ille, a quo ipse Palmas recipit etiam ante Gubernatorem, et Vicarium. Et S. C. respondit: « servandum esse Caeremoniale Episcoporum lib. 2. cap. 13. vers. tum elevatis, et cap. 21. vers. ponitur. » Die 11. Iulii 1643.

1467. URBIS.

Natio Hispana, cui SS. Dominus Noster alias concessit Indultum speciale celebrandi Fest. Conceptionis B. M. V. sub rit. dup. primae classis

in Ecclesia S. Iacobi de Urbe, etiamsi cadat in secunda Dominica Adventus, supplicavit concedi, ut per singulos octo dies eidem festo subsequentes Missa votiva eum cantu ad instar Octavae celebrari possit de eadem Conceptione, praesertim eum a piis viris certa dos fuerit ad hoc deputata. Et Sac. Cong., « attentis narratis, benigne impartita est Oratoribus gratiam petitam, exceptis tamen Dominicis, et duplicibus, et praemissa prius celebratione Missae Conventualis, et Officii currentis, servatisque quoad reliqua Rubricis Breviarii, et Missalis Romani. » Die 11. Iulii 1643.

1468. BENEVENTANA.

In Ecclesia Beneventana exstant Archidiaconus, Archipresbyter, Primicerius, et aliae Dignitates: mox sequitur Decanus, qui semper est antiquior ex Canonicis. Sed quia modernus Decanus est Coadiutor Primicerii, et in aliquibus functionibus non potest facere duplicem Personam, quia Archidiaconus servit de Assistente, Archipresbyter et Primicerius assistunt a latere Episcopi, Decanus vero de Diacono; quaesitum fuit, eodem Decano impedito in ministerio Primicerii, cuius est Coadiutor, a quo sit exercendum Officium dieti Decani de Diacono ministrandi: S. C. respondit: « exercendum esse per Canonicum in ordine proximiorum. » Die 8. Augusti 1643.

1469. MAIORICEN.

Capitulum Ecclesiae Maioricensis supplicavit pro declaratione infrascriptorum Dubiorum.

1. An Dominicis Palmarum debeat praebere Sacerdoti Palmam Diaconus, etiam si celebrans fuerit Episcopus, Assistens antiquior, an vero Dignitas, vel Canonicus antiquior?

2. An feria V. in Coena Domini, si Episcopus nimium defatigatus non potuerit, vel noluerit ministrare Eucharistiam Canonicis, et Clericis, debeat illam ministrare Diaconus, vel unus ex dietis Assistantibus?

3. Concurrente, vel occurrente Dedicatione Ecclesiae Cathedralis, quae sub ritu duplici in tota Civitate celebratur cum Titulari alienius alterius Ecclesiae, quisnam debeat praeferri in Ecclesia titulari, et quid de Octava earum?

Et S. C. respondit: Ad 1. « servandum esse Caeremoniale. » Ad 2. « Teneri Episcopum SS. Eucharistiae Sacramentum per se ipsum ministrare. » Ad 3. Praeferendam esse dedicationem Ecclesiae Cathedralis. Quo vero ad Octavas servandas esse Rubricas Breviarii, et Missalis Romani. » 8. Augusti 1643.

1470. PALENTINA.

In examine Officiorum Sanctorum particula-

rium Ecclesiae Palentinae dubitatum fuit: 1. An Decreto S. C. in principio Breviarii apposito, quo prohibetur celebrari per totam Civitatem, vel Dioecesim etiam de cuiuscumque Ordinarii auctoritate festum cum Officio Sanctorum praeter Titularis, et habentium insignem Reliquiam, tollatur privilegium particulare Gregorii XIII. concessum Regno Hispaniarum sub die 30. Dec. 1573., ut possit fieri officium in singulis Ecclesiis de Sanctis, quorum corpora, vel reliquia notabilis essent intra Dioecesim, non vero extra illam?

2. An Festum S. Cordulae unius ex Sociabus S. Ursulae, quae in Martyrologio ponitur passa postridie S. Ursulae, et Sociarum, nempe 22. Octobris, debeat sub eadem die celebrari?

Et S. C. respondit: Ad 1. « Privilegium Apostolicum concessum a S. M. Gregorio XIII. non fuisse sublatum: » Ad 2. « Festum S. Cordulae esse celebrandum sub die, in quo cadit, et in Martyrologio Romano signatur. » Die 8. Aug. 1643.

1471. SCARDONEN.

Episcopus Scardonensis sub Dominio Turcarum existens, cum sine vitae periculo exercere (in originali deesse videtur verbum *non*) possit Sacramentum Chrismatis cum Mitra; supplicavit sibi concedi, ut sine illa chrismate possit. Et S. C., attentis narratis, censuit: « gratiam petitam Episcopo Oratori pro eius consentia esse concedendam, dummodo, quoad fieri potest, in reliquis Pontificali Romano se conformet. » Et relatione facta SS., Sanctitas Sua benigne annuit, die 8. Augusti 1643.

1472. SULMONEN.

In Ecclesia Sulmonensi exstant statutum, et consuetudo, quod etiam est de iure communi, ut duo ultimi Canonici servitium Diaconi, et Subdiaconi praesent in Missis solemnibus; sed cum unus ex illis sit organista, eximit se hac occasione ab onere praedicto, contendens id ad Canonicum sibi proximum perinere, et cum propterea raro ibidem Missae celebrentur, supplicatum fuit declarari, quid iuris? Et S. C. respondit: « Canonicum praedictum propter hoc non excusari, quominus teneatur, ut caeteri, ad praestandum Ecclesiae servitium suo Ordini adnexum. » Die 8. Augusti 1643.

1473. ARIMINEN.

Canonici Presbyteri praecedentiam super Archidiaconum, contententes eo quod ipse in Diaconali sit ordine constitutus, supplicarunt, quid iuris declarari? Et S. C. respondit: « praecedentiam spectare ad Archidiaconum. » Die 26. Septembris 1643.

1474. CAMERINEN.

Quaesitum fuit « An in Ecclesia Collegiata S. Venantii Coadiutore Missam, et Vesperas canente, possit Coadiutus assistere in Choro ex devotione,posito quod non impediatur stalla aliorum.

2. An, iuxta consuetudinem dictae Ecclesiae, possint eodem tempore Coadiutor, et Coadiutus Divinis interesse?

3. An diebus liberis tam Coadiutor, quam Coadiutus inservire possint per duos Canonicos absentes?

Et S. C. respondit: « Coadiutorem praesente Coadiuto non habere personam assistendi in Choro uti Canonicum. » Die 26. Septembris 1643.

1475. CASTELLANETEN.

Quaesitum fuit « 1. An praesente Coadiuto in Ecclesia Coadiutor sedere debeat post Dignitates, aut post Canonicos, aliove loco, et quo? »

2. An praesente Coadiuto debeat Coadiutor incensari more aliarum Dignitatum, vel Canoniorum?

3. An, eodem Coadiuto praesente, Coadiutor possit facere circulum cum aliis?

4. An Coadiuto absente, vel praesente extra Cathedralium, et per Civitatem eundem locum, et praecminentiam obtinere debeat?

Et S. C. ad 1. 2. 3. respondit: « Coadiutorem praesente Coadiuto non habere personam assistendi in Choro tamquam Canonicum. » Ad 4. « Extra Ecclesiam non consuevit respondere. » Die 26. Septembris 1643.

1476. MELEVITANA.

Parochus S. Mariae Damascheni Ritus Graeci reformati sub S. M. Gregorio XIII., supplicavit sibi decerni praecedentiam inter caeteros Parochos iuxta antiquitatem suae Ecclesiae, non obstante, quod sit graeci ritus uniti, pro qua declaratione etiam Rñus Episcopus praesens in curia instat. Et S. C. respondit: « Ritus graecum praedictum non obstare, quominus Parochus orator praecedentiam Ecclesiae suae debitam inter caeteros latini ritus assequatur. » Die 26. Septembris 1643.

1477. S. MARCI.

In Ecclesia Cathedrali S. Marci, in qua Altare maius in medio Chori situm est, Sedes vero Episcopalis fixa parieti in medio contra dictum Altare, stalla vero Canoniorum hinc inde, Archidiaconus scilicet a dexteris, et Decanus a sinistris, et caeteri successive, iuxta ordinem antiquitatis; cumque deformitas oriatur in thurificationibus, si, servato ordine sessionis, hinc inde iteratis ambulationibus per Chorum thuri-

ficatio fiat: petiit Episcopus approbati modum ab illo praescriptum, ut scilicet alternis septimanis ponatur ab alterutra parte tabella cum inscriptione *Chorus*, et ab illa parte, ubi est tabella, incipiatur thurificatio, successive vero ab altera. Et S. C. respondit: « Thurificationem incipientem esse a parte digniore, ea vero ordine successivo absoluta, continuandam esse ab altera parte, facto initio a digniore illius partis. » Die 26. Septembris 1643.

1478.

CANARIEN.

Communitates Civitatum Palmae, Lagunae, et aliarum conqueruntur de Parochis, et Ecclesiasticis prohibentibus, ne haeredes defunctorum vocent ad funera Regulares, nisi prius vocentur omnes Clerici non solum propriae Parochiae defunctorum, sed etiam Parochiarum aliarum, supplicantes pro abolitione dicti abusus. Et S. C. respondit: « numerum Religiosorum, et Clericorum, ac electionem Ordinum Regularium pro associandis cadaveribus ad haeredes defunctorum pro libitu voluntatis eorum spectare, et pertinere, sine tamen praeiudicio proprii Parochi, et Ecclesiae Parochialis, iuxta sacrorum Canonum, et Ritualis Romani dispositionem. » Et ita in posterum in Civitatibus praedictis servari mandavit, die 22. Novembris 1643.

1479. REGIEN. PROVINCIAE BONONIEN.

Dubitavit Episcopus Regiensis occasione Constitutionis SS. Domini Nostri super observatione Festorum, in qua disponitur unicum tantum Festum Patroni principalioris loci in singula Dioecesi ex praecepto observandum, cum in Dioecesi praedicta S. Prosper pro principali Patrono declaratus sit.

1. An Festum SS. Crisanti, et Dariae Patronorum minus principalium celebrandum sit cum Octava alias a S. C., ut asseritur, concessa?

2. An sit transferendum Festum Visitationis B. Virginis coincidens in die Octava S. Prosperi, nec non Festum S. Jucundae Patronae pariter minus principalis coincidens in die Octava Dedicacionis Ecclesiae Cathedralis?

Et S. C. respondit: « Constitutionem praedictam nihil circa ordinationem Divini Officii, nec circa Rubricas innovasse, ut in Registro Litterarum. » Die 22. Novembris 1643.

1480.

RUBEN.

Archidiaconus Ecclesiae Cathedralis petiit declarari, quod sibi tamquam primae Dignitati spectet SS. Eucharistiae Sacramentum, absente, vel impedito Episcopo, in solemni eius Festivitate, et per Octavam in Processione deferre, et

Missas, et Vesperas Pontificales cantare in diebus, in quibus Episcopus, si esset praesens, vel non impeditus, cantaret. Et S. C. respondit: « munia praedicta, absente, vel impedito Episcopo, ad primam Dignitatem spectare: in ipsa vero solemnitate Corporis Christi ita demum ad eandem primam Dignitatem pertinere, si in illa die solemne Sacrum celebret. » Die 22. Nov. 1643.

1481.

SYRACUSANA.

Petiit Civitas Syracusana, ut posset continuare Octavam S. Luciae Civis, et Patronae minus principalis, etiam superveniente die 17. Decembris, saltem facta commemoratione de Antiphonis maioribus. Et S. C. mandavit: « servari Rubricas Breviarii novi Tit. de Oct. ubi hoc expresse prohibetur. » Die 22. Novembris 1643.

1482.

URBIS.

Moniales S. Ambrosii della Massima habentes insignes Reliquias SS. Constantii, Mauri, et Candidi Martyrum ex Caemeteriis Urbis extractas, appositis ad libitum praedictis nominibus, seu, ut vulgo dicitur - *Battezzate* -; cum propterea incerta sit dies natalitia eorumdem, supplicarunt pro facultate celebrandi Officium duplex vel de iis, vel de com. plurimorum Martyr. die 22., et 23. respective mensis Octobris. Et cum ego Secretarius horum occasione retulisset SS. Domino Nostro abusum generalem circa baptismationem Reliquiarum, ex quo multa incommoda, et pericula proveniebant: Sanctitas Sua mandavit insinuari « Eñno D. Card. Urbis Vicario, ut a similibus abstineret, et abusum praedictum eliminaret, prout praestitit, et deinde per Sacram Congregationem examinari quonam modo pro actis gestis sit consulendum? » Ideoque eadem S. C., reiecta Monialium praedictarum petitione, mandavit Dubium per manus etiam Consultorum mitti, cuius resolutio habetur infra sub die 19. Decembris 1643. Die 22. Novembris 1643.

Resolutio, de qua supra, sequens est.

1483. RELIQUIARUM INCERTI NOMINIS.

Posito; quod quaedam Reliquiae Sanctorum in genere alias dispensatae fuerint per varias mundi partes, adhibitis ad libitum nominibus Sanctorum in specie, seu, ut vulgo dicitur - *battezzate* -; vel etiam Sanctorum certorum, sed quorum nomina, vel non sunt in Martyrologio, vel si sunt in eo, nec sunt ipsorummet Sanctorum in Martyrologio expressorum, sed aliorum eiusdem nominis.

Quaesitum fuit quid agendum sit tam circa Officium, et Missam ipsorum ratione insignis Reliquiae, et praesertim quae dies sit illis assignanda, cum natalitia eorum sint incerta, quam etiam

circa modum cultus, et venerationis eorumdem? Auditis prius Consultoribus, qui fuerunt in voto, videlicet Fr. Lucas Wadingus, quod Reliquiae incertae non venerentur, nisi quae iam Populus veneratur; si non sunt in Martyrologio, consulatur S. C. quod Officium vel in octava omnium Sanctorum, vel in die approbata ab Ordinario celebretur. P. Terrentius Aleiatus, si Sanctitas sit certa, nomen vero incertum, dies assignetur a S. C., annuente Sanctissimo, non autem Ordinariis relinquatur, vel fiat in die translationis, dummodo non sit impeditus, et in Calendario ponatur per nomen circumscriptum. Rñus D. Sacrista iuxta praemissa respondendum ad casus particulares, non edendo generale Decretum. Deinde S. Congreg. respondit: « circa cultum, et venerationem Reliquiarum huiusmodi, quoad praeteritum nihil innovandum: quoad futurum, nullatenus baptizandas: quoad Officium, si certa sit sanctitas, licet incertum nomen, servetur Decretum locale S. C. de Reliquia insigni, non expresso nomine particulari aliquo, ut nec in chartis, aut thecis. » Quoad diem alii fuerunt in voto, ut vel in die omnium Sanctorum, vel infra Octavam assignetur, videlicet Pamphilius, Franciottus, Bragadinus, Facchinettus, Ginnettus, Caesarinus, Columna, Costagutus, Rondaninus. Alii, scilicet Montaltus, Polus, quod concedatur Ordinariis facultas assignandi diem ad libitum non impeditum Officio novem Lectionum vel Feriarum maiorum: et omnes consenserunt non edendam generalem declarationem, sed respondendum casibus particularibus. Re vero per me ad SS. D. N. delata, Sanctitas Sua praedicta adprobavit, « sed in futurum prohibuit absolute huiusmodi Reliquias baptizari, et tam quoad hoc, quam quoad praeterita inclinavit, ut examinetur, an edendum sit Decretum universale. » Die 19. Decembris 1643.

1484. MEDIOLANEN.

Posita Constitutione SS. D. N. Urbani Papae VIII. super observatione Festorum, quae incipit « Universa, idibus Septembris 1642. » promulgata, quaesitum fuit ab Ecclesia Mediolanensi.

1. An Cappellani, tam titulares, quam mercenarii, quibus incumbit onus celebrandi Missam singulis diebus festis, sint exempti a celebratione diebus festis reductis?

2. An illis diebus festis reductis, quae Communitates ex earum devotione servare volunt, Parochus teneatur Missam cantare, Vesperas, et alia munera obire, sicut obibat ante publicationem Constitutionis praedictae?

3. In omnibus fere Collegiatis tam Civitatis,

quam Dioecesis Mediolanensis, diebus festis Canonici solent Missam cantare, feriatis autem Cappellani: an in diebus festis reductis debeant cantare Canonici, an vero Cappellani? Et S. Congreg. respondit: « Constitutionem praedictam nihil circa praemissa innovare. » Die 19. Decembris 1643.

1485. DUBIUM.

Quaesitum fuit: an Episcopo praedicanti in Ecclesia Cathedrali in ambone, ubi Praedicator ordinarii praedicare consueverunt sine baldachino, et in habitu Mozzettae, et Stolae, debeat assistentia a Canonicis, et Dignitatibus? Et S. C. respondit: « in casu proposito assistentiam non deberi, et nisi quando cum Pluviali, et Mitra ad praescriptum Caeremonialis Episcoporum voluerit praedicare. » Die 19. Decembris 1643.

1486. EMONIEN. IN ISTRIA.

Episcopus Emoniensis cum ob penuriam Presbyterorum uti non possit in consecratione Oleorum Sanctorum numero praescripto in Pontificali Romano, supplicavit ex causa praedicta sibi concedi, ut possit id explere cum numero possibili. Et S. C. censuit, « si SS. D. N. placuerit, gratiam petitam Episcopo Oratori esse concedendam, quatenus sufficiens numerus Presbyterorum in Dioecesi Emonien. non reperiatur, vel aliter commode haberi nequeant, super quo eius conscientia oneratur, et dummodo in reliquis, quoad fieri potest, cum Pontificali Romano se conformet. » Et re ad SS. D. N. delata, Sanctitas Sua, iuxta praemissa, benigne annuit, die 23. Ian. 1644.

1487. DUBIUM.

Quaesitum fuit: - utrum Capitulo Ecclesiae Cathedralis accedenti ad Ecclesias Collegiatas occasione Processionum, et similium, teneatur ultimus Canonicus dictarum Collegiatarum inservire de libro primae Dignitati orationem ibidem recitanti? - Et S. C. respondit: « non teneri. » Die 23. Ianuarii 1644.

1488. CAMERINEN.

Quaesitum fuit: An, quemadmodum Canonico in diebus liberi servitii permissum est inservire in Choro pro alio Canonico obligato, ita etiam liceat Coadiutori in diebus, in quibus vacat a servitio Coadiuti, supplere vices Canonici obligati? Et S. C. respondit: « non licere. » Die 5. Martii 1644.

1489. AESINA.

Quaesitum fuit: an Coadiutori Canonici Presbyteri in Ecclesia, in qua Praebendae sunt distinctae, debeat praecedentia super Canonicos Diaconos, dum pro suo Coadiuto Divinis interest? Et S. C. respondit: « in casu proposito praecedentiam Coadiutori deberi. » Die 5. Mar. 1644.

1490. HIEROSOLYMITANA.

Quaesivit Clerus Hierosolymitanus 1. An Officia, et Solemnitates Patriarcharum, Prophetarum, aliorumque Sanctorum veteris Testamenti, caeteris paribus, praefenda sint illis Sanctorum novi Testamenti?

2. Concurrentibus duobus duplicibus, vel semiduplicibus: alterum Calendarii Dioecesanii, alterum vero Calendarii Romani, quis illorum debeat praeferi?

3. An occurrentibus extra Octavam in feria secunda non impedita duobus semiduplicibus translatis, altero quidem die immediate praecedenti Dominicae translato, altero vero translato a multis diebus, de quo debeat fieri Officium dicta feria secunda? Et idem quaesitum est de duplici occurrente in Dominica prima, vel secundae Classis respectu alterius duplicis eiusdem ordinis a multis diebus translato?

Et S. C. ad 1. mandavit « audiri DD. Consultores. » Ad 2. « videri in sequenti. » Ad 3. « servari Rubricas. » Die 5. Martii 1644.

1491. DUBIUM.

Capitulum Ecclesiae Cathedralis unius Civitatis constat ex duabus Ecclesiis, et triginta duobus Canonicis, quorum viginti quatuor resident in una Ecclesia, octo vero in alia: ambae vero Ecclesiae unicum constituunt Capitulum; et habent praebendas, et ordines distinctos in Presbyterales, et Diaconales, et Subdiaconales: Cumque saepius teneantur in unius Capituli formam coalescere, et simul una convenire, non servatur inter eos nec ordinis, nec receptionis praerogativa; sed dicti Canonici viginti quatuor sine distinctione praecedunt aliis octo Canonicis; supplicatur declarari, an rationabilis, et tolleranda sit huiusmodi consuetudo, quae tamen immemorabilis non existit, et quid servandum? Et S. C. declaravit: « consuetudinem praedictam tamquam irrationabilem, et abusum, non esse tolerandam, sed inter omnes Canonicos praedictos ordinis, et receptionis rationem esse servandam. » Die 5. Martii 1644.

1492. NEAPOLITANA.

Cum in Monasterio SS. Conceptionis ob frequentiam, et coincidentiam Festorum propriorum contingat Festum S. Nicolai per totam 16. Decembris transferri, et die 17. superveniant Antiphonae maiores, quae non admittunt continuationem Octavarum, quaesitum fuit: - an eodem modo non admittant Officia semiduplicia, ita ut Officium S. Nicolai sit transferendum post Epiphaniam? Et S. C. respondit: « Rubricas de Antiphonis maio-

ribus non excludere duplicia, et semiduplicia etiam translata tunc incidentia. » Die 5. Martii 1644.

1493. SUBCOLLECTORUM CANONICORUM.

Positis literis Apostolicis SS. D. N. Urbani PP. VIII. in forma Brevis, seu Motus proprii sub die secunda Iulii 1636. emanatis super cognitione Causarum subcollectorum, et commissariorum Camerae Apostolicae in criminalibus mortuarum, seu movendarum, incipientibus, Alias *recolendae*; quaesitum fuit ab aliquibus RR. DD. Episcopis per preces a SS. remissas: an Subcollectores spoliatorum, commissarii, aut alii ministri Camerae Apostolicae praedictae quocumque nomine nuncupentur, qui Dignitates, Canoniciatus, aut Beneficia in Cathedralibus, aut aliis Ecclesiis obtinent, ab ipsis Episcopis cogi possint ad adimplenda officia onera et munera ipsis Dignitatibus, Canoniciatibus, aut Beneficiis, vel aliquo Capitulo, aut Ecclesiae incumbentia, et praesertim ad observationem Caeremonialis, et Rubricarum Missalis, et Breviarii Romani?

Die 5. Martii 1644. S. R. C. censuit: « huiusmodi subcollectores, commissarios, et alios Camerae Apostolicae ministros privilegio praedicto se tueri non posse, quominus, ubi de cultu Divino, et de observatione Caeremonialis, et Rubricarum Missalis, et Breviarii Romani agitur, per Episcopos Dioecesanos ad implendum eorum munus cogi possint: qua S. C. sententia SS. D. N. relata, Sanctitas Sua literas praedictas sic, ut praemittitur, intelligendas esse, *declaravit*, et ita iussit ubique servari. » Die 5. Mar. 1644.

1494. ADIACEN.

Quaesivit Episcopus Adiacensis: 1. An Canonici, et alii Presbyteri Missas in Cathedrali Ecclesia celebrantes, teneantur stare determinationi horarum ab Episcopo faciendae pro huiusmodi Missarum celebratione in ordine ad consulendum commoditati Populi, et servitio eiusdem Ecclesiae?

2. An ipsum ad Officia sacra tam matutina, quam vespertina accedentem Canonici Missas, vel Vesperas celebraturi teneantur expectare in Choro ad loca consueta, an vero e contra?

3. An thurificatio, et Aspersorium Episcopo ministrari debeat, capite detecto?

Et S. C. respondit: Ad 1. « Celebrantes ex obligatione, non autem ex devotione, servare debere horam ab Episcopo, vel ab alio eiusdem Episcopi vices fungente determinandam, dummodo intra tempus canonicum existat. » Ad 2. « Canonicos, paulo ante quam Episcopus in Chorum veniat, debere sumere paramenta, eumque venientem ad loca sua expectare. » Ad 3. « Thu-

rificationem, et Aspersorium, capite detecto, esse ministranda. » Die 16. Aprilis 1644.

1495. CATHACEN.

In Oppido Tavernae consuevit Processio Corporis Christi hoc ordine haberi. Ex duobus Parochis, quibus constat dictum Oppidum, alter in alterius Ecclesia Vesperas celebrat, mane celebrato per proprium Parochum in propria Ecclesia Sacro, traditur SS. Sacramentum alteri Parocho ibidem expectanti, qui defert illud processionaliter ad suam Ecclesiam: petatum fuit approbati huiusmodi consuetudinem, quam Episcopus tollere contendit. Et S. C. « abnuit. » Die 16. Aprilis 1644.

1496. MARIANEN.

Moniales SS. Annunciationis de Bastia supplicarunt pro facultate asseruendi in earum Ecclesia SS. Eucharistiam. Et S. C. respondit: « Aut Monasterium est canonice erectum, et non indiget: aut non, et non est approbandum. » Die 16. Aprilis 1644.

1497. NEAPOLITANA.

In regione Capitis Montis Dioecesis Neapolitanae exstat Archipresbyteratus carens Cura, Administratione, et Ecclesia, et tamquam simplex Beneficium simplicibus Clericis conferri solitum. Quaesitum fuit; - utrum obtinens illum habeat qualitatem Dignitatis ita ut comprehendatur in dispositione Cap. statutum, de Rescript. in 6. et competat illi usus Stolae, aut praecedentia in concursu cum Parochis dicti loci in functionibus Parochialibus intra proprias Parochias; et utrum dictus Archipresbyteratus obtentus per aliquem ex dictis Parochis addat ei quidquam amplius qualitati simplicis Curati in ordine ad praesentiam inter caeteros Parochos? - Et S. C. respondit: « in casu proposito nihil praemissorum competere. » Die 16. Aprilis 1644.

1498. TOLETANA.

In Regio Conventu S. Laurentii de Escoriali, Philippus II. Rex Catholicus Fundator inter caetera onera reliquit, ut in singulis diebus, post Primam, defunctorum Missa pro se, suisque cantaretur. Et si festum aliquod occurreret, illius festi Missa celebraretur, facta commemoratione pro se, suisque defunctis. Et ita factum fuit. In feriis vero Quadragesimae, quatuor Temporum, et Vigiliarum, in quibus duae celebrantur Missae propter duplicia, et semiduplicia festa tunc occurrentia, Missa dictarum feriarum semper post Tertiam celebrata est, ut commodius fieret Oratio pro defunctis. In die vero Festo, Missa Rogationum mane ante Processionem, postea vero

praedicti Sancti celebrata est. Et hoc pro habenda frequentia, cum mane non possint propter occupationes Religiosi convenire. Cumque praedicta repugnent in parte Rubricis Missalis Romani, supplicavit Prior dicti Conventus dispensari.

1. Ut in Festis duplicibus, et semiduplicibus, quae occurrunt in Quadragesima, quatuor Temporibus, et Vigiliis praedictarum feriarum Missa post Tertiam; duplicium, et semiduplicium vero post Nonam celebrentur.

2. Ut in festo S. Marci Missa Rogationum ante Processionem celebretur.

3. Ut in diebus Festivis, quando unica Oratio occurrit in Missa, quae cantatur post Primam, possit secunda Oratio defunctorum dici, et tertia, quae est secunda in Officio occurrenti.

4. Et cum in aliquibus diebus, in quibus praefatus Conventus plures cantare Missas tenetur, uti fit in diebus depositionis, et anniversarii defunctorum, qui plures sunt tam Regiarum, quam Religiosarum personarum, Rex Catholicus Fundator obligationem cantandi Missam pro defunctis post Primam sustulerit, unica commemoratione pro se, suisque defunctis contentus; supplicavit pariter permitti, ut cum Festum semiduplex occurrerit, praedicta commemoratio in Missa Conventuali fieri possit.

Et S. C., proponente Eño, et Rño D. Cardinali Montalto, respondit ad 1., et 2. « servandas esse Rubricas Missalis Romani. » Ad 3. « Attentis narratis, censuit, si SS. D. N. placuerit, permitti posse, ut Oratio pro defunctis dicatur in Missa, quae post Primam celebratur. » Ad 4. « censuit pariter, si SS. D. N. placuerit, in semiduplicibus, quando contigit plures cantari Missas, permitti posse, ut commemoratio pro defunctis in Missa Conventuali fiat. » Die 16. Aprilis 1644.

1499. URBIS.

Magistri Caeremoniarum SS. D. N. qui olim in sequendis equitationibus ampla talari veste et magno caputio laneis violacei coloris usi sunt, eaque dimiserunt tanquam parum congruentia usui pilei comunis, postmodum admoniti, pro earum re assumptione, ne quid ex benignitate S. Congregationis, cui assidue inservientes intersunt, desit; supplicarunt pro usu pilei semipontificalis eo quod ipsi Protonotariorum Apostolicorum non participantium, et secretorum Pontificis cubiculariorum praerogativis fulgeant. Et S. C. censuit, si SS. D. N. placuerit, gratiam petitam oratoribus esse concedendam, qua praerogativa etiam Referendarios Apostolicos potiri declaravit ex propria eorum institutione. Die 16. Aprilis 1644.

1500. AVENONIEN.

Carolus Felix Deserre Canonicus Ecclesiae Cathedralis Avenionen., in qua Praebendae omnes sunt Presbyterales, exposuit, quod cum de tempore suae receptionis ad possessionem praedicti Canonicatus in Sacerdotio non esset constitutus, duo recentiores Canonici post illum admissi, cum Sacerdotes existerent, praecedentiam super illum adepti sunt, nunc cum et ipse ad Sacerdotium ascenderit, supplicavit sibi responderi: - An de iure possit consequi praecedentiam ante dictos Canonicos post illum admissos? et licet alias ob allegatam pendentiam litis in partibus reiectus fuerit ad suos Iudices, nihilominus cum modernus D. Archiepiscopus Avenoniensis praesens in Curia consentiat, et instet, supplicavit iterum pro resolutione. Et S. C., referente Em̄o, et Rm̄o D. Cardinali Roccio, secundum ea, quae proponuntur, respondit: « Praecedentiam deberi Canonico Oratori ante omnes alios post ipsum receptos. » Die 14. Maii 1644.

1501. DUBIUM.

Cum contingat pluribus Ecclesiis Legata Pia relinqui, cum onere celebrandi Officium alicuius Sancti sub altiore ritu, quam qui a Sede Apostolica est illi praescriptus, et neque deceat in laicorum potestate esse hoc modo indirecte in ritus Ecclesiae legem dicere, nec expediat Ecclesiae per has appositae conditiones Legatorum huiusmodi effectu privari; quaesitum fuit de mandato SS. D. N.: Quid in his casibus statuendum sit? Et S. C. censuit: « secundum ea, quae proponuntur, conditionem huiusmodi vitari, et non vitare. Sed in praedictis casibus indulgendum, ut Officia huiusmodi quoad pompam extrinsecam, non autem quoad ritum Ecclesiasticum, solemnius celebrentur. » Quam S. C. sententiam auditam Sanctitas Sua benigne approbavit, Die 14. Maii 1644.

1502. HIERACEN.

Magister Caeremoniarum Ecclesiae Hieracensis supplicavit pro responsione ad sequentia.

1. An Canonicus facturus Officium non paratus, sed suo consueto habitu Canonicali indutus in Processione, quae fit a Sacristia ad Chorum, cum itur ad Divina celebranda, debeat praecedere omnibus aliis Canonicis?

2. An Canonicus hebdomadarius in Choro Officia faciens non paratus, sed cum consueto suo habitu Canonicali praecedere debeat aliis Canonicis, etiam Dignitatibus?

3. An Dignitatibus solemniter celebrantibus in festis solemnioribus debeant inservire Canonici de Diacono, et Subdiacono?

4. An cum ibidem Vicario primus locus in Choro, Episcopo absente, In cornu Evangelii ex consuetudine assignetur, prima Dignitas sedere debeat in primo loco a cornu Epistolae, an vero occupare tertium locum apud Vicarium?

5. An tolleranda sit consuetudo, ut Canonici Cathedralis, quando assistunt in aliqua Ecclesia Civitatis pro celebrandis Vesperis, et Missis solemnibus, adsint sine canonicali habitu?

Et S. C. respondit ad 1. « Canonicum, qui facturus est Officium, debere cum paramentis accedere. Ad 2. « Servandum esse Caeremoniale. » Ad 3. « Diaconum, et Subdiaconum debere assumi ex numero Canonicorum, contraria consuetudine non obstante. » Ad 4. « Primae Dignitati primum stallum deberi, et sic deinceps ordine successivo. » Ad 5. « Huiusmodi ritum non esse tollerandum, sed cum habitu canonicali assistendum. » Die 14. Maii 1644.

1503. IMOLEN.

Rector Parochialis S. Iacobi de Lugo Dioecesis Imolensis supplicavit declarari: « An Regulares mendicantes, ad associanda funera Parochiae suae vocati, debeant ad Ecclesiam Parochialem convenire, et inde processionaliter in domum defuncti descendere? Et S. C. respondit: « Regulares praedictos in Parochialem, vel in aliam Ecclesiam, iuxta loci consuetudinem, ordine convenire debere iuxta Ritualis Romani dispositionem. » Die 14. Maii 1644.

1504. MAZZARIEN.

In Cathedrali Mazzariensi, in qua consueverunt ex quatuor Dignitatibus tres Episcopo celebranti pro Presbytero, Diacono, et Subdiacono assistere, quarta vero ad primum stallum in Choro sedere: quaesitum fuit - an intonatio quartae Antiphonae pertinet ad dictam quartam Dignitatem, an vero ad primum Canonicum apud illum immediate sedentem? - Et S. C. respondit: « pertinere ad primum de gremio Canonicorum in Choro praesentem. » Die 14. Maii 1644.

1505. SABINEN.

De praecedentia Collegiarum, et Parochorum.

Attenta discrepantia antiquarum resolutionum S. C., quaesitum fuit, cui debeatur praecedentia in funeralibus: an proprio Parocho defuncti, an vero Capitulo Ecclesiae Collegiatae? Et S. C. respondit: « in associatione funerum, salva legitima loci consuetudine, deberi Capitulo Collegiatae supra Parochum, etiam proprium defuncti, sine praeiudicio tamen in reliquis iurium, et praecementiarum eidem Parocho de iure, vel de consuetudine competentium. » Die 14. Maii 1644.

1506. PLOCEN.

Quaesivit Suffraganeus Plocensis: - an ipsi liceat, dum in solemnioribus festis Pontificaliter in Ecclesia Cathedrali celebrat, Praelatos, et Canonicos eiusdem Ecclesiae thurificare, etiamsi exstaret huiusmodi consuetudo? - Et S. C. respondit, « non decere; sed servandum esse Caeremoniale Episcoporum, consuetudinemque praedictam abusum *declaravit*. » Die 14. Maii 1644.

1507. ALBANEN.

Quaesitum fuit: - An Regulares possint facere Processiones extra ambitum suarum Ecclesiarum de licentia Episcopi, contradicente autem Parocho? - Et S. C. respondit: « sufficere licentiam Episcopi. » Die 4. Iunii 1644.

1508. CASSANEN.

In Ecclesia S. Leonis de Saracena Festum Dedicacionis Ecclesiae Cathedralis, quod per totam Dioecesim celebratur, incidit *die 3. Maii*, qua die cadit Festum Inventionis S. Crucis: Supplicavit Clerus eiusdem Ecclesiae, ut possit eadem die celebrare Officium Inventionis S. Crucis, et transferre aliud Dedicacionis. Et S. C. respondit: « debere omnino celebrare Officium Inventionis absque alia translatione Officii Dedicacionis. » Die 4. Iunii 1644.

1509. DUBIUM.

Quaesitum fuit: an infra Octavam Ascensionis in Missa defunctorum dici debeat Communicantes proprium dictae Ascensionis: an vero commune? Et S. Congreg. respondit: « dicendum esse commune. » Die 4. Iunii 1644.

1510. GROSSETANA.

Quaesitum fuit: an Parochus, et prima Dignitas Ecclesiae Cathedralis possit indicere Orationem quadraginta horarum, et exponere SS. Eucharistiae Sacramentum absque licentia Episcopi? Et S. C. respondit: « non posse. » Die 4. Iu. 1644.

1511. MINERBINEN.

Primicerius Ecclesiae Minerbinensis exposuit, vertente controversia inter ipsum, et Archidiaconum eiusdem Ecclesiae super iure dirigendi chorum, et ordinandi divinum officium, Episcopum *anno 1612.* ad favorem Primicerii decrevisse; in quorum Decretorum executionem, cum ab Archidiacono turbetur, supplicavit responderi, quid iuris? Et S. C., proponente E^{mo}, et R^{mo} D. Cardinali Sacchetto, censuit: « servandam esse dispositionem Iuris communis in cap. unic. de Offic. Primic. et can. Perlectis §. ad Primicerium dist. 25. » Die 4. Iunii 1644.

1512. OSSORIEN. IN HIBERNIA.

Cum Festum principale Parochiae Mogain

Dioecesis Ossoriensis incidet in Vigilia S. Bartholomaei; supplicatum fuit pro facultate anticipandi Vigiliam eiusdem S. Bartholomaei die praecedenti. Et S. Congreg. censuit, « si SS. D. N. placuerit, gratiam petitam esse concedendam. » Et audita sententia eiusdem S. C., Sanctitas Sua benigne annuit. » Die 4. Iunii 1644.

1513. PANORMITANA.

Alias inita concordia super thurificationibus inter Archipresbyterum, et Clerum Ecclesiae Cathedralis Terrae de Ciminna, et Universitatem dicti loci, quod duo adhiberentur thuribula, altero quidam incipiendo thurificationem ab Archipresbytero, altero thurificando immediate Universitatem praedictam, et interim continuandi primo thuribulo thurificationem aliorum Sacerdotum. Et S. Congreg., « duplicis Thuribuli usum improbando, *mandavit*, servari Caeremoniale Episcoporum lib. 1. cap. 23. §. Magistratus, et cap. 13. §. Sedes autem. » Die 4. Iunii 1644.

1514. USELEN.

Marchiones, Comites, et Barones in Regno Sardiniae praetendunt osculum Pacis, et Evangeliorum ante Celebrantem; Episcopus Uselensis quaesivit, quid fieri debeat, maxime si sit consuetudo? Et S. C. respondit: « observandum esse Caeremoniale Episcoporum lib. 1. cap. 24., et cap. 30., et Rubricas Missalis Romani. » Die 4. Iunii 1644.

1515. URBIS.

Quaesivit Ecclesia Lateranensis: an duae Missae Conventuales, quas Rubricae celebrandas praescribunt in diebus Rogationum, dicendae sint etiam quando in aliqua Feria dictarum Rogationum incidit Festum Inventionis S. Crucis, vel aliud duplex secundae classis: et utrum pro una ex dictis Missis haberi debeat illa, quam Episcopus Suffraganeus celebrat in Ecclesia, a qua Processio incipit, dum dirigitur ad eandem Ecclesiam Lateranensem tamquam ad Cathedralem Urbis? Et S. C. respondit: « in casu proposito duas Missas Conventuales esse celebrandas, et pro altera ex ipsis non suffragari illam, quam Episcopus celebrat, ut supra, sine conventu Canonicorum Ecclesiae praedictae. » Die 4. Iu. 1644.

1516. DE BALDACHINIS ABBATUM.

Positis Decretis huius S. C. disponentibus, ut Abbatibus quorundam Ordinum Regularium habitibus usum Pontificalium liceat tribus anni Festivitatibus in eorum propriis Ecclesiis exemptis Baldachino uti; quaeritur: an huiusmodi Abbates possint non solum Baldachino, sed etiam Mitra, et Baculo uti extra eorum Ecclesias Ab-

batiales in Ecclesiis Monialium eorum regimini subiectarum, praesertim extra occasionem Festivitatum, sed dum aliqua Novitia habitum suscipit, vel Professionem emittit? Et S. C. fuit in voto « quoad Baldachinum negative, quoad Mirram, et Baculum inspicienda esse privilegia, sed, cum agatur de universo Ordine Monastico, mandavit absque alicuius Decreti editione exprimi, et audiri Partes. » Die 2. Iulii 1644.

1517. DE BREVIARIO MONASTICO.

Quaesitum est: an Moniales habentes usum Breviarii Monastici, quamvis non Monachis, sed Ordinario subiectae teneantur ad faciendae Officia SS. Patronorum Civitatis, et alia in Calendario Dioecetano descripta? Et S. C. censuit: « teneri dumtaxat ad faciendum Officium de Sanctis Patronis Civitatis iuxta Rubricas, et Ritum Breviarii Monastici. » Die 2. Iulii 1644.

1518. BERGOMEN.

In Ecclesia Bergomen. olim non cantabantur duae, vel tres Missae, quae certis diebus praescribuntur a Rubricis; postea correctus fuit hic abusus, et Canonici, ad effugiendum huiusmodi onus, assignarunt ex Massa communi distributionum certam portionem Sacerdoti, qui dictas Missas infra annum celebret; sed cum ex solutione dictae mercedis Archipresbyter se gravatum senserit, cum in Quadragesima ipse illas celebret sine mercede, reliquo vero anni tempore contribuat cum caeteris Sacerdoti celebrationi deputato, supplicavit propterea idem Archipresbyter, declarari Capitulum teneri.

Et S. C. censuit: « Canonicos teneri per se ipsos ad celebrationem dietarum Missarum, et huiusmodi assignationem nullam esse declaravit. Sed, absque editione Decreti remisit ad S. C. Concilii. » Die 2. Iulii 1644.

1519. CALARITANA.

Quaesivit Archiepiscopus Calaritanus.

1. An, quando ipse in Ecclesia sua intervenit cum Cappa Processioni SS. Corporis Christi, teneatur ipsemet intortitum deferre, vel sibi ab alio ministro deferri facere?

2. An Canonici in huiusmodi Processione teneantur intortitia deferre, quamvis Archiepiscopus per se ipsum non deferat?

3. An Praesidens Capituli, praesente Archiepiscopo, possit dirigere Processiones etiam sub poenis: an vero spectet ad ipsum Archiepiscopum?

Et S. C. respondit ad 1. « in casu proposito Archiepiscopum debere intortitum sibi per Ministrum deferre facere. » Ad 2. « Canonicos teneri funalia, seu intortitia deferre. » Ad 3. « Pro-

cessiones edicere, decernere, dirigere, et deducere ad Archiepiscopum pertinere de consilio tantum Capitali, non autem de consensu. » Die 2. Iulii 1644.

1520. BOSNEN. CALENDARIUM.

Episcopus Bosnensis S. C. de Fide Propaganda exposuit, in eius Dioecesi quaedam Oppida detrectare Calendarii novi observationem, ideoque matrimonia temporibus prohibitis celebrari, et alia contra statuta Ecclesiae fieri. Huius abusus causam tribuens quorundam Parochorum avaritiae, qui pro habenda eleemosyna in hoc voluntati Populorum indulgent: quam Episcopi petitionem eadem S. C., proponente Eñõ, et Rñõ D. Cardinali Cornelio, ad S. R. C. remisit, petens desuper quid iuris? responderi. Et S. C. venerandis S. Concilii Nicensi I. Decretis inhaerens, et attendens inter caetera gravissima veteris Calendarii discrimina hoc potissimum emanare, ut Pascha Resurrectionis praescriptis ab Ecclesia non celebretur temporibus, necnon inhaerens Constitutioni S. M. Gregorii PP. XIII. incipien. Inter gravissimas, censuit: « Calendarium novum, veteri abrogato, iuxta eiusdem Constitutionis praescriptum in Dioecesi Bosnensi, et ubicumque Terrarum recipiendum, et observandum esse, illudque propterea tam in ea, quam in circumpositis Dioecesibus, in quibus haecenus introductum non est, omnino introduci, et servari, mandavit. » Die 26. Novembris 1644.

1521. LUGDUNEN.

Quaesivit Ecclesia Lugdunensis.

1. An si Archiepiscopus ob legitimam causam concesserit celebrari in Ecclesia polluta, debeat, causa illa cessante, Ecclesia praedicta reconciliari?

2. Utrum Primas possit uti Pallio diebus solitis, non solum in Ecclesiis suae Provinciae Archiepiscopalis, sed etiam in Primatialis, si in illis Sacrum solemniter facere contingat.

Et S. C. quoad 1. « consideravit argumenta cap. Significasti, de Adulter. quod etiam superveniente postea notitia pollutionis, reconciliari Ecclesia debet, Et quoad 2. Text. in cap. 1., et cap. ad honorem de auctorit., et usu Pallii, quod Pallio potest uti in omnibus Ecclesiis, in quibus iurisdictionem Ecclesiasticam accepit, nihilominus pro ulteriori examine commisit Eñõ, et Rñõ D. Cardinali Capponio. » Die 26. Novembris 1644.

1522. NICIEN.

In Ecclesia Nicensi, in qua sex Dignitates, et tres Canonici existunt, et Praebendae non sunt

distinctae, sed omnes Presbyterales existunt, prima Dignitas habet Coadiutorem. Quaesitum fuit; quis locus eidem Coadiutori debeatur? S. C. respondit, « deberi ultimum locum post omnes Dignitates. » Die 26. Novembris 1644.

1523. S. MARCI.

Quaesitum fuit: 1. quomodo intelligenda sit Rubrica de genuflexionibus, quae SS. Eucharistiae fiunt: an eodem modo genuflectendum sit coram exposito, quam coram asservato in Tabernaculo?

2. An liceat Sacerdotibus in Missis privatis tempore Hebdomadae Maioris Passionem D. N. a cornu Epistolae recitare?

Et S. C. respondit ad 1. « Semper, et a quocumque coram SS. Eucharistiae Sacramento esse genuflectendum. » Ad 2. « Non a cornu Epistolae, sed a cornu Evangelii esse recitandum. » Die 26. Novembris 1644.

1524. SORANA PROCESSIONIS.

Orta controversia inter Canonicos S. Archangeli de Arpino ex una, et Canonicos S. Mariae eiusdem loci partibus ex altera, de et super iure incedendi in Processionibus, et causa per S. C. R. ad Eñum Dominum Card. Sacchetti commissa super tribus Dubiis, utraque pars plene, et distincte informavit.

1. An Capitulum S. Archangeli cum suo Clero cogi possit accedere ad Processionem fieri solitam a Canonicis praedictae Ecclesiae S. Mariae in Vigilia Assumptionis Titularis illius Ecclesiae?

2. An Cruces Ecclesiarum dicti loci incedere debeant omnes simul in principio Processionis, ante Clerum, vel potius unumquodque Capitulum incedere debeat sub propria Cruce?

3. An Archipresbyter S. Mariae possit in Processionibus se disiungere a corpore sui Cleri, et incedere in fine Processionis a sinistra Abbatis S. Michaelis, cui adiungitur? An in casu absentiae unius, ex duobus alter debeat incedere solus?

Et facta per Eñum D. Card. Sacchetti relatione S. R. Cong., exquisitis votis Eñorum, et Rñorum DD. PP. ad praedicta Dubia distincte pariter respondit.

Ad 1. « Abbatem, et Canonicos S. Archangeli cogi posse ab Ordinario, etiam sub censuris, accedere ad Processionem Ecclesiae praedictae S. Mariae in Vigilia Assumptionis Titularis illius Ecclesiae. » Ad 2. Unumquodque Capitulum, et Ecclesiam incedere debere sub propria Cruce tam in praedicta, quam in aliis Processionibus. » Ad 3. « Archipresbyterum S. Mariae posse in Processionibus incedere e sinistra Abbatis S. Michaelis. Si vero unus ex duobus fuerit legitime impedi-

tus, an alter incedere debeat solus, Sac. Rit. Cong. remisit arbitrio Ordinarii. » Die 11. Februarii 1645.

1525. REGIEN.

Petentibus Canonice, caeterisque Sacerdotibus Collegiatae S. Prosperi Regii: utrum preces feriales, quae dicuntur ad Laudes, ad Primam, ad Vesperas, et ad Completorium tam in diebus ferialibus, et ieiunii, quam in festis duplicibus, et semiduplicibus dicendae sint sub eodem tono, et eadem voce, qua Psalmi antecedentes dicti fuerint, vel potius voce submissa? S. R. Cong. respondit: « per Ordinarium terminandam. » Die 11. Februarii 1645.

1526. BERGOMEN.

Clericis Regularibus, qui cum licentia Ordinarii in propria Ecclesia retro Altare maius exposuerunt B. M. V. Imaginem sub invocatione, ut vulgo dicitur *della Madonna del buon successo*, se opposuerunt Fratres Carmelitae dictae Civitatis, ne permitteretur dictum nomen, neque locus, neque habitus. Et, referente D. Card. Cornelio, utraque parte informante, S. R. Cong. censuit: « esse permittendum nomen, et locum, et quoad habitum servandam esse constitutionem fel. rec. Urbani VIII., quae incipit » Sacrosancta Tridentina etc. sub datum Romae die 15. Martii 1642. Die 11. Februarii 1645.

1527. SENEN.

Cum Parochi Senenses S. R. C. humiliter supplicassent, ne Regularibus, ac Saecularibus ad funera mortuorum vocatis, permitteretur expectare per vias, vel ad domum defuncti, sed quod debeant convenire ad Ecclesiam Parochialem: Eñi PP., inhaerendo Decretis alias a S. R. C. editis, mandarunt, « ut omnes convenire debeant in Ecclesiam Parochialem; et nullo modo permittendum, quod expectent per vias, vel petant domum defuncti. » Die 11. Februarii 1645.

1528. BENEVENTANA.

Licet ab immemorabili tempore, sicut expositum fuit, Canonici Ecclesiae Metropolitanae Beneventanae Archiepiscopum pro tempore existentem recipere in cubiculo immediate post aulam parvam, et in recessu ab Ecclesia, nonnulli in aula magna, alii vero in parva illum dimittere consueverint: attamen quia modernus Archiepiscopus, non obstante dicta immemorabili consuetudine, et Caeremoniali Romano, ab interiori cubiculo, in quo ipse dormit, tam in exitu, quam in reditu associari praetendit: Et S. R. C. « servandum esse solitum, et nihil innovandum, » mandavit, die 11. Februarii 1645.

1529.

URBANIEN.

Cum sub die 14. Aprilis 1642. a S. R. Cong. fuerit resolutum, per Archipresbyterum Mercatelli esse retinendam eandem sedem, quae ipse, et eius praedecessores retinebant ante erectionem Episcopatus Urbanae; et cum sub die 10. Maii eiusdem anni, eadem S. R. C. mandarit, per Canonicos eiusdem Collegiatae esse praestandam Archipresbytero continuationem soliti obsequii deducendi eum e suis aedibus ad Ecclesiam, dum incedit ad assistendum Divinis: quibus Decretis non acquiescentibus Canonicis, eo quia non fuerunt auditi, licet pluries citati; placuit tamen Emis Patribus proponendum esse dubium: An supradicta duo Decreta essent confirmanda, vel infirmanda? qui, Archipresbytero tantum informante, « utrumque Decretum esse confirmandum, » censuerunt, die 11. Februarii 1645.

1530.

ANAGNINA.

Quaesitum fuit ab Episcopo Anagnino.

1. An Constitutio super observatione Festorum, quae incipit *Universa etc.* Idibus Septembris 1642. comprehendat Festa ex voto, vel suffragiis alicuius Communitatis introducta?

2. Utrum dicta Civitas Anagnina, et Dioecesis, quae multos habet Patronos, videlicet SS. Magnum Episcopum, et Mart., Petrum Episcopum, Secundianam V., et M. Cittadinam, Olivam, Aureliam, et Neomisiam Virgines, quorum corpora requiescunt in dicta Ecclesia Cathedrali, et quorum principalis Patronus est S. Magnus, licet pro omnibus huc usque celebratum fuerit solemne Festum, et uti de praeepto observatum, teneantur diem illorum in posterum uti ex praeepto colere?

3. Cum memoria non extet, quomodo et a quibus fuerint dicti Sancti electi pro Patronis, sed ab immemorabili tempore per totam Civitatem, et Dioecesim tam per Saeculares, quam per Regulares de illis fiat Festum, et Officium, quamvis a nonnullis tam in praedicta civitate, quam extra, post dictam Constitutionem praetermissum fuerit de illis facere Officium; consuluit Episcopus S. R. C.: an supradicta Constitutio derogat consuetudini celebrandi Festum, ac de illis faciendi Officium?

4. Fuit dubitatum: an permissa sit consuetudo, quam colit Ecclesia Cathedralis in faciendi Officium proprium de S. Magno principali Patrono cum Octava, sicuti idem usus fuit hucusque observatus pro aliis Sanctis compatronis?

Et S. R. C. Ad 1. respondit « iuxta resoluta sub die 18. Aprilis 1643. ex dispositione Consti-

tutionis praedictae Personas voventes tantum teneri, quam Congregationis sententiam sibi relatum fel. rec. Urbanus VIII. laudavit, et approbavit, dixitque intentionem suam fuisse per eam Constitutionem tollere festa de voto, quoad vim praeepti, et reducere illa ad instar festorum de devotione, reservata obligatione ratione personalis contractus, ex vi voti provenientis ipsismet personis tantum, quae voverunt. »

Ad 2. « Servandum esse festum tantum unius ex principalioribus Patronis. »

Ad 3. « Quoad Officium nihil fuisse per dictam Constitutionem innovatum. »

Ad 4. « Servandas esse Rubricas. » Die 4. Martii 1645.

1531.

SABINEN.

Reclamantibus Cappellano S. Sebastiani, et Populo Terrae Rocchetti Sabinen. Dioecesis contra prohibitionem factam a Synodo celebrandi in aliis Ecclesiis, antequam sint celebratae Missae in Parochialibus loci: S. R. C. *iuxta alias resoluta* respondit, « non posse prohiberi Sacerdotes celebrare in alienis Ecclesiis, antequam sit celebrata Missa in Parochiali, non obstantibus Constitutionibus Synodalibus in contrarium facientibus. » Die 4. Martii 1645.

1532.

AESINA.

Cum Regulares, et Confraternitates ad funera mortuorum vocatae recusent incedere sub Cruce tantum Capituli Cathedralis, dum cadavera deferuntur ad Ecclesias Regularium, vel aliorum, declarari supplicarunt Canonici Cathedralis eiusdem Civitatis: An dicti Regulares possint cogi? Et S. R. C. mandavit: « danda esse Decreta in forma. » Die 4. Martii 1645.

1533.

GRANATEN.

Ad tollendum abusus, qui in Civitate, et Dioecesi Granaten. irrepserit, et in dies irrepere non cessat in publice exponendo pauco cum decore SS. Eucharistiae Sacramentum; petiit Archiepiscopus dictae Civitatis prohiberi esse sibi permissum tam Saecularibus, quam Regularibus etiam exemptis, ne audeant illud exponere absque sui licentia. Et S. R. C. respondit: « neque Regularibus, neque Confraternitatibus laicorum, quovis praetextu licere publice exponere SS. Eucharistiae Sacramentum absque speciali licentia ipsius Archiepiscopi, et contrafacientes censuris esse coercendos. » Die 29. Martii 1645.

1534.

AUDOMAREN.

Cum Paulus de Vignacourt unus ex Canonicis Ecclesiae Collegiatae S. Petri Oppidi Aeryensis Audomaren. Dioecesis praetendat, dum assistit in

Choro Horis Canonicis, tamquam Protonotarius titularis uti Rochetto, quamvis non sit prima Dignitas, et sedere in suo loco inter Canonicos, lucrarique distributiones; supplicarunt Praepositus, et Capitulum responderi: an id supradicto Protonotario liceat? Et S. R. Cong., inhaerendo Decretis alias in simili causa factis, declaravit: « nullo modo Canonicum praedictum posse lucrari distributiones quotidianas, et fructus suae praebendae, nisi in habitu Canonicali in Choro, et in Ecclesia assistat Horis Canonicis et Divinis Officiis, et cum eodem habitu incedat in processionibus in loco sibi debito veluti Canonico, et non tamquam Protonotario. Quod si voluerit in habitu Protonotarii in Ecclesia praedicta incedere, nihil participare possit, de fructibus, et distributionibus Canonicatus, et uti extraneus reputabitur, eique locus assignandus erit post Abbates, non supra, nec inter Canonicos, ut dicitur in Caeremoniali Episcoporum lib. 1. cap. 18. circa fin. » Et ita in dicta Ecclesia S. Petri servari mandavit, Die 12. Iulii 1645.

1535. FLORENTINA.

Archiepiscopus Florentinus supplicavit S. R. C., quatenus declarare dignetur: An sit licita consuetudo cantandi Vesperas post prandium in die Dedicacionis suae Ecclesiae, quod festum, ut plurimum cadit tempore Quadragesimali? S. R. C. « Servandas esse Rubricas, » mandavit, die 21. Iulii 1645.

1536. FOSSANEN.

Episcopus duobus dubiis humiliter petiit responderi.

1. An servandum sit Decretum ab ipso factum, quod ad funera vocatis non liceat expectare defunctum per vias, vel illius domum petere, sed quod debeant convenire ad Ecclesiam Parochialem, ad quam funus defertur, vel ad Cathedralis, si Cathedralis capitulariter interveniat, consuetudine etiam immemorabili in contrarium non obstante?

2. An, cum Cathedralis, et Parochi soleant deferre singuli suas Cruces, et Vexilla Confraternitatum in suis Ecclesiis respective existentium, ut capent duos cereos pro singulis Crucibus, et vexillis, possit idem Orator praecipere, ut Clerus Saecularis totus incedat sub unica Cruce Cathedralis, videlicet, quando capitulariter intervenit, alias Parochialis, ad quam funus defertur, remotis huiusmodi Vexillis etiam Regularium, praedicta consuetudine non obstante?

Sacra, ideo, Congregatio ad 1. respondit: « tam Saeculares, quam Regulares etiam exemptos ad funera mortuorum vocatos in Ecclesiam

Cathedralem, alias in Parochialem, ad quam funus defertur, convenire debere, et nullo modo permittendum, quod expectent per vias, vel adeant domum defuncti, consuetudine etiam immemorabili in contrarium non obstante. » Ad 2. « Sub unica Cruce incedere debere omnes associantes funus, et ea sit illius Ecclesiae, ad quam corpus defertur sepeliendum, nisi intervenerit, ut supra Capitulum Cathedralis, vel Collegiatae, quo casu sub una duarum Ecclesiarum respective Cruce omnes incedere debent, praedicta consuetudine non obstante. » Die 21. Iulii 1645.

1537. FANEN.

Consulta S. R. C.: An Magistratus Fanen. Episcopo solemniter celebranti in manuum ablutione intervenire teneatur? Eius Patres, utraque Parte informante, responderunt: « Magistratum cogi non posse; sed si invitatus id faciat, laudandum. » Die 26. Augusti 1645.

1538. CIVITATIS PLEBIS.

Episcopus pro celebranda Synodo, ex examinandis iis, qui ad Ordines Sacros promoveri intendunt, in examinatores elegit duos Protonotarios Apostolicos titulares, quorum unus est Archidiaconus Ecclesiae Cathedralis, et alter simplex Protonotarius: Verum quia orta fuit difficultas cum Vicario generali Canonico in sedendo, et in aliis functionibus, ideo Episcopus supplicavit declarari, quisnam sedere debeat in primo loco, nempe Archidiaconus Protonotarius, et inde alter Protonotarius Titularis tantum, et in quo loco ponendus sit Vicarius Generalis Canonico?

S. R. C., iuxta antiqua Decreta, respondit: « quod si Vicarius incedat in habitu vicariali praecedere debet omnes Dignitates, et Canonicos quantumvis Protonotarios; si vero assistat uti Canonico debet sedere in loco suae receptionis. » Die 26. Augusti 1645.

1539. TREVISANA.

Quaesitum fuit ab Archidiacono Cathedralis Trevisanae. 1. Ad quem spectet facere functiones, absente, vel impedito Episcopo?

2. An, solemniter, celebrante prima Dignitate, debeant Canonici ei assistere pro Diacono, et Subdiacono, vel alii simplices, et inferiores Sacerdotes?

Et S. R. C., iuxta alias resoluta, respondit: Ad 1. « Functiones, absente, vel impedito Episcopo, spectare ad primam Dignitatem. » Ad 2. « Assistentiam praestandam esse per Canonicos. » Die 26. Augusti 1645.

1540. GROSSETANA.

Praepositus, caeterique Canonici Ecclesiae Ca-

thedralis institerunt coram S. R. C., ut declarare dignaretur.

1. An Episcopo Divinis cum cappa interested teneantur ponere, et deponere biretum Canonici, et Dignitates assistentes?

2. An Dignitates, et Canonici teneantur in habitu Canonicali Episcopum excipere, quando cum cappa ad Ecclesiam accedit?

3. An iidem Canonici teneantur Episcopo ministrare, assistere, et inservire, ordinationes tam intra, quam extra Ecclesiam Cathedralem facienti?

Et S. R. C., iuxta antiqua, et novissima Decreta, ad 1. respondit: « Biretum Ordinariis locorum Divinis cum cappa interessentibus non per Dignitates, aut Canonicos assistentes, sed per se ipsos poni, et deponi debere. » Ad 2. « Dignitates, et Canonicos non teneri in habitu canonicali proprium Episcopum excipere, nisi quando cum cappa ad Ecclesiam accedit. » Ad 3. « Teneri Canonicos praefatos ministrare, assistere, et inservire Episcopo, Ordinationes tam intra, quam extra Cathedralem facienti, dummodo in Cathedrali tot Canonici, et ministri remaneant, qui satis sint ad Divina Officia celebranda, et ita in Cathedrali Ecclesia Grossetana servari » mandavit die 16. Septembris 1645.

1541. URBINATEN.

Cum iuxta dispositionem Concilii Tridentini, pro erigendo Seminario fuerit ab Archiepiscopo electus unus ex Canonicis Ecclesiae Cathedralis, a Capitulo vero una ex Dignitatibus eiusdem Ecclesiae; consulta fuit S. R. C. quisnam illorum in sessionibus praecedere debeat? Et eadem Congregatio respondit: « Canonico praedicto ratione huius deputationis nullam deberi praecedentiam, sed sedere, et incedere debere in loco suae solitae receptionis. » Die 16. Septembris 1645.

1542. NEAPOLITANA.

Ad preces Principis de Bisiniano nomine Congregationis Nobilium Domus Professae Societatis Iesu Sanctissimo porrectas, et ad S. R. Cong. demandatas pro approbatione Coronae noviter inventae, et ab aliis discordantis, eadem S. C. respondit. « haud permittendum esse. » Die 16. Septembris 1645.

1543. CAMERINEN.

Tria petita fuerunt per S. R. C. declarari a Plebano S. Anatoliae.

1. Ad quam Ecclesiam spectet in die Sabbati Sancti primo pulsare Campanas: an ad dictam Ecclesiam S. Anatoliae, vel Collegiatae Sancti Martini?

2. An plebano S. Anatoliae competat cantare primam Antiphonam in alienis Ecclesiis, absente Priore Collegiatae S. Martini?

3. An Plebano, cui a Canonicis dietae Collegiatae, absente Priore, datur praecedentia in actu Benedictionis, in eorum propria Ecclesia competat etiam praecedentia in actu eundi, redeundi, et permanendi?

Et S. R. C., ad relationem Emi Card. Sacchetti, utraque parte informante, censuit: « nihil de supradictis Plebano praefato competere. » Die 16. Septembris 1645.

1544. URBANIEN.

Archipresbyter unica Dignitas Saecularis, et Collegiatae Ecclesiae SS. Petri, et Pauli Apostolorum Terrae Mercatelli olim nullius, nunc vero Dioecesis Urbanien., et Canonici eiusdem Ecclesiae supplicarunt S. R. C., ut infrascripta dubia nuper inter eos exorta declarare dignaretur.

1. An Archipresbytero liceat in aliis Ecclesiis habere sedem distinctam ad instar sedis choralis, quam retinet in Collegiata ex permissione S. C.?

2. An Canonici teneantur diebus solitis praestare obsequium Archipresbytero eundem levandi, et associandi, ut assistat Divinis Officiis?

3. An liceat Archipresbytero in processionibus praecedere Canonicum Pluviali indutum?

4. An liceat Archipresbytero in Processionibus solus post Canonicos incedere?

5. An teneantur Canonici porrigere Archipresbytero aspersorium cum aqua benedicta?

6. An in celebratione solemnium Archipresbyteri possit erigi Mensa?

7. An liceat Archipresbytero pro commodiori audientia concionatoris sedere iuxta Altare maius in sede amovibili?

8. An liceat Canonicis sedes construere ad instar sedis Archipresbyteralis?

9. An teneantur Canonici ultra consuetas in arbitrariis functionibus Archipresbytero solitam assistentiam Diaconalem, et Subdiaconalem praebere?

10. An liceat Archipresbytero in Ecclesiis filialibus actus Parochiales exercere proprio iure?

11. An spectet ad Archipresbyterum, etiam quod non sit de Capitulo, convocare Capitulum pro rebus statum Ecclesiae concernentibus?

12. An spectet ad Archipresbyterum orationem concludentem ad matutina Hebdomadae Sanctae recitare?

Et S. C. Cardinalium super Ritibus Ecclesiasticis praepositorum, ad relationem Emi Card. Montalti tam super expositis moderni Archipre-

sbyteri Saeularis, et Collegiatae Ecclesiae alias nullius, et nunc Urbanien. Dioecesis, quam Canonicorum eiusdem respondit.

Ad 1. « Non licere Archipresbytero dictae Ecclesiae habere sedem particularem extra Ecclesiam Archipresbyteralem, sed in aliis debere esse contentum sede aequali una cum Canonicis, in loco tamen digniori ornato etiam tapete, et pulvinari pro genuflexione. » Ad 2. « Nihil esse innovandum circa obsequia praefato Archipresbytero praestari (solita), iuxta Decretum ab eadem S. C. emanatum sub die 14. Aprilis 1642., et alias etiam confirmatum. » Ad 3. Archipresbyterum in processionibus stola tantum, et cotta indutum non posse incedere post Canonicum paratum. » Ad 4. « Debere incedere inter duos Canonicos, vel ad dexteram dignioris. » Ad 5. « Non teneri Canonicos in dictis functionibus porrigere aspersorium Archipresbytero. » Ad 6. « Licere Archipresbytero dum solemniter celebrat, uti mensa absque tamen luminaribus, alioque ornatu episcopali. » Ad 7. « Non licere Archipresbytero habere sedem prope Altare, sed in alio loco opportuno, et decenti. » Ad 8. « In Choro nihil esse innovandum quoad sedes, et genuflexoria Canonicorum, et ipsius Archipresbyteri. » Ad 9. « In functionibus extraordinariis non teneri Canonicos praestare assistentiam Archipresbytero. » Ad 10. « Adeant S. C. Interpretum Concilii Tridentini. » Ad 11. « Posse Archipresbyterum convocare Capitulum pro rebus statum Ecclesiae concernentibus. » Ad 12. « Debere Archipresbyterum terminare Officium, si tamen illud inchoaverit, aliaque, iuxta Rubricas, et Caeremoniale peregerit. » Hac die 16. Septembris 1645.

1545. **MASSEN.**

Ad Ecclesiam sub invocatione B. Mariae Suffragii, quam construxit Universitas Portiferrarii in Ilba, cum non possit Episcopus Vicarium mittere, ad effectum illam benedicendi, supplicatum fuit S. R. C., ut illam benedicere valeat Plebanus dicti loci. Eñi Patres eidem Congregationi praepositi responderunt: « Episcopum posse subdelegare tam Plebanum praedictum, quam alium sibi magis benevisum, ad effectum vero benedicendi, non autem consecrandi. » Die 7. Octobris 1645.

1546. **BAREN.**

In Collegiata Aquaevivae Baren. Dioecesis fuit assertum, adesse Archipresbyterum, ad quem spectat facere omnes functiones Pontificales, et cum ipse reperiat hodie excommunicatus, Archiepiscopus Baren. deputavit Substitutum Vicarium, ut exerceat curam animarum tantum in dicta

Terra: qui praetendit facere functiones praedictas, aliisque Presbyteris sibi benevisis delegare in grave praedictum Dignitatum, et Presbyterorum, qui S. R. C. consuluerunt.

1. Ad quem spectet, excommunicato Archipresbytero, functiones facere, celebrare Missas solemnes, et Vesperas cantare: an ad Dignitates, et alios Presbyteros stallatos dictae Ecclesiae gradatim; an vero ad assertum Vicarium?

2. An possit dictus Vicarius functiones praefatas Presbyteris sibi benevisis delegare?

Et eadem S. C. respondit: « functiones praefatas, quae debent fieri per primam Dignitatem, ea impedita, obeundas esse per Dignitatem sequentem, non autem delegandas a Vicario. » Die 7. Octobris 1645.

1547. **CAMERINEN.**

Prior, et Canonici Collegiatae S. Venantii de Camerino S. R. C. supplicarunt, ut declarare dignaretur: an Clericus moriens, sepulchro non electo, sed habens sepulchrum Maiorum, debeat in eo sepeliri, aut in Ecclesia, cui in se promovendo ad primam tonsuram fuerit adscriptus, licet in ea nullum exerceat ministerium, neque Beneficium possideat?

Et eadem Congregatio respondit: « nullum ius super sepultura praefatae Ecclesiae, ubi Clericus defunctus in susceptione primae tonsurae fuerat adscriptus, competere. » Die 13. Ianuarii 1646.

1548. **NICIEN.**

Consulta S. R. C. An Episcopo quolibet tempore concionem cum cappa audienti, teneantur saltem duo Canonici assistere, et, an Canonici teneantur eundem levare, et associare, quando ad Ecclesiam est accessurus ad assistendum divinis officiis, et pontificaliter celebrandum, quamvis ipse incedat cum Rocchetto, et Mozzetta, sed absque Cappa.

Eadem S. C. Ad 1. respondit, « iuxta alias resoluta, Episcopo concionem cum cappa audienti saltem per duos Canonicos assistentiam praestandam esse. »

Ad 2. « A Canonicis cum habitu canonicali non esse excipiendum, et associandum Episcopum, nisi sit cappa indutus. » Et ita in Ecclesia Nicien. Eñi PP. eidem Congregationi praepositi servari mandarunt. Die 13. Ianuarii 1646.

1549. **BAREN.**

Praepositus, et Curati de Aquaviva supplicarunt S. R. C., quatenus mandare dignaretur, officium facere supra defunctos in Ecclesia Fratrum S. Augustini Ordinis discalceatorum spectare ad Praepositum, et Curatos,

Et S. R. C. respondit: « Celebrationem Officii super cadaveribus existentibus in Ecclesiis Regularium pro sepultura ibidem habenda, ad ipsos Regulares pertinere. » Ac ita servari mandavit die 13. Ianuarii 1646.

1550.

VESTANA.

Sacerdotes simplices civitatis Vestanae ad patrimonium titulum promoti, qui de gremio Capituli non sunt, nec de certis, vel incertis Cathedralis redditibus aliquid percipiunt, sentientes se gravatos ab onere sibi inuncto inserviendi pro Diacono, et Subdiacono Missis cantatis, et assistendi diebus festis omnibus horis canonicis, sub poenis in Decreto Ordinarii expressis, et signanter privationis immunitatis gabellae farinae; supplicarunt S. R. C., quatenus mandare dignaretur Ordinario Vestano, ut Decretum super observatione supradictarum rerum emanatum revocet, necnon declarare, ad huiusmodi onera obeunda non teneri.

Et S. R. C. respondit: « Sacerdotes, qui non sunt de gremio Capituli, nec ex certis, vel incertis Cathedralis redditibus aliquid percipiunt, non posse cogi ad dicta munia peragenda. » Die 13. Ianuarii 1646.

1551.

CORTONEN.

Quaesitum fuit a S. R. C. 1. An, praesente Coadiuto in habitu canonicali, possit Coadiutor in habitu pariter canonicali post omnes Canonicos interesse divinis Officiis etc. ?

2. An Coadiutor, quando in Choro, et Processionibus interest Coadiutus, praecedere debeat Canonicos supranumerarios a Capitulo creatos ?

Et S. R. C., iuxta alias resoluta, ad utrumque respondit: « Coadiutorem, praesente Coadiuto, non habere Personam assistendi in Choro tamquam Canonicum. Die 4. Martii 1646.

1552.

CASSANEN.

Contententibus Archidiacono ex una, et Cantore, seu Primicerio partibus, ex altera, ad quem illorum spectet in Cathedrali Ecclesia distribuere Lectiones, et Prophetias, Chorum regere, et gubernare, ordinare tabellas, aliasque functiones peragere, plura dicuntur super huiusmodi causa a S. R. C. emanasse Decreta, quibus Primicerius, seu Cantor praefatus acquiescere nolens, iterum adivit S. R. C., quae, ad relationem Emi D. Card. Sacchetti, dicto Primicerio, seu Cantore tantum informante, mandavit: « standum esse in decisis, et Partes amplius non audiri. » Die 6. Martii 1646.

1553.

GERMANIAE.

Hactenus ab immemorabili tempore in tota Germania multi Principes, et Episcopi per literas

demandantes, et ad S. R. C. transmissas exposuerunt, quod frequentissimus usus, et maxime devotio Populi fuit, ut tam in privatis orationibus domi, quam in publicis Processionibus, et conventibus, sive in plateis, sive in Ecclesiis, praeter *litanias omnium Sanctorum*, et *Laurentanas*, etiam pie recitarentur *infrascriptae litaniae de SS. Nomine Iesu*, quae typis latine, et germanice in omnium manibus versantur, et iam ante 40. annos in fasciculo quarumdam Litaniarum, ad instantiam Serenissimi Guglielmi Ducis Bavariae, a Sede Apostolica approbatae fuerunt. Verum quia nonnulli Saeculares, et etiam Regulares per Germaniam ediderunt, Romae has litanias esse prohibitas, ac proinde incredibile scandalum oritur, non modo apud Catholicos erga has litanias summe affectos, sed multo magis apud haereticos, qui pessime hac de re loquuntur; ideo iidem Principes, et Episcopi devovent, et execrantur, ut huic tanto scandolo occurratur, supplicantes eidem SS., ut *has litanias de nomine Iesu* auctoritate Apostolica non solum confirmare, sed per publicum edictum toti Christianitati hoc calamitosissimo tempore singulariter commendare dignaretur.

Emi PP. S. R. Cong. praepositi, re mature considerata, censuerunt, « *Litanias praedictas esse approbandas, si SS. placuerit.* » Die 14. Aprilis 1646.

Litaniae vero asservantur in Archivio Congregationis.

1554.

ULYSBONEN.

Consulta S. R. C. a Magistris Cappellae Regiae Ulysbonen, 1. utrum in Ecclesiis, ubi est frequens Sacerdotum numerus, quatuorque tantum Altaria habentur, in Dominica Palmarum possint nonnulli Sacerdotes eiusdem Ecclesiae celebrare Missam votivam de Passione, quod a fortiori dicitur fieri in Cappella Regia Regni Lusitaniae, ut benedictio Palmarum, Processio, et Passio, in praesentia Regis, hora possint peragi competenti, et quomodo haec Missa votiva debeat celebrari, hoc est, an ut de tempore, an ut votiva per annum ?

2. Utrum Sabatho quatuor temporum Pentecostes in Missis privatis repeti possit Missa de eadem Dominica Pentecostes, ut audientes Sacrorum molestia non afficiantur: et quatenus concedatur: utrum ut votiva debeat celebrari, vel ut in proprio die, cum Octava non sit festum, sed continuatio festi ?

3. Caeremoniale Episcoporum lib. 2. cap. 3. de aspersione Aquae benedictae in Dominicis fa-

cienda, iubet, ut, praesente Episcopo, Celebrans Aspersorium illi porrigat, ut ipse Episcopus primo seipsum, deinde Sacerdotem celebrantem aspergat, et quia aliquando in Cappella Regia, nonnulli Episcopi simul reperiuntur; an Celebrans illos debeat aspergere, aut ipsis aspersorium porrigere, sicuti de proprio Episcopo, qui est Cappellanus maior, ait Caeremoniale Episcoporum?

4. Si in ipsa die Commemorationis omnium fidelium defunctorum obierit nonnullus; utrum pro illius anima sit celebranda Missa omnium defunctorum de eadem die, vel ut in die obitus?

5. Utrum Responsorium *Veni electa mea* de Virginibus, sit ponendum pro quocumque die Officium fiet de simplici Virgine?

Et S. R. C. Ad 1. respondit, « non esse dicendas ullo modo Missas votivas in die tam solemnem. »

Ad 2. « Non posse repeti Missam de Dominica Pentecostes. »

Ad 3. « Etiam Episcopos, et Cappellanum Regium adstantes aspergendos esse a Celebrante, ut Romae fit in Ecclesiis Patriarchalibus. »

Ad 4. « Ultra Missam de communi defunctorum, celebrandam Missam ut in die obitus, praesente corpore defuncti. »

Ad 5. « Non esse ponendum primo loco Responsorium *Veni electa mea etc.* quocumque die Officium fiat, sed ut in Rubricis Breviarii Romani. » Die 14. Aprilis 1646.

1555. ULYSBONEN.

Canonici, et Capitulum Ulysbonen. quaesierunt a S. R. C., utrum in Sabatho ante Septuagesimam, non impedito festo novem Lectionum in eo occurrente, fieri debeat Officium de Feria ad complendam aliquam Dominicam, quae eo anno supersit, et propter Responsorialia illa primo ponenda Dominicae post Epiphaniam, quae praecedentibus diebus propter Festa occurrentia non habuerunt locum, non obstante festo Semiduplici translato: an potius fieri debeat de eodem festo, facta solum commemoratione praefatae Dominicae, omissis omnino Responsorialibus? Ratio dubitandi apud praedictos Canonicos erat, quia per verba illa Rubricae 4. de Dominic. num. 4. ibi: *et Officium 23. ponitur in praecedenti Sabatho, quando non sit impeditum festo novem Lectionum etc.* non videtur censi Sabathum impeditum, quominus in eo fieri debeat Officium de Dominica, quae supersit, nisi in eo occurrat festum novem Lectionum: reliqua verba, *quod si tota hebdomada, videntur intelligenda de reliquis diebus eiusdem hebdomadae, non autem de Sab-*

bato, quod iam Rubrica supposuerat impeditum remanere, et tollerabilius videtur differri Officium Semiduplicis translato per aliquos dies, quam omittere Officium Dominicae, quatenus de ea fiat commemoratio, et omnino Responsorialia etc.

2. Asseritur concessam fuisse a Sede Apostolica Ecclesiae Ulysbonen. facultatem recitandi Officium B. M. Gaudiorum sub ritu dup. mai. fer. 2. post Dominicam in Albis. Quaesitum fuit: si in eadem fer. 2. occurrat Festum S. Mariae, vel Apostolorum Philippi, et Iacobi, aut alterum secundae classis, recitandum sit de festo Gaudiorum, translato festo 2. classis? aut viceversa; si potius nulla facienda sit commemoratio de festo Gaudiorum, nec transferendum, attento, quod S. R. C. de anno 1638. decrevit, quod si festum Rosarii (quod huic Gaudiorum videtur esse simile) occurrat in die Patroni loci, nihil fieri de eo, nec transferri debere, ut ait Gavantus Sess. 7. cap. 22.

3. Quaeritur; utrum in Ecclesiis, ubi festum primae, vel secundae classis, quod celebratur cum Octava, occurrat infra Octavam Paschae, aut Pentecostes, fer. 2. post Dominicam in Albis, aut SSmae Trinitatis, recitandum sit primo loco de praefato festo, translato festo duplici inferioris gradus, aut semiduplici, forte in eadem feria secunda occurrente, siquidem omnes dies Octavae reputantur pro una die?

4. Asseritur concessum fuisse a Sede Apostolica Regno Portugalliae, ut Dominica 3. Iulii recitetur de Angelo Custode Regni; quaesitum fuit: an octava Benedictio debeat esse: *cuius festum colimus*, vel potius, *quorum festum etc.*?

5. Item asseritur concessum fuisse a Sede Apostolica Officium recitari posse de S. Antonio de Padua cum Octava, tamquam festum secundae classis cum Missa de Doctore: quaeritur; an dicendum sit *Credo etc.*?

6. Quaeritur: an in festo expectationis Partus B. M. V. quod dicitur esse die 15. Decembris Hispaniae, in versu ad Primam dicendum sit, *qui natus es de Maria Virgine*, sicut in caeteris festis B. M. etiam in Adventu occurrentibus, ut in festo Conceptionis: an potius: *qui venturus es in Mundum*: sicut in aliis festis in Adventu occurrentibus? Item si ultimus versus Hymni per horas debeat esse *Iesu tibi sit Gloria, qui natus es de Virgine*: vel *Gloria tibi Domine, qui natus es de Virgine*; an potius: *Virtus, honor, laus, gloria etc.*, ut hymni Vesp. et Laudum etc.?

S. R. C. Ad 1. respondit: « servandum esse Rubricam 4. num. 4. Breviarii Romani. »

Ad primam partem 2. Dubii: « quoad Officium non posse; » ad secundam; « nullam faciendam esse commemorationem de festo Gaudiorum. »

Ad 3. « Celebrandum Officium de festo currenti. »

Ad 4. « Benedictionem debere esse: » quorum festum colimus etc.

Ad 5. « Non esse dicendum *Credo etc.* »

Ad 6. Respondit: « quod, si Officium fiat de B. M., dicendum est, *qui natus es de Virgine* tam in hymnis, quam per horas; si vero fiat de feria, per horas dicendum est, *qui venturus es in mundum*, et in hymnis: *Virtus, honor, laus, gloria.* » Die 21. Aprilis 1646.

1556.

LEODIEN.

Episcopi Leodien. Suffraganeo cum rocchetto, et mozzetta incedenti tam in Cathedrali, quam in aliis Ecclesiis Civitatis, et Dioecesis, quando functiones Episcopales est obiturus, sese opposuerunt Canonici, et Capitulum eiusdem Cathedralis, et praeceperunt eidem Suffraganeo, ut se abstineret ab usu huiusmodi habitus. A quo Decreto eodem Suffraganeo reclamante ad S. R. C., eadem respondit: « licere Rmo Episcopo Dyonisien. Suffraganeo deferre rocchetto cum mozzetta, permittente Ordinario loci. » Die 14. Iunii 1646.

1557.

CIVITATIS CASTELLI.

S. R. C., inhaerendo Decretis alias factis, mandavit: « Aspersorium aquae benedictae Episcopo in Ecclesiam Fratrum Servitarum ingredienti esse porrigendum per digniorum illius Monasterii, non autem per aliquem ex Canonicis Episcopum associantibus. » Die 14. Iunii 1646.

1558.

CALARITANA.

Consulta S. R. C.: an liceat in Sodalitatum laicorum Oratoriis, quibus animarum cura non est adnexa, nec ospitalitatis ius exercetur, quotidie asservare SSmum Eucharistiae Sacramentum, et in maiori hebdomada facere Sepulcrum?

Eadem S. R. C. respondit: « non licere, et praedicta prohiberi » mandavit die 14. Iunii 1646.

1559.

RIPANA.

Cum Praepositus, et Canonici Collegiatae Parochialis Terrae Montis Prandoni Ripanae Dioecesis exposuerint S. R. C., laicos, et non Sacerdotes Patrum Minorum Observantium dictae Terrae intervenire Processionibus S. Marci, et Triduanis, neque accedere cum caeteris de Clero ad Ecclesiam Collegiatam, ubi dictae Processiones terminantur;

S. R. C., indemnitati Divini cultus providere volens, declaravit: « omnes praefatos Patres tam

Sacerdotes, quam laicos interesse debere dictis Processionibus, nisi legitime sint impediti, usque ad earum finem. » Die 14. Iunii 1646.

1560.

SPOLETANA.

Renuentibus Canonicis Collegiatae SS. Petri, et Gregorii praestare assistentiam oleorum consecrationi in Cathedrali die feriae V. in Coena Domini fieri solitae, fuit delata causa ad S. R. C., quae dixit, accedente etiam mandato *fel. rec. Urbani VIII.*, praefatos Canonicos teneri praestare huiusmodi assistentiam. Verum, quia orta fuit altera dubitatio: an scilicet Canonici ex dictis Collegiatis, qui oleorum consecrationi, iuxta consuetudinem, interesse debeant, sint eligendi per Capitula Collegiatarum, vel potius nominatim describendi per Priorem Cathedralis, in tabella fieri solita in hebdomada maiori pro distributione functionum?

S. R. C., utraque parte informante, respondit: « Canonicos ex dictis Collegiatis, teneri assistentiam oleorum Consecrationi praestare, iuxta tabellam more solito faciendam, et subscribendam per Priorem Cathedralis. » Die 11. Aug. 1646.

1561.

OSCEN.

In Cathedrali Ecclesia praedicta fuit expositum adesse novem Dignitates, quarum prima tantummodo, nempe Decanatus habens Canonicatum sibi adnexum, est de Capitulo Canonicorum dictae Ecclesiae, eidemque Capitulo praesidet: aliae vero octo non sunt de Capitulo, nisi quando ex accidenti providentur etiam de aliquo Canonicatu; Dignitates vero Canonicatum non habentes, licet non interveniant in actibus capitularibus, attamen praecedunt simplices Canonicos in Choro, et in aliis functionibus tam intra Ecclesiam, quam extra: dum autem vacat Decanatus, in praesentia Capituli succedit Canonicus antiquior.

His praemissis, dubitatum fuit: an distributio Candelarum, Cinerum, et Palmarum solita fieri in Ecclesia praefata a Decano, debeat, ipso absente, vel mortuo, fieri vel a secunda Dignitate dictae Ecclesiae, Praeposito nuncupato, vel potius a Canonico antiquiori, seu alio vices Decani gerente?

S. R. C. respondit: « facere supradictas functiones, absente, vel impedita prima Dignitate, spectare ad secundam. » Die 11. Augusti 1646.

1562.

PERUSINA ASSISTENTIAE.

Renuentes Canonici Cathedralis Perusinae praestare assistentiam Episcopo non Pontificalia exercenti, sed Concionibus, Missis, aut Vesperis cum cappa assistenti extra Cathedralis, non obstante praetensa ab eodem Episcopo consuetudine,

recurrere habuerunt ad S. R. C., ut declarare dignaretur: an, et in quibus casibus teneantur?

Emi PP. S. R. C. praepositi, utraque parte informante, responderunt: « Canonicos teneri, et cogi posse ab Episcopo, ut sibi ministrent, et inserviant non solum in Cathedrali, verum etiam in aliis Civitatis Ecclesiis, in quibus solemnes, vel publicas Episcopales functiones est obiturus. Die 11. Augusti 1646.

1563. URBIS.

Quaesitum fuit a S. R. C.: an Episcopus in Dioecessana Synodo, occurrentibus in eodem die duobus festis Sanctorum, quorum unum sit transferendum in primam diem non impeditam, iuxta Rubricas de translatione festorum, possit statuere in perpetuum diem aliquem determinatum pro celebratione dicti festi translati, quamvis non sit ille, quem determinat Rubrica, ita ut occurrente Dominica, vel alio festo minoris solemnitate non impediatur, tamquam non translatum, sed proprium illi diei addictum, cum talis occurrentia in tali Dioecesi sit perpetua?

S. C. respondit: « Episcopo non licere, ipsa inconsculta, sed servandas esse Rubricas de translatione festorum. Die 11. Augusti 1646.

1564. LUNEN. SARZANEN.

Abbas, et Canonici Collegiatae S. Petri de Massa praefatae Dioecesis institerunt declarari a S. R. C.: an ab ipsis in Choro debeat decantari ultimus versus canticorum, vel hymnorum, in quibus genuflectendum est, etiamsi versus immediate praecedens fuisset in Choro pariter decantatus, vel potius debeat organum interponi?

Emi PP. S. R. C. praepositi responderunt: « servandum esse Caeremoniale in cap. 28. lib. 1. non obstante Decreto die 16. Sept. 1645. inaudita parte subreptitiae extorto. Die 13. Septemb. 1646.

1564 a. PERUSINA.

Cum S. R. C. ad componendas controversias, quae inter Cathedralis Ecclesiae Episcopum, et Canonicos oriebantur super assistentia eidem Episcopo extra Cathedralem praestanda die 4. Aug. prox. praet. declaraverit, in quibus casibus Canonici teneantur assistere: modo Procurator eiusdem Capituli non acquiescens huiusmodi Decreto instat coram eadem Congregatione, ut prohibere dignaretur spontaneam assistentiam, quae ab aliquibus Canonicis praestatur in casibus, in quibus assistere non tenentur, ne praeiudicium aliquod Capitulo inferatur.

Et Emi PP. S. R. C. praepositi censuerunt, « assistentiam, quae Episcopo Divinis interessenti sponte praestatur, non esse prohibendam, sed potius laudandam. » Die 13. Septembris 1646.

1565. PISAUREN.

Canonici Ecclesiae Pisauren. quaesiverunt a Sac. Rit. Cong.

1. An Episcopo discendente ab Ecclesia post Missam, nondum absolutis horis canonicis, vel post Vesperas, Completorium, et Concionem moralem, teneantur illum comitari usque ad aulam, vel saltem extra portam Ecclesiae?

2. An Episcopo descensurus cum cappa ad Ecclesiam, ut Divinis assistat Officiis, debeat Magistro Caeremoniarum, vel alteri a Canonici deputato annuere se esse paratum, vel potius accedere debeat Capitulum ad cubiculum destinatum, et ibi expectare, donec Episcopus ad eius libitum comitari voluerit ad Ecclesiam?

3. An Episcopo privatim celebranti, cogi possint Canonici inservire in Cathedrali?

S. R. C. Ad 1. respondit: « quod si Episcopus, finita Missa, vel Vesperis, non tamen Completorio, vel Concione morali, discedere voluerit, Canonici tenentur saltem extra Ecclesiae portam comitari, et postea statim redire ad Chorum ad cantandum horas canonicas: sive Completorium respective, ut dicitur in Caeremoniali lib. 1. cap. 2. Si vero discedat persolutis Divinis Officiis, tenentur illum associare extra portam Ecclesiae, vel usque ad primum atrium, vel portam domus Episcopi, quando domus contigua est Ecclesiae, ut habetur in Caeremoniali lib. 1. cap. 2. »

Ad 2. « Condicta hora cum Episcopo pro inchoando Divino Officio, et dato signo cum campana, Canonici accedere tenentur ad cubiculum, ut illum exceipiant, et associent ad Ecclesiam. »

Ad 3. « Canonicos non teneri, neque cogi posse inservire Episcopo, quando Missam privatim celebrat. Die 13. Septembris 1646.

1566. SALERNITANA.

Supplicarunt S. R. C. Primicerius, et Canonici Collegiatae Terrae Solofrae praefatae Dioecesis, quatenus declarare dignaretur: an ipsi debeatur praecedentia in funeribus, supra Parochium Ecclesiae S. Iuliani dictae Terrae?

Et S. R. C., iuxta resoluta, respondit: « Canonici Collegiatae in funeribus semper competere praecedentiam supra Parochum. » Et ita in dicta Terra servari mandavit die 13. Sept. 1646.

1567. NICIEN.

Consulta S. R. C. super infrascriptis dubiis.

1. An Canonici assistentes Episcopo Divinis cum cappa interessenti, teneantur illi ponere, et deponere biretum, et praecipue quando Populo benedicit?

2. An duo Canonici assistere teneantur Epi-

scopto cum cappa Completorio, Matutino, et Concioni in Cathedrali interessenti, tam in Quadragesima, quam aliis temporibus?

3. An debeant eidem assistere, tam in Processionibus generalibus, quam aliis, et praecipue in iis, quae fiunt 3. Dominica cuiuslibet mensis cum SSmo Sacramento?

4. An Canonici in habitu canonicali teneantur accedere in cubiculum Episcopi non cum cappa, sed cum mozzetta, et rocchetto ad Ecclesiam accedenti, ut inserviat divinis Officiis, et Processionibus?

5. An dum Episcopus privatim Missam celebrat, duo Canonici teneantur inservire, et assistere?

6. Episcopus debeat induere cappam pontificalem in sua camera, antequam excipiatur per Canonicos in habitu canonicali accedentes: an vero sufficiat, quod cappam induat in illo cubiculo, in quo conveniunt Canonici ad illum excipiendum?

7. An, quando Episcopus accessurus est ad Ecclesiam, ut Divinis assistat, intimandi sint Canonici per aliquem ministrum Episcopi, vel potius hora congrua accedere debeant non intimati ad illum excipiendum, et associandum?

8. An Episcopo accedenti ad Ecclesiam tam in diebus festivis, quam ferialibus sive cum cappa, sive cum mozzetta ad assistendum Litanis, aliisque similibus, tam exposito SSmo Sacramento, quam non exposito, teneantur Canonici adire cubiculum Episcopi, et in habitu canonicali illum excipere, et associare ad Ecclesiam?

S. R. C. ita responderi censuit: ad 1. ut alias saepe: « Episcopum divinis Officiis interessentem cum cappa pontificali debere per seipsum sibi detrahere, et ponere biretum, et ad hoc non teneri Canonicos Assistentes. »

Ad 2. « Nullam assistentiam Canonicorum deberi Episcopo interessenti horis Matutinis, et Completorio, etiam cum cappa pontificali, quacumque contraria consuetudine non obstante. In audienda vero Concione servandum esse solitum, iuxta alias sub die 20. Novembris 1628. decreta per S. C. pro eadem Ecclesia Nicen.: » S. R. C. respondit: « exquirendum esse solitum Ecclesiarum vicinarum. »

Ad 3. « Nullam deberi Episcopo assistentiam Canonicorum in Processionibus, in quibus cum cappa incedit post Baldachinum SSmi Sacramenti, vel post Reliquias, vel post Celebrantem Pluviali indutum, sed solum in iis, in quibus Episcopus paratus incederet. »

Ad 4. « Non debere Canonicos excipere Episcopum de cubiculo, dum ad Ecclesiam accedit, ut divinis Officiis intersit, nisi quando incedit cum cappa pontificali: si vero accedat cum Rocchetto, et Mozzetta satis esse, ut per Canonicos excipiatur ad portam Ecclesiae. »

Ad 5. « Canonicos non teneri praestare assistentiam Episcopo privatim Missam celebranti, nisi legitima consuetudo illos obliget. »

Ad 6. « Satis esse, quod Episcopus cappam induat in camera, in qua Canonici illum excipiunt, ut alias fuit pro eadem Ecclesia responsum 20. Novembris 1628. »

Ad 7. « Condicta hora cum Episcopo ad inchoandum Officium, et dato signo cum campana, Canonicos teneri accedere ad cubiculum Episcopi, ut excipiant, et associant ad Ecclesiam. »

Ad 8. « Teneri Canonicos excipere de cubiculo Episcopum accedentem ad Ecclesiam cum cappa, occasione assistendi divinis Officiis, sive Pontificalia exercendi, seu solemniter celebrandi; sine cappa vero, ut in aliis accessibus, satis esse, ut occurrant, et excipiant ad portam Ecclesiae, ut supra ad 4. » Die 13. Sept. 1646.

1568. AQUINATEN.

Gregorius Peregrinus de Pontecurvo ad titulum Patrimonii promotus, qui, ut asserit, ex Cathedrali Ecclesia nullos percipit fructus, neque de illius gremio existit, conquestus est apud S. R. C. de Episcopo Concionibus, Cappellis Pontificalibus, aliisque ecclesiasticis ministeriis illum assistere cogente, supplicans propterea, ut ad huiusmodi onera obeunda se non teneri declarare dignaretur.

Eadem S. R. C. « praefatum Sacerdotem, nisi de gremio Cathedralis sit, ut assistat ecclesiasticis functionibus hortandum, non autem cogendum esse » respondit die 13. Septembris 1646.

1569. COMEN.

Archipresbyter Collegiatae de Sondrio in Valtellina Comen. supplicavit Sac. R. C., quatenus declarare dignaretur.

1. An Canonici dictae Collegiatae teneantur celebrare Missas Conventuales iis diebus, quibus Ecclesiae inserviunt?

2. An inservire debeant pro Diacono, et Subdiacono Dignitati, vel Canonico Missam solemniter celebrantibus?

3. An celebratio dictarum Missarum Conventualium, et munus Diaconi, et Subdiaconi debeat fieri per turnum, iuxta distributionem faciendam ab Archipresbytero?

Eni PP. S. R. C. praepositi ad 1. responderunt: « praefatos Canonicos celebrare teneri Missam

Conventualem, nisi adsint Cappellani, qui hoc munus explere consueverint. »

Ad 2. « Inservire teneri pro Diacono, et Subdiacono Dignitatibus solemniter celebrantibus: Canonicis vero non teneri, nisi Praebendae sint distinctae, alias servandum esse solitum. »

Ad 3. « Distributionem praedictam esse faciendam a prima Dignitate iuxta cuiusque praerogativam, et per turnum, quatenus ab alia Dignitate huiusmodi distributio fieri non consueverit. » Die 17. Nov. 1646.

1570. FLORENTINA.

Fuit consultata S. R. C., ut respondere dignaretur.

1. An Moniales diversorum Ordinum subiectae Ordinario, quae Breviarium Romanum de licentia S. C. receperunt, retentis Officiis Sanctorum proprii Ordinis, possint in dies augere nova festa, et Officia, quae fratres eiusdem Ordinis introducunt, ut signanter accidit in festo S. Dominici de Soriano?

2. Qui color paramentorum Altaris, et Ministrorum adhibendus sit, quando exponitur, et reponitur SSmum Sacramentum, occasione Orationis quadraginta horarum, vel alia quacumque etiam pro infirmis, vel pro defunctis?

Sacr. Rit. Congr. ut sequitur, respondendum censuit.

Ad 1. « Non debere Ordinarium permittere, ut celebrentur nova Officia, quae non sunt per Sedem Apostolicam approbata. »

Ad 2. « In casibus propositis colorem paramentorum adhibendum esse, qui praescribitur per Rubricas. » Die 17. Nov. 1646.

1571. SANCTI SEVERINI.

Quaesitum est apud S. R. C.: an Dominico Blandito Protonotario Apostolico, non tamen de numero participantium, unius Civitatis Gubernatori, liceat, in Missis per eum celebrandis, accipere paramenta ex Altari, ubi est Missam celebraturus, praesertim supra vestem cameralem, et adhibere Sacerdotem cum cotta, qui sibi inserviat, et laicum, qui ad ablutionem manuum pelvi argenteae, et urceolo sibi aquam praebeat?

S. R. C. respondit: supradictum Gubernatorem, quamvis Protonotarium, non ex Altari, sed ex Sacristia, vel alio loco ad id ordinato, paramenta capere, et inde paratum ad celebrandum accedere, ac unico Ministro contentum esse debere, qui ei inserviat, et respondeat in Missis, cum ex declaratione, de qua in Rubricis Missalis Romani, alia praefata solis Episcopis privative celebrantibus conveniant. » Die 17. Nov. 1646.

1572. NICOTEREN.

Cum S. R. C. die 14. Iul. proxime praeteriti dixerit Archidiaconum Ecclesiae Cathedralis Nico-tereni. Protonotarium Apostolicum, non tamen de numero participantium, amittere quotidianas distributiones, quotiescumque in Choro, aliisque ecclesiasticis functionibus habitum Praelatitium deferat, fuit iterum dubitatum.

1. An huiusmodi decisio locum sibi vindicet in prima Dignitate, quam detinet Archidiaconus?

2. An eidem Archidiacono, dum inservit Episcopo in Missis, et functionibus publicis sit licitum gestare Rocchettum cum impluvia, cum teneatur uti superpelliceo tantum?

Ad 1. S. R. C. respondit: « dictum Archidiaconum, quamvis primae Dignitatis honore praefulgeat, immunem non esse a poena privationis distributionum quotidianarum, si in functionibus ecclesiasticis incedat cum habitu Protonotarii. »

Ad 2. « Non habitu praelatitio, sed canonicali uti debere, quando in functionibus Ecclesiasticis Episcopo inservit. » Die 17. Novemb. 1646.

1573. IMOLEN.

Cum Provincialis Ordinis Servorum cum aqua a se ipso benedicta reconciliaverit in Dioecesi Imolen. Ecclesiam sui Ordinis, ob sanguinis effusionem pollutam, ibique postea, ut prius, Officia recitata, et Missae celebratae fuerint; dubitavit Episcopus: an dicto Provinciali licuerit facere dictam reconciliationem; et an Ecclesia praedicta sit recte reconciliata? instans propterea, sicuti fuit expositum, ut iterum reconciliaretur. Unde Procurator Generalis dicti Ordinis humiliter S. R. C. supplicavit, ut declarare dignaretur: an dicta reconciliatio sit valida?

Et, negotio mature discusso, Emi PP. S. R. Congr. praepositi responderunt: « Ecclesiam esse reconciliatam: sed in futurum abstinendos esse Fratres in similibus, » mandarunt die 15. Decembris 1646.

1574. THEATINA.

Procurator Generalis Caelestinorum S. R. C. humiliter exposuit Clerum Saecularem Theatinae Civitatis, contra eiusdem Congregationis Decreta, reluctare, ne Monachi Caelestini celebrent Missam, et Officium, aliaque iuxta Rituale peragant super cadaveribus in suis Ecclesiis existentibus pro sepultura ibidem habenda; supplicans propterea, ut decretum praefatum servari Congregatio mandet.

Emi PP. S. R. C. praepositi, iuxta alias resoluta, responderunt: « celebrare Officium, Missam cantare, caeterasque functiones a Rituali praescriptas facere super cadaveribus, quae in Ecclesia

Caelestinorum sepelienda deferuntur, ad ipsos Monachos Caelestinos privative quoad alios spectare.» Et ita in Civitate Theatina servari mandarunt die 15. Dec. 1646.

1575. DERTUSEN. PRAECEDENTIAE.

Orta controversia super iure praecedendi in Processionibus, et aliis actibus publicis inter Fratres S. Francisci de strictiori observantia de Vinaros ex una, et Fratres Eremitanos S. Augustini eiusdem loci ex altera parte, Fratres S. Francisci ad confovendum ius suum *tria Brevia S. M. Urbani VIII.* diebus 9. Ianuarii 1630., 10. Iunii 1643. et 20. Aprilis 1644. ad eorum favorem emanata contra dispositionem *Bullae Gregorianae*, quae incipit *Pastoralis* cor. A. C. executioni demandari institerunt, ac obtinuerunt, aliis etiam sententiis, et decretis in partibus desuper subsecutis. Cum vero Fratres S. Augustini se inauditos, et gravatos praetenderent, ad Sac. Rit. Cong. recursum haberunt.

Eadem S. R. C., negotio mature discusso, pluries auditis partibus in iure, et in facto, ad relationem Emi D. Card. Franciotti, post longam dictorum Brevium discussionem de mandato SSm̃i D. N. factam, censuit: « dicta Brevia esse reducenda ad terminos iuris non solum in praecedenti, sed etiam in quacumque simili causa tam in loco de Vinarios, quam in aliis in iisdem Brevibus contentis: et denique ubique terrarum servandam esse Constitutionem Gregorianam, dictis Brevibus non obstantibus, si SSm̃o placuerit. » Quam sententiam ad Se relatam SS. approbavit. Die 15. Decemb. 1646.

1576. MEDIOLANEN.

Alias S. R. C., decrevit Officium facere super cadaveribus ilatis in Ecclesias Regularium pro sepultura ibidem habenda, ad ipsos Regulares pertinere; sed cum nuper Clerus Saecularis Mediolani huiusmodi munus ad se spectare contenderet, iidem Fratres Sac. R. C. adiverunt, ut declarare dignaretur: minime licere Clero Saeculari huiusmodi Officium in praedictum Regularium in eorundem Ecclesia celebrare, sed tantum dictum Clerum teneri associare dictorum mortuorum corpora usque ad portam Ecclesiae, in qua sunt tumulanda.

Eadem S. R. C. respondit: « dictum Officium in praefato casu ad ipsos Regulares spectare, et Clerum teneri usque ad portam Ecclesiae defunctos comitari. » Die 12. Ian. 1647.

1577. FERENTINA.

Consuluerunt Sac. R. C. Canonici Cathedralis Ferentini: an teneantur Episcopum accedentem

ad Ecclesiam cum Cappa in diebus ferialibus excipere de cubiculo, et usque ad eundem locum comitari, vel potius satis sit, illum associare usque ad portam Palatii?

Eadem S. C. respondit: « Episcopum quandoque accedentem ad Ecclesiam in diebus ferialibus ad interessendum simpliciter horis Canonicis, Vesperis, et Completorio, aut etiam Missae Conventuali, non uti debere cappa magna, sed Rochetto, et Mozzetta. Ideoque tali casu Canonici non tenentur. » Die 12. Ian. 1647.

1578. FERENTINA.

S. R. C., instante Episcopo Ferentino, declaravit: « Episcopum tempore Quadragesimae etiam in diebus ferialibus intervenire volentem concioni, assistere debere cum cappa, illumque Canonicos praesentes associare teneri, iuxta formam Caeremonialis. » Die 6. Apr. 1647.

1579. NULLIUS DIOECESIS PROVINCIAE TREVIREN.

Cum Capitulo Ecclesiae Sancti Deodati nullius Dioecesis, Provinciae Treviren. Sedi Apostolicae immediate subiectae, fuerit relictum Legatum cum onere recitandi nonnulla Officia a Sede Apostolica approbata multorum Sanctorum, et Sanctarum in Breviario Romano contenta, sed mutato ritu semidup. in duplici, simplici in semidup. vel dup.; cum conditione, quod si illa Capitulum omiserit, vel ullo pacto mutaverit, bona ad haeredes Testatoris devolvantur. Praedictum Capitulum praenarrata Officia usque adhuc, iuxta formam Testatoris, recitare continuavit: verum, quia timet, ne id fieri possit tuta conscientia, supplicavit Sanctissimo, ut declarare dignaretur praefato oneri satisfieri, si per idem Capitulum praedicta Officia *iuxta Rubricas Breviarii Romani* recitentur, non obstantibus contrariis obligationibus a Testatore impositis, vel saltem, ut praefata Officia continuari posse concedat.

Quibus precibus ad Sac. C. a Pontifice O. M. remissis, Emi PP. eidem Congregationi praepositi censuerunt: « praefata Officia tuta conscientia posse recitari, iuxta Rubricas Breviarii Romani, si Sanctissimo videbitur. » Et referente Em̃o D. Caponio, Sanctissimus annuit. Die 6. Apr. 1647.

1580. EUGUBINA.

Orta controversia inter Canonicos Collegiatae Ecclesiae S. Christinae noviter erectae ex una, et Abbatem S. Verecundi de Vallingorio partibus ex altera, de, et super iure praecedendi in Processionibus, aliisque Ecclesiasticis functionibus; propositaque causa per Em̃um D. Card. Costagutum, cui fuit commissa.

Emi PP. responderunt: « praecedentiam competere Canonice praedictis supra Abbatem S. Verucundi. » Die 6. Apr. 1647.

1581. THEATINA.

Inter Civitatis Theatinae Magistratum, qui in scamno assistendo in Ecclesia Divinis functionibus sedere consuevisse S. R. C. exposuit, Dux Castri de Sangro, qui nuper illam emit Civitatem, cum inter se, vel suum Governatorem intercederet aliqua differentia, obtinuisse ab Archiepiscopo asseruit, ut sibi, suoque pro tempore Governatori in sede camerali praedictis functionibus assistere liceret, sed cum postea eadem sedes ab Archiepiscopo Magistratui quoque fuerint concessae; Dux institit coram S. Congregatione, ut sedis cameralis usus privative quoad Magistratum, eiusve assessorem spectare ad Se, suumque Governatorem, declarare dignaretur.

Emi Patres Sacris Ritibus praepositi, negotio mature discusso, « reducenda esse omnia in pristinum » mandarunt die 6. Apr. 1647.

1582. ISCLANA.

Orta controversia inter primam, secundam, et tertiam Cathedralis Dignitatem super iure praecedendi, nonnullasque Ecclesiasticas functiones, absente, vel impedito Episcopo, faciendi, ad praevendenda scandala, quae in Divini cultus praedictum exoriri possent; consulta fuit S. R. C.: an sit attendenda consuetudo, vel potius Caeremoniale?

Emi PP. S. R. C. praepositi mandarunt, « ut servetur Caeremoniale usquequo manutenibilis probetur consuetudo. » Die 4. Maii 1647.

1583. COMEN.

Cum S. R. C. saepius, et signanter in loco Ripae S. Vitalis istius Dioecesis declaraverit Vicariis Foraneis per Dioeceses constitutis nullam praerogativam, seu praerogativam in Sessionibus, seu Processionibus, Choro, aut aliis Ecclesiasticis functionibus, occasione huiusmodi officii, competere, praeterquam in Congregationibus, quae singulis mensibus pro discussione articulorum moralium de mandato Episcopi fiunt, in quibus Vicarius Foraneus, tamquam Episcopi delegatus, intervenire solet, conquestus est nihilominus Archipresbyter dicti loci apud S. R. C., quod praedictum Decretum debitam non habeat in eodem loco observantiam; quapropter Emi Patres Decretum praedictum confirmaverunt; et ita in loco Ripae S. Vitalis servari mandarunt die 4. Maii 1647.

1584. CASSANEN.

Congregatio S. Mariae de Colorito, quae dicitur de Observantia S. Augustini institit coram S. R.

Cong., ut declararet: an liceat cadavera, quae in eorum Ecclesia sepelienda sunt, de domo defuncti, vel alibi existentia deferre ad Ecclesiam recto tramite; vel potius deferenda sint prius ad Ecclesiam Parochialem, ibique celebrandum Officium, et postea ad Ecclesiam Regularium ad effectum illa tumulandi?

S. R. C. respondit: « in casu proposito cadavera in Ecclesiam S. Mariae de Colorito absque ullo intervallo esse deferenda, ibique celebrandum Officium, sine praedictio emolumentorum Ecclesiae Parochialis. » Die 4. Maii 1647.

1585. DERTONEN.

Quaesitum fuit a S. R. C.: an, quando Episcopus Dertonen. simul cum Capitulo, et Clero Civitatis processionaliter accedit ad Ecclesiam Regularium, in quam pro obeunda Statione, ut moris est in Rogationibus ingreditur, Aspersionum Aquae benedictae sit ei porrigendum a digniori ex Canonice Cathedralis, ut hactenus, an vero ad Superiorem Regulari illius Ecclesiae, ad quam accedit Processio, ut fuit praetensum a Canonice Regularibus Lateranensibus dictae Civitatis?

Eadem Sac. R. C. respondit: « servandam esse consuetudinem. » Die 4. Maii 1647.

1586. BAREN.

Quaesitum fuit a Sac. R. C., ad quem spectet deferre processionaliter SSimum Sacramentum, impedito, vel absente Archipresbytero, an ad alias Dignitates ordine successivo, vel ad Vicarium deputatum in spiritualibus?

Eadem S. R. C. respondit: « nunquam spectare ad Vicarium, sed ad Dignitates, et Stallatos ordine successivo. » Die 18. Maii 1647.

1587. NICOTEREN.

Cum ad S. R. C. pervenerit, Dñam Margaritam Ruffam praetendere a Clero deferente umbraculum associari a porta Civitatis Nicoteren. ad quam se conferre intendit, usque ad Cathedralium Ecclesiam cum himni *Te Deum* cantu.

S. R. C. respondit: « non licere supradicta, et fieri, ne omnino permittat, Episcopo » mandavit die 18. Maii 1647.

1588. DERTONEN.

Quaesitum fuit a S. R. C. pro parte Episcopi Dertonen.: an in ingressu Ecclesiae maioris, in qua Episcopus de manu dignioris de Capitulo recipit aspersionum, debeat prius aspergere ipsos Canonicos ante eum stantes, et deinde Vicarium generalem, et Magistratum Saecularem post ipsum existentem, vel potius prius Vicarium, deinde Canonicos?

Et S. R. Cong. respondit: Episcopum debere

aspergere immediate Capitulum, nisi tunc adsit alius Episcopus, et postea Vicarium, et Magistratum saecularem. » Et ita servari mandavit die 18. Maii 1647.

1589.

BAREN.

Capitulum Collegiatae Ecclesiae S. Eustachii de Aquaviva Baren. Dioecesis quaesivit a S. R. C.: an Regulares, et Moniales ibi existentes teneantur recitare Officium duplex cum Octava, et servare festum S. Eustachii Martyris, quod huc usque ab immemorabili servatum fuit de praecepto, uti principaliori Patrono dicti loci, ac Titulari illius Ecclesiae?

Eadem S. R. C. respondit: « Regulares teneri sine Octava. » Die 1. Iunii 1647.

1590.

CALAGURITANA.

Contententibus inter se Matthaeo de Tavorga, et Anna Maria de Vegogna conjugibus ex una, et moderno Rectore Ecclesiae Parochialis Oppidi de Vilvao partibus ex altera: an scilicet clavem, sub qua reconditur SS^{mae} Eucharistiae Sacramentum fer. V. in Coena Domini praefatus Rector tradere teneatur dicto Matthaeo de Tavorga ex persona uxoris Ecclesiae Parochialis praedictae praetense Patrono, et ob peculiarem nob. Familiae de Vegogna, nec non ob generalem Hispaniarum consuetudinem huiusmodi clavem custodiendi per personas nobiles?

Et Sac. R. C., referente Eño Sfortia, pluries auditis partibus, in casu proposito, « Rectorem d. Ecclesiae Parochialis de Vilvao praefato Matthaeo de Tavorga huiusmodi clavem tradere non teneri, » declaravit die 3. Augusti 1647.

1591.

TOLETANA.

Ad eliminandos abusos, qui in Dioecesi, et in Civitate Toletana, nonnisi cum magno Divini cultus detrimento, circa SS^{mae} Eucharistiae Sacramenti expositionem absque ea, qua decet causa, et veneratione inolevere.

S. R. C., inhaerendo Decretis saepius per Orbem Terrarum promulgatis, « Dioecesis, et Civitatis Toletanae Clero tam Saeculari, quam Regulari, Monialibus, atque Confratribus Sanctissimae Eucharistiae Sacramentum publicae exponere, nisi eum speciali Ordinarii licentia non licere, et inobedientes poenis, et censuris coercendos esse, » declaravit die 18. Decembris 1647.

1592.

BOSNEN.

Episcopus Bosnen. Turcarum imperio obnoxius, ne quoties Chrismatis Sacramentum administrat, imminenti vitae discrimini se committere teneatur, illud idem sine Mitra, et Baculo exercendi facultatem supplex expostulavit.

Et Sac. R. C., « dummodo enarrata veritati nitantur, et in reliquo Pontificalis Romani leges serventur, Episcopo Oratori Sacrum sine Mitra, et Baculo Pastoralis Chrisma perficere concessit. » Die 18. Decembris 1647.

1593.

CUSENTINA.

Quaesitum fuit nomine Archiepresbyteri Terrae Foligni Cusentinae Dioecesis: an Regulares occasione funeris, ad domum defuncti, sive potius ad Ecclesiam Parochialem convenire debeant?

Et S. R. C. respondit: « ad Ecclesiam Parochialem, non ad domum defuncti Regulares in casu proposito convenire debere. » Die 21. Martii 1648.

1594.

CUSENTINA.

Delato ad S. R. C. abusu Canonorum Ecclesiae Cathedralis Cusentinae, quod scilicet iidem, non attenta distributionum amissione, in Dominicis Adventus, et Quadragesimae, aliisque diebus festis, quibus Archiepiscopus in Choro cum cappa assistit, debitam eidem assistentiam praestare detreant.

Et S. R. C., « dictos Canonicos in casu proposito Archiepiscopo assistere teneri, declaravit, sub poena non tantum amissionis distributionum, sed sub alia arbitrio eiusdem Archiepiscopi. » Die 23. Maii 1648.

1595.

MILITEN.

Supplicatum fuit nomine Archidiaconi Cathedralis Ecclesiae Civitatis Militen. declarari: an in festo Purificationis B. M. V., et in Dominica Palmarum, Candelam, et Palmam respective Episcopo praebere teneatur?

Et S. R. C., « negative respondit, etiam non obstante contrario usu, sed servandum esse Caeremoniale Romanum. » Die 23. Maii 1648.

1596.

NUCERINA.

Episcopus Nucerinus supplicavit declarari infrascripta:

1. An Canonicis Ecclesiae Cathedralis, sive aliis Missarum Divinis inservientibus liceat deferre pileolum?

2. An praefati Canonici Episcopum, et SS^{mum} Sacramentum cooperto capite thurificare possint?

Et Sac. R. C. « negative » respondit, et eidem Episcopo abusus huiusmodi eliminari mandavit die 20. Iunii 1648.

1597.

BENEVENTANA.

Archiepiscopus Beneventanus supplicavit declarari:

1. An Dignitates illius Cathedralis, quae sedent ab utroque latere Chori, debeant omnes prius thurificari, quam Canonici eiusdem Ecclesiae, qui

tam a dexteris, quam a sinistris Chori una cum praefatis Dignitatibus sedent? Et S. R. C. respondit: « tam Dignitates, quam Canonicos a latere digniori Chori sedentes prius thurificandos esse, quam Dignitates, et Canonicos, qui sedent a latere Chori minus digno. »

2. An Dignitates, sive Canonici, qui assistunt Archiepiscopo, supervenienti Dignitati, sive Canonico digniori locum assistentiae cedere debeant? Et S. C. « affirmative » respondit.

3. An SS. Eucharistiae Sacramentum, quod inter Vesperarum Divina peculiari custoditur Sacello, thurificandum sit? Et S. R. C., « in casu proposito SS. Eucharistiae Sacramentum thurificari » mandavit.

4. An in Missa Conventuali, quando decantatur Evangelium, Ceroferarii cum Cereis accensis assistere, et Diaconus, quotiescumque thurificatur Altare, incensum ministrare teneantur? Et Sacra R. C., « teneri, » respondit.

5. An Canonici Archiepiscopum ad Ecclesiam accedentem associare, et ab eadem redeuntem usque ad anticameram suae habitationis, iuxta consuetudinem suorum Praedecessorum, comitari teneantur? Et S. R. C. respondit, « quod circa associationem servantur Decreta, et ad eorum formam compellantur Canonici renitentes, si aliqui adsunt, sub censuris etiam in subsidium. »

6. An Archidiaconus prima Dignitas Archiepiscopo tam solemniter celebranti, quam Divinis tantum interessenti cum cappa assistere teneatur, cum praebendae non sunt distinctae? Et S. R. C. respondit: Assistentiam praedictam praestandam esse per Archidiaconum iuxta formam Caeremonialis, eumque ad hoc posse cogi, sub censuris etiam in subsidium. » Die 5. Septemb. 1648.

1598. BENEVENTANA.

Cum circa associationem a Capitulo, et Canonicis praestandam Archiepiscopo cappa induto ad Ecclesiam accedenti S. R. C. decreverit: « servandum esse solitum, et nihil innovandum, ac deinde Decreta servari » mandaverit; idem Archiepiscopus, ad tollendas controversias, quae denuo oriri possent, supplicaverit declarari distincte, quid de super servandum sit?

Et eadem Sac. C., referente Eñõ Dño Card. Sfortia, utraque parte informante, respondit: « Capitulum, et Canonicos debere accedere ad aulam, sive cameram, quam ad hoc Archiepiscopus destinaverit tam in accessu ad Ecclesiam, quam in reditu, ad formam praescriptam in Caeremoniali Romano, et renuentes etiam sub censuris in subsidium compellendos esse. » Die 21. Novemb. 1648.

1599. BENEVENTANA.

Cum in Ecclesia Metropolitana non fuerint distinctae Praebendae Presbyterales, et Diaconales; quaesivit Archiepiscopus: an ipsi solemniter celebranti, vel si Divinis Officiis cum cappa intersit, Archidiaconus, qui est prima Dignitas, assistere teneatur? Die 10. Septembris praesentis anni, Sac. R. C. « affirmative » respondit. Dubitatum deinde fuit, quinam loco duorum Diaconorum assistere deberent?

Et eadem S. R. C., referente Eñõ D. Card. Sfortia, utraque parte informante, declaravit: « Dignitates proxime sedentes post Archidiaconum assistere debere, et recusantes etiam sub censuris cogendos esse. » Die 21. Novemb. 1648.

1600. CESENATEN.

Indicta ab Episcopo Cappella per ipsum peragenda in festo S. Mauri praedictae Civitatis Patroni; nec non Dominicae in Albis ob festum Beatae M. V. de Populo eiusdem civitatis, quibus tamen aegritudine praepeditus interesse non valuit; Praepositus Cathedralis a C. S. R. praeposita humiliter quaesivit; an ad ipsum, vel ad Canonicum hebdomadarii huiusmodi functiones spectarent? et nocte SS. Nativitatis, ipso Episcopo absente, quinam Officium in Choro facere debeat?

Et eadem S. C., referente Eñõ D. Card. Schetto, respondit: « in praedictis casibus competere Praeposito tamquam primae Dignitati. » Die 23. Ianuar. 1649.

1601. NOVOCOMEN.

Supplicarunt S. R. C. Paulus Besta, et Vitalis Betlana Canonici Collegiatae Sondrii supradictae Dioecesis declarari, ut ipsi praecedere debeant, qui possessionem capitularem adepti fuerunt ante Caesarem Pusterlam eam praetendentem, ex titulo anteriori sui Canonicatus.

Et Eñõ Patres responderunt: « Oratoribus in antiquiori possessione existentibus praecedentiam deberi. » Die 23. Ian. 1649.

1602. NUCERINA.

Irrepentes nonnullos abusos in Ecclesia Cathedrali contra formam Sacrorum Rituum institit Episcopus tollendos declarari.

1. Non licere Priori, Praeposito, et Canonicis, Missarum, et Vesperarum Divinis interventibus uti pileolo in thurificando SS. Eucharistiae Sacramentum, ipsumque Episcopum, in petenda ab ipso incensi benedictione, in assistentia in circulis, ac reverentiis, in ostendendis, deferendisque Reliquiis.

2. In benedictione incensi, vel aspersionis porrectione, manum Episcopi deoseculari debere.

3. In ingressu ad Ecclesiam, teneri ipsi Episcopo occurrere, et porrigere Aspersionum.

Et S. C. ad praedicta Dubia respondit: Ad 1. « Canonicos in praedictis casibus uti non posse pileolo. »

Ad 2. « Ad manum Episcopi deosculandam teneri. »

Ad 3. « Mandavit observari Caeremoniale Romanum. » Die 23. Ianuarii 1649.

1603. BENEVENTANA.

Institutum fuit apud S. R. C. : an Archidiacono dictae Ecclesiae Metropolitanae, in edictis per eum fieri solitis, liceat proprium nomen inscribere cum illis verbis, *Dei, et Apostolicae Sedis gratia Archidiaconus etc.?*

Et Em̄i PP. « negative » responderunt. » Die 20. Febr. 1649.

1604. SABINEN.

Canonici Collegiatae Ecclesiae Collis Veteris instituerunt declarari; cum post Missae Sacrificium SS̄ma Eucharistia processionaliter deferenda est, id peragi debere a Celebrante, non vero ab Archipresbytero, qui hoc sibi contra consuetudinem arrogare coepit.

Et Sac. R. C. respondit: « Huiusmodi munus ad Celebrantem spectare. » Die 20. Febr. 1649.

1605. IANUEN.

Procurator generalis strictioris observantiae C. S. R. praepositae supplicavit, ut confirmare dignaretur Decretum Em̄i Archiepiscopi, de celebranda Dedicazione Ecclesiae Oppidi Rapelli die 6. Iulii ob incertitudinem diei Consecrationis, licet modo de ea notitia habita fuerit ex authenticis scripturis, cum dicta dies Consecrationis coincideret in festo S. Bonaventurae a toto Ordine magna cum solemnitate celebrari consueto.

Et Em̄i PP. responderunt: « non suffragari Decretum Em̄i Archiepiscopi, sed celebrandum esse in ipsa die, quando repertum fuit Ecclesiam consecratam fuisse. » Die 13. Mart. 1649.

1606. MAIORICEN.

Ecclesia Cathedralis humiliter institit S. R. C. praepositae declarari:

1. An Regulares teneantur ad recitandum Officium Dedicacionis Ecclesiae Cathedralis, etiamsi festum dictae Dedicacionis non sit de praecepto?

2. An in Dominica Palmarum, cum Palmae benedicuntur, Episcopus non celebraturus facere debeat Asperges?

3. An feria V. in Coena Domini in ablutione assistentes Episcopo teneantur ferre vestimenta violacea, sicut ipse Episcopus, vel alba sicut Diaconus, et Subdiaconus?

Et Em̄i PP. ad 1. Dubium responderunt: « Regulares in die Dedicacionis ad d. Officii recitationem teneri. »

Ad 2. « Huiusmodi functionem ad Celebrantem spectare. »

Ad 3. « Servandum esse Caeremoniale. » Die 13. Mart. 1649.

1607. MONOPOLITANA.

Consulta per Archipresbyterum secundam Dignitatem humiliter C. S. R. praeposita: an praesente in Choro Archidiacono primam Dignitatem obtinente, functiones, et munera Episcopalia, absente, vel impedito Episcopo, ad eius Coadiutorem, et, an absente, vel impedito Coadiuto, ad eundem Coadiutorem, vel potius ad proximam Dignitatem spectent?

Et Em̄i PP. ad 1. « negative » responderunt.

Ad 2. vero: « Coadiutori, non autem Dignitati proxime sequenti huiusmodi munera competere » declararunt die 24. Aprilis 1649.

1608. NOVOCOMEN.

Ecclesia Collegiata Sondrii Novocomen. Dioecesis S. R. C. praepositae supplicavit declarari infrascripta dubia.

1. An in Collegiata, in qua Canonici tenentur celebrare Missam Conventualem per turnum, Archipresbyter, qui ibi est prima Dignitas, possit semper, aut quotiescumque sibi placuerit, dictam Missam celebrare?

2. An in diebus Stationum Ecclesiae, et in solemnioribus festivitatibus per annum, in quibus idem Archipresbyter de more solet Missam Conventualem celebrare, hanc celebrationem alteri Dignitati possit, quae non sit de gremio Ecclesiae, vel alicui Sacerdoti sibi beneviso, delegare?

3. Si in supradictis festivitatibus solemnibus, idem Archipresbyter noluerit, vel nequiverit Missam Conventualem celebrare, an succedat ad hanc functionem in eius locum Canonicus antiquior, sive Decanus, vel potius Canonicus, ad quem spectat ratione turni?

Et Em̄i PP. ad 1. « negative responderunt, sed celebrandum esse per turnum, »

Ad 2. « Negative, sed, impedita prima Dignitate, ad secundam ordine successivo. »

Ad 3. « Antiquiorem succedere debere, cum, impedita prima Dignitate, supradictae functiones in festis solemnioribus peragenda sint a secunda, et gradatim ordine successivo. » Die 24. Iulii 1649.

1609. DUBIUM.

Supplicarunt nonnulli Regulares per C. S. R. praepositam declarari: an, deferente Episcopo aliquam Sanctorum Reliquiam, etiam Patroni Civitatis

tatis, teneantur Religiosi, iuxta quorum Monasteria, vel Ecclesias transitur, exire de domo, seu Ecclesiis, ipsamque Reliquiam etiam cum thurificatione venerari; et an ad id Episcopus eos compellere valeat?

Et Em̄i Patres: «Hoc laudabile esse, non tamen cogi posse,» responderunt. Die 21. Augusti 1649.

1610. PLACENTINA.

C. S. R. praeposita pluries respondit: «Vicedominum, et alias Dignitates Ecclesiae Cathedralis habentes duplices praebendas, et Presbyterales, et Diaconales debere fungi Officio Diaconi cum ex turno ipsis incumbit, si velint Praebendae gaudere proventibus. Cum vero eadem Dignitates huiusmodi Decretis non acquiescentes remissoriam ad probandam contrariam consuetudinem petierint, et processus in S. C. fuerit exhibitus.

Em̄i PP., iterum proposita causa, et referente Em̄o D. Card. Sacchetto, ac partibus saepe auditis, declararunt: «habentes Canonicatus, seu Praebendas Diaconales, vel Subdiaconales etiam cum Dignitate, onera illis adnexa obire debere.» Die 23. Augusti 1649.

1611. TORNACEN.

Consulta fuit per Episcopum, etiam de mandato SS. D. N., C. Sac. R. praeposita pro declaratione sequentium Dubiorum:

1. An Missae in Ecclesia Cathedrali in certo Altari, vel Cappella praescriptae, celebrari valeant per Canonicos, aut eorum substitutos in Cappella primo obvia, et commodiori, licet vigeat contraria possessio a quadraginta annis, et supra?

2. An Officia propria Sanctorum Pinti, et Eleutherii eiusdem Ecclesiae Patronorum cum suis Octavis a quadraginta, vel sexaginta annis de ordine Capituli examinata, et reformata, quia in eis plures errores irrepserant, numquam tamen a Sede Apostolica approbata, tolerari, et continuari valeant, sicuti, et aliorum Sanctorum, quorum festa ab immemorabili tempore ibidem celebrantur?

3. An Officium de S. Eleuthero, qui vere fuit Pontifex, et Mart., natione Hencius, sive Tornacen., eiusque Corpus in eadem Ecclesia servatur, debeat in posterum ordinari de Martyre, et Pontifice, licet in praeteritum, potius per errorem, de Pontifice, et Confessore celebratum fuerit?

4. An liceat feriis secundis, et sextis, etiamsi occurrant festa primae, vel secundae classis, in Altari privilegiato Sacra facere pro defunctis, saltem ex consuetudine, non tamen immemorabili?

5. An Officia nova Sanctorum a viginti annis,

praetextu alicuius foundationis, vel pinguioris distributionis, vel Reliquiarum non insignium a Capitulo recepta, et in Calendario Romano non apposita, tolerari possint?

6. An in Missa Chori, in Matutinis, et Vesperis in eadem Cathedrali, et Collegiata S. Petri Insulen., quae praetenditur esse exempta, debeat fieri mentio de Episcopo, non obstante contraria consuetudine, ut fit de Summo Pontifice, Rege Catholico, et Archiduca Leopoldo?

7. An Ballivus Episcopi praecedere debeat Ballivo Capituli in accessu ad deosculandum anulum pontificalem, et manum ipsius Episcopi solemniter celebrantis?

8. An liceat tam in Civitate Tornacen., quam Insulen., Fratribus Ordinis S. Dominici, aliisque mendicantibus, in quorum Ecclesiis sepulturae eliguntur, cadavera defunctorum levare, absente, et inconsulto Parocho; et an vocati ad funus debeant convenire in Parochiali Ecclesia ipsius defuncti, vel in alia, vel expectare per vias, aut in domo defuncti?

Et Em̄i PP., referente Em̄o Dño Card. Francioto, responderunt: Ad 1. «Per Episcopum cogendos esse omnes, ad quos spectat, ut Missae in Altaribus, vel Cappellis praescriptis, iuxta erectionem celebrent.»

Ad 2. «Officia exhibenda esse S. C., et interim ea in usum adhiberi non posse.»

Ad 3. «Nihil de Officio S. Eleutherii.»

Ad 4. «Non licere.»

Ad 5. «Servandas esse Rubricas.»

Ad 6. «In Canone, et in Collectis omnino faciendam esse mentionem de Episcopo etiam ab exemptis.»

Ad 7. «Citari Capitulum.»

Ad 8. «Dari exemplar Decretorum in hac materia latorum, et signanter in una Valven. 12. Iunii 1638., scilicet: cadavera decedentium in Parochia non posse levari, nisi requisito Parocho per Regulares, eoque de iuribus Parochialibus satisfacto: et in Sutrina Terrae Tulphae 4. Februarii 1640. tenoris videlicet: Regulares vocatos ad funus debere convenire in Parochiali Ecclesia, vel in alia iuxta loci consuetudinem, et nullo modo permittendum, ut recto tramite accedant ad domum defuncti, vel per vias expectent.» Et ita responderunt die 25. Septemb. 1649.

1612. BELLICASTREN.

Capitulum, et Canonici Cathedralis propter Praebendarum tenuitatem, ac immemorabilem ab ipsis assertam consuetudinem in Adventu, Quadragesima, aliisque Vigiliis, in quibus festus dies ali-

culus Sancti coincidit, cogi non posse praetendunt ad celebrandam Missam Conventualem, propter recurrentem Missam de Sancto: Episcopus vero eiusdem Civitatis a C. S. R. praeposita instanter ita declarari petiit.

Et Em̄i PP. responderunt: « omnino praedictos Canonicos teneri ad celebrandum utramque Missam, iuxta Rubricas Missalis Romani in praedictis temporibus, quacumque exceptione, et consuetudine adducta non obstante. » Die 16. Novemb. 1649.

1613.

IANUEN.

Religiosi Ordinis S. Francisci *MINIMI* *SCACON* pati Provinciae Ianuen. humiliter C. S. R. praepositae supplicarunt pro declaratione infrascriptorum Dubiorum:

1. An, et a quo fieri debeat aspersione die Dominico, quando Superior celebrat?

2. An debeant velari Imagines, et Cruces Sabato Passionis, si occurrat eo die festum S. Titularis, vel Patroni Ecclesiae?

3. An detegi illae debeant, quando in hebdomada Passionis occurrit festum S. Titularis, vel Dedicatio Ecclesiae?

4. Quo velo cooperienda sit Crux in Altari ad functionem lotionis pedum in fer. V. maioris hebdomadae, et Crux Processionis, cum sacerdos indutus sit violaceo, et Diaconus colore albo, et actus ipse lotionis, sive Mandati praecipiat a Rubricis fieri cum floribus, et signis laetitiae, et videatur participare de festivitate Missae celebratae in mane cum Cruce velata albo colore, et ex alia parte sit actus humilitatis?

5. An, et quando benedicenda sint Pixis, Purificatoria, Ostensoria, vel saltem Lunula, quae immediate inserviunt Sacramento plusquam alia, quae habent in Missali propriam formam benedictionis?

Et Em̄i PP. responderunt. Ad 1. « Aspersionem semper faciendam esse a Celebrante. »

Ad 2. « Affirmative. »

Ad 3. « Negative. »

Ad 4. « Colorem non esse mutandum. »

Ad 5. « Servandas esse Rubricas. » Die 16. Novembris 1649.

1614.

URBIS.

Ob absentiam ab Urbe Em̄i D. Cardinalis Antonii Barberini Basilicae S. Mariae Maioris Archipresbyteri, Em̄us D. Cardinalis Maidalchini, qui ut talis exereuit omnes actus iurisdictionales ab Em̄is DD. Archipresbyteris exerceri solitos, qui ob defectum aetatis, cum non sit in Sacro Diaconali Ordine constitutus, ac Porta Sancta eiusdem Basilicae in hoc proximo Anno Sancto aperienda sit;

discussum fuit, de ordine SSm̄i D. N., in C. S. R. praeposita: an huiusmodi aperitio ab eodem Em̄o D. Card. Maidalchino fieri possit, qui dum ad Cardinalatus Dignitatem promotus fuit, obtinuit a Sanctitate Sua dispensari, ut licet non esset in aetate legitima, et Sacro Diaconatus Ordine constitutus, tamen in omnibus Cappellis, Consistoriis, et quibuscumque actibus publicis, et privatis, ea omnia facere, exercere, et adimplere posset, quae ad Diaconum Cardinalem quomodolibet pertinerent? Em̄i vero Patres varias sententias amplexi fuerunt, quibus ad SS. D. N. relatis, et examinatis rationibus infrascriptis, Sanctitas Sua mandavit dictam Portam Sanctam ab eodem Em̄o aperi.

Non controvertitur, nec potest controverti aperitionem Portae Sanctae in Ecclesiis S. Ioannis Lateranen., et S. Mariae Maioris solitam esse delegari Archipresbyteris pro tempore existentibus, ut est notorium, et in specie de Ecclesia Sanctae Mariae Maioris refert Sirletus in suo Tract. MS. de Basilica S. Mariae Maioris in Archivio Vaticano asservato fol. 24. a terg. ibi. In ea anno Iubilaei est Porta Sancta, quae ab Archipresbytero aperi solet, a Clemente VII. institut.

Et hoc etiam quando Cardinales Archipresbyteri fuerunt in ordine Diaconali, ut evenit in specie anno 1550., quo aperitio Portae Sanctae in Ecclesia S. Mariae Maioris fuit delegata Guidoni Ascanio Sfortiae Diacono Cardinali eiusdem Ecclesiae Archipresbytero, ut constat ex memoria existente in eadem Ecclesia.

Prout etiam fuit delegata Cardinalibus Pro-Archipresbyteris deputatis loco Archipresbyterorum absentium, vel alias impeditorum, prout occurrit de anno 1600. tempore Clementis VIII., quo Clausura Portae Sanctae in Ecclesia S. Ioannis Lateranen. fuit delegata Cardinali Terraenovae tunc Pro-Archipresbytero illius Ecclesiae, propter absentiam Cardinalis Ascanii Columnae, ut constat ex Diariis propria manu descriptis a Paulo Allaleone Magistro Caeremoniarum Pontificalium lib. 3. c. 97.

Unde videtur aperitionem Portae Sanctae in Basilica S. Mariae Maioris commitendam esse Em̄o Cardinali Maidalchino, qui ab anno reperitur deputatus Archipresbyter in eadem Ecclesia, et tamquam talis exereuit omnes actus iurisdictionis, prout alii Praedecessores Archipresbyteri etiam in ordine Diaconali exercuerunt, et dum ad Dignitatem Cardinalatus fuit assumptus, obtinuit Indultum a SSm̄o Domino Nostro sub datum Romae 11. Decembris 1647., ut, licet non sit in legitima aetate, et Sacro Diaconatus ordine constitutus, ta-

men in quibuscumque Cappellis, Consistoriis, Sessionibus, Congregationibus, Equitationibus, Caeremoniis, Processionibus, et in quibuscumque actibus publicis, et privatis ea omnia facere, et exercere, et adimplere potest, quae ad Diaconum Cardinalem quoquomodo, et quomodolibet pertinent; et maxime, quia huiusmodi actus aperitionis Portae Sanctae spectat ad iurisdictionem, et non ad Ordinem, etsi alicqualiter ad Ordinem, certe quod non ad alium, quam ad Ostiarium primum inter Minores.

Exemplum Cardinalis Columnae, quem titulum Presbyteralem 8. Novembris 1599. optasse supponitur ad effectum, ut delegari posset ad aperendam Portam Sanctam in Basilica Lateranensi, cuius erat Archipresbyter, non subsistit in facto; nam licet casus occurrerit, quod dicto anno 1599. transiverit de Ordine Diaconali ad Presbyteralem, non tamen constat hoc fecisse ad effectum, ut posset aperire Portam Sanctam, pro qua aperitione nulli cavetur, quod sit necessarius Ordo Sacerdotalis: quinimo apparet, quod anno praecedenti, dum erat in ordine Diaconali, voluit optare Episcopatum Albanen. et fuit talis optio ei denegata, ut clare probatur ex protestatione per eundem Cardinalem Columnam facta in Consistorio 30. Martii 1598., et ideo nil mirum, si anno sequenti 1599. voluit transire ad Ordinem Presbyteralem, ut eventiente vacatione alterius Episcopatus tamquam in Ordine Presbyterali posset suo loco illum optare, prout evenit incontinenti de mense Februarii sequentis anni 1600., quo Cardinalis de Aragona Episcopus Portuen. obiit: prout etiam Ludovicus Madrutius Episcopus Tusculanus, qui post paucos dies de mense Aprilis eiusdem anni decessit.

Prout etiam non subsistit in facto aliud exemplum Clementis VIII., quod renuerit, ut Cardinalis Montaltus, propter aetatem, et absque Ordinibus Sacris, clauderet Portam Sanctam in Basilica Lateranensi, cuius praesupponitur tunc fuisse Pro-Archipresbyterum. Nam ex dictis Diariis Pauli Allaleonis lib. 3. pag. 97. constat, Cardinalem Ascanium Columnam reliquisse in eius locum Archipresbyterum Cardinalem de Terranova, et nulli apparet fuisse deputatum in Pro-Archipresbyterum Cardinalem Montaltum.

Ultra quod Cardinalis Montaltus tunc temporis erat aetatis annorum 30., et a pluribus annis constitutus in Ordine Diaconali, nempe die 8. Septembris 1593. suscepit Subdiaconatus Ordinem, et die 4. Aprilis 1594. Diaconatum; et ex eisdem Diariis Pauli Allaleonis eodem lib. 3. pag. 11. constat, Cardinalem Montaltum die 8. Decembris 1599. inserviisse pro Diacono in Missa, Clemen-

te VIII. celebrante, assistentibus pro Diaconis Cardinalibus Aldobrandino, et S. Georgii, unde patet, quod nec Ordo, nec aetas ei deficiebat.

Id, quod dicitur: quod, absolutis Vesperis, debeat benedicere Populum, et assistere cum Pluviali, nihil facit, quia hoc nihil commune cum aperitione Portae Sanctae, et Cardinales Diaconi solent assistere Vesperis cum cappa: ultra quod delatio Pluvialis non est habitus alicuius Ordinis, et eo utuntur etiam Clerici famulantes, ut est notum; et Mitra spectat ad habitum Cardinalitium, et si non poterit tunc post preces *Dominus vobiscum*, poterit omitti, et post versiculum: *Domine exaudi Orationem meam etc.* immediate poterit dici: *Oremus etc.* Et ius benedicendi solet concedi omnibus Cardinalibus Legatis de latere etiam quod non sint in aliquo ex Ordinibus constituti, prout fuit concessum D. Cardinali Antonio Barberino Legato de latere in toto Statu Ecclesiastico, ae universa Italia, et extra eam ad quoscumque Principes deputato, ut licet in aliquo ex Sacris Ordinibus constitutus non esset; nihilominus in quibuscumque Ecclesiis, et locis infra limites suae Legationis existentibus, tam post Missarum, et aliorum Divinorum Officiorum celebrationem, quam alias, benedictionem etiam solemnem super Populum impendere posset per Breve sub dat. 19. Novembris 1629.; ideo etc.

Ex Diariis scriptis manu propria D. Pauli Allaleonis SS. D. N. Caeremoniarum Magistri incipien. a 15. Augusti 1599. usque ad 12. Februarii 1612. pag. 11. f. 2.

Feria IV. die 8. Decembris 1596. in festo Conceptionis B. M. V. Papa indutus omnibus Pontificalibus paramentis coloris albi cum Pallio ordinavit ad Ordinem Praesbyteratus in sua privata Cappella Illmum, et Rmum D. Ascanium Sanctae R. E. Cardinalem Columnam cum debitis caeremoniis in similibus observari solitis, prout in libro Pontificali, et Caeremonialibus, praesentibus infrascriptis Cardinalibus ministrantibus, videlicet: Illmo, et Rmo Dno Cardinali Gesualdo Episcopo Ostien. induto amietu, cotta, pluviali albo, cum formali de perlis, et mitra, qui fecit Papae assistentiam: Illmo, et Rmo D. Cardinali Montalto Diacono induto omnibus paramentis Diaconalibus, qui induit Papam, et servivit in Missa in imponendo vinum in Calice, et alia faciendo, qui etiam dixit: *Bne Pater*, postulat S. Mater Ecclesia etc. Illms, et Rms DD. Cardinalibus Aldobrandino, et S. Georgii Diaconis assistentibus Papae, indutis amictibus, dalmaticis, et mitris albis, et Illms, et Rms DD. Cardinalibus Dezza, Terranova, et

Avila Presbyteris indutis amictibus, stolis, et planetis, qui servierunt de imponendis manibus super caput Ordinandi; et praesentibus Rm̄is DD. Archiepiscopis Ravennae, et Ianuen. indutis pluvialibus albis, quorum primus servivit de libro, secundus de candela; uno Subdiacono Apostolico induto omnibus paramentis Subdiaconalibus, et tribus Auditoribus Rotae indutis rocchettis, et cottis, qui servierunt de Mitra primus, alii ad fimbrias, et gremiale, et praesentibus aliis ministris. Duo Camerarii Papae assistentes fuerunt cum vestibus rubeis solitis indutis. Papa sedit in Sede gestatoria, et non in Faldistorio. Ad Offertorium Ill̄mus Dñus Card. Columna ordinatus obtulit Papae duos cereos, duos panes, et duo barilia vini, omnia inaurata, et in fine dixit cum Mitra simplici de Damasco albo; *ad multos annos*, ter., et sine Mitra osculatus est pedem, et manum Papae, et receptus ad osculum oris; et nobis Magistris Caeremoniarum donavit pro duabus subtanis telettam sericeam violaceam pro Dalmatica.

Sabbato die 13. Ianuarii 1601. in Octava Epiphaniae, usque ad quam diem Papa a podagra detentus prorogavit clausuram Portae Sanctae S. Petri, et aliarum trium Portarum, videlicet S. Pauli, S. Ioannis in Laterano, et S. Mariae Maioris, et in die praefata clausit, et fecit claudere a tribus Ill̄nis DD. Cardinalibus, ut infra dicam, sed prius quae acta fuerunt describo. Omnia opportuna praeparata fuerunt. In primis fuit constructum septum intus, et extra Ecclesiam S. Petri ante Portam Sanctam, et intra septum interius fuerunt accomodata scamna pro Cardinalibus genuflectendis, et intra septum exterior sub porticu S. Petri Solum cum Sede Pontificali sub baldachino ornata pannis sericeis albis, scamna pro Cardinalibus in forma quadraturae, mensa cum fontibus pro lavandis manibus Papae, Medaliae, et frullae in lance; vas cum aqua benedicta, et aspersorium, thuribulum cum navicula incensi, cementum, et lateres, ac alia necessaria. Papa, dicta Missa lecta in sua privata Cappella, et accepta Falda in sua camera, descendit ad cameram paramentorum vectus in sede parvatoria, et stans apud lectum paramentorum, vocatis Cardinalibus a me ad circum, creavit tres Ill̄nos Cardinales ad claudendas Portas Sanctas Ecclesiarum S. Pauli, S. Ioannis Lateranen., et S. M. Maioris, videlicet Ill̄num D. Card. Gesualdum Episcopum Ostien. pro clausura Portae S. Pauli, Ill̄num D. Cardinalem de Terranova pro clausura Portae S. Ioannis Lateranen., Vice-Archipresbyterum in locum Ill̄ni D. Cardinalis

Ascanii Columnae Archipresbyteri absentis a Curia, et Ill̄num D. Cardinalem Pinellum pro clausura Portae S. Mariae Maioris dictae Ecclesiae Archipresbyterum, quos tres Legatos Papa signo Crucis benedixit et licentiauit, dans illis facultatem concedendi Indulgentiam plenariam in forma Iubilaei omnibus praesentibus, qui, habita venia a Papa, singuli aequitarunt pontificaliter ad suas Ecclesias associati a multis Nobilibus, et suis familiaribus aequitantibus, et discesserunt antequam Papa paramenta acciperet.

Ex Diaris scriptis manu propria D. Pauli Alaleonis SS. D. N. Caeremoniarum Magistri incipien. a die 15. Augusti 1599. usque ad 12. Februarii 1612. pag. 145. f. 2.

Dominica infra Octavam SS̄ni Corporis Christi die 24. Iunii 1601. in festo S. Ioannis Baptistae fuit Cappella in Ecclesia S. Ioannis Lateranen., ad quam Papa venit in lectica vectus discedens a Monte Quirinali, et, facta Scala Sancta, dixit Missam lectam in Altari SS̄ni Sacramenti ab ipso constructo, de quo Altari fuit transportatum Sanctissimum Sacramentum ad Cappellam bo. me. Cardinalis Lancellotti; dicta Missa, Papa ivit ad cameram Paramentorum, ubi Cardinales illum expectabant, et accepta falda, fuit a Cardinalibus duobus Diaconis Assistantibus paratus amictu, alba, cingulo, stola, pluviali albo cum Formali, et Mitra pretiosis, et delatus in sede venit ad Cappellam, et Missam cantavit cum unica Oratione tantum absque commemoratione Dominicae, et Octavae in Paramentis albis cum *Credo etc.* Ill̄mus D. Cardinalis de Terranova Vice-Archipresbyter dictae Basilicae Lateranen. supra Altare maius cum Bulla dispensae, Papa praesente, et praesentibus trigintaquatuor Cardinalibus cum cappis rubeis de camelotto, undecim Episcopis assistentibus, Gubernatore Urbis, Oratoribus Venetiarum, et Sabaudiae, Auditore Camerae, tribus Episcopis, sex Protonotariis, Praeceptore S. Spiritus, caeterisque solitis Praelatis. Diaconi Cardinales assistentes fuerunt Ill̄ni DD. Cardinales Sfortia, et Farnesius: Presbyter Cardinalis assistens fuit Ill̄mus D. Salvatus. Indulgentia fuit annorum XXV., et totidem quadragenarum. In Missa alia ut de more; absoluta Missa, Papa rediit ad Cameram Paramentorum in Palatio Lateranen., facta oratione ante SS. Sacramentum, prout fecit quando venit. Die 4. Decembris 1649.

1615. CASSANEN.

Antonius Albertus Canonicus Theologus Cathedralis humiliter declarari petiit a C. S. R.

praeposita : an Canonicus Cathedralis , ob aeris intemperiem , vel aliam iustam causam residens in aliquo Oppido eiusdem Dioecesis , praecedere possit Archipresbytero Curato , et aliis Sacerdotibus in Processionibus , in cantandis Vesperis , Missis , et Antiphonis in festis solemnibus , et in aliis publicis functionibus ?

Et Em̃i PP. responderunt : « Canonicum praedictum non habere locum , nisi in Ecclesia propria. » Die 19. Martii 1650.

1616. OSCEN.

Cum alias sub die 11. Augusti 1646. C. S. R. praeposita declaraverit , manus distribuendi Candelas , Cineres , et Palmas spectare ad Decanum primam Dignitatem , et , eo absente , ad secundam : iterum supplicatum fuit declarari idem servandum esse pro tertia , et pro singulis Dignitatibus inferioribus gradatim usque ad ultimam inclusive.

Et Em̃i PP. , referente Em̃o Cardinali Sacchetto censuerunt ; « Praedictam declarationem pro qualibet Dignitate gradatim locum habere , ut petitur. » Die 9. Iulii 1650.

1617. SPOLETANA.

Pluries a Monachis Coelestinis controversus fuit accessus ad publicas Processiones , quamvis Canonici Matricis Collegiatae Ecclesiae Terrae Nursiae illum ab eis saepe postulaverint , praetendentibus se esse exemptos ex Privilegiis Apostolicis diversis temporibus sibi concessis.

C. S. R. praeposita proinde consulta , inhaerendo *Decretis Sac. Concilii Tridentini* , utraque parte audita , referente Em̃o D. Cardinali Rondanino , censuit : « Eisdem Monachos opportunis iuris remediis compellendos esse , ut ad praedictas Processiones accedant , nec inde recedant , nisi prius benedictione de more impertita. » Die 9. Iulii 1650.

1618. ASSISIEN.

Ortae fuerunt multis abhinc annis controversiae inter Hieronymum Puccium Priorem Cathedralis , et Canonicos praetendentes ipsum Priorem habitum Praelatitium non posse deferre tam in Choro , quam in aliis Ecclesiasticis functionibus , et lucrari quotidianas distributiones. Cum vero idem Prior simplex institerit in C. S. R. praeposita , se primam , et unicam Dignitatem obtinere post Episcopalem , et Protonotariatus Apostolici , non tamen de numero Participantium honore praefulgere , praedictoque habitu et ipsum , eiusque Praedecessores usos fuisse , ideoque sibi etiam competere.

Em̃i PP. , re mature discussa , partibus hinc

inde pluries auditis , referente Em̃o D. Cardinali Pallotto , censuerunt : « Praedicto Priori Cathedralis Assisien. , cum sit prima Dignitas , quatenus sit Protonotarius , licere uti habitu Praelatitio Protonotarii , et lucrari distributiones. » Die 6. Augusti 1650.

1619. DUBIUM.

Nonnulli Canonici Concionatores humiliter institerunt apud C. S. R. praepositam decerni , quo habitu uti debeat Canonicus alicuius Cathedralis , vel Collegiatae insignis , dum concionem habet in aliqua Ecclesia intra tamen Dioecesim , cum videatur ex praescripto *sacri Caeremonialis* , posse uti habitu , qui fuerit in ea Ecclesia proprius Canonicorum.

Et Em̃i PP. responderunt : « Non licere uti habitu canonicali , nisi in propria Ecclesia , ubi est Canonicus. » Die 10. Septembris 1650.

1620. VIGILIEN.

Episcopus , Dignitates , et Canonici Cathedralis supplicarunt C. S. R. praepositae declarari ; ubi , et quomodo incedere debeant Cantores in Processionibus SS. Corporis Christi , aliisque solemnibus ?

Et Em̃i PP. responderunt : « Servandum esse Caeremoniale Episcoporum in cap. 2. lib. 1. et alibi , eosque cotta indutos tunc incedere debere. » Die 8. Octobris 1650.

1621. HIPPOREGIEN.

Exposuit Episcopus C. S. R. praepositae civitatem Hipporegiensem multis abhinc annis voto publico se obstrinxisse servare nonnulla festa cum Vigilia , et peragere Processiones , quod *de anno 1631.* ab Episcopo Praedecessore confirmatum fuit , eo adiecto , ut ad ea teneantur etiam Successores , licet votum non emiserint. Cum autem eadem S. C. quoad festa alias declaraverit ex dispositione *Constitutionis S. M. Urbani VIII.* super his editae , *Voventes tantum obstringi* , institit etiam declarari : an eorum Successores votum obliget quoad Vigilias , et Processiones saltem ex vi praecepti ?

Et Em̃i PP. « Negative » responderunt. Die 19. Novembris 1650.

1622. CASSANEN.

Cum alias C. S. R. praeposita de anno 1633. , ad relationem Em̃i D. Card. Sacchetti in controversia orta inter Archidiaconum Cathedralis Ecclesiae Cassanen. , et Cantorem declaraverit.

1. « Capitulares de Choro exire volentes ab Archidiacono prima Dignitate , et , eo absente , a digniori , ordine successivo , veniam petere debere. »

2. « Tabellam , in qua describi debeat per quos exercendae sint functiones ecclesiasticae per tur-

num, ab Archidiacono praescribendam, et ordinandam esse; ad Cantorem vero spectare Chori directionem, iuxta praescriptum in tabella.»

3. «Eiusdem Archidiaconi munus esse dare signum pro inchoando Officio Divino, et antequam signum detur pro discessu a Choro, nulli de Capitulo exire licere.»

Modo autem huiusmodi controversia denuo excitata, cum modernus Cantor praedictis Decretis acquiescere noluerit: eadem S. Cong. utraque parte informante, ac eodem Eñõ D. Card. Sacchetto referente, decrevit.

Quoad 1. et 3. «Standum esse in Decretis.»

Quoad 2. «Tabellam subscribendam esse ab utroque, si ambo adfuerint, sin minus a praesente.» Die 11. Martii 1651.

1623.

CESENATEN.

Supplicatum fuit C. S. R. praepositae a Francisco Laneetto Canonico Cathedralis Ecclesiae Cesenaten., et Pro-Vicario Generali, ut declarare dignaretur sibi praecedentiam competere tam in choro, quam extra supra Dignitates, et Canonicos.

Et Eñi PP. responderunt: «Pro-Vicarium generalem semper, et ubique praecedere debere Dignitatibus, et Canonicis, non tamen sacris vestibus indutis: in choro autem distributiones non lucrari, nisi sedeat in suo stallo.» Die 28. Martii 1651.

1624.

ANAGNINA.

Episcopus Anagninae conquestus fuit cum C. S. R. praeposita, Gubernatore, et Magistratum illius Civitatis renuere in Ecclesia Cathedrali Missis solemnibus, aliisque functionibus ecclesiasticis interesse; quod cum absonum prorsus videatur consuetudini aliorum quorumcumque locorum, ipsique Caeremoniali Episcoporum:

Eñis PP. visum fuit, iuxta decreta alias lata, declarari: «Magistratum teneri ad accedendum ad Ecclesiam Cathedralis in solemnibus festivitibus.» Die 20. Maii 1651.

1625.

CAMERINEN.

Antonius Tranquillus Presbyter, cuius professionem olim in Ordine Minorum Conventualium S. Francisci emissam Eñi PP. consultationibus Episcoporum, et Regularium praepositi nullam esse (ut praesupponitur) censuerunt, humillime supplicavit C. S. R. praepositae declarari, sibi praecedentiam deberi a die suae promotionis ad Presbyteratum, cum eam cedere nolint, nisi qui ordinati sunt postea quam ipse ad saeculum rediit.

Et Eñi PP. responderunt: «praecedentiam deberi etiam in casu proposito, iuxta tempus

promotionis ad Presbyteratum, quatenus alius titulus in quaestionem positus non fuerit.» Die 20. Maii 1651.

1626.

CAPUANA.

Capitulum, et Canonici Cathedralis habentes ex indulto Apostolico usum cappae, et rocchetti tam in eorum, quam in quibuslibet aliis Ecclesiis, in functionibus, ac Divinis Officiis, supplicarunt humiliter C. S. R. praepositae declarari, se illis uti posse etiam in aliis Ecclesiis, dum conciones habent, vel ab eis Poenitentiae, aut Baptismatis Sacramenta ministrantur, et in aliis similibus functionibus.

Eñi vero PP. responderunt: «id eis non licere, nisi in propria Ecclesia.» Die 15. Iulii 1651.

1627.

URBIS.

Frater Ioannes Augustinus a S. Angelo Definitor Generalis Ordinis Carmelitarum supplicavit C. S. R. praepositae declarari sequentia Dubia.

1. An stante Decreto eiusdem S. C. sub die 28. Augusti 1627., quod in diebus, quibus prohibetur fieri de festo duplici, non possint dici Missae votivae, neque de requie; in vigilia Pentecostes, ommissa solemnibus Missa de eadem, a qua dictum festum incipit, possit cantari Missa de Beata Virgine?

2. An Regulares, qui utuntur Missali Romano in celebratione Missarum tam privatarum, quam solemnium, ritus in Missali praescriptos immutare possint addendo, vel minuendo aliqua, seu ritus alios subrogando in Choro, aut in Altari sub alicuius antiquae consuetudinis praetextu; an potius omnia in eodem Missali, et Caeremoniali praeepta ad unguem, sine ulla additione, diminutione, vel immutatione servare debeant?

3. An, quando Missa canitur sine Ministris, thurificari possit tam Altare, quam Chorus, ut alias fit, quando Ministri adsunt?

4. An, sub illis verbis, quibus Summi Pontifices Clemens VIII., et SS. D. N. Innocentius X. in suis Constitutionibus utuntur Caeremoniale Episcoporum approbantes, et observari mandantes ab omnibus, et singulis Personis, ad quas spectat, et in futurum spectabit; Regulares, qui ritum Romanum in Officio Divino, et Missa sequuntur, comprehendantur, adeo ut etiam ipsi ad praescriptum eiusdem Caeremonialis omnia peragere, et praestare debeant?

5. An regularium Caeremonialia, quae praedicto Episcoporum Caeremoniali in aliquibus conformia non sunt, pariter prohibeantur?

6. An, quando SS. Eucharistiae Sacramentum publice discoopertum exponitur, omnes ante illud

transeuntes cuiusvis conditionis, et ordinis sint, seu ad illud accedentes, et ab eodem recedentes, semper utrumque genuflectere debeant?

Super quibus EE. PP., referente Eñõ D. Card. Cornelio, responderunt, ut infra.

Ad 1. « Negative iuxta Rubricas. »

Ad 2. « Nihil addi, minui, vel immutari posse, sed omnia in eodem Missali, et Caeremoniali praescripta ad unguem servanda esse. »

Ad 3. « Negative. »

Ad 4. « Affirmative, nisi aliter fuerit a Sede Apostolica specialiter indultum. »

Ad 5. « Ut ad proximum. »

Ad 6. « Affirmative. » Die 19. Aug. 1651.

1628. URBIS.

Commissum fuit R. P. D. Secretario alloqui Eñõm D. Card. Ginnettum Vicarium, ut curet, ne in posterum celebretur festum Transitus *S. Ioseph* die 20. Iulii, cum eadem die obierit *Ioseph Iustus*, qui ad Apostolatam cucurrit cum *Matthia*. Die 29. Augusti 1651.

1629. MONTIS VIRGINIS.

Monachi Religiosi Montis Virginis, cuius Abbatibus Pontificalia exercitibus cum mitra permittitur etiam usus bireti presbyteralis, humiliter exposuerunt C. S. R. praepositae Donnum Innocentium Rotanellum Monachum eiusdem Religionis nuper assumpsisse usum dicti bireti etiam in Missis privatis sub praetextu, quod sit Sacrae Theologiae Doctor, supplicante proinde declarari: an id facere possit?

Et Eñi PP. responderunt: « id ei non licere. » Die 23. Septembris 1651.

1630. OSCEN.

Praepositus, et aliae Dignitates Cathedralis, cum ante distributionem candelarum, cineris, et palmarum fieri solitam a Canonico parato cum Pluviali, hactenus servatum fuerit, ut Decanus illa porrigat Canonico parato, et mox ab eo recipiat, supplicarunt C. S. R. praepositae declarari: an, ipso Decano absente, vel defuncto, eadem functio praebendi candelam, cineres, et palmas praedicto Canonico, spectet ad secundam Dignitatem Praeposituram nuncupatam, et in eius defectum ad reliquas Dignitates gradatim, vel potius ad Canonicum antiquiorem vices Decani gerentem in praesidentia Capituli?

Et Eñi PP. responderunt: « Huiusmodi functionem spectare ad secundam, ac deinde ad reliquas Dignitates gradatim. » Die 23. Sept. 1651.

1631. AQUILANA.

Mutius Phaebonius Vicarius Capitularis supplex instituit in C. S. R. praeposita declarari: an

sibi competat praecedentia in ecclesiasticis functionibus, et in Choro supra Archidiaconum, Dignitates, et Canonicos Ecclesiae Cathedralis?

Et EE. PP. responderunt: « Affirmative: si vero sit Canonicus, non gaudere distributionibus. » Die 2. Martii 1652.

1632. CONSTANTIEN.

Cum in Episcopatu Constantien., durantibus bellis, plures Ecclesiae, et Altaria fuerint prophanata, Episcopus, ut, et facilius reconciliari, et consecrari possint, suppliciter instituit in C.S.R. praeposita declarari.

1. An post prandium possint fieri eiusmodi Reconciliationes, et Consecrationes, quas Pontificale Romanum vult fieri ante prandium, et ieiunii?

2. Ubi de alia pollutione Altaris non constet, quam per solam violationem Sepulcri; utrum sufficiat reponere Reliquias in sepulcra: an vero necessaria sit unctio, et aliae Caeremoniae?

3. Utrum haec repositio Reliquiarum in sepulcra possit fieri ab alio, quam Episcopo?

Et Eñi PP. ad 1. et 2. « Servari Pontificale Romanum. »

Ad 3. responderunt: « Negative. » Die 2. Martii 1652.

1633. MAIORICEN.

Orta controversia inter Episcopum, Dignitates, et Canonicos Cathedralis Maioricen. num, quando Episcopus invitatus in aliquibus festis, quae infra annum in Ecclesiis civitatis celebrantur, in habitu ordinario inceden. populo solemniter benedicat, ipsae Dignitates, et Canonici etiam invitati cum eorum pariter habitu ordinario incedentes, genuflectere teneantur, eumque ab eisdem Ecclesiis discendentem usque ad rhedam associare? Introductaque causa in C. S. R. praeposita, ac mature discussa.

Eñi PP., referente Eñõ D. Card. Rondanino, decreverunt: « Praefatas Dignitates, et Canonicos non esse cogendos, nec teneri ad praedictam Episcopi benedictionem genuflectere, nec Episcopum extra Cathedralis ab alia Ecclesia discendentem, usque ad rhedam associare. » Die 2. Martii 1652.

1634. NOVOCOMEN.

Orta controversia inter Archipresbyterum, et Canonicos Collegiatae Ecclesiae SS. Gervasii, et Protasii de Sondrio in Valtellina Novocomen. Dioecesis: an, Archipresbytero absente, vel impedito, liceat eius coadiutori quandoque celebrare Missas?

Et Eñi PP. C. S. R. praepositi, referente Eñõ D. Card. Franciotto, responderunt: « Coadiutori

licere, absente, vel impedito Coadiuto, celebrare, et impediti non posse. » Die 2. Martii 1652.

1635.

TURRITANA.

Pro parte Decani, et Canonicorum Cathedralis Ecclesiae Turritanae C. S. R. praepositae supplicatum fuit declarari: an directio Chori in defectum Cantoris, qui in eadem Cathedrali non habetur, privative spectet ad Vicarium Generalem in habitu Vicariali incedentem?

Et Emi PP. « Ad digniorem Chori spectare, et pertinere, » responderunt, « non autem ad Vicarium Generalem. » Die 2. Martii 1652.

1636.

PISAUREN.

Rector Ecclesiae S. Cassiani supplicavit committi Episcopo Pisauren., ut observari praecipiat Patribus Carmelitis, et aliis Regularibus suae Parochialis Decreta S. R. C. super modo faciendi Processiones.

Et Emi PP. responderunt: « servanda esse Decreta alias edita ab eadem S. C., et signanter sub die 26. Februarii 1628., ut in Ecclesiis scilicet: habentibus claustrum Processiones fieri non possint, nisi intra claustra tantum, et non extra; in Ecclesiis vero carentibus claustro fieri possint infra ambitum, hoc est, prope muros Ecclesiae, sive exeundo a ianua Ecclesiae, et intrando per aliam, sive per eandem, et semper prope muros Ecclesiae. Extra vero ambitum Ecclesiae non licere Regularibus, neque Confraternitatibus facere Processiones, nisi de licentia, consensu, aut cum Cruce Parochi, exceptis tamen illis Ecclesiis, quae habent in hoc speciale privilegium faciendi Processiones per alia loca, quibus per hoc Decretum S. C. non intendit praeiudicare. » Et ita etiam iidem Emi PP. observari mandarunt. Hac die 20. Apr. 1652.

1637.

COMEN.

Cum *Caeremoniale lib. primo cap. 26. de splendendis vicibus* disponat. quod in defectum primae Dignitatis, seu alterius Ministri deficientis, admittatur ille, qui immediate post ipsos succedit, eisque proximior in ordine existit:

Sac. Rit. Congregatio ad supplicationem Theologi Collegiatae S. Martini de Ponte instante: an ad ipsum, deficiente Praeposito, pertineat eius vices supplere? Respondit; « in hoc servanda esse Caeremonialis praescripta. » Die 11. Maii 1652.

1638.

COTRONEN.

Dignitates, et Canonici Ecclesiae Cathedralis supplicarunt S. R. C. quatenus dignaretur confirmare, et declarare: an in egrediendo a Sacristia pro celebratione Missarum teneantur servare

ordinem, ut primo egrediantur Presbyteri, postmodum Canonici, et ultimo Dignitates?

Et S. C. censuit: « Servandum esse Caeremoniale. » Die 11. Maii 1652.

1639.

MONOPOLITANA.

Cum Dignitates Ecclesiae Cathedralis institerint pro declaratione: an in Processionibus, in quibus per ipsas defertur SS. Sacramentum, dum contingit illud poni super Altaribus, quae eriguntur per viam, oportet dare Populo benedictionem ante eadem Altaria Parochis, vel Regularibus ea erigentibus, an potius ipsismet Dignitatibus?

S. R. Cong. censuit: « In hoc servanda esse Caeremonialis praescripta, et semel tantum enlargendam esse populo benedictionem in fine Processionis. » Die 11. Maii 1652.

1640.

MONOPOLITANA.

Archipresbyter Cathedralis supplicavit declarari: an Episcopus possit committere Canonicis benedictionem Fontis in Sabbato Sancto in praeiudicium ipsius Oratoris, ad quem spectat istud munus virtute Decretorum, et Constitutionum Synodaliurum?

Et Emi PP. S. R. C. praepositi responderunt: « Servandum esse Caeremoniale. » Die 11. Maii 1652.

1641.

VALENTINA PRAEEMINENTIARUM.

Referente Emi D. Cardinali Rondonano controversias de novo excitatas inter Archiepiscopum, Capitulum, et Canonicos Metropolitanae Valentiae ex una, et Praepositos eiusdem Ecclesiae ex altera, qui tamquam facientes unum corpus cum Canonicis ad omnes, praeterquam capitulares actus, ex Decreto S. R. Cong. sub die 3. Augusti 1641., admittuntur.

1. Quaesitum fuit: an Crux Archiepiscopalis inter moderniores Canonicos deferri solita, sit inter moderniores Praepositos deferenda?

2. An Praepositi admittendi sint, aequae ac Canonici, ad osculum manus novi Archiepiscopi, dum primo Ecclesiam ingreditur?

3. An quando Archiepiscopus habet Ordinationes, Praepositi tractari debeant ab eodem Archiepiscopo, sicuti tractantur Canonici?

Eadem S. R. C. respondit: Ad 1. « Crucem Archiepiscopalem inter moderniores Praepositos esse deferendam. »

Ad 2. « Praepositos admittendos esse ad osculum manus, non secus ac Canonici. »

Ad 3. « In collatione Ordinum tractandos esse eodem modo, quo Canonici. » Die 11. Maii 1652.

1642.

MELITEN.

Archidiaconus Cathedralis (institit) pro declaratione.

1. An Vicarius generalis in Choro sedere debeat in stallo primae, aut aliarum Dignitatum ?

2. An Dignitates, seu Canonici, quando celebrant Missas, seu canunt Vesperas, possint habere scamnum coopertum aliquo panno ?

3. An ipse Archidiaconus debeat praecedere Archipresbyteros Terrae Pizzi, quando Archipresbyter non est paratus ?

Et S. R. C. quoad 1. respondit : « Episcopo pro informatione. »

Ad 2. « Servetur Caeremoniale. »

Ad 3. « Citetur pars. » Die 8. Junii 1652.

1643. RAGUSINA.

Confraternitas Sacerdotum, et laicorum sub titulo Cathedralis S. Petri in Ecclesia Metropolitana Ragusina solita a tempore antiquissimo singulis anni diebus celebrare, seu etiam cantare in aurora unam Missam de requie; stante prohibitione sibi super hoc facta ab Archiepiscopo pro diebus festis, in quibus *Rubricae Missalis Romani* obsistere videntur, supplicavit Sac. Rit. Congreg. pro licentia continuandi in dicto antiquo solito.

Et S. C. « licentiam petitam concessit celebrandi, seu cantandi quotidie per totum annum dictam Missam de Requie, ut in simili de Missa votiva B. Mariae indultum fuit pro Ecclesia Vallisoleana, exceptis tamen infrascriptis diebus, videlicet, Dominica prima Adventus, diebus Nativitatis Domini, et Epiphaniae, fer. 4. Cinerum, Dominica prima Quadragesimae, Dominica Palmarum cum tota hebdomada maiori, Dominica Resurrectionis cum duobus diebus sequentibus, die Ascensionis, die Corporis Domini, die Assumptionis Beatae Mariae, et dummodo ultra dictam Missam votivam, celebretur etiam Conventualis. » Die 13. Julii 1652.

1644. DREPANEN.

Archipresbyter, et Clerus Cathedralis quaesierunt: an in 2. 3. et 4. feria maioris hebdomadae, quando exponitur in Ecclesia SS. Sacramentum, uti debeant Presbyteri indumentis albis, seu violaceis, et an illis diebus celebrari debeat Missa SS. Sacramenti ?

Et Em̃i PP. Sacris Ritibus praepositi mandarunt, « servari Rubricas. » Die 3. Aug. 1652.

1645. ASTEN.

Pro parte Capituli Cathedralis expositum fuit, quod Episcopus cum assistentia Canonice Collegiata Ecclesiae S. Secundi canit Missam solemnem in die festivitatis eiusdem Sancti; et ideo quaesitum fuit; an sine praeiudicio sui iuris possit idem Capitulum permittere, ut a Capitulo Colle-

giatae dictae Ecclesiae cantetur altera Missa eiusdem Sancti ?

Et S. R. C. respondit : « non licere eodem die canere (alteram) Missam eiusdem Sancti. » Die 3. Augusti 1652.

1646. MAIORICEN.

Cum Canonici Ecclesiae Cathedralis institerint pro declaratione *Decreti emanati* die 2. Martii 1652. super controversia orta inter Episcopum, et ipsos Canonicos super genuflexione tam intra, quam extra Cathedralis ad solemnem benedictionem Episcopi, et associatione usque ad rhedam, quando Episcopus discedit ab aliis Ecclesiis extra Cathedralis.

Et Em̃i PP. Sacris Ritibus praepositi, proponente Em̃o Domino Cardinali Rondanino, declararunt, et, quatenus opus sit, ita denuo decreverunt.

« Canonicos non esse cogendos ad genuflectendum nec tam intra, nec tam extra Ecclesiam Cathedralis ad benedictionem solemnem Episcopi, nec teneri illum associare usque ad rhedam discedentem ab aliis Ecclesiis extra Cathedralis. » Die 3. Augusti 1652.

1647. MEDIOLANEN.

Praepositus Ecclesiae Collegiatae S. Laurentii Maioris, qui cum assistentia Canonice Collegiatae SS. Nazarii, et Celsi canit Missam solemnem in die eorum festivitatis, supplicavit declarari: an Rector praedictae Ecclesiae possit immediate post Missam Praepositi canere alteram Missam eorumdem Sanctorum ?

Et S. R. C. respondit, « non licere canere eadem die alteram Missam eorumdem Sanctorum. » Die 3. Augusti 1652.

1648. REGIEN.

Capitulum Cathedralis supplicavit declarari: an, absente Archiepiscopo, Concionator debeat prius salutare Piores, et Magistratum Civitatis, an ipsum Capitulum? exponendo, quod interim Archiepiscopus mandavit, Concionatorem neutrum ex illis salutare debere.

Et S. C. respondit: « servandum esse Decretum Archiepiscopi. » Die 3. Augusti 1652.

1649. CATAEN.

Ad instantiam Decani Cathedralis, quaesitum fuit: an debeant prius thurificari adstantes in parte chori, in qua adest Hebdomadarius, an vero Dignitates ?

Et S. R. C. censuit: « in hoc servandum esse Caeremoniale. » Die 24. Augusti 1652.

1650. MAIORICEN. CAEREMONIARUM.

Pro parte Episcopi Maioricen. supplicatum fuit

declarari, Canonicos teneri observare Caeremoniale quoad infrascripta.

1. Dicere confessionem post concionem, ut ipse dare possit Populo benedictionem.

2. Recipere ipsum Episcopum venientem ad Ecclesiam ad Pontificalia exercenda.

3. Accedere usque ad cameram illius ad recipiendum ipsum Episcopum venientem ad Ecclesiam in diebus solemnibus, associare, et reducere usque ad eandem cameram.

4. Digniore ipsi porrigere aspersionem ingredienti Ecclesiam.

5. Ponere ipsum in Processionibus inter Presbyterum, et Diaconum, et inter duos choros canonicorum.

6. Stare circa ipsum Episcopum, dum sacris parentibus induitur tam pro Missa Pontificali, quam Processionibus.

Et eadem S. R. C. mandavit « servari Caeremoniale in omnibus, praeter 2., et 3., in quibus, *mandavit*, interim servari solitum, » et concessit literas remissoriales ad probandam (usum) immemorabilem in omnibus. Die 28. Sept. 1652.

1651. MINERBIEN.

Ad instantiam Episcopi fuit declaratum: Protonotarios Apostolicos non participantes non posse circa pileum gestare cingulum, nec spineam violacei coloris. » Die 28. Sept. 1652.

1652. SIPONTINA.

Vicarius generalis S. R. C. per suas literas exposuit, quatenus novus Provincialis Ordinis Minorum Conventualium, interveniendo sermone in honorem S. Antonii de Padua in Ecclesia sui Ordinis habito, sedem cum tapeto paratam ascendit, et genuflexorio similiter parato usus fuit; unde supplicavit declarari praefata ipsi Provinciali non licere, ac proinde non esse permittenda.

Et S. Cong. « commisit mihi Secretario, ut oretenus Generalem Ordinis admonerem, quod ipse mandat Provinciale de caetero a praedictis abstinere, » prout admonui. Die 28. Septembris 1652.

1653. DECRETUM.

In hac Congregatione propositum etiam fuit. An Ritus, qui servatur a PP. Societatis Iesu praesertim in celebratione Missarum, et Vesperarum solemnium, sit conformis Ritui Ecclesiae Romanae? et pro resolutione fuit deputata particularis Congregatio cum interventu Emorum Cardinalium Cornelii Praefecti, et Franciotti Secretarii, et Francisci Mariae Febaei Magistri caeremoniarum: et interim eadem S. C. commisit mihi Secretario, ut oretenus admonerem Praepositum

generalem Societ. Iesu ad exhibendum quicquid habet relevans pro fundamento sui ritus, prout admonui eadem die 28. Septembris 1652.

Die Mercurii 2. Octobris 1652. hora 21. fuit habita particularis S. R. C. in Palatio Emi D. Cardinalis Cornelii Praefecti, cui interfuere etc.

In hac particulari Congregatione fuit tantum extensa formula Decreti in Congregatione ordinaria examinandi pro resolutione totius negotii circa ritus, qui servantur a PP. Societ. Iesu, et ulterius fuit extensa formula Decreti generalis pro observatione Indultorum Sedis Apostolicae super festis Beatorum sine Octava celebrandis ab eadem pariter Congregatione approban.

Die 5. Octobris 1652.

In hac congregatione resolutum fuit ab EE. PP., si SS. D. N. placuerit, « etiam Regulares cuiuscumque Ordinis, et Instituti, etiam Societatis Iesu teneri in Missis solemnibus adhibere Diaconum, et Subdiaconum, et in Vesperis Sacerdotem Pluviali indutum, ac in reliquis omnibus praefatos teneri exacte observare Rituale, Caeremoniale, et Rubricas Missalis Romani, et per simile Decretum non esse a praedictis celebranda festa Beatorum cum Octava, nisi hoc expresse Sedes Apostolica illis indulserit. »

1654. DECRETUM.

S. R. C. hac die 5. Octobris 1652. censuit, et declaravit, si SS. D. N. placuerit, « non potuisse, nec posse tam Saeculares, quam Regulares, cuiuscumque Ordinis, et Instituti etiam Societatis Iesu excedere limites verbales Indultorum Sedis Apostolicae super Beatificationibus, praesertim in celebratione Missarum, et Officii cum Octavis, nisi hoc expresse Sedes Apostolica eis indulserit. » Et facta resolutione per Emum D. Cardinalem Cornelium Episcopum Albanen. Die 16. Decembris 1652., Sanctitas Sua approbavit, et sic, ut praemittitur, observari mandavit.

1655. N.

Fr. Bonaventura Feltren. Ordinis Minor. Observant. supplicavit pro licentia erigendi Altaria ad honorem septem Gaudiorum B. M. V., et imprimendi in Officio parvo eiusdem B. M. hymnum eorumdem Gaudiorum.

Et S. R. Cong. rescripsit: « Lectum. » Die 12. Decembris 1652.

1656. PARMEN.

Pro parte Ecclesiasticorum Dioecesis supplicatum fuit declarari: an in die S. Marci Evangelistae, in quo dicuntur Litaniae, Missa celebrata in Ecclesia rurali Processionem Litaniarum, eadem Missa debeat esse de eodem S. Marco?

Et S. C. respondit: « servandas esse Rubricas Missalis Romani. » Die 12. Decem. 1652.

1657. EUGUBINA.

Ad instantiam Capituli, et Canonicorum Cathedralis Ecclesiae supplicatum fuit declarari: an liceat Clero eiusdem Civitatis in Processionibus particularem deferre Crucem?

Et S. R. C., referente Eñõ, et Rñõ D. Cardinali Franciotto, declaravit: « servandam esse dispositionem Caeremonialis in cap. 33. lib. 2. » Die 18. Ian. 1653.

1658. LAUDEN.

Ad instantiam Capituli, et Canonicorum Cathedralis expositum fuit: 1. in Processionibus fieri solitis in die S. Marci, et Rogationum adesse consuetudinem visitandi Ecclesias Civitatis, et in qualibet earum recitandi Orationem propriam illius Sancti, cui dicata est, per unum ex ipsis Canonicis Cathedralis, incipiendo ab antiquioribus, et gradatim descendendo, et post eos per Praepositum, et Canonicos Collegiatae S. Laurentii, et hunc ordinem servari etiam in ipsa Ecclesia S. Laurentii.

2. Quod in associandis cadaveribus defunctorum a Capitulo Cathedralis una cum Capitulo praedictae Collegiatae solitum sit deferri Pluviale a Praeposito Cathedralis tantum.

3. Adesse consuetudinem, quod in praedictis Processionibus Episcopo ingredienti praedictas Ecclesias, atque etiam eandem Collegiatam S. Laurentii, porrigatur Aspersionum a prima Dignitate Cathedralis, et supplicatum fuit declarari, servandas esse praedictas consuetudines.

Et S. R. C., referente Eñõ, et Rñõ D. Cardinali Aldobrandino, quoad 1. respondit, « affirmative. »

Quoad 2. « dilata. »

Quoad 3. « Aspersionum debere porrigi per digniorem ex Capitulo Cathedralis, quando capitulariter, et cum indumentis canonicalibus proceditur. » Die 18. Ianuarii 1653.

1659. MELITEN.

Archidiaconus Cathedralis supplicavit declarari: an Episcopus in Processione Corporis Christi in sella portatili degens possit deferre SS. Sacramentum?

Et S. C. rescripsit Episcopo, « non posse, » ut in Regesto Literarum. Die 18. Ian. 1653.

Tenor vero indicatae Epistolae est, ut sequitur: Rñõ D. uti Frater: a Persona iurisdictioni Amplitudinis Tuae subiecta supplicatum fuit declarari a S. R. C.: an Episcopus in Processione Corporis Christi possit SS. Eucharistia Sacramen-

tum in sede portatili deferre? et EE. Patres Congregationis existimarunt, nulla opus esse responsione, quia notorium est hoc numquam licuisse, vel licere. Licet autem iidem EE. Patres non credant hunc casum in tua Ecclesia umquam accidisse, nihilominus de praefatis Amplitudinem tuam pro inviolabili observantia certior fieri voluerunt, quod ego praesentibus exequendo, Amplitudinem Tuam bene valere ex animo cupio. Romae etc.

1660. LALLIEN.

Episcopus exposuit S. R. C., quod in defectum Ecclesiae Cathedralis, in qua construitur nova fabrica, pro habendis concionibus tempore Adventus, fuit subrogata de consensu etiam Capituli Ecclesiae S. Francisci Minorum Conventualium, in qua, dum ipse concioni interest cum cappa, Canonici recusarunt assistere, ut solent in Cathedrali, et supplicavit declarari: an teneantur?

Et eadem S. C. censuit, et declaravit, « Canonicos teneri assistere cum eorum habitu canonicali. » Die 22. Mart. 1653.

1661. PISAUREN.

In causa inter Episcopum, et Canonicos Cathedralis, referente Eñõ, et Rñõ D. Card. Franciotto pro Eñõ D. Card. Pallotto, et S. Cong., partibus auditis, censuit: « Canonicos in eorum habitu Ecclesiastico, sed Canonicali, teneri Episcopum cappa indutum per eam viam, et ex aula, seu camera, quam ad hoc ipse singulis vicibus destinaverit, ad Ecclesiam procedentem comitari, atque deducere, et ad easdem, sicut dictum est, destinatas respective reducere; quod si in Sacristia, vel alio in loco Episcopus cappam deponat, data benedictione Canonicis, dimittat; si vero Episcopus a Choro discedat, non expletis Divinis Officiis, duo saltem Canonici ea adimpleant, quae supra decreta sunt. » Die 22. Martii 1653.

1662. PLACENTINA.

Cum S. R. Cong. sub die 21. Augusti 1649. decreverit: « Dignitates Cathedralis habentes Canonicatus, seu Praebendas Diaconales, seu Subdiaconales, onera Canonicatibus adnexa subire debere. » Modo ad instantiam Praepositi, Archidiaconi, Archipresbyteri eiusdem Cathedralis supplicatum fuit declarari, ipsos, qui habent praebendas perpetuo unitas, non comprehendi in supradicto Decreto, non teneri ad hebdomadam in turno Diaconorum. Et eadem S. C., auditis Canonicis Diaconis eiusdem Cathedralis, referente Eñõ, et Rñõ D. Card. Sacchetto, censuit, et declaravit: « dictum Decretum non comprehen-

dere praedictas Dignitates, quae habent Praebendas Diaconales perpetuo unitas, nec tales Dignitates in posterum esse apponendas in turno Diaconorum. » Die 22. Martii 1653.

1663. TUDERTINA.

Expositum fuit S. R. C. Archidiaconum Cathedralis, in defectum Em̃i et Rm̃i D. Card. Episcopi, et in defectum Prioris primae Dignitatis, benedixisse cineres, absque eo, quod prosequutus fuerit Missam, non obstante monitione Vicarii, et Canonicorum, cum tali benedictione coniungi debere Missae celebrationem: et supplicatum pro remedio.

Et eadem S. C., inhaerendo alias decretis, censuit, et declaravit: « Em̃um et Rm̃um D. Card. Episcopum posse cogere etiam per censuras, ut qui benedicit cineres, palmas, et candelas, prosequatur etiam Missam. » Die 22. Martii 1653.

1664. ARIANEN.

Ad instantiam Episcopi S. R. C. censuit, et declaravit: « Vicarium Generalem debere praecedere Archidiacono in omnibus functionibus, quando Canonici non sunt parati. » Die 10. Maii 1653.

1665. BISINIANEN.

Pro parte Capituli Cathedralis supplicatum fuit declarari: an in Ecclesia Cathedrali, in qua quotidie celebrari debet una Missa de requie, exceptis diebus festivis, possit talis Missa celebrari etiam in hebdomada maiori, infra octavas Resurrectionis Domini, Pentecostes, et Epiphaniae?

Et S. C. respondit: « servandas esse Rubricas. » Die 10. Maii 1653.

1666. EUGUBINA.

Proposita iterum per Em̃um, et Rm̃um D. Card. Franciottum controversia inter Capitulum, in Canonicos Cathedralis contra clerum eiusdem civitatis super delatione particularis Crucis praetensae ab eodem Clero.

S. R. C. censuit, citatis, et auditis partibus, « standum esse in Decretis sub die 18. Iun. 1653. pro observatione etc., et Caeremonialis lib. 2. cap. 33. » Die 10. Maii 1653.

1667. MONTIS FALISCI.

Proponente Em̃o, et Rm̃o D. Card. Sacchetto, S. R. C. ad instantiam Vicarii Generalis contra Decanum, et Sacristam censuit, ipso tantum Vicario informante: « facultatem impertiendi licentiam Capitularibus recedendi a Choro, dum ibi Divina persolvuntur, spectare ad ipsum, absente Episcopo. » Die 10. Maii 1653.

1668. NULLIUS.

Pro parte Archipresbyteri secundae Dignitatis

Ecclesiae Collegiatae Guastallae supplicatum fuit declarari: an in deficientia Praepositi primae Dignitatis, spectet ad ipsum facere functiones Episcopales, et an Praepositus, seu eius Vicarius possit illas alteri committere?

2. An ad ipsum Archipresbyterum uti Curatum, an vero ad alios Presbyteros spectet exponere SS. Sacramentum in dicta Ecclesia Collegiata, et etiam in aliis Ecclesiis Confraternitatum laicorum?

Et S. C. respondit: quoad 1. « functiones spectare ad Praepositum, et servandum, prout in Cathedrali, absente, vel impedito Episcopo. »

Ad 2. « In Ecclesia propria semper spectare ad digniorem. » Die 10. Maii 1653.

1669. PISAUREN.

Proposita iterum per Em̃um D. Cardinalem Franciottum pro Em̃o D. Cardinali Pallotto causa inter Episcopum, et Canonicos Cathedralis Ecclesiae super associatione.

S. R. C. censuit, et declaravit, « quoad associationem in accessu ad Ecclesiam, standum esse in Decretis sub die 22. Mart. proxime praeteriti; quomodo vero intelligendum sit: » si Episcopus discedit a Choro non expletis divinis Officiis respondit: « videatur particulariter; quoad reprehensionem faciendam Canonicis ob non praestita debita obsequia Episcopo; ad Em̃um D. Cardinalem Praefectum. » Die 10. Maii 1653.

1670. PLACENTINA.

Orta controversia inter Beneficiatos Cathedralis ex una, et Magistrum Cappellae, et Musicos partibus ex altera, super praecedentia servanda inter ipsos in Processionibus.

S. R. C., referente Em̃o D. Cardinali Franciotto, censuit, et declaravit: « Cantores in Processionibus debere incedere in loco Episcopo bene viso, et exinde non inferri ad praecedentiam respectu Beneficiatorum. » Die 10. Maii 1653.

1671. CORNETANA.

Pro parte Archidiaconi primae Dignitatis Cathedralis, et Praepositi secundae Dignitatis supplicatum fuit declarari: an, ipsis solemniter celebrantibus, teneantur Canonici digiores inservire pro Diacono, et Subdiacono?

Et S. C. respondit: « servandam esse dispositionem Caeremonialis. » Die 24. Maii 1653.

1672. AESINA.

Pro parte Magistri Caeremoniarum supplicatum fuit declarari: an Sacerdos, post susceptum Ordinem Prosbyteratus, possit primam Missam suo arbitrio celebrare etiam in festis duplicibus?

2. An in Octavis solemnioribus, et in duplicibus possit in Altari privilegiato celebrari Missa de Requite pro anima particularis defuncti?

Et S. R. C. respondit: « servandas esse Rubricas. » Die 24. Maii 1653.

1673. PIENTINA.

Pro parte Praepositi S. Auirici supplicatum fuit declarari, ad quem ipsorum spectet benedicere Fontem in Sabbato Sancto, celebrare Missam Fer. V. in Coena Domini, et Fer. VI. in Parasceve, et distribuere candelas in die Purificationis, an scilicet ad Praepositum primam Dignitatem, et habentem curam Animarum, an vero ad Archidiaconum?

Et S. R. Cong. respondit: « servandum esse Caeremoniale, et Rubricas. » Die 34. Maii 1653.

1674. PISAUREN.

Referente Eñõ, et Rñõ D. Cardinali Franciotti pro Eñõ, et Rñõ D. Cardinali Pallotto in causa inter Episcopum, et Canonicos Ecclesiae Cathedralis, S. R. C., partibus auditis, censuit, et declaravit: « Decretum emanatum sub die 22. Martii proxime praeteriti *in vers.* Si vero Episcopus a Choro discedat, non expletis divinis Officiis, duo saltem Canonici ea adimpleant, quae supra decreta sunt, intelligendum esse, quod si Episcopus, statim finita Missa Conventuali, ab Ecclesia discedere voluerit, nec expectare, quod Hora Sexta recitetur, ut de consuetudine Ecclesiae, finita Missa, recitari solet, vel si discedere voluerit finitis Vesperis ante Completorium, Canonicos in his casibus teneri Episcopum comitari saltem extra portam Ecclesiae, ut dicitur in Caeremoniali cap. 1. lib. 2., et postea statim redire ad Chorum ad recitandam horam Sextam, aut Completorium: » et ita in posterum eadem S. C. servari mandavit. » Die 24. Maii 1653.

1675. REGIEN.

Ad instantiam Decani Cathedralis supplicatum fuit declarari: an Missae SS. Sacramenti in die Corporis Christi, et Assumptionis B. M. V. enumerari debeant inter Episcopales?

Et S. R. C. respondit: « attendendam, et servandam esse dispositionem Caeremonialis. » Die 24. Maii 1653.

1676. SARZANEN.

Pro parte Protonotariorum non participantium loci Massae supplicatum fuit declarari: an, et quomodo ipsi debeant thurificari, quando in Divinis intersunt in Ecclesia Collegiata extra Presbyterium, in habitu Protonotarii?

Et Sac. Rit. C. respondit: « servandum esse Caeremoniale. » Die 24. Maii 1653.

1677. APRUTINA.

Ad instantiam Capituli supplicatum fuit committi Episcopo, ut prohibeat Fratribus S. Augustini sonum campanae media nocte ante diem Cinerum in signum coepti Ieiunii, cum hoc specialiter spectet ad campanam Cathedralis. « Oretenus, Episcopus ponat edictum, quod attendatur campana Cathedralis. » Die 5. Iul. 1653.

1678. LUCANA.

Propositis iterum per Eñum, et Rñum D. Cardinalem Sacchettum Controversiis ortis inter Canonicos, et Cappellanos Collegiatae Ecclesiae loci Camaioris super cantu Passionis in hebdomada maiori, delatione Reliquiarum, et Officii hebdomadarii in festis solemnibus, et declaratione alterius dubii, videlicet: quod ad Canonicum, ad quem spectat cantare Missam Conventualem in diebus Dominicis, et in aliquibus festis, iuxta usum dietae Ecclesiae, ad eundem spectet facere Officium in Vesperis, et Matutino.

S. R. C. citatis eisdem Cappellanis respondit: « Quoad tria puncta determinata die 22. Martii proxime praeteriti standum esse in decisio: *et quoad 4. de pertinentia Officii in Vesperis, et Matutino*, servandam esse dispositionem Caeremonialis. » Die 5. Iul. 1653.

Decretum, de quo supra, sequens est.

LUCANA. Post emanatum Decretum S. R. C. die 23. Septemb. 1651. super diversis controversiis inter Canonicos, et Cappellanos Collegiatae Ecclesiae Camaioris Lucanae Dioecesis, habito novo recursu ad eandem S. C. pro parte ipsorum Canonicorum.

1. Super puncto pertinentiae cantandi Passionem in maiori hebdomada.

2. Super delatione Sacrarum Reliquiarum in Processione.

3. Pro declaratione, quae sint festa solemnia, in quibus Officium hebdomadarii ad Canonicos spectare decernitur.

Eadem Sac. R. C., proponente Eñõ, et Rñõ D. Cardinali Sacchetto, censuit: « quoad cantum Passionis standum esse in Decretis pro observatione Caeremonialis. »

Quoad « Reliquiarum delationem in casu, in quo requirantur quatuor unitim, spectare ad Canonicos non paratos. »

Quoad 3. « Solemnia festa ad dictum effectum censuit, intelligi debere omnia enumerata per Caeremoniale Episcoporum in cap. de Pallio, et eius usu. » Et ita in dicta Ecclesia, et casibus praedictis servari mandavit die 22. Martii 1653.

LUCANA. Exposuerunt Canonici Collegiatae Ecclesiae Camaioris Lucanae Dioecesis, Eñum D. Cardinalem Franciottum de anno 1640. Episcopum pro bono pacis Canonicorum, et Cappellanorum eandem vocem habentium in Capitulo, Decretum tulisse super sedilibus, suffragiis ferendis super partitis proponendis in Capitulo, associatione inter ipsos, distributione candelarum, cinerum, et palmarum, denominatione, et capitulo, almutiis, et praecinatione a Canonicis paratis facienda; modernum vero Episcopum processisse ad nonnullas declarationes praedicti Edicti Eñi Franciotti: supplicantes propterea mandari praedictas declarationes servari. Et EE. PP., utraque parte informante, referente Eño D. Cardinali Sacchetto, mandarunt Decretum Eñi Franciotti quoad sedilia totaliter servari. In receptione vero candelarum, Cinerum, et Palmarum, in decantanda Passione in hebdomada maiori, in recitandis verbaliter horis Matutinis in Octava Corporis Christi, et associatione Canonicorum cum Cappellanis servari Caeremoniale Episcoporum. Quaesitum autem circa votationes in partitis ferendis, responderunt: non spectare ad hanc S. C. Reliquiarum delationem munus esse Celebrantis, et aliorum cum eo paratorum. Quo vero ad alia Decreta eiusdem Episcopi facta in visitatione die 6. Maii 1652., officium hebdomadarii peragi debere a Canonicis in solemnioribus, salva praerogativa Prioris; in aliis autem per turnum aequaliter cum Cappellanis, quibus tamen non inserviant Canonici, nisi in casu necessitatis. Circa sedem apponendam pro Canonico ubicumque cantante Missam, vel Vesperas, servari solitum, et nihil innovari, eosdemque Cappellanos teneri ad faciendam praecinationem, etiam quoad hymnos ipsi Canonico cantanti. Die 23. Sept. 1651.

1679. **CAIETANA.**

Ad instantiam Erasmi Lopez supplicatum fuit declarari: an ipsi, qui est Protonotarius Apostolicus extra numerum, liceat concionari cum habitu Praelatitio, videlicet subtana, rocchetto, et mantelletto?

Et S. R. C., proponente Eño, et Rño D. Cardinali Franciotto, respondit: » Licere. » Die 9. Aug. 1653.

1680. **LAVELLEN.**

Cum in Ecclesia Fratrum Minorum Observantiae Lavelli fuerit appositum Baldachinum a cornu Epistolae pro Principe Minerbini eiusdem Civitatis Domino, ad instantiam Episcopi supplicatum fuit Eñis PP. C. S. R. praepositis pro declaratione: an liceat ipsi Principi erigere Baldachinum?

Et eadem S. R. C. censuit, et declaravit, iuxta alias resoluta. » Non licere, atque in posterum exequi, et servari mandavit. » Die 9. Augusti 1653.

1681. **MONOPOLITANA.**

Vertente lite in S. R. C. inter duos Primicerios, qui connumerantur pro 3., et 4. Dignitate Ecclesiae Cathedralis ex una, et Canonicos eiusdem Ecclesiae partibus ex altera, super declaratione Dubii: an functiones solennes, absentibus, vel impeditis Episcopo, Archidiacono, et Archipresbytero prima, et secunda Dignitate, spectent ad ipsos Primicerios uti Dignitates proxime sequentes, an vero ad Canonicos?

Eadem S. R. C. censuit, et declaravit: » Servandam esse dispositionem Caeremonialis. » Die 9. Augusti 1653.

1682. **NUCERINA.**

Ad instantiam Priorum Magistratus supplicatum fuit declarari, Canonicos Cathedralis esse thurificandos post ipsos Priores, quando in Ecclesiis intersunt divinis Officiis sine superpelliceo, et almutia, seu eorum habitu canonicali.

Et S. R. C. respondit: » Canonicos in casu proposito non esse thurificandos. » Die 9. Augusti 1653.

1683. **TIFERNATEN.**

Ad instantiam Cleri Cathedralis supplicatum fuit declarari: an prima Dignitas, quando peragit functiones, absente, vel impedito Episcopo, possit dare tres benedictiones cum SS. Sacramento, habere mensam praeparatam ad instar eiusdem Episcopi, sedem cum tapete, Diaconum, et Subdiaconum, qui sint etiam Presbyteri? Item: an, quando eadem Dignitas in Matutinis Festorum solemnium esset induta Pluviali, et peragit functionem loco Episcopi, possit habere quatuor Presbyteros similiter indutos Pluvialibus, ac si faceret functionem, absente, vel impedito Episcopo? Et denique: an in defectum unius ex dictis quatuor Presbyteris possit committere uni Diacono, ut se induat Pluviali, an vero debeat facere functionem cum duobus Praesbyteris tantum Pluvialibus indutis, non obstante in omnibus, ut asseritur, contraria consuetudine, excepto usu sedis cum tapete?

Et S. R. C. quoad 1. 2. 3., et 4. respondit: » Primam Dignitatem non posse uti dictis praerogativis, etiamsi celebret loco Episcopi, » et in reliquis respondit: » Servandam esse dispositionem Caeremonialis. » Die 9. Aug. 1653.

1684. **CAIETANA.**

Ad instantiam Episcopi supplicatum fuit S.

R. C. declarari : an Fratres Ordinis Praedicatorum , quando celebrant , possint uti sede , an vero scamno cooperto aliquo tapete , aut panno , iuxta , praescriptum Caeremonialis ?

Et S. C. , proponente Eñño , et Rñño D. Cardinali Pallotto , censuit , et declaravit , « in hoc servandam esse dispositionem Caeremonialis. » Die 22. Novemb. 1653.

1685. CAIETANA.

Idem decernitur quoad Minores de Observantia S. Francisci.

1686. CAIETANA.

Ad instantiam Episcopi supplicatum fuit S. R. Cong. declarari : an Canonicus hebdomadarius celebrans uti possit sede , an vero scamno cooperto aliquo tapete , aut panno iuxta praescriptum Caeremonialis ?

Et eadem S. C. , proponente Eñño D. Cardinali Pallotto , censuit , et declaravit , « in hoc servandam esse dispositionem Caeremonialis. » Die 22. Novemb. 1653.

1687. CASSANEN.

Orta differentia inter Canonicos provisos de canonicatibus ultimo loco erectis a moderno Episcopo , et Salvatorem Alphanum ultimo loco provisum de uno ex canonicatibus eiusdem Ecclesiae antiquis , super praecedentia inter ipsos servanda ?

S. R. C. , proponente Eñño , et Rñño D. Cardinali Sacchetto , censuit , et declaravit « praecedentiam deberi Canonicis , qui prius adepti sunt possessionem. » Dei 22. Nov. 1653.

1688. MARSICEN.

Ad instantiam Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Terrae Vaggiani supplicatum fuit declarari : an ipsi in Processionibus S. Marci teneantur accedere ad Ecclesiam , unde movetur Processio , an vero , Processionibus iam coeptis , possint se iungere per viam ; et occasione funeralium sufficiat , eosdem accedere ad domum defuncti ?

Et S. R. C. respondit : « Praedictos Regulares teneri tam in Processionibus , quam in funeralibus accedere ad Ecclesiam ; » et ita in posterum servari mandavit , die 22. Nov. 1653.

1689. SIGNINA.

Ad instantiam Canonicorum supplicatum fuit declarari , ipsos non teneri ad recitationem Officii Divini in cantu plano in festis solemnibus , prout modernus Episcopus nuper eisdem mandavit.

Et S. R. C. respondit : « Canonicos in hoc debere parere Episcopo. » Die 22. Nov. 1653.

1690. SIGNINA.

Ad instantiam Episcopi supplicatum fuit de-

clarari : an ipse possit compellere Canonicos ad canendam Missam in Anniversario ultimo loco defuncti Episcopi ?

Et S. R. C. censuit , et declaravit : « in hoc servandam esse dispositionem Caeremonialis. » Die 22. Novemb. 1653.

1691. EUGUBINA.

Instante Capitulo Collegiatae Ecclesiae S. Christinae Civitatis Eugubii in S. R. C. , ut sibi concederetur licentia erigendi in Processionibus propriam Crucem , non autem incedendi sub Cruce Cathedralis.

Eadem S. R. C. , proponente Eñño , et Rñño D. Cardinali Franciotto , partibus auditis , censuit : « Dictam Collegiatam debere incedere in Processionibus sub Cruce Ecclesiae Cathedralis. » Die 6. Decemb. 1653.

1692. FANEN.

Praetendentibus Confratribus SS. Sacramenti in Terra S. Constantii Fanen. Dioecesis , quod tertia quaque Dominica cuiuslibet mensis , qua solet fieri particularis Processio cum SS. Sacramento , deberet cantari Missa de eodem SS. Sacramento , cum commemoratione Dominicae ; et Canonici Collegiatae Ecclesiae eiusdem loci , in qua fit Processio , contenderent debere dictam Missam cantari de Dominica cum commemoratione SS. Sacramenti.

Eadem S. R. C. respondit : « Missam in dicto casu celebrandam esse de Dominica , seu de festo duplici , si illa die occurrat , cum commemoratione SS. Sacramenti ad formam Rubricarum Missalis. » Die 6. Decembris 1653.

1693. MAIORICEN.

Cum S. R. Cong. alias sub die 3. Aug. 1652. decreverit , et declaraverit , « Canonicos Cathedralis Ecclesiae Maioricen. non esse cogendos ad genuflectendum ad benedictionem , quae per Episcopum solemniter datur tam intra , quam extra dictam Ecclesiam Cathedralem , neque eosdem Canonicos teneri associare usque ad rhedam Episcopum ab aliis Ecclesiis extra Cathedralem discedentem. »

Instante Episcopo pro concessione Remissoriae ad probandam consuetudinem immemorabilem contrariam in utroque casu ; eadem S. R. Cong. , ad relationem Emi D. Cardinalis Franciotti , auditis partibus , respondit : « Praedictam Remissoriam esse denegandam. » Die 6. Decemb. 1653.

1694. MAIORICEN.

Reclamantibus apud S. R. C. Canonicis Ecclesiae Cathedralis Maioricen. quod , cum Canonicus sacris paramentis indutus facit Officium

ad Vesperas, et Matutinum, non permittatur a Dignitatibus sedere in primo loco Chori, nec ante omnes thurificari, neque primam Antiphonam intonare, ut in singulis huiusmodi actibus Celebrans debet primo loco honorari *ex dispositione Caeremonialis*; sed praetenderent easdem Dignitates in praedictis praeferrari Celebranti, et pro earum parte peteretur Remissoria ad probandam consuetudinem immemorabilem in contrarium.

S. R. C., ad relationem Em̃i D. Card. Sacchetti, auditis partibus, censuit, et declaravit: « Canonico celebranti, vel facienti Officium sacris vestibus induto deberi praecedentiam etiam supra Dignitates tam in sessione, quam in aliis praedictis actibus: nec esse concedendam Remissoriam a Dignitatibus petitam. » Die 6. Decembris 1653.

1695. PISAUREN.

Pro parte Comitis Friderici Mammiani de Ruere supplicatum fuit, mandari Rectori, et Presbyteris Ecclesiae Parochialis Oppidi S. Angeli, ut illum salutent in fine Divinorum Officiorum, et thurificent tripliei ductu. « Lectum. » Die 6. Decem. 1653.

1696. CIVITATIS CASTELLI.

Cum ad instantiam Canonicorum, et Cathedralis Ecclesiae Civitatis Castelli adversus Praepositum eiusdem Ecclesiae supplicatum fuisset S. R. C. pro declaratione infrascriptorum Dubiorum: an quando prima Dignitas peragit functiones, absente, vel impedito Episcopo, possit dare tres benedictiones cum SS. Sacramento, habere mensam paratam ad instar eiusdem Episcopi, sedem cum tapete, Diaconum, et Subdiaconum, qui sint etiam Presbyteri? Item: an quando eadem Dignitas in Matutinis Festorum solemnium est induta Pluviali, et peragit functionem loco Episcopi, possit habere quatuor Presbyteros similiter indutos Pluvialibus, ac si faceret functionem, absente, vel impedito Episcopo? Et denique, an in defectum unius ex dictis quatuor Presbyteris possit committere uni Diacono, ut se induat Pluviali, an vero debeat facere functionem cum duobus Presbyteris tantum Pluvialibus indutis, non obstante in omnibus, ut asseritur, in contrarium consuetudine, excepto usu sedis cum tapete?

Et eadem S. C. die 9. Augusti 1653. respondit: « Quod 1. 2. 3., et 4. dictum Praepositum primam Dignitatem non posse uti dictis praerogativis, etiamsi celebraret loco Episcopi, et in reliquis, *mandavit*, servari dispositionem Caeremonialis. » Idem Praepositus supplicavit audiri

super dictis dubiis, et partibus auditis, ad relationem Em̃i D. Card. Aldobrandini.

Eadem S. C. quoad primum respondit, « Quod dictus praepositus unica benedictione benedicat cum SS. Sacramento. »

Quoad 2. « Quod mensa, celebrante Praeposito, paretur absque gradibus, et ad formam Caeremonialis. »

Quoad 3. « Quod servetur Caeremoniale, et Decretum eiusdem S. C. emanatum de anno 1634. »

Quoad 4. « Canonicos ipsos debere inservire Praeposito pro Diacono, et Subdiacono, reservato iure Canonicis probandi assertam immemorabilem consuetudinem in contrarium. »

Quoad 5. « quod servetur Caeremoniale, reservato iure ipsi Praeposito probandi immemorabilem pro se. »

Quoad 6. « non licere assumi Pluviale ab his, qui non sint Sacerdotes, nisi quatenus non adessent duo Sacerdotes. »

Et cum eodem tempore pro parte Canonicorum petita fuisset declaratio super aliis duobus dubiis, videlicet.

1. An functio Processionis occasione translationis Reliquiarum esset facienda a Praeposito, vel ab Hebdomadario?

2. An, faciente Praeposito functiones benedictionis candelarum, cinerum, et palmarum pro Episcopo absente, debeat simul cantare Missam adiunctam functioni?

Et S. C. censuit quoad primum: « Functionem in translatione Reliquiarum numerari inter Functiones Episcopales. »

Quoad 2. « non licere Praeposito facere Benedictionem candelarum, cinerum, et palmarum, nisi cantet etiam Missam talibus functionibus adiunctam. » Die 7. Martii 1654.

1697. RAGUSINA.

Archiepiscopus pro declaratione: an Canonici assistentes teneantur recipere biretum a manibus Episcopi, et illud retinere? « Lectum: *et retentus non teneri.* » Die 7. Martii 1654.

1698. CALAGURITANA.

Sacerdos Franciscus Cerata, non valens sumere hostiam consecratam manu dextera, supplicavit pro licentia sumendi cum sinistra. « Lectum. » Die 28. Martii 1654.

1699. CONVERSANEN.

Ad instantiam Capituli, et Canonicorum Ecclesiae Cathedralis supplicatum fuit declarari: an, solemniter celebrante uno ex dictis Canonicis, teneantur alii Canonici de servire pro Diacono, et Subdiacono?

Et S. R. C. respondit : « servandam esse dispositionem Caeremonialis. » Die 28. Martii 1654. 1700. **TRANEN.**

Cum de Anno 1653. infra Octavam Nativitatis Domini vacaret feria 3., in qua fit, secundum Rubricas, Officium de Dominica infra Octavam, et in Civitate Baroli Tranen. Dioecesis eadem die inciderit festum S. Rugerii principalis Patroni eiusdem Civitatis, et dubitatum fuerit, an Officium Dominicae, vel Patroni transferendum esset, vel etiam posset omitti Officium de Dominica, vel de ea sufficeret facere dumtaxat commemorationem? Tali dubio delato ad S. C., eadem S. C. respondit : « Provisum esse per Rubricas, illasque esse servandas. » Die 28. Mart. 1654.

1701. **CIVITATIS CASTELLI.**

Cum S. R. C. die 7. Martii 1654. decreverit Canonicos Cathedralis debere inservire pro Diacono, et Subdiacono Praeposito eiusdem Cathedralis, quando peragit functiones, absente, vel impedito Episcopo, reservato tamen Canonicis iure probandi assertam immemorabilem in contrarium: modo ad instantiam eiusdem Praepositi supplicatum fuit declarari: an debeant observari pro huiusmodi servitio constitutiones Ecclesiae, seu Caeremoniale?

Et eadem S. C., referente eodem Eñno Card. Aldobrandino, censuit: « Servandum esse praefatum Decretum S. C., et interim, quod solet observari, celebrante Episcopo. » Die 2. Mii 1654.

1702. **AESINA.**

Canonici Presbyteri Cathedralis contra Canonicos Diaconos, et Subdiaconos super praecedentia servanda inter ipsos etiam in functionibus, quae fiunt sine habitu canonicali, et ab iisdem Canonicis uti Canonicis, et capitulariter. « Lectum, et servari Decretum S. Cong. » sub die 11. Novemb. 1641.

1703. **TERRACONEN.**

Ad instantiam Abbatiae Monasterii Ligulli expositum fuit, Ecclesiam eius Monasterii dedicatam esse sub invocatione B. M. V., sed quia ignoratur dies festivitatis, sub qua illa dedicata fuerit, ideo supplicatum assignari aliquod festum Bñae Virginis, in quo solemnitas Dedicacionis praedictae Ecclesiae fieri possit.

Et S. R. C. censuit, et declaravit, « Celebrari posse in die Assumptionis eiusdem B.M.V. » Die 2. Maii 1654.

1704. **SUTRINA.**

Ad instantiam Petri Vitelli Canonici Collegiae Ecclesiae S. Stephani Brachiani supplicatum fuit declarari a S. R. C., absente, vel impedita

prima Dignitate, functiones in festis solemnibus peragi debere a proximior Dignitate, et semper deficientium vices ab aliis immediate succedentibus suppleri debere.

Et S. R. C. respondit : « Servandum esse Caeremoniale. » Die 2. Maii 1654.

1705. **CASSANEN.**

Quia in Processione SSñi Sacramenti, quam facit Parochialis Ecclesia S. Mariae de Gambio Terrae Saracena Cassanen. Dioecesis in die Dominico infra Octavam Festi Corporis Christi, Episcopus decrevit, ut ea non possit duci intra limites alterius Parochiae S. Leonis sine licentia Parochi Sancti Leonis; orta controversia super validitate, et executione dicti Decreti Episcopalis, eaque deducta in S. R. C.; Eñni PP. mandarunt: « Servari solitum, et decreta alias edita ab eadem S. C., non obstante novissimo Decreto Episcopi. » Die 20. Iunii 1654.

1706. **REGNORUM CASTELLAE,
ET LEGIONIS.**

Pro parte Capitulum Cathedralium, et Parochialium Regnorum Castellae, et Legionis supplicatum fuit apud S. R. C. declarari: an Parochus defuncti, et Clerus Saecularis in associatione cadaverum defunctorum possint ingredi Ecclesias Regularium, in quibus praefata cadavera tumulari debent etiam cum Cruce usque ad locum, in quo cadaver collocatur?

Et eadem S. R. C. respondit : « Posse Parochos supradictos, et Clerum Saecularem ingredi Ecclesias cum Cruce, nullam tamen ibi peragere functionem circa cadavera. » Die 20. Iunii 1654.

1707. **CIVITATIS CASTELLI.**

Excitatis inter Praepositum, et Canonicos Cathedralis Ecclesiae Civitatis Castelli infrascriptis Dubiis, iisque in S. R. C. per Eñnum D. Card. Aldobrandinum propositis pro eorumdem declaratione, videlicet :

1. An, celebrante Praeposito pro Episcopo, accendi debeant in Altari sex luminaria, et sex, vel quatuor funalia cerea in elevatione SSñi Sacramenti in Missa?

2. An, dum Praepositus celebrat Missam sine cantu in qualibet secunda Dominica cuiuslibet mensis in Altari maiori Cathedralis ex devotione Confraternitatis Nominis Iesu ibidem erectae, possint Confratres accendere in Altari sex luminaria, et duo funalia in elevatione SS. Sacramenti?

3. An, dum fiunt Processiones SSñi Sacramenti in dicta Ecclesia, debeat Praepositus de-

ferre funale accensum ac Vicarius, dum Canonici deferunt candelas magnas ?

4. An, concesso ante Praepositum pulvinare, dum est paratus, illud conveniat esse sericum rubri coloris, et ad eius stallum in Choro ?

S. R. C., auditis partibus, censuit: « Servandum esse solum in praedictis omnibus, prout illud servari » *mandavit* die 20. Iunii 1654.

1708. CUSENTINA.

Instante Fr. Bartholomaeo de Camerino Ordinis Capuccinorum occasione Visitationis Provinciarum Regni Neapolis pro declaratione.

1. An in Litanis, quae dicuntur in Ecclesiis Capuccinorum, ut asseritur ex forma Constitutionis post matutinum, et post nonam, liceat addere nomina Sanctorum, ultra expressa in Litanis, quae habentur in Breviario Romano, ex eo quod sint Sancti eiusdem Ordinis, vel Patroni Provinciarum, vel etiam ex devotione ?

2. An in Versiculo consueto de B. V. *Benedicta tu in mulieribus* cum Responsorio, et *Benedictus Fructus ventris tui*, liceat addere *Iesus*, et dicere: *benedictus Fructus ventris tui Iesus* ?

Sac. Rit. Congreg., « in utroque casu non licere ququam addere » censuit, die 20. Iunii 1654.

1709. AESINA.

Dubio proposito in S. R. C., ad instantiam Sanctis Corgnaletti: an in Altari Privilegiato pro defunctis celebrari possit Missa de Requie infra Octavam Paschae Resurrectionis, Pentecostes, in die Epiphaniae, infra hebdomadam maiorem, die Corporis Christi, et aliis solemnibus, in quibus Missae votivae celebrari non possunt ?

Eadem S. C. respondit: « Servandas esse Rubricas Missalis Romani. » Die 20. Iun. 1654.

1710. PANORMITANA.

S. R. C. ad instantiam Francisci Vetrani Parochi S. Nicolai de Panormo, iuxta alias decreta, censuit: « Porrigere Aspersorium Aquae benedictae Archiepiscopo occasione Processionum ingrediendi Ecclesiam dictae Parochiae spectare ad digniorem eiusdem Ecclesiae, et non ad Dignitates, vel alios Capitulares Ecclesiae Metropolitanae. » Die 20. Iun. 1654.

1711. PERUSINA.

Praetendentibus Canonicis Ecclesiae Cathedralis Perusinae gravari, et distrahi a servitio Chori, si vocentur, et cogantur ad assistendum, et inserviendum Episcopo, quotiescumque, pro suo arbitrio, sine necessitate accedit saepe ad diversas Ecclesias eiusdem Civitatis ad Missas Pontificales celebrandum, sive ad assistendum, vel cum plu-

viali, vel cum cappa, habito super hoc recursum ad S. R. C. pro declaratione: an teneantur ?

Eadem S. C. censuit, « Non omnes teneri, sed tres tantum pro facienda assistentia. » Die 20. Iun. 1654.

1712. RECANATEN.

Magister Caeremoniarum Cathedralis (suppliciter *instittit*) mandari observari Caeremoniale, non obstante contraria consuetudine: et Dignitates teneri assistere Episcopo in defectum Canonico- rum: (supple, S. R. C. respondit) « Provisum in Caeremoniali. » Die 20. Iun. 1654.

1713. SUTRINA.

Cum ad instantiam Petri Vitelli Canonici Collegiatae Ecclesiae S. Stephani Terrae Brachiani Sutrinae Dioecesis super dubio: an functiones solemnes fieri solitae a prima Dignitate (supple, *ea impedita, peragi deberent a Dignitate proximiori*) vel a Canonico hebdomadario ?

S. R. C. alias responderit, « Quod servetur Caeremoniale: » et modo inter eosdem Canonicos ortum sit dubium, « de quo loco Caeremonialis » S. C. intellexerit ?

Eadem S. C. declaravit: « Intellexisse, quod servetur Caeremoniale in cap. 26. lib. 1. de splendidis vicibus. » Die 20. Iun. 1654.

1714. MEDIOLANEN.

Cum ad notitiam SS. D. N. pervenerit D. Governatorem Mediolani in die Annunciationis B. M. V. proxime praeterita poni fecisse genuflexorium cum tapete magno, et pulvinaribus pro se, et Marchionissa eius uxore in Ecclesia Cathedrali intra Presbyterium, et ante Altare maius, ac in eo ipso loco, ubi Faldistorium pro Episcopo apponi solet: nec non eundem D. Governatorem, absque ulla Sedis Apostolicae licentia, retinere suam sedem intra Presbyterium cum cortina, eo modo, et forma, quibus in praeteritum usi sunt alii eius Praedecessores, praevia tamen opportuna Sedis Apostolicae licentia: Sanctitas Sua mandavit discuti huiusmodi negotium in hac particulari Congregatione, in qua, re discussa, et plene examinata, Emi PP. censuerunt: « Significandum esse Archiepiscopo per literas S. R. C., non licere praefato D. Governatori genuflexorium in dicto loco, et modo, quo supra, apponere, nec minus retinere sedem intra Presbyterium, ut supra dictum est, absque speciali licentia Sedis Apostolicae, si eidem S. R. C. ita videbitur. » Die 8. Iulii 1654.

1715. MEDIOLANEN.

Relata in hac Congregatione Resolutione capta in alia Congregatione particulari sub die 8. huius

mensis de mandato SS. super eo , quod non liceat D. Gubernatori Mediolani apponere genuflexorium, et retinere sedem intra Presbyterium Ecclesiae Cathedralis , sine speciali Sedis Apostolicae licentia , et quod debeat S. R. C. literis id significare Archiepiscopo , ne in posterum huiusmodi novitates fieri contingat.

Eadem S. R. C. praefatam Resolutionem approbavit, eamque Archiepiscopo significari mandavit, prout in Regesto Literarum. » Die 18. Iulii 1654.

1716. AESINA.

Cum saepe alias , et specialiter in hac causa S. R. C. declaraverit, praecedentiam inter Canonicos competere Canonicis Ordinis Presbyteralis supra Canonicos Ordinis Diaconalis , et Subdiaconalis , etiamsi Presbyteri recentius recepti sint ; et in Ecclesia Cathedrali orta fuerit controversia, an idem, quod servatur in Choro , et quando inceditur cum cotta , et habitu canonicali , debeat etiam servari in Capitulo, et in aliis actibus, in quibus Canonici conveniunt in eorum habitu ordinario clericali ?

Eadem S. R. C. , auditis partibus , censuit , et declaravit : « Canonicis Presbyteris ubique locorum competere praecedentiam in functionibus capitularibus , tam quae fiunt cum habitu canonicali , quam sine habitu. » Die 18. Iulii 1654.

1717. AESINA.

Cum alias S. R. Cong. in causa controversiae Praeeminentiarum inter Canonicos Presbyteros Cathedralis praefatae Civitatis , et Canonicos Diaconos , et Subdiaconos ab anno 1625. declarasset praecedentiam dandam esse Canonicis obtinentibus Praebendas Presbyterales , licet provisio post Canonicos obtinentes Praebendas Diaconales , et Subdiaconales in functionibus , quae fiunt non solum cum vestibus sacris, sed etiam in omnibus aliis actibus et functionibus , quae fiunt cum habitu canonicali : idque mox per simile Decretum ab ea sub die 11. Novemb. 1641. emanatum eadem S. C. approbasset, et executioni demandari iussisset: easdem vero ad obsequii partes erga se ipsi digniores ordine explendas extra casus a S. Cong. praecautos Canonicis Diaconis , et Subdiaconis nullatenus extendi debere arguentibus : ac diversam ob id sessionis huiusmodi ab eis in habitu communi talari incedentibus rationem haberi posse censentibus , iterum Presbyteri Canonici ad hanc S. C. redire coacti , ab ea sub die 18. proxime elapsi Mensis Iul. alterum Decretum favorabile obtinuerunt, quo scilicet firmatum fuit eisdem Presbyteris Canonicis supra Canonicos Diaconos ,

et Subdiaconos etiam antiquiores competere praecedentiam in functionibus Capitularibus, tam quae fiunt cum habitu canonicali , quam sine habitu. Novissime vero , re maturius discussa , utraque parte informante , ad tollendas ambiguitates omnes , atque ad vindicandam eam , quam sacer Presbyteratus ordo ab inferioribus ordinibus exigit reverentiam ; « Canonicis Presbyteris , etiam in actibus , quibus eos uti Canonicos , etiamsi talari veste , et pallio communi indutos posthac interesse contigerit , a Canonicis Diaconis , et Subdiaconis praecedentiam deberi , » eadem S. R. C. censuit , et declaravit , die 22. Aug. 1654.

1718. AGRIGENTINA.

Instante Archipresbytero de Lecata Agrigentinae Dioecesis pro declaratione : an Vicario Foraneo ulla in Choro , vel alibi supra ipsum Archipresbyterum , ac ceteros Presbyteros , eodem Vicario ordinatione antiquiores , praecedentia competat ?

S. R. C. respondit , « dari Decreta alias ab eadem Congregatione in similibus emanata. » Illud autem , ex quo clarius sensus Congregationis eiusdem percipi valeret , quodque in Regesto Decretorum S. C. sub die 6. Iunii 1630. reperitur tenoris (Decretum hoc habetur supra sub numer. 861.) die 22. August. 1654.

1719. BENEVENTANA.

Ad Dubium ex parte Vicarii Generalis S. R. C. exhibitum : an videlicet , dum ad praeintonandas Antiphonas ea pars Dignitatum , et Canonicorum assurgit , quos penes idem Vicarius reperitur , et cum Dignitates , et Canonici praedicti thurificantur , sedere , aut stare Vicarium ipsum oporteat ?

Eadem S. Cong. respondit , « servandum esse Caeremoniale , ex quo scilicet in cap. 18. lib. 1. , et cap. 23. eiusdem libri clare percipitur , id eo tempore sedendi praerogativae Episcopo , et assistentibus eiusdem tantummodo reservatum. » Die 22. Aug. 1654.

1720. CALARITANA.

Exposuit Calaritanus Archiepiscopus se Sacerdotibus saecularibus , et Regularibus vetuisse , ne post Missas privatas ad alicuius preces vel elemosynarum intuitu quaeque ex D. N. Iesu Christi Passionis Evangelia in posterum recitare praesumant , eiusdem S. C. auctoritatem implorans , ne Regulares ab huiusmodi iussus , et prohibitionis obtemperantia exemptos sese reputant , aliquo pacto subducant.

S. igitur R. C. « contra inobedientes , etiam auctoritate eiusdem Congregationis , procedendi facultatem eidem attribuit. » Die 22. Aug. 1654.

1721. CIVITATIS CASTELLI.

Vicarius generalis Civitatis Castelli instituit declarari: an solemnitas SS. Corporis Christi numeretur inter Episcopales, et ob id teneantur Canonici inservire Praeposito in officio Diaconi, et Subdiaconi?

S. R. C. respondit: « iniungendam eidem Vicario observantiam Decretorum alias ab eadem S. C. sub die 7. Martii 1654. emanatorum, etiam quoad festum SS. Corporis Christi. » Die 22. Augusti 1654.

1722. FERENTINA.

Abbatibus, et Curatis Civitatis Ferentinae instantibus pro observatione Ritualis Romani, a quo firmatur, Parochum Stola redimitum immediate defunctorum cadavera praecedere debere, et ultimo, ac digniori loco post utrumque Clerum saecularem, et regularem incedere oportere.

S. R. C. respondit: « omnino servandam esse dispositionem Ritualis Romani. » Die 22. Augusti 1654.

1723. LUGDUNEN.

Superior S. Antonii Civitatis Lugdunen. exposuit novissime constructam Ecclesiam sub invocatione eiusdem Sancti consecrandam, non posse commode circumiri; ex quo eadem contigua aliquibus particularium aedificiis existat, ideoque supplex a S. R. C. postulavit, sibi in hac parte indulgeri, ut eadem Ecclesia absque integris circuitibus consecrari valeat.

S. igitur C., attentis narratis impedimentis, « petitam facultatem concessit, dummodo in omnibus, quoad fieri poterit, et permissum fuerit, in Consecratione Ecclesiae praedictae serventur regulae, et Rubricae Pontificalis Romani. » Die 22. Augusti 1654.

1724. NEOCASTREN.

Instituit Cappellanus maior Ecclesiae Neocastren. prima Dignitas pro declaratione: an ipsi Missam solemniter celebranti Sabbato Sancto, et in Sabbato Pentecostes, sit a Canonicis inserviendum in ministerio Diaconi, et Subdiaconi ex eo, quod ipsi Canonici onus huiusmodi in solemnioribus diebus tantum eis incumbere existiment?

Et S. R. C. respondit: « Canonicos ad id ministerii Cappellano maiori assertis diebus praestandum omnino teneri. » Die 22. Aug. 1654.

1725. ORTONEN. CAMPLEN.

Episcopus Ortonen. enixe rogavit S. R. Cong. pro solutione Dubii: an Archidiaconus prima Dignitas Cathedralis Ortonen. sit thurificandus, Episcopo absente, triplici ductu, ut haecenus ab anno erectionis eiusdem Dignitatis 1645. serva-

tum est, vel duplici tantum ductu, iuxta Caeremonialis praescriptum?

Et S. eadem C. respondit: « Servandum esse Caeremoniale, non obstante contraria asserta consuetudine. » Die 22. Aug. 1654.

1726. RECINATEN.

Magister Caeremoniarum Ecclesiae Recinaten. exposuit, Dignitates eiusdem Ecclesiae, deficientibus Canonicis, ab Episcopi assistentiae onere se exemptas reputare, ob idque Episcopum debito ei ministerio quandoque fraudari.

S. R. C. respondit: « Episcopo rescribendum esse pro observantia Caeremonialis, quo in cap. 26. lib. 1. clare disponitur: Si nullus Presbyter Canonicus aderit, praeter Dignitates, tunc aliquem ex ipsis Dignitatibus teneri ad supplendum locum Diaconi deficientis. » Die 22. Aug. 1654.

1727. COMEN.

Instituit Archipresbyter Collegiatae Ecclesiae Sondrii Comen. Dioecesis apud S. Cong. pro declaratione Dubii: an possit ab ipso retineri consuetudo delegandi Missas solennes, quae Stationum diebus celebrari in Collegiata praedicta consueverunt, Presbyteris advenis private etiam quoad Canonicos eiusdem Ecclesiae?

Et S. C. respondit: « minime retinendam huiusmodi consuetudinem, neque licere Canonicos praesertim excludere. Die 19. Sept. 1654.

1728. LAUDEN.

Supplicavit Praepositus prima Dignitas Cathedralis Ecclesiae Lauden. declarari: an retineri possit immemorabilis consuetudo, quod ipse, absente Ordinario, benedictiones Fontis, Candelarum, Cinerum, et Palmarum peragat; Missas vero Canonicis hebdomadariis celebrandas dimittat?

S. Cong. « iussit dari Decreta alias pro negativa emanata: modo ipsemet Praepositus Missas consecutive celebrandas per se ipsum persolvat. » Die 19. Sept. 1654.

1729. LAURETANA.

Ad S. R. Cong. delatum fuit, quod Locumtenens Gubernatoris Civitatis Lauretanae intuitu Protonotariatus officii in Missa utatur bugia, et anulo, nec non adhibeat duos ministros superpelliceo indutos.

S. igitur C. declaravit: « huiusmodi praerogativis uti eidem Locumtenenti Protonotario minime licere. » Die 19. Sept. 1654.

1730. MONOPOLITANA.

Moniales S. Leonardi, et S. Martini Monopolitanae Civitatis institerunt declarari: an ipsi liceat, ex eo quod eadem ab erectione Monasteriorum usae fuerint Breviario Romano, recitare

Officia propria earum Ordinis S. Benedicti ad formam, et iuxta Rubricas eiusdem Breviarii Romani: et an Officia cum Octavis celebrare valeant de Sanctis Titularibus ipsarum Ecclesiarum?

S. autem R. C. respondit ad 1. « Negative, id nisi expresse ab Apostolica Sede ipsis indultum fuerit. » Ad 2. « Servandas esse Rubricas Breviarii Romani. » Die 19. Sept. 1654.

1731. PANORMITANA.

Rector Ecclesiae Parochialis S. Nicolai in Civitate Panormitana institit pro declaratione Dubii: an ipsi, vel digniori de Capitulo Cathedralis competat ius ministrandi Aspersorium Archiepiscopo in ingressu eiusdem Ecclesiae Parochialis, ad ipsam scilicet accedenti cum Canonicis Cathedralis cappa redimitis: et capitulariter eidem Archiepiscopo inservientibus?

S. autem C. iussit, « dari Decreta alias emanata. » Die 19. Septemb. 1654.

1732. PAPIEN.

Capitulum, et Clerus Cathedralis Ecclesiae Papien. supplicarunt ipsis indulgeri, ut pro Animabus singulorum Confratrum Societatis Suffragii possint festivos etiam diebus, non tamen de praeepto, Missas exequiales decantare? S. autem C. respondit: « Servandas esse Rubricas, quod quidem pro affirmativa censuit rescribendum, cum pateat ex Rubricis die repositionis defuncti, posse in huiusmodi festis easdem Missas solemniter celebrari. » Die 19. Septemb. 1654.

1733. RECINATEN.

Magister Caeremoniarum Ecclesiae Recinaten. petiit declarari Dubium: an in solemnibus Episcopi benedictione Gubernator, et Magistratus Civitatis stare, vel genuflectere teneantur?

Et S. Cong. respondit: « Gubernatorem, et Magistratum praefatos omnino genuflectere debere. » Die 19. Sept. 1654.

1734. SEGUNTINA.

Ad quinque Dubia per Episcopum Seguntinum ad S. R. Cong. transmissa eadem C., ut infra, respondit.

Ad 1. scilicet: an, attento quod in Cathedrali consueverint Canonici feria V. in Coena Domini Missas celebrare, et ex eis neminem ad Communionem, quae fit ab ipsomet Episcopo inter Missarum solemnias, accedere, Episcopus eosdem possit ad observantiam contentorum in *Caeremoniali cap. 23. lib. 2.* compellere?

R. « Omnino servandum esse Caeremoniale Episcoporum, et pro eiusdem observantia posse ab Episcopo cogi Canonicos, et alios quoscumque de gremio Ecclesiae.

Ad 2. An, stante consuetudine, quod hymnus *Gloria in excelsis Deo etc.* integre sub organo moudetur, et humanis vocibus, nec alternatim concinatur, possit Episcopus cogere ad implementum eorum, quae continentur in *cap. 28. lib. 1. Caeremonialis Episcoporum*?

R. « Abusum huiusmodi ab Ecclesiae praedictae praxi omnino tollendum. »

Ad 3. An, posito, quod in eadem Ecclesia ante, et post publicationem reformationis Breviarii ex consuetudine diebus, quibus non recitatur Officium novem Lectionum, recitetur etiam Officium parvum B. M. V., omittatur vero diebus, in quibus fiunt ad Vesperas Commemorationes aliquorum SS. qui non sunt in Calendario: nec de illis fit mentio, iuxta concessionem Gregorii XIII., Episcopus possit tolerare huiusmodi consuetudinem non recitandi diebus praedictis Officium B. M. V.?

R. « Recitandum esse Officium B. M. V., nec debere Ordinarium permittere, quod fiant Commemorationes, vel Officia non approbata. »

Ad 4. An insuper cogi possint Capitula Collegiatarum, non obstante qualibet in contrarium inducta consuetudine, ad celebrandum diebus Vigiliarum, quatuor temporum, et Quadragesimae, ultra Missam Festi currentis post Tertiam, alteram conventualem de Vigilia, et Feriis praedictis post Nonam?

R. « Collegiatas teneri etiam ad Missam Conventualem de Vigilia, et Feriis praedictis, iuxta Rubricas Missalis Romani.

Ad 5. An tolerandum, quod dux de Medina Caeli in Ecclesia Collegiata sui Patronatus occupet sedem primae Dignitatis, sitam in digniore parte Chori, vel in hoc sit servanda potius dispositio Caeremonialis Episcoporum?

R. « Non tolerandum, nisi docto, et constituto de legitimo Privilegio. » Die 19. Sept. 1654.

1735. CALARITANA.

Archiepiscopus Calaritanus Emis Patribus S. Congreg. praepositis exponi curavit, quod Capitulum, et Canonici eius Metropolitanae Ecclesiae, a quibus olim *Liber Caeremonialis Romanus Episcoporum* receptus fuit, permultos tamen antiquos haud laudabiles ritus obfirmate retineant.

S. igitur C., inhaerendo Decretis alias in similibus emanatis, « Caeremonialem librum semel receptum, integre servandum fore, declaravit, et Archiepiscopo Oratori, ut abusus, et antiquos ritus ad formam Constitutionum Clementis VIII. removere possit, nedum libenter indul-

get, sed, ut sedulo curet, simul iniungit. » Die 14. Novembris 1654.

1736. FANEN.

Eremitis Camaldulensibus Monasterii Fanen. petentibus: an die Dedicationis eorum Ecclesiae sub invocatione SS. Salvatoris, quae simul occurrit cum Dedicatione Basilicae Lateranensis pariter sub invocatione SS. Salvatoris, diversum a Dedicatione Basilicae Lateranensis Officium recitare teneantur?

S. R. C. respondit: « E communi Dedicationis; et Lectiones sumendas fore pro celebratione festi Dedicationis propriae Ecclesiae, et prima die secundum Rubricas non impedita infra Octavam ab Oratoribus recitandum esse Officium Dedicationis Basilicae Lateran. » Die 14. Nov. 1654.

1737. FERENTINA.

Canonici Cathedralis Ecclesiae institerunt apud Eños PP. S. R. C. praepositos pro declaratione Dubii: an thurificatio Chori sit semper inchoanda a parte dextera, et in qua manent seniores Canonici, vel potius a parte Chori, etiamsi in ea contingat existere iuniores Canonicos?

Et Sac. R. C. respondit: « Thurificationem in Ecclesiis, in quibus servatur alternativa Chori respectu Canonorum, ab ea parte inchoandam, in qua Chori Tabella appensa reperitur. » Die 14. Nov. 1654.

1738. IANUEN.

Clero Ianuensi postulante, quinam color sit adhibendus in celebratione translationis Cinerum S. Ioannis Baptistae?

S. R. C. « Rubrum colorem in huiusmodi celebritate adhibendum esse respondit. » Die 14. Novembris 1654.

1739. MEDIOLANEN.

Confraternitatibus Lignani, et Lignarelli Mediolanen. Dioecesis contententibus ius praecedendi in Processionibus SS. Sacramenti.

S. R. C., referente Eño, et Rño D. Cardinali Gualterio, utraque parte informante, decrevit: « Indulgendum ex gratia Confraternitati SS. Sacramenti loci Lignarelli, ut eadem die festo proprio SS. Corporis Christi in Processione praeferatur Confraternitati S. Ambrosii loci Lignani, dummodo ipsa caeteris Processionibus interesse non omitat, et Confraternitati S. Ambrosii praecedentiam libere dimittat. » Die 14. Novembris 1654.

1740. MELPHITEN.

Dignitates Cathedralis Ecclesiae Melphiten. institerunt pro manutentione in possessione incedendi in Processionibus divisim a Canonis, etiamsi Canonicos contingat esse numero dispare.

S. vero R. C., iuxta alias Decreta respondit: « Dignitates, et Canonicos simili indumento suffultos in Processionibus binos incedere debere, et seniore Canonico, quoties disparitas numeri Canonorum id exigat, a sinistris ultimae Dignitatis, vel etiam primae, si alia Dignitas non aderit, incedere oportere. » Die 14. Novembris 1654.

1741. PERUSINA.

Episcopus Perusinus S. R. C. supplicavit pro moderatione *Decreti alias* sub die 20. Iunii ab eadem S. C. emanati, quo firmatum extitit, tres tantum Canonicos teneri Episcopo extra Cathedralis Missarum solemniam pontificaliter peragenti assistere.

Et re maturius inspecta, eadem S. C., « in Missa Pontificali tres Canonicos assistere, et alios duos in officio Diaconi, et Subdiaconi eidem Episcopo ministrare debere, *declaravit*; in reliquis firmo remanente Decreto, ut praefertur, sub die 20. Iunii emanato. » Die 14. Novembris 1654.

1742. URBIS.

« Moneantur Regulares; ne celebrantes solemniter adhibeant sedem cum subpedali, sed bancum, iuxta libri Caeremonialis praescriptum, et praesertim ab Ecclesia SS. Apostolor. amoveatur sedes, quae ibi pro Celebrante parata semper existit. Curent insuper caeremoniarum Magistri SS. D. N., ne a Regularibus praesertim Presbyteris, seu Clericis etc. adhibeatur loco superpellicei Rochettum, seu Cotta cum manicis angustis. » Die 14. Novembris 1654.

1743. CALLIEN.

Promotor Fiscalis Curiae Episcopalis institit sibi facultatem attribui aliqua afficiendi poena Canonicos recusantes parere Decreto a S. R. C. emanato super interessentia concionibus in Ecclesia loco Cathedralis subrogata.

Et S. C. respondit: « Non diversimode praedictos cogi, et mulctari posse, ac si concionibus in ipsa Cathedrali de more habendis interesse omittent. » Die 19. Decembris 1654.

1744. CESENATEN.

Plebanus Castri Cesenaten. institit declarari: an teneatur propriam Ecclesiam deserere, ut Processioni SS. Corporis Christi, quae in Civitate Cesenaten. quotannis de more solemniter celebratur, intersit? Et Sac. C. respondit: « Eum non posse cogi. » Die 19. Decembris 1654.

1745. FERENTINA.

Cum alias sub die 22. Augusti 1654. S. R. C. rescripsisset, Ferentini servandam esse *Ritualis dispositionem*, qua firmatur ab utroque Clero ultimum, ac digniorem locum Curato Stola redi-

mito in funeribus dimittendum esse; et Abbates, aliique eiusdem Civitatis Rectores, et Curati id etiam cum Capitulo Cathedralis locum habere censerent, petentibus deinde Capitulo, et Canonicis declarari, ipsos sub ea saecularis Cleri generalitate in huiusmodi casu minime comprehensos; referente Eñõ D. Cardinali Franciotto, utraque parte informante.

S. eadem C., ut alias in similibus, censuit: « Cathedralis Capitulum utique Abbatibus, et Rectoribus praefatis in funeralibus praefendum esse, » declaravit, ac ita in Civitate praedicta servari mandavit die 19. Decembris 1654.

1746. FLORENTINA.

Moniales S. Agathae declarari petierunt: an feria V. in Coena Domini in eadem Ecclesia, ultra Missam ordinariam, liceat alteram lectam celebrare?

Et S. C. respondit: « Non licere. » Die 19. Decembris 1654.

1747. ISERNIEN.

Capitulo, et Canonicis Cathedralis Decreta alias sub die 18. Mart. 1649. ab hac S. C. emanata de impositione ad eorum favorem retorquere sagagentibus, Missasque Purificationis, Cinerum, et Palmarum per Hebdomadarium celebrari debere censentibus.

Sac. R. C., ut in similibus, modo respondit: « Missas, post ab Archipresbytero peractas benedictiones, neenon distributiones Candelarum, Cinerum, et Palmarum, omnino per eundem Archipresbyterum celebrandas, prout in Ecclesia Iserniensi. in posterum servari mandavit die 19. Decemb. 1654.

Decretum de die 13. Martii 1649. est, ut sequitur.

ISERNIEN. Capitulo, et Canonicis Ecclesiae Cathedralis petentibus declarari, non licere Archipresbytero primam Dignitatem obtinenti peragere functiones benedictionis, ac distributionis palmarum, cinerum, ac candelarum, sed illas ad Canonicum per turnum celebrantem spectare, contraria consuetudine non obstante.

Eñi PP. S. R. Cong. praepositi responderunt: « servandum esse Caeremoniale. »

1748. MESSANEN.

In causa controversiarum iuris peragendi functiones inter Canonicos ex una, et Canonicorum Coadiutores Metropolitanae Ecclesiae partibus ex altera.

S. R. C., referente Eñõ, et Rñõ D. Cardinali Aldobrandino, utraque parte informante, censuit: « Missarum cantum in solemnioribus ad dignio-

rem, et successive seniores, aliosque Canonicos, exclusis Coadiutoribus, pertinere. Ad Litaniarum autem Officium Coadiutores ipsos, ut hactenus admittendos, et extra Metropolitanam Ecclesiam etiam cum veris Canonicis capitulariter ubilibet non congregatis minime connivendum, ut sicuti Canonici, vel alias habitu, seu insigniis canonicalibus redimitis Solemnis incumbant, » prout eadem S. C. in supradictis posthac servari mandavit die 19. Decembris 1654.

1749. ORTONEN. CAMPLEN.

Archidiaconus Campelen. ipsi adiudicari postulavit ius dirigendi Chorum, dicendi *Pater, Orationem Dominicam, Salutationem Ave Maria, et Credo* pro inchoatione Officii, ac indicendi mox Hebdomadario, ut intonet Versiculum, *Domine labia mea etc.* ad Matutinas, et *Deus in adiutorium meum intende etc.* ad Vesperas, neenon benedictiones ad Primam, et Completorium, versiculum *Dominus det nobis suam pacem*, et his similia, quaeque hactenus consueverunt per ipsum impleri.

S. autem C., « Directionem Chori, nisi Cantoris Dignitas, vel similis, cui huiusmodi praerogativa, et munus incumbat, in ipsa Cathedrali Ecclesia existat, ad Archidiaconum primam Dignitatem pertinere, » respondit. Reliqua vero abusive hactenus ab ipso peracta omnino ad Hebdomadarium, vel alias peragentem Officium posthac fieri, peragique *iussit*, non obstante qualibet contraria consuetudine, quam abusum declaravit die 19. Decembris 1654.

1750. ORTONEN. CAMPLEN.

Archidiacono Cathedralis Ortonen. instante pro moderatione Decreti alias sub die 22. proxime praeteriti mensis (Augusti) a S. R. C. emanati, super thurificatione duplici ductu, etiam absente Ordinario.

Sac. eadem C., minime attentis frivolis rationibus ad sui favorem novissime deductis, « Decretum praedictum omnino servari mandavit » die 19. Decembris 1654.

1751. PISAUREN.

Hieronymus Mammianus Comes S. Angeli Pisaurum. petiit manuteneri in possessione, quod Sacerdotes celebrantes in loco suae iurisdictionis, ipsum post Missam capitis inclinatione, obducto capite, salutent.

At S. C. respondit. « Lectum. » Die 19. Decembris 1654.

1752. TRANEN.

Capitulum, et Canonici Tranen. declarari postularunt, an eadem disciplina quoad Antiphona-

rum intonationem servanda foret, absente Archiepiscopo, tum Dignitate, tum Canonico officium peragente, ne scilicet umquam Dignitates sese ab earumdem Antiphonarum intonatione exemptos censi debeant?

S. R. C. respondit: « Nihil referre, an Dignitas, vel Canonicus sit, cum teneantur Dignitates Antiphonas intonare. » Die 19. Decemb. 1654.

1753. PACEN.

Ad instantiam Antonini Frull Prioris, et primae Dignitatis Cathedralis Ecclesiae Pacen.

S. R. C. declaravit: « Nequaquam ad Vicarium generalem ratione officii, sed ad primam Dignitatem, vel successive ad alias Dignitates, aut seniores Canonicum, privative quoad ipsum Vicarium, spectare ius ministrandi Aspersorium Episcopo in ingressu Ecclesiarum, praesente Capitulo Cathedralis indumentis canonicalibus redimito, assistendi eidem Episcopo in Missis Pontificalibus, concinendi Missas in diebus solemnioribus, nec non peragendi solemnia Missarum, et delationem SS. Sacramenti, absente Episcopo, in Festivitate Corporis Christi. » Die 29. Maii 1655.

1754. ALERIEN.

Episcopus Alerien. Sac. R. C. supplicavit, ut dignaretur declarare, teneri Canonicos ingredi cubiculum ab ipso Oratore destinatum pro sumenda cappa pontificali, et inde eum Sacra facturum, vel Divinis cum cappa adstiturum associare ad Ecclesiam Cathedralis.

Et Sac. eadem C., ad relationem Em̃i Dñi Cardinalis Franciotti, cui huiusmodi negotium commissum fuerat, die 8. Maii 1655. respondit: « Canonicos teneri, et cogi posse ad huiusmodi sibi debita obsequia vindicanda, etiam sub censuris, modo nisi Episcopium longe distet a Cathedrali. » Die 19. Iunii 1655.

1755. MARSICANA.

Vicarius generalis Episcopi Marsicani a S. R. C. Cong. enixe petiit: num ipsi supra Dignitates, et Canonicos, tam praesente, quam absente Episcopo, praecedentia competeret, et ante Canonicos Episcopo assistentes thurificari deberet?

S. autem C. respondit: « Utique Vicario generali supra Dignitates, et Canonicos, tam praesente, quam absente Episcopo, praecedentiam deberi, sacris tamen vestibus iisdem Dignitatibus, et Canonicis non indutis existentibus; minime vero ipsum Vicarium ante, sed post assistentes Episcopo thurificandum esse. » Die 19. Iunii 1655.

1756. MEDIOLANEN.

Alias sub die 14. Novemb. 1654. S. R. C. in

causa controversiae praecedentiarum in Processionibus Sanctissimi Sacramenti inter Societatem Sanctissimi Sacramenti loci *Lignarelli*, et Societatem S. Ambrosii loci *Lignani* rescripsit, quod indulgendum esset ex gratia Confraternitati SSm̃i Sacramenti, ut praeferretur alteri Confraternitati in Processione tantum, et die Corporis Christi. Hodie vero, iterum proposita per Em̃um D. Card. Gualterium Ponentem deputatum, censuit, « competere praecedentiam Societati SSm̃i Sacramenti supra Confraternitatem S. Ambrosii in omnibus Processionibus, in quibus defertur SS. Sacramentum. » Die 19. Iunii 1655.

1757. ORTONEN. CAMPLEN.

Archidiaconus Cathedralis Ortonen. instituit pro declaratione Dubii. An Vicarius generalis, nisi servet constitutiones Ecclesiae, sit, ut alii Canonici, muletandus? quodque eidem Vicario prohiberetur Chori directio, et dignior locus in Capitulo, in quo habitu canonicali intersit.

Sac. autem C., oretenus cum Episcopo mihi imperavit praesenti in Curia verbum habere, « ne sinat Vicarium in Choro, et Ecclesia habitu canonicali indutum interesse, nisi partes Canonici expleret, si velit idem distributionibus gaudere. » Die 19. Iunii 1655.

1758. PISAUREN.

Pisauren. Episcopus a S. R. C. postulavit: num ab ipso connivendum, quod Capitulum et Canonici Cathedralis Em̃um, et Rm̃um Legatum Urbinatensem Pisauri quandoque residentem, e propria habitatione Pontificali more cappis redimiti ad Ecclesiam deducant, et in discessu, similiter comitentur, eidemque inter solemnia hinc inde a lateribus assistant, et circulos ante illum conficiant.

S. autem C. respondit: « in omnibus servandum esse Caeremoniale. » Die 10. Iul. 1655.

1759. TARENTINA.

Capitulo, et Canonicis Collegiatae loci Martinae Tarentinae Dioecesis retorquentibus sensum Decreti S. C. emanati die 22. Augusti praeterito Anno 1654. ad favorem Fratrum S. Dominici, circa facultatem ducendi Processiones Corporis Christi extra ambitum conventus per vicos et plateas Civitatis, eoque Decreto vetitum asserentibus Fratribus praedictis extra ambitum conventus, et Ecclesiae huiusmodi Processiones peragere.

S. eadem C. « satis iam provisum, et Fratrum praedictorum indemnitati consultum fuisse, respondit. » Die 10. Iul. 1655.

Decretum autem de die 22. Augusti 1654. sequens est.

Capitulum, et Clerus Terrae Martinae Tareninae Dioecesis Sac. R. C. exposuerunt, Fratres Ordinis Praedicatorum olim intra Ecclesiam, et ambitum Conventus Processionem SS. Corporis Christi Dominica infra Octavam eiusdem solemnitatis ducere consuetos, et mox extrinsecus Conventum, et Ecclesiam circuire solitos: ab Anno autem 1652. eam per vicos, et plateas, et publica Terrae eiusdem loca ducere inchoasse: ob idque suppliciter postularunt, eosdem Patres intra antiquos limites ab eis semel electos reduci.

Sac. tamen Cong., utrisque Partibus auditis, mandavit, «servari Bullam fel. rec. Clementis PP. VIII, qua iisdem Patribus huiusmodi Processiones etiam per vicos, et plateas cuiuslibet loci facultas ducendi tribuitur.» Die 22. Augusti 1655.

1760. BRUNDUSINA.

Archidiaconus Brundusinus ad ipsum spectare cogitans in principio Horarum Canoniarum dicere: *Actiones nostras etc., Pater noster etc. Dies, et actus nostros etc., Adiutorium nostrum etc., Dominus nos benedicit etc., Noctem quietam etc.* cum Confessione, *Benedicat, et custodiat,* et versiculum *Dominus det nobis suam pacem etc.* ea quidem ipsi adiudicari postulavit.

At S. R. C., «Minime ad Oratorem, sed ad Hebdomadarium, vel peragentem Officium, praedicta omnia spectare, declaravit» die 7. Augusti 1655.

1761. CIVITATIS CASTELLI.

Canonicis Cathedralis Ecclesiae Civitatis Castellii renuentibus assistere Praeposito in officiis Diaconi, et Subdiaconi, S. R. C., ad relationem Em̄i et Rm̄i D. Card. Aldobrandini, utraque parte informante, censuit: «Servandum esse Caeremoniale, et ideo Canonicos per turnum teneri in ministerio Diaconi, et Subdiaconi inservire Praeposito solemniter celebranti.» Die 7. Aug. 1655.

1762. MESSANEN.

Dignitates, et Canonici Metropolitanae Ecclesiae Messanen. institerunt in ea parte, qua ipsi demptus censetur usus Insignium Canonicalium moderari Decretum alias sub die 19. Decembris 1654. a S. R. C. emanatum, tenoris infrascripti, videlicet.

In causa etc. Vide supra num. 1748., ubi Decretum relatum est.

In quo sensu S. eadem C. omnino persistendum censuit, «et nullatenus minima vel in parte Decretum huiusmodi moderatione indigere, declaravit.» Die 7. Aug. 1655.

1763. SULMONEN.

Rector Ecclesiae SS̄nae Annunciationis in Ci-

vitae Sulmonensi petiit a S. R. C.: An ad ipsum, vel ad Parochum spectet absolutionis caeremoniam peragere super cadaveribus, quae deferuntur ad eius Ecclesiam?

Et S. eadem C. respondit: «Spectare ad Curatum.» Die 7. Aug. 1655.

1764. TAURINEN.

Archiepiscopus Taurinen. petiit a Sac. R. C. declarari.

1. An die solemnitatis Corporis Christi, quando in Metropolitana, seu Matrice Ecclesia solemniter Sacramentum expositum detinetur, liceat Regularibus eadem die Sacram similiter Hostiam expositam retinere in eorum Ecclesiis, et an id ab Ordinario prohiberi possit?

S. autem C. respondit: «Non licere Regularibus exponere SS. Sacramentum sine licentia Ordinarii.»

2. An distributio cerae in funeralibus sit regulanda tam in modo, quam in quantitate eadem forma, qua praecedentia servatur in incessu; ita ut ceras, quae ad manus dantur, primo Canonici, et Clerus Saecularis, deinde Regulares recipere debeant?

Et S. C. respondit: «Ordinarius utatur iure suo, et provideat.

3. An possit Archiepiscopus permittere usum Stolae singulis Cappellanis Congregationis SS̄ni Sacramenti noviter Taurini per eandem Civitatem inductum cum signo praedicto, ita ut in Processionibus, quae per annum ad honorem Corporis Christi magnificentissime peraguntur, liceat omnibus dietis Cappellanis praedicta Stola uti?

Et S. C. «Negative» respondit. Die 7. Augusti 1655.

1765. VERCELLEN.

Archidiaconus Vercellensis Cathedralis institit declarari: An Vicario generali competat deductio ab eius mansionibus ad Ecclesiam per Clericos, et a porta Ecclesiae ad Chorum per Beneficiatos, et ministratio aspersorii per Canonicum?

S. autem C. iussit: «Ad Vicarium dirigi literas, quibus ipse moneatur praedicta minime licere.» Die 7. Aug. 1655.

1766. LARITANA.

Capitulum, et Canonici Cathedralis Laritanae declarari postulantes: An potuerit Episcopus prohibere, ne, eo Sacris Missarum solemnibus pontificaliter incumbente, in eadem Ecclesia Missae privatae interim celebrentur?

Sac. R. C. «Affirmative» respondit. Die 28. Augusti 1655.

1767. MONOPOLITANA.

Monopolitanus Episcopus institit declarari du-

bia: An praesente, vel celebrante Episcopo, eius Vicarius generalis debeat habere locum in Choro supra omnes Dignitates, et Canonicos, praesupposito, quod habuerit certum, et determinatum locum post Canonicos; et an in actibus publicis ecclesiasticis, scilicet in Processionibus, interessente, seu Officium peragente Episcopo, idem Vicarius tamquam officialis ecclesiasticus praefendus sit Gubernatori regio, et Electis Civitatis?

Et S. R. C. respondit: « servandam esse consuetudinem. » Die 28. Augusti 1655.

1768. MONOPOLITANA.

Archidiaconus Cathedralis Monopolitanae petit: an ad ipsum, vel ad hebdomadariam spectent benedictiones, quae dantur ad Primam, et Completorium?

Et Sac. R. C. « Huiusmodi Benedictiones ad hebdomadariam privative quoad ipsum Oratorem omnino pertinere, respondit. » Die 28. Aug. 1655.

1769. NEOCASTREN.

Andreas Spanus Cappellanus maior Cathedralis Ecclesiae Neocastren., ad cuius favorem emanavit decretum a Sac. R. C. die 22. Augusti 1654., super assistentia Canonicorum in Missis solemnibus, et benedictione Fontis Baptismalis Sabbato Sancto, et Sabbato Pentecostes, opponentibus deinde Canonicis, eum non utique Dignitatem, sed simplicem Canonicum in Cathedrali praedicta existere; et quidem literis tandem ab Ordinario acceptis constituto, quod sit Dignitas habens adnexam curam Animarum, a S. R. C. postulavit, rursus ad eius favorem in hac parte rescribi; quae « Decretum emanatum omnino servari mandavit » die 8. Octobris 1655.

1770. CALARITANA.

Exposuit Capitulum Cathedralis Ecclesiae Calaritanae, nequaquam, ut Archiepiscopus asseruerat, in eadem Ecclesia usu receptas extitisse leges, et Caeremonias caeremonialis Episcoporum, ob idque supplicavit, Decretum Oratoribus receptum retinendum, et integrè servandum esse.

S. tamen C. enarratis minime attentis, « Caeremoniale praedictum a Capitulo, et Canonicis Calaritanae Ecclesiae omnino servari debere, » mandavit die 27. Nov. 1655.

1771. HIERACEN.

Dominicus Messitus Decanus Cathedralis Ecclesiae Hieracen. manuteneri postulavit in quasi possessione sedendi in sella, quoties Episcopo assistit.

S. autem C., « cum id Caeremonialis dispositioni nequaquam adversetur, consuetudinem Ecclesiae Hieracensis servari debere, » respondit. Die 27. Novembris 1655.

1772. ORTONEN. CAMPLEN.

Magistratus Ortonen. S. R. C. supplicavit, ut Episcopo iniungeretur, ne thuris praerogativa eos privaret, Missarum, et Vesperarum scilicet solemnibus interessentes, licet ipsi Episcopo e palatio Episcopali ad Ecclesiam accedenti nullatenus famulentur.

Sac. autem C. iussit responderi: « Lectum. » Die 27. Novembris 1655.

1773. BALNEOREGIEN.

Petit Episcopus Balneoregien.: an ab eius Vicario Generali, qui non est de numero Capitularium, possint praeintonari Antiphonae, nec non ius praefereendi competeret in receptione cereorum, et palmarum Dignitatibus, et Canonicis sacris vestibus redimitis.

Et S. C. utrique quaesito « Negative » responderi mandavit die 29. Ianuarii 1656.

1774. CESENATEN.

Institit Episcopus Cesenaten: An Episcopo Matutinis, aliisque horis Canonicis, et Vespertinis cappa, seu mozzetta induto interessente in Choro Canonicorum, Canonici teneantur assistere?

Et S. C. respondit: « Oretenus per Secretarium admonendum esse Episcopum Oratorem, ut in sua Cathedra existens Diaconorum assistentia deinceps uteretur, sed (cappa) vel mozzetta supra Rocchetum indutus in sede choralis manens horis Canonicis interesset, assistentiam Canonicorum nullatenus adhiberet. » Die 29. Ian. 1656.

1775. CIVITATIS PLEBIS.

Episcopus Civitatis Plebis ad S. R. C. transmisit formulam Litaniarum S. Antonii de Padua, quae recitantur a Fratribus Minorum de Observantia S. Francisci in eorum Ecclesia.

Et S. eadem C. iussit, « ad Episcopum dirigi literas, quibus moneatur, ut prohibeat recitationem praedictarum Litaniarum, et auctoritate S. C. cogat Fratres praedictos, ad consignandas ipsi Episcopo formulas omnes et singulas tum manu conscriptas, tum typis impressas, quasque ad S. C. transmittat. » Die 29. Ian. 1656.

1776. IANUEN.

Episcopus olim Marianen. declarari postulavit: An liceat Episcopum Ordinarium loci extra Cathedralis Episcopo extero, cui pontificalia demandet, Cathedralis sub Baldachino indulgere?

Et S. C. respondit: « Minime licere, sed eo casu Episcopum exterum, iuxta Caeremonialis dispositionem, faldistorio uti debere. » Die 29. Ianuarii 1656.

1777. LUCANA.

Moniales S. Nicolai Lucae declarari petierunt:

an plura initia Prophetiarum, quae proprium locum non habeant, sub unica conclusione recitari possint?

Et S. C. respondit: « Servandas esse Rubricas. »
Die 29. Ian. 1656.

1778. MEDIOLANEN.

Petiit R. P. D. Terzagus utriusque Signaturae Referendarius, et olim e numero Votantium Signaturae Iustitiae declarari: an ipsi extra Curiam, extra Ecclesias supra Rectores omnes, et Praepositos Ecclesiarum, nec non Canonicos Cathedralis praecedentia competeret?

Et S. R. C. iussit, « Oretenus significari, quod extra Curiam Romanam Referendariis uti Praelatis Papae, et non Ecclesiae nulla, intuitu Referendariatus, praecedentia competat, neque eos uti posse habitu Praelatitio, nisi alias fuerint Prototarii Apostolici. » Die 29. Ianuarii 1656.

1779. PRAGEN.

Archiepiscopus Sebasten. in partibus Infidelium Suffraganeus Emi D. Card. de Sbarrach Archiepiscopi Pragen. declarari postulavit: an ipsi uti Archiepiscopo supra Episcopum Littomerien. praesentem in Civitate, et Dioecesi Pragensi praecedentia competeret?

Et S. C., « ad Archiepiscopum uti Archiepiscopum maiori parte gradus supra Episcopum praecedentiam spectare, » respondit. Die 29. Ianuarii 1656.

1780. SYPONTINA.

Moniales S. Clarae, et S. Benedicti Civitatis Sypontinae declarari petierunt: An earum Abbatissae liceat in Choro adhibere baculum Episcopalem, eundemque liceat, cum exponantur Abbatissarum earumdem cadavera, earum manibus aptari, vel prope apponi?

Et S. C. iussit: « admoneatur Episcopus, ut huiusmodi abusus dirimat. » Die 29. Ian. 1656.

1781. CAMERINEN.

Curator Ruralis Terrae Matelicae Camerinen. Dioecesis supplicavit, ut S. C. Ordinario iniungere dignaretur, ne eum cogat ad interessendum Processioni Corporis Christi, quae quotannis in Terra Matelicae solemniter peragitur.

Et S. C., prout alias die 19. Decembris 1654. « Episcopo tunc Romae degenti oretenus sensum aperire iusserat, ne cogeret Oratorem, id etiam nunc literis Episcopo eidem repetendum duxit. »
Die 29. Ian. 1656.

1782. REGIEN.

R. P. D. Fidei Promotor exhibuit S. C. oppositiones super Instantia Civium Regien. in Longobardia addendi in Litaniis Sanctorum invocatio-

nem, et nomen S. Prosperi olim eorum Episcopi.

Et S. C. censuit, « nihil Oratoribus indulgendum esse. » Die 29. Ianuarii 1656.

1783. TROPIEN.

S. C. R., ad relationem Emi, et Rmi D. Card. Azzolini, declaravit, « Regulares ad funus vocatos teneri ad Cathedralis accedere, et inde ad domum defuncti, vel Ecclesiam, in qua reperitur cadaver debito ordine cum Capitulo, et Parocho procedere debere. Quod ut inconcusse servetur, S. eadem C. Episcopo, ut Regulares ad adimplementum huiusce Decreti etiam auctoritate Congregationis cogat, facultatem attribuit. » Die 19. Februarii 1656.

1784. CATAECEN.

Confratres SSmi Rosarii Terrae della Sellia Cataecen. Dioecesis a S. R. C. declarari postularunt: num eorum Cappellanum pro concinendis Missis, sepeliendis defunctorum cadaveribus, et confessionibus audiendis, teneatur simul a Vicario, et Curato licentiam petere, et a quo Curato, cum tres Curati reperiantur in eadem Terra?

Et S. C. respondit, « cumulative a Vicario, et a digniori Curato, intra cuius Parochiae limites sita est Ecclesia, seu publicum Oratorium Archiconfraternitatis Oratricis eius Cappellanum teneri huiusmodi licentiam petere. » Die 18. Martii 1656.

1785. CATAECEN.

Curatus, et Clerus Matricis Ecclesiae loci della Sellia Cataecen. Dioecesis ipsis adiudicari postularunt praerogativam incensi supra Dominum temporalem eiusdem loci.

Et S. R. C. iussit, « servari solitum, et nihil innovari. » Die 18. Martii 1656.

1786. GENUEN.

Capitulum, et Canonici Cathedralis Genuen. exposuerunt, quandoque post cantum Tertiae Archiepiscopo per horam accessum ad Ecclesiam prorogare: quare dubitarunt; an ab ipsis intuitu huiusmodi temporis interpositionis inter horam Tertiam, et Missam conventualem, foret, vel ne terminandum Officium cum recitatione Orationis Dominicae, vel Antiphonae, et Orationis B. M. V.?

Et Sac. R. C., « Nullatenus eo casu Officium terminari debere. » Die 18. Mart. 1656.

1787. POTENTINA.

Magister Caeremoniarum Cathedralis Ecclesiae Potentinae S. R. C. postulavit: num quotiescumque Canonicorum numerus dispar fuerit, eum Canonico seniori in processibus, quibus pari, et uniformi habitu induti intersunt, incedere teneatur?

Et S. Congr. « Affirmative, respondit, idque

Ordinario, ne secus servari permittat, sedulo iniungit. » Die 18. Mart. 1656.

1788. ALBINGANEN.

Episcopus Albinganen. declarari supplicavit, non posse Regulares absque Ordinariorum licentia exponere SSmum Sacramentum; idque posse ipsum Oratorem prohibere etiam auctoritate Congregationis.

Et S. C. iussit, « ad Episcopum dirigi literas, quibus ei facultas tribuatur procedendi etiam auctoritate Congregationis contra Regulares, qui inobedire ausierint. » Die 8. Apr. 1656.

1789. CALAGURITANA.

Capitulum, et Clerus Cathedralis Ecclesiae Calaguritanae a S. R. C. postularunt: num in Officio SS. Martyrum Hemeterii, et Celidonii, quod in tota Dioecesi die Martyrii eorumdem Sanctorum celebratur, recitare possent Lectiones cum hymnis, et Oratione propria a Sacra Rituum Cong. approbatas pro die translationis, Corporum eorumdem Martyrum; et an pro Festo translationis praedictae, in quo tamquam de Patrono principali cum Octava celebratur Officium proprium praefatum cum Lectionibus secundi, et tertii Nocturni pro diebus infra octavam, et octava desumendis ex Octavario Romano, typis mandare possint?

Et Sac. R. C. « Affirmative » respondit. At alteri quaesito: an scilicet de Patrono Dioecesis fieri posset Commemoratio inter communia Sanctorum suffragia? Respondit: « Posse; sed minime cogendos, qui recusaverint. » Die 8. Aprilis 1656.

1790. CASSANEN.

Emo et Rmo Dño Card. Sacchetto referente S. R. C. in causa Cassanen. iuris peragendi Processiones verten. inter utrasque Parochiales Ecclesias Terrae Saracena Cassanen. Dioecesis, declaravit: « Decretum ultimo loco emanatum quoad licentiam petendam a Parocho, intra cuius Parochiae limites ducenda est Processio, non comprehendere Processiones, quae fiunt in festo, et Dominica infra octavam SS. Corporis Christi. » Die 8. Apr. 1656.

1791. COLYMBRIEN.

Priorissa, et Moniales Iesu Ord. S. Dominici Colymbrien. Dioecesis facultatem attribui supplicarunt recitandi Officium duplex Baptismi D. N. Iesu Christi, quod haecenus sub ritu simplici recitarunt die 13. Ian.

Et S. C. respondit. « Lectum. » Die 8. Aprilis 1656.

1792. EPHESINA.

Archiepiscopus Ephesinus a S. R. C. declarari

postulavit: num Archiepiscopi titulares in aliena Dioecesi existentes praeferrri debeant Episcopis, et Archiepiscopis consecratione iunioribus, nec non aliis Episcopali caractere senioribus, sed gradu Archiepiscopali posterioribus, ut puta ad Ecclesiam Archiepiscopalem post ipsius Oratoris ordinationem translatis?

Et EE. PP. praedictae Congregationi praepositi, ad relationem Emi D. Card. Azzolini, « Affirmative, responderunt, extra tamen Ecclesiae ambitum, intra quam Ordinario privative, quoad omnes Episcopos, et Archiepiscopos etiam seniores, praecedentia competit. » Die 8. Apr. 1656.

1793. HYDRUNTINA.

Vicarius Capitularis Hydruntinae Ecclesiae declarari postulavit: num ipsi liceret sedile Episcopale, in quo Archiepiscopus conciones auditurus sedere consuevit, et in quo etiam Vicarius Archiepiscopi, eo absente, sedere solet, occupare?

Et Sac. R. C. respondit: « Neque ipsi, neque Vicario Episcopi in sedili huiusmodi sedere licitum. » Die 8. Apr. 1656.

1794. MEDIOLANEN.

Archiepiscopus Mediolanen. declarari postulavit, non licere Regularibus, nisi de licentia Ordinarii exponere SS. Eucharistiae Sacramentum.

Et S. R. C. iussit: « Oratori facultatem attribui, ut etiam auctoritate Congregationis contra inobedientes procedat. » Die 8. Apr. 1656.

1795. MEDIOLANEN.

Petiit Archiepiscopus Mediolanen. declarari, non licere Regularibus extra ambitum Conventus Processiones ducere, sine consensu Parochi, vel Ordinarii.

Et S. C., « ut contra inobedientes, et carentes peculiari Apostolicae Sedis privilegio, auctoritate etiam Congregationis procedat, facultatem eidem Oratori attribuit. » Die 8. Apr. 1656.

1796. THELESINA.

Referente Emo, et Rmo D. Card. Franciotto. S. R. C. declaravit: « Canonicos Cathedralis non posse Fratribus Conventualibus, neque aliis delegare ius deferendi Crucem in funeralibus, in praeiudicium Canonicorum Collegatae loci Cerreti Thelesinae Dioecesis. » Die 8. Apr. 1656.

1797. URBIS.

Tandem ipse Secretarius retulit abusum thurificandi Poenitentarios existentes in eorum confessionariis, duobus solemnioribus anni Solemnitatibus per Sacristam cotta indutum in Basilica Vaticana, quem Sacra Visitationis Congregatio ad S. R. C. dirimendum dimisit.

Et S. C. respondit: « Extra Chorum existen-

tium neminem thurificari debere: ideoque abusum praedictum tollendum, » imperavit. Die 8. Aprilis 1656.

1798. ALEXANDRINA.

Institerunt Civitatis Alexandrinae Decuriones ipsis thuris praerogativam debitam adiudicari immediate post Canonicos, etiam in Cathedrali Ecclesia, licet haecenus secus servatum fuisset.

At S. C. « Episcopo iniungendum imperavit, ut post Clerum tantum Oratores thurificari mandaret » die 10. Iunii 1656.

1799. AQUILANA.

Capitulo Cathedralis Ecclesiae Aquilanae petenti: num Vicarius generalis extra functiones ecclesiasticas, scilicet in sermonibus Synodalibus, aliisque Congregationibus, Dignitatibus, et Canonicis praefereendus esset?

« Affirmative respondendum » S. R. C. mandavit die 10. Iunii 1656.

1800. FULGINATEN.

Magistratus Fulginaten. Civitatis Sac. R. C. exposuit, elapsis annis annum viridem pro ornatu sedilis, quo in Cathedrali Ecclesia Divinis interessendo utitur, in rubrum commutasse, petiitque ei indulgere, ut eundem colorem in posterum adhibere posset.

S. autem R. C. « In pristinum cuncta restitui » mandavit die 10. Iunii 1656.

1801. HISPANIARUM.

Emanavit a S. R. C. Decretum die 20. Iunii 1654., quo declaratum extitit a Regularibus nullatenus prohiberi potuisse Parochis saecularibus, cadavera deducantibus ad Ecclesias eorumdem Regularium ingressum cum Stola, et Cruce in Ecclesias praedictas. Novissime tamen institerunt Parochi saeculares declarari: num Decretum praedictum intelligendum sit de eorum ingressu usque ad locum, in quo defuncti cadaver collocatur?

Et S. C. « Affirmative, respondit, dummodo tamen Parochi statim discedant e loco praedicto; et ad propria revertantur, liberum absolutionis caeremoniae a Regularibus peragenda locum illico dimittentes. » Ac ita Sac. R. C. servari mandavit die 10. Iun. 1656.

1802. LUBECEN.

Episcopus Lubecen. exposuit, haecenus, eo absente, vel impedito, functiones, quas ipse in Cathedrali celebrare mos est, Episcopo Petinen., quo idem utitur uti Vicarium in Spiritualibus, delegare consuevisse, quandoque tamen reclamantibus Dignitatibus eiusdem Ecclesiae, qui praetendunt ad eos huiusmodi functiones eo casu spectare; petiitque a S. R. C. declarari, potuisse, ac posse Ordina-

rium, cui libuerit, digniori tamen Dignitatibus ipsis, Ecclesiae functiones Episcopales commendare.

At Sac. R. C. « Id quidem intelligendum, respondit, de muniis Pontificalibus, quae a Dignitatibus, et Capitularibus impleri nequeunt: secus de iis, quae a Dignitatibus, et Capitularibus ipsis impleri possunt, quae alteri licet digniori, in praedictum Dignitatum, aliorumque Capitularium Episcopo demandari non licet. » Die 10. Iunii 1656.

1803. LUBECEN.

Episcopus Lubecen. a S. R. C. declarari postulavit, num possit ipse cogere Dignitates, ut ei, absentibus Diaconis, et Presbyteris Canonicis, in munere Diaconi assistentis inserviant?

Et S. eadem C. « Affirmative » respondit. Die 10. Iunii 1656.

1804. MACERATEN.

Cappellanus Curatus Praepositi S. Blasii Montis Milonis Maceraten. Dioecesis declarari postulavit, ipsi, in funeralibus, ratione Stolae, praecedentiam deberi, etiam supra alios quoscumque Sacerdotes Curatos simpliciter cotta indutos; prout in similibus alias S. eadem C. declaravit, quodque Em̄i Patres eidem Congregationi praepositi, « in loco praedicto servari iusserunt. » Die 10. Iunii 1656.

1805. PARISIEN.

Nuntius Apostolicus apud Galliarum Regem Em̄os Patres rogavit, ut dignarentur pro quiete conscientiae aliquorum Regularium decernere, num Regulares possent ultra Officia propria Sanctorum Ordinis recitare etiam Officia propria, quae habentur in Calendario Dioecetano?

Et S. C. iussit ad eundem Nuntium dirigi literas, quibus ei significetur, « non posse Regulares uti Calendario Dioecetano, sed tantum teneri ad recitationem Officii proprii Sanctorum Patroni principalis, scilicet Titularis Ecclesiae Cathedralis, et Protectoris Civitatis. » Die 10. Iun. 1656.

1806. PLACENTINA.

Episcopus Placentinus S. R. C. exposuit, antiqua Ecclesiae Placentinae consuetudine abolita, Canonicorum accessum ad Missam Pontificalem celebrandam; et eorumdem consensum eius lateri proximum ad praescriptum Caeremonialis ordinasse: ea quidem a S. C. approbari postulans.

Sacr. autem C. « supradictam praxim Caeremoniarum, iuxta Caeremonialis dispositionem in eius Cathedrali inductam nondum approbavit, sed eiusdem Episcopi zelum, et Canonicorum erga Sacros Romanae Ecclesiae Ritus singularem reli-

gionem plurimum commendavit: eosdemque, ut antiquis consuetudinibus, si quae supersunt, a Placentina Ecclesia revocatis, integram Caeremonialis Episcoporum observantiam amplectantur, in Domino hortatur, ac, ne semel amplexam dimittant, obstringit. » Die 10. Iunii 1656.

1807. SALERNITANA.

Capitulum, et Canonici Cathedralis Ecclesiae Salernitanae institerunt declarari, num Canonicus Caeremoniarum Magister munus expleturus, teneatur associare Acolythum thurificaturum Magistratus saeculares, ut haecenus per abusum quandoque servatum fuisse asseruerunt?

Et S. C. respondit: « Canonicum non solum minime teneri, sed nullo pacto debere huiusmodi servitia praestare, sed caeremoniis tantum praesse. » Die 10. Iunii 1656.

1808. SARZANEN.

Confratres Oratoriorum publicorum Terrae Pontremolis Sarzanen. Dioecesis S. R. C. supplicarunt: dignaretur Parochis eiusdem loci imperare, ne ipsis Oratoribus controverterent facultatem exponendi Sacramentum, et peragendi Divina solemnioribus anni diebus, necnon audiendi confessiones, et populum Sacra Comunione reficiendi in eorum publicis Oratoriis.

Et S. C. mandavit, « servari Decreta Synodalia, ac sine expressa Episcopi licentia praedicta peragere eisdem haecenus minime licuisse, » censuit. Die 10. Iunii 1656.

1809. SYPONTINA.

Supplicarunt Moniales S. Clarae Civitatis Manfredoniae prohiberi aliis Monialibus eiusdem Civitatis usum Baculi pastoralis, ac in Imaginibus S. Clarae pingere Pastorale, prout ipsis Oratrici- bus vetitum fuit Decreto S. C. dato die 29. Ian. praesentis anni.

Et Sac. C. iussit « Episcopo iniungi, ut cum caeteris etiam Monialibus Decretum S. C. exequatur. » Die 10. Iun. 1656.

1810. FESULANA.

Instiit Fesulanus Episcopus declarari, num occurrente Festo S. Romuli Protectoris Civitatis in Octava SS. Apostolorum Petri, et Pauli die Dominico, in Officio, et Missa sit recitanda nona lectio de Homilia, et legendum ultimum Evangelium Dominicae vel Octavae, cum alias in eadem Ecclesia, non occurrente tali festo in Dominica, consueverit recitari, et legi Homilia, et Evangelium ultimum de Octava?

Insuper: an occurrente die S. Marci infra Octavam Resurrectionis in Processionibus Rogationum sit adhibendus color violaceus in sacris indumentis?

Et S. R. C. iussit, oretenus Agenti praefati Oratoris responderi: « In Officio, et Missa respective recitandam Homiliam, et legendum Evangelium Dominicae, de Octava vero etiam non occurrente in Dominica fieri debere Commemorationem tantum; et in supplicatione Rogationum semper quocumque tempore adhibendum esse colorem violaceum. » Die 3. Ianuarii 1657.

1811. CAMERINEN.

Capitulum, et Canonici Collegiatae Ecclesiae S. Urbani de Apiro Camerinen. Dioecesis declarari institerunt: num Magistratus saecularis thurificandus esset post ipsos Oratores, et ante Beneficiatos novissime in eadem Ecclesia institutos?

Et Sac. Congr. iussit, dirigantur literae ad Ordinarium, qui mandet, « Magistratum thurificari immediate post Canonicos, modo quid relevans in contrarium non habuerit, quodque ad Sac. C. transmittat, et interim, ut praefertur servari iubeat. » Die 3. Ianuarii 1657.

1812. SURRENTINA.

Patres Theatini supplicarunt, iniungeretur Archiepiscopo, ne consuetudinem a multis annis inductam exponendi SS. Sacramentum novem diebus Nativitatem Domini praecedentibus, vellet abrogatam, illi non assentiendo.

At S. C. respondit: « nullatenus Regularibus licere exponere SS. Sacramentum, nisi de licentia Episcopi. » Die 3. Ianuarii 1657.

1813. ANDRIEN.

Confraternitas Laicorum SS. Sacramenti in Collegiata Ecclesia S. Nicolai Civitatis Andrien. exposuit, haecenus ante Decreta S. C. super delatione unice Crucis in funeribus, consuevisse per Confratres deferri ultra Crucem Parochi, proprium Crucifixum, qui est in maxima devotione populi, et supplicavit ipsi facultatem attribui antiquam consuetudinem reassumendi, et in posterum retinendi.

Sac. autem C. iussit, « servari Decreta. » Die 10. Martii 1657.

1814. BITUNTINA.

Instante Coadiutore Archidiaconi primae Dignitatis Bituntinae Cathedralis:

Sac. R. C., ut alias in similibus censuit, et declaravit: « Functiones quascumque, et munia, absente, impedito, vel recusante Episcopo, ad primam Dignitatem spectantia, eo absente, vel impedito ad ipsius Coadiutorem privative quoad caeteras Dignitates pertinere. » Die 10. Martii 1657.

1815. LUCANA.

Capitulo Cathedralis Lucanae petenti: An Presbyter Assistens, Diaconus, et Subdiaconus,

Cappellani Beneficiati in distributionibus candelarum, cineram, et palmarum celebranti Canonico ministrantes, dum idem mitratus Clero praedicta attribuit cooperto, vel obducto capite stare debeant: et an Cappellani Beneficiati praedicti teneantur feretrum cum cadavere Episcopi defuncti deferre, et possint ad id praestandum a Capitulo compelli?

S. R. C. respondit: Presbyterum assistentem, Diaconum, et Subdiaconum, Cappellanos Beneficiatos Canonico cum Mitra, candelas, cineres, et palmas distribuenti semper debere assistere stantes, discooperto capite. Ad feretrum vero cum cadavere Episcopi defuncti deferendum Cappellanos Beneficiatos nondum teneri, sed a Capitulo opportunis remediis compelli posse. » Die 10. Martii 1657.

1816. PLACENTINA.

Guardianus S. Mariae de Campania Placentiae petiit facultatem celebrandi Missam solemnem de Annuntiatione B. M. V., licet huiusmodi festum occurrat in Dominica Palmarum, ratione concursus.

Et S. C. iussit, « servari Rubricas, et negative Oratori responderi. » Die 10. Mart. 1657.

1817. SEGUNTINA.

Episcopus Seguntinus tria dubia declarari postulavit, scilicet.

1. An attento, quod ipse possit cogere Canonicos, et Clerum Cathedralis ad sumendam eius manibus die Iovis sancto infra Missarum solemnia sacram Communionem, possit similiter cogere quoscumque Sacerdotes ipsi Oratori in benedictione Sacrorum Oleorum ministrantes?

Et S. C. respondit « posse, et debere cogere etiam praedictos? »

2. An attenta contraria Seguntinae Ecclesiae consuetudine possit tollerare in diebus ferialibus infra tempus Paschale omittatur in Choro Officium parvum B. M. V.?

Et Sac. C. respondit: « non obstante qualibet contraria consuetudine, servandam esse constitutionem S. M. Pii PP. V.

3. An sit tolleranda consuetudo, ut Symbolum sub Organo moduletur?

S. C. respondit « abusum huiusmodi minime tollerandum, sed omnino per Episcopum provideri, ut integre intelligibili voce Symbolum decantetur, ita ut a Populo distincte audiri valeat. » Die 10. Martii 1657.

1818. SORANA.

Exposuit Abbas S. Michaelis Archangeli praetendi ab Archipresbytero S. Mariae in supplica-

tione S. Marci, cum lassus pedester iter prosequi nequeat, posse equum ascendere, et equitans a dextris ipsius Oratoris incedere.

Et S. C. iussit: « Vicario scriberetur, iniungat eidem Archipresbytero, ut abstineat, cum iter pedetentim prosequi non possit, et a Processione discedat. »

Insuper se gravatum asseruit Decreto Vicarii, ut in eius defectum solus debeat Archipresbyter praefatus in Processionibus incedere, et dignior Canonico suae Matricis Ecclesiae eius loco non sit admittendus a latere Archipresbyteri.

Et S. C. iussit, « Ponentem audiri, qui referat in proxima Congregatione. » Die 24. Martii 1657.

1819. TERNANA.

Episcopus Ternanus S. R. C. supplicavit, ut dignaretur declarare, num tollerabilis videretur abusus canendi carmina, vel alia quaecumque verba italo idiomate in Ecclesiis, in quibus reperitur expositum SS. Sacramentum?

Et Sac. C. respondit: « Minime tollerandum abusum huiusmodi, sed, vel adsit expositum Sanctissimum Sacramentum, vel non, omnino Episcopus idem prohibeat in Ecclesiis cantiones, vel quorumvis verborum cantum materno idiomate. » Die 24. Mart. 1657.

1820. BITUNTINA.

Petierunt Archipresbyter, et Dignitates Cathedralis Bituntinae. An Coadiutor primae Dignitatis praefendus sit Dignitatibus Coadiuto inferioribus?

Et S. R. C. respondit: « Coadiutorem praefendum esse coeteris Dignitatibus in obeundis muneribus, quae spectant ad Coadiutum: Verum in sessionibus, subscriptionibus, ceterisque praelationis actibus semper posthabendum esse omnibus Dignitatibus, quamvis Coadiuto inferioribus, superstite Coadiuto. » Die 9. Iun. 1657.

1821. CATAEN.

Archipresbytero Civitatis Tavernae Cataen. Dioecesis instante iniungi Vicario Foraneo observantiam Decreti a S. R. C. emanati Anno 1655. quo declaratum fuit nullam Vicario Foraneo competere praecedentiam.

Sacr. eadem Congr. mandavit « iniungeretur Episcopo, ut curet impleri, et servari Decretum praedictum, cogatque Vicarium abstinere a praelatione praelationis. » Die 9. Iun. 1657.

1822. MONOPOLITANA.

Portionarii Parochialis Ecclesiae S. Petri Monopolitanae Civitatis Sac. R. Cong. exposuerunt praetendi a Parocho, casu quo idem per se ipsum celebrare, vel quaevis solemnia peragere nolit, aut nequeat, ea pro arbitrio alteri demandare.

Sac. autem C. censuit: « Defectus Parochi in quibusvis solemnibus, et servitiis Ecclesiae praestandis supplendos esse per antiquiores Portionarios, eaque privative quoad reliquos simplices Presbyteros eiusdem Ecclesiae ministerio addictos, ad Portionarios Oratores pertinere. » Die 9. Iunii 1657.

1823. MONOPOLITANA.

Capitulum Cathedralis Monopolitanae declarari postulavit, num Episcopus cogere possit Canonicos, quos in via invenit, ut ipsum ad locum, ad quem accedit, comitentur?

Et S. R. C. respondit: « Canonicos laudandos esse, si iidem Episcopo huiusmodi obsequia praestent, sed non cogendos. » Die 9. Iun. 1657.

1824. MONTIS REGALIS.

Augustinus Taddaeus Rector Ecclesiae Parochialis B. M. V. de plebe Cunei Dioecesis Montis Regalis Provinciae Taurinen. declarari postulavit: non potuisse, nec posse Regulares quoscumque, etiam Societatis Iesu, exponere SSmum Sacramentum in eorum Ecclesiis, nisi de licentia Parochi, intra cuius Parochiae limites sita est Regularis Ecclesia.

At S. C. respondit: « Regularibus licentiam Episcopi satis esse. » Die 9. Iunii 1657.

1825. POLIGNANEN.

Archidiaconus Cathedralis Polignanen. S. C. supplicavit, declarare dignaretur: An Vicarius Episcopi, in sede separata a stallis choralibus sedere solitus, posset arbitrio stallum in Choro petere?

Et S. C. respondit: « Vicarium praefendum esse Archidiacono: verum ubi idem consuevit sedere in sede separata, eum pro arbitrio non posse stallum Archidiaconi occupare. » Die 9. Iunii 1657.

1826. RIPAETRANSONEN.

Episcopus Ripaetransonen. exposuit. Magistratum eiusdem Civitatis, ex quo Orator ipse eidem accedenti ad palatium Episcopale campanulam pulsari vetuerit (qua numquam utitur, tametsi ea uterentur sui Antecessores) abstinere ab accessu ad palatium, et associatione Episcopi ad Ecclesiam.

Et S. C. respondit: « Episcopum non Cardinalem non debere uti campanula, eoque casu, quo Episcopus, ut decet, eam numquam adhibeat, iniuste Magistratum conqueri, et cogendum ad solita obsequia Oratori praestanda. » Die 9. Iunii 1657.

1827. TOLFAE.

Vicarius Tolfae S. C. supplicavit, dignaretur

declarare, quod Fratres Mendicantes teneantur associare Processionem Rogationum in reditu usque ad Collegiatam Ecclesiam, et nullatenus valeant pro arbitrio ad eorum conventus redire.

Et S. C. « nondum teneri Regulares ad associationem huiusmodi usque ad Collegiatam, verum ad id praestandum cogi posse, » respondit. Die 9. Iunii 1657.

1828. TROPIEN.

Antonius de Alulys Tropien. institit, iniungi Vicario Capitulari, ut amoveat suspensionem a celebratione in Altari Cappellae eius patronatus positam a defuncto Episcopo, ex quo sub suppedaneo Altaris condita sint defunctorum cadavera.

Et Sacra Congr. respondit: « Nihil. » Die 9. Iun. 1657.

1829. VIGLEN.

Episcopus Viglen. in Dalmatia exposuit a Fratribus minoris observantiae elapsis annis in eorum Ecclesia expositam fuisse Iconem super Altari, in qua picta videretur imago cuiusdam Episcopi in inferno trunco capite mitrato existentis (ut aiunt Fratres factum in Chronico Franciscano relatum) quod quidem cum gravi irrisione, et scandalo, nec non in grave Dignitatis Episcopalis discrimen a Fidelibus inspicitur: ideoque supplicavit Fratribus iniungi amotionem, et deturpationem eiusdem Episcopi ex Icone praedicta.

Et S. C. Oratori « facultatem attribuit amovendi eandem Iconem, et deturpata Episcopi Imagine, restituendi illam Oratoribus, nullatenus tamen ab eis publico in loco in posterum collocandam. » Die 9. Iunii 1657.

1830. EUGUBINA.

Ab Episcopo Eugubino S. R. C. recursum est, in Ecclesia S. Ubaldi sita extra Civitatis eiusdem moenia a Monachis Baldachinum Abbatis erectum semper retineri, quod cum S. C. decreto prohibeatur, et tribus tantum diebus festivis Abbati Pontificaliter celebranti Baldachinum huiusmodi, et Cathedram erigere indultum sit:

Em̄i DD. eidem Sac. C. praepositi « Episcopo Eugubino facultatem tribuerunt, ut auctoritate Congregationis Baldachinum ab Ecclesia praedicta amoveri iubeat, et nisi Monachi paruerint, eos opportunis remediis compescat. » Die 30. Iun. 1657.

1831. PUTEOLANA.

Decanus, et Canonici Cathedralis Puteolanae declarari petentibus: an absente Episcopo a Processione SSm̄i Corporis Christi, Sacramentum deferente Decano, vel Canonico, sacris vestibus induti Oratores interesse debeant?

S. R. C. « Affirmative respondit, et Caeremo-

nialis dispositionem cap. 33. lib. 2. servari, » mandavit die 30. Iun. 1657.

1832. REATINA.

Populus Terrae Antrodoci Reatinae Dioecesis exposuit, presbyteros Collegiatae hactenus duabus Crucibus in defunctorum funeribus uti consuevisse, ex quo fructus Monasterii S. Augustini, olim suppressi, mensae capitulari applicati fuerunt.

Et S. R. Cong. censuit: « Abusum huiusmodi omnino tollendum esse, et Capitulum, seu Presbyteros in posterum sub unica tantum Cruce in funeribus incedere debere, » declaravit. Die 30. Iunii 1657.

1833. CALAGURITANA.

Ad relationem Em̃i D. Card. Pallotti, iuribus utriusque partis mature perpensis, atque discussis, Em̃i PP. S. R. C. praepositi in causa praeminentiarum verten. inter Abbatem, et Monachos S. Mariae de Nayera Calaguritanae Dioecesis ex una, et Cappellanos Saeculares Ecclesiae S. Crucis eiusdem loci partibus ex altera, iuxta alias resoluta in eadem causa die 7. Decembris 1630. decreverunt: « Praecedentiam deberi Cappellanis Saecularibus S. Crucis supra Monachos Cassinenses praefatos. » Die 4. Augusti 1557.

1834. DUBIUM.

Institutum fuit declarare dignarentur PP. Em̃i; an, attenta immemorabili, Praepositus alicuius Ecclesiae tuta conscientia possit inter Missarum solemniam uti baculo, et annulo, nec non Pontificali more Populo benedicere?

Et S. C. respondit: « Non posse, nisi constituto sibi de speciali Sedis Apostolicae indulto. » Die 4. Aug. 1657.

1835. EUGUBINA.

In proxime praeterita Congregatione S. R. C. iussit, ut facultas tribueretur Episcopo Eugubino auctoritate Congregationis amoveri faciendi baldachinum, et sedem ab Ecclesia S. Ubaldi, si illa Canonicis Lateranensibus, extra tres dies ipsis indultos, in praefata eorum Ecclesia reperta fuerint. At Canonicis Regularibus praedictis instantibus, ne facultas huiusmodi Episcopo Eugubino etiam adversario, sed Em̃o Legato Urbinaten. traderetur, literae Episcopo iam conscriptae minime transmissae fuerunt. Verum, re maturius discussa, PP. iusserunt literas iam conscriptas Procuratori Episcopi consignari, ut eius sit facultas amovendi, cuius est praedictum, ut praedicta dietim in Ecclesia Regulari detineantur. Die 4. Augusti 1657.

1836. GIENNEN.

S. R. C. Dubiis datis pro parte Ecclesiae Gien-

nen.: an scilicet tradere candelam benedictam, cineres, palmam, et huiusmodi Celebranti spectet ad Archidiaconum, absentibus Episcopo, et Decano, etiamsi Dignitas Archidiaconalis non sit Presbyteralis, vel Archidiaconus pro tempore non sit alias in Sacris Ordinibus constitutus? Respondit: « praedicta spectare ad primam Dignitatem, vel Archidiaconum privative quoad inferiores Dignitates, et Canonicos. » Die 4. Aug. 1657.

1837. MONTIS REGALIS.

Capitulum, et Canonicis Collegiatae Ecclesiae S. Iacobi de Bene Dioecesis Montis Regalis petentibus declarari.

1. An Parochus, et Clerus Ecclesiae Parochiali Matrioni addieti sint praeferendi Capitulum, et Canonicis Collegiatae?

2. An Parochus Protonotarius Apostolicus uti possit Almutia?

3. An in Synodo Dioecesana Capitulum Collegiatae sit Parochus Matricis Ecclesiae preferendum?

4. An valida sit erectio Collegiatae auctoritate Ordinaria, ob idque Collegiata auctoritate Apostolica erecta videatur praeferenda antiquiori Collegiatae, sed novissimis hisce temporibus erectae auctoritate Ordinaria?

S. C. responderi mandavit. Ad 1. « Capitulum, et Canonicos Collegiatae Parochus Matricis Ecclesiae in omnibus praeferendum esse. »

Ad 2. « Parochum uti Protonotarium Almutia nullatenus uti potuisse. »

Ad 3. « In Synodo Canonicos Collegiatae praeferendos esse cuilibet Parochus etiam Matricis Ecclesiae eiusdem loci. »

Ad 4. « Erectionem Collegiatae auctoritate Ordinaria, cui saltem Auctoritas Apostolica minime accesserit, penitus nullam nequaquam sustineri, et Collegiatae canonice erectam ius praelationis acquisivisse super caeteris a die expeditionis Litterarum Apostolicarum. » Et ita servari mandavit die 4. Aug. 1657.

1838. SANCTI MINIATI.

Capitulum, et Canonici Castri Franci Dioecesis S. Miniati declarari postularunt: an Crucem propriam adhibere valeant in funeralibus cadaverum, quae humana deferuntur ad Ecclesias Regularium?

Et Sac. C. « Affirmative respondit, videlicet, usque ad portam Ecclesiae Regularis tantum. » Die 4. Aug. 1657.

1839. TARVISINA.

Ad aures Em̃orum Patrum S. R. C. praepositorum pervenit, in Parochialibus, et Oratoriis abusus irrepisse, ut Missae votivae quandoque

cum *Gloria*, et *Credo* de aliquo Sancto in Protectorem, et Patronum Congregationum inibi erectarum electo celebrentur: « Praesenti igitur Decreto. »

S. eadem C. praecipit: « Ne quid in posterum contra, vel praeter Rubricarum praescriptum sub poenis in Constitutionibus Pontificiis contentis servari ab Ordinariis permittatur, sed tantummodo die tituli quorumlibet Ecclesiae, et Oratorii de Sancto Titulari Missae cum *Gloria*, et *Credo* celebrentur. » Die 4. Aug. 1657.

1840. ANDRIEN.

Capitulum Collegiatae Ecclesiae S. Nicolai Civitatis Andrien. instituit declarari, nullatenus teneatur interesse Processioni, quae de B. Virgine de Carmine ab Ecclesia Cathedrali quotannis celebratur.

Et Sac. R. C. « Nedom instantiam Oratorum admisit, sed nullo sub praetextu huiusmodi Processioni, vel aliis quibuscumque solemnitate eiusdem actibus, quae a Cathedrali celebrantur, cogi potuisse, declaravit, et in posterum minime cogendos esse, » decrevit. Die 15. Septemb. 1657.

1841. FIRMANA.

Dignitates, Canonici, et Coadiutores Metropolitanae Ecclesiae Firmanae S. R. C. consuluerunt, quatenam inter ipsos praelationis disciplina servanda foret? pacem Divinae vocis imperio Ecclesiasticis viris potissimum relictam, et commendatam alias amittere metuentes, si quempiam suo iure eos fraudare contingeret.

Sacra autem Congregatio Ecclesiarum omnium stabilienae charitati praesertim addicta, et pari studio sollicita, declaravit, « Coadiutori etiam primae Dignitatis qualemcumque clausulam in literis Apostolicis expressam minime suffragari, quin ipse ultimae Dignitati, tametsi annuali, digniorem locum deferre teneatur, tum praesente, tum absente Coadiuto, cuius tamen vicibus in obeundis muneribus, quae spectant ad ipsum Coadiutum, privative etiam quoad Dignitates reliquas, ius illaesum Coadiutori servavit, prout aliarum Dignitatum insignia, sacraque indumenta ipsimet Coadiutori, et supra Canonicos omnes in quibuscumque actibus locum deberi, » decrevit. Die 15. Sept. 1657.

1842. GALLIARUM.

Monachi Vindonicens. Ordinis S. Benedicti in Gallia Nullius, seu Carnoten. Dioecesis S. R. C. supplicarunt, dignaretur eis facultatem tribuere transferendi Festum Dedicationis eorum Ecclesiarum, quod cadit ipso die SS. Trinitatis Titularis celebritatis (sic).

Et S. C. mandavit « servari Rubricas, quibus disponitur Festum Dedicationis tamquam dignius celebrandum esse die, quo cadit, celebritatem vero Titularis in sequenti transferendam esse. » Die 15. Sept. 1657.

1843. GRANATEN.

Exposuit Archiepiscopus Granaten. a Regio Magistratu novissime controverti coeptum delationem sellae in Processione Corporis Christi, qua haecenus sine ulla contradictione media inter ipsum Archiepiscopum, et Magistratum ab immemorabili tempore in huiusmodi, aliisque solemnibus Processionibus deferri consuevit.

Et Sac. Congregatio iussit: « servari Decretum emanatum Anno 1608. die 10. Maii, etiam in Processione SS. Corporis Christi. » Die 15. Septembris 1657.

1844. POLIGNANEN.

Vicarius Polignanen. exposuit ab Archidiacono Cathedralis ei controverti primum stallum in Choro.

Et Sac. C. iussit: « servari eiusdem Ecclesiae consuetudinem; at si eadem fuerit favorabilis Vicario cogatur Archidiaconus, ut praedictum stallum Oratori deserat. » Die 15. Sept. 1657.

1845. SARSINATEN.

Francisco Fabiano Canonico Poenitentiaro, et olim Canonico Subdiacono eiusdem Cathedralis Ecclesiae Sarsinaten. petenti: An Canonicis Presbyteris, qui Canonicatum adepti sunt, postquam ipse Orator praebendam Subdiaconali potiretur, de nova tandem Presbyterali, et Poenitentiali provisos, idem praefendus videatur?

Sac. R. C. respondit: « Eum retinere debere locum possessionis novae praebendae, Subdiaconalis nullatenus attentata possessione. » Die 15. Septembris 1657.

1846. SEGUNTINA.

Episcopus Seguntinus declarari supplicavit: an etiam Sacerdotes, qui non sunt de gremio Cathedralis Ecclesiae, vocati tamen ad ministrandum in consecratione Sacrorum Oleorum feria V. in Coena Domini teneatur e manu Episcopi Sacram Communionem inter Missarum solemnias sumere?

Et S. R. C. censuit: « Sacerdotes etiam praedictos teneri Sacram Eucharistiam accipere e manu Episcopi celebrantis. » Die 15. Sept. 1657.

1847. SENOGALLIEN.

Retulit E. D. Cardinalis Pallottus causam differentiae vertentis inter Capitulum Collegiatae, et Fratres Ordinis S. Augustini loci Corinaldi Senogallien. Dioecesis circa trinas Processiones, quae quotannis ab iisdem Fratribus per Terram praedictam, duci, et celebrari ab immemorabili tem-

pore consueverunt cum interventu musicorum proximorum sacris Reliquiis incenduntium?

Et S. R. C. iussit: « Servari solitum, et nihil innovari: et non exinde quodlibet praeeminentiae ius musicis resultare, sed simplicis eorumdem obsequii, ac servitii rationem percipi posse, » declaravit. Die 15. Septembris 1657.

1848. ANDRIEN.

Instantibus Confratribus Societatis SS. Sacramenti erectae in Ecclesia Collegiata S. Nicolai Civitatis Andriae.

S. R. Cong. declaravit: « Nondum ipsos, sed reliquas eiusdem loci Confraternitates a delatione Crucis in funeralibus abstinere debere, nec potuisse, vel posse iisdem Oratoribus, vel exteris numerum Confratrum praescribi, itaut, quotquot fuerint admittendi, sint. » Die 17. Nov. 1657.

1849. FOROLIVIEN.

In causa controversiarum vertente inter Capitulum Cathedralis, et Magistratum Civitatis Forolivien. circa salutandam habendam a Concionatore, et praecedentiae rationem in reliquis inter eosdem servandam.

S. R. C., referente Eñio D. Cardinali Sfortia, declaravit, et censuit, « Canonicos canonicali habitu indutos praesertim in Divinis, aliisque functionibus ecclesiasticis Magistratui Civitatis semper praefereandos esse. » Die 17. Novemb. 1657.

1850. GRANATEN.

Rursus Procurator Archiepiscopi Granaten. institit declarari: ut delatio sedis, et sessio in Processione Corporis Christi sit de ritibus Ecclesiae.

Et S. C. respondit: « Archiepiscopus gaudeat impetratis: siquidem satis esse censuerit pro huiusmodi declaratione, quod Congregatio in ea re aliquod rescripserit, nisi enim esset de ritibus, S. eadem C. ad ipsam huiusmodi rem nullatenus spectare respondisset. Verum posse clarius Decretum concipi, » Patres addiderunt, ut infra.

GRANATEN. Exposuit Archiepiscopus Granaten. a Regio Magistratu ei in Processione SSmi Corporis Christi controverti coeptum delationem, et positionem sellae pontificalis, quae haecenus media inter Archiepiscopum, et Magistratum ab immemorabili tempore deferri, et collocari tum in huiusmodi, tum in aliis solemnibus Processionibus consuevit.

Et S. R. C. « Decretum emanatum anno 1608. die 10. Maii, etiam in Processione SSmi Corporis Christi rervari, » mandavit die 17. Novembris 1657.

1851. NERITONEN.

Capitulum Cathedralis Neritonen., S. R. C.

supplicavit eis indulgeri, ut Anniversaria defunctorum, ut haecenus ex permissione Episcoporum egerunt, possint in posterum feriis secundis cuiuslibet hebdomadae, licet a Testatoribus certis diebus assignata, absolvere?

Et S. C. respondit: « Tuta conscientia nullatenus potuisse, nec posse huiusmodi consuetudinem inducere, et retinere. » Die 17. Novemb. 1657.

1852. SEGUNTINA.

Instante Episcopo Seguntino, S. R. C. declaravit, « feria V. in Coena Domini eos Presbyteros, ac Diaconos, qui sacris indumentis amicti in consecratione Sacrorum Oleorum ministrant, tametsi iidem non fuerint de gremio Cathedralis, in communione, aliisque actibus praefereandos esse reliquis Sacerdotibus, ac Diaconis, qui sacris nullatenus induti de gremio tamen Cathedralis existunt. » Die 27. Novemb. 1657.

1853. ANDRIEN.

Confraternitas SS. Sacramenti erecta in Ecclesia Collegiata S. Nicolai Civitatis Andriae S. C. supplicavit, ei facultatem attribui erigendi propriam Crucem in funeribus, ut haecenus consuevit; aut saltem declarari, ut Decretum unice Crucis adhibendae in funeribus, non tantum ipsam Oratricem afficiat, sed servari inviolabiliter debeat ab omnibus cuiuscumque Ecclesiae tum Saecularibus, tum Regularibus, nec non Confraternitatibus, et Societatibus, vel quovis alio nomine nuncupatis etiam utriusque sexus laicorum coetibus. « Quod quidem S. R. C. a praedictis omnibus indiscriminatim servari debere, mandavit, firmo tamen in reliquis quoad ipsam S. Congr. Decreto Fabritii Carafa olim Episcopi Bituntini. » Die 1. Decembris 1657.

1854. BAREN.

Capitulum Collegiatae Ecclesiae loci Terlicij Nullius Dioecesis Provinciae Baren. supplicavit, declarare dignaretur. 1. An Canonici Collegiatae attenta immemorabili consuetudine, possint in Ecclesiis Regularium super defunctorum cadaveribus absolutionis caeremoniam peragere, ac tertia die ab humatione cadaverum, ibidemque valeant eis exequiis celebrare? 2. autem. An Regulares, sine licentia, vel praesentia Parochi, possint a domibus defunctorum cadavera extrahere ad eorum Regularium Ecclesias deferenda?

Et S. C. iussit: « Dari Decreta, quibus alias firmatum extitit in Regularium Ecclesiis, qualibet in contrarium non obstante inducta consuetudine, ipsi tantum assentientibus, Clerum Saecularem posse absolutionem, et Missas defunctorum huiusmodi celebrare, e contra vero Regularibus non

licere cadavera e donibus defunctorum extrahere, nisi de licentia Parochi.» Die 1. Decembris 1657. Decretum hoc confirmatum fuit die 16. Martii 1658.

1855. FIRMANA.

Archipresbyter insignis Collegiatae Civitatis novae Firmanae Dioecesis Declarari postulavit, licere Sacerdoti deferenti in Processione Sanctorum Reliquias tecto capite incedere.

At S. R. C. « Negative respondit: scilicet sine bireto eas a Sacerdotibus quavis Dignitate fulgentibus deferendas esse.» Die 1. Decembris 1657.

1856. ISERNIEN.

Vicario Generali Iserniens. postulanti: An prima Dignitas Cathedralis, post Pontificalem Missarum solemniam in Dominicis peractura teneatur Chorum aspergere?

« Affirmative S. R. C. respondit, imo ad haec etiam cogendam esse Dignitatem praedictam, quatenus ipsa debeat successive Missarum solemniam persolvere.» Die 1. Decembris 1657.

1857. PRAGEN.

Archiepiscopus Sebasten. Suffraganeus Pragensis exposuit, ei a Dignitatibus Metropolitanis in aliquibus praecedentiam controversi.

Et S. R. C. « Archiepiscopo titulari, aequae ac Archiepiscopo de residentia, praelationem et obsequia debere, respondit, siquidem, etsi diversae sint sedium sortes, tamen Praesulum iura semper eadem permanent, cum utique detur Catholicae Religionis hostibus vim actui, non tamen habitui potestatis, et iurisdictionis inferre, qua fraudatur Episcopalis Dignitas, non minuitur: ac propterea Archiepiscopus Oratorem caeteris Dignitatibus Archiepiscopali inferioribus ubique, et in omnibus praefereendum esse » declaravit. Die 1. Dec. 1657.

1858. PUTEOLANA.

Cantor tertia Dignitas in Cathedrali Puteolana a S. R. C. declarari postulavit: an caeteri Canonici, et Dignitates eum sequi teneantur accedentem ad Legile pro canendis Antiphonis: et an in distribuendis Sequentiarum versiculis sit ab ipso servandus ordo Canonicorum, vel eius arbitrio praedicta possint assignari: ac an primum Sequentiae versus integrum canere, vel inchoatum aliis dimittere absolvendum debeat? Tandemque: an qui absentis hebdomadarii partes explere inchoaverit, eidem hebdomadario mox adveniendi similiter terminandas dimittere teneatur?

Et S. C. ultimo tantum quaesito respondendum esse duxit, scilicet: « Officium, a quo fuerit inchoatum omnino conficiendum esse. » Reliquis vero propositis dubiis respondere distulit usque-

dum ab Ordinario Puteolanae Ecclesiae praxim audierit. Die 1. Dec. 1657.

1859. LEODIEN.

Ioannes Antonius Episcopus Dionisiensis Suffraganeus Episcopi Leodiensis a S. R. C. declarari postulavit: an ipsi Episcopo Suffraganeo, vel Praeposito, et Decano primis Ecclesiae Cathedralis Leodien. Dignitatibus praecedentia competat?

Et eadem S. R. C. « Episcopo Titulari, aequae ac Episcopo de Residentia, praelationem, et obsequia debere, respondit. Siquidem etsi diversae sint sedium sortes, tamen Praesulum iura semper eadem permanent. Cum utique detur Catholicae Religionis hostibus vim actui, non tamen habitui potestatis, et iurisdictionis inferre, qua fraudatur Episcopalis Dignitas, non minuitur: ac propterea Episcopus Oratorem caeteris omnibus Dignitatibus Episcopali inferioribus ubique, et in omnibus praefereendum esse » declaravit. Die 1. Decembris 1657.

1860. MEDIOLANEN.

Die 6. Ian. 1658. Vigilia Epiphaniae. Absolutis Vesperis in Cappella Palatii Quirinalis Em̄is PP. S. R. C. praepositis in aula Paramentorum congregatis, postquam ex ea SS̄nus discesserat, litteras Archiepiscopi Mediolanensis ad eandem S. C. directas retuli, quibus precipiebatur Principem Trivultium eidem Archiepiscopo postulasse, ut ei in Ecclesia munus traditionis habitus aurei velleris expleturo, baldachino uti permetteret. Et praefati Em̄i DD. « praedicti Principis instantiis nullatenus annuendum esse censuerunt, ac Archiepiscopo rescribi iusserunt, baldachinum in Ecclesiis, Oratoriis, aliisque Sacris quibusvis locis, cuicumque praedicta peragenti non competere.

1861. CAIETANA.

Canonicis Ecclesiae Cathedralis Caietanae instantibus Sac. R. C. ad tria dubia proposita, ut infra, responderi mandavit.

« Ius deferendi Venerabile Sacramentum, et Reliquias in Processionibus spectare ad Hebdomadariam, Missarum solemniam peracturam post supplicationem vel qui immediate ante supplicationem eadem peregerit, privative quoad reliquos etiam Dignitates, et seniores Canonicos, tam absente, quam nolente Episcopo, praedicta munia subire.»

« Et non licere Episcopo pervertere, vel immutare ritum Processionum praescriptum a Caeremoniali, et Rituali Romano, neque de consensu Capituli.» Die 26. Ian. 1658.

1862. CONCHEN.

Ad Dubia per Caeremoniarum Magistrum Ca-

thedralis Conchen. in S. R. Cong. exhibita, Emi Patres responderi iusserunt.

« Episcopum in Processione Corporis Christi a privata Populi benedictione cessare debere. »

« Quoad Baculi usum, etiam in Processionibus SS. Sacramenti servandum esse Caeremoniale Episcoporum in cap. 17. lib. 1. »

« In Ordinationibus, quae fiunt Sabbato quatuor Temporum, tametsi occurrat aliquod Festum duplex, Missam celebrari debere de Feria cum Oratione pro Ordinandis, et reliquis Suffragiis sine commemoratione Sancti currentis. »

« In Missam Ordinationum praedicta, etiamsi occurrat Festum duplex, facienda consueta Suffragia, ac Missam, prout iacet, ac si non esset Festum duplex, celebrandam. » Die 26. Ianuarii 1658.

1863. ISERNIEN.

Vicarius Iserniensis declarari supplicavit: an prima Dignitas, absente Episcopo, cantatura nominam Lectionem, petendo benedictionem, teneatur dicere: *Iube Domine*, vel *Domne*? Et S. Cong. « Procuratorem oretenus admoneri iussit, quod prima Dignitas praedicta in casu proposito teneatur dicere *Iube Domne*. » Die 26. Ian. 1658.

1864. NEAPOLITANA.

Nonnulli Episcopi Neapoli degentes prohiberi supplicarunt Vicario generali Archiepiscopi Neapolitani usum sumendi paramenta ex Altari, plurium inservientium, bugiae, et quatuor candelarum in Missae celebratione.

Et S. C. iussit, « Literas ad Archiepiscopum praedictum, alias hac in re directas, iterum rescribi, aut eius Agenti significari, sensum Congregationis esse, ut idem Emus faciat Vicarium a praedictis abstinere. » Die 26. Ianuarii 1658.

1865. SURRENTINA.

Archiepiscopus Surrentinus declarari postulavit: an a Celebrante, vel prima Dignitate sint apud Altare accipiendae oblationes Intortitorum, et Calicis, quae fiunt a Magistratu in praecipuas Sanctorum solemnitatibus?

Et S. C. respondit: « accipiendas esse a Celebrante ad Offertorium, vel Missa absoluta; extra vero Missarum solemnia, a prima Dignitate, vel digniore Ecclesiae Presbytero praesente. » Die 26. Ianuarii 1658.

1866. TRANEN.

Archiepiscopus Nazareus institit declarari: quinam locus ei competat in Ecclesiis Saecularibus, et Regularibus Baroli, si eum interesse contigerit concionibus, praesente Vicario Archiepiscopi Tranen. Ordinarii?

Et S. C. respondit: « Archiepiscopo Nazareo Oratori extra Ecclesiam ei in Cathedralem assignatam, sine tamen baldachino, competere locum digniorem magis ornatum, et separatam a loco Vicarii generalis. » Die 26. Ianuar. 1658.

1867. ULADISLAVIEN.

Episcopus Uladislaviensis exposuit ex capitularibus tres in eius Cathedrali nunc reperiri, qui Episcopali Dignitate in partibus infidelium sunt insigniti, Episcopum Spingensem, qui Decanatus Dignitatem simul obtinet; Episcopum Suffraganeum, qui Praebenda Canonicali gaudet; et Praepositum, cui nuper collatus est Episcopatus in partibus. Quare, attento, quod Suffraganeus, nisi sit Canonicus, locum non habeat in Capitulo; verum si fuerit Canonicus, inibi sedeat loco digniori, ac sententiam, et suffragium ferat loco suae receptionis in Canonicum; S. C. supplicavit, dignaretur declarare: quoniam ratio in sessionibus capitularibus inter praedictos habenda sit?

Et S. C. respondit: « Suffraganeum Canoniceum, necnon Dignitates Capitulares, vel Praebendas Canonicales obtinentes, iuxta Ordinum gradus, vel promotionis ad Ordinem Pontificalem in sessionibus huiusmodi, locum occupare debere supra caeteras Dignitates, et reliquos Canonicos eiusdem Ecclesiae; sed loco suae admissionis ad possessionem Dignitatum Capitularium, vel Canonicatum, sententiam, et suffragium dare debere. » Die 26. Ian. 1658.

1868. IACEN.

Clerus Iacen. in Regno Aragoniae declarari supplicavit: an, attenta immemorabili, contra dispositionem Rubricarum, possint recitari secundae Vesperae de Titulari, et non primae Nativitatis S. Ioannis Baptistae?

Et S. C. respondit: « servandas esse Rubricas, et contrariam immemorabilem esse abusum. » Die 16. Mart. 1658.

1869. FESULANA.

Episcopus Fesularum declarari postulavit: an Officium Dedicacionis Ecclesiae Cathedralis in ipsa Cathedrali tantum, aut etiam in tota Civitate cum Octava recitari debeat, vel prout in Dioecesi (praeterquam in Cathedrali) in reliquis Civitatis Ecclesiis sub duplici sine Octava? rationem dubitandi assignans, ex quo *Barbosa*, et *Gavantus* Decretum *Conchen.* emanatum, die 2. Maii 1619., uti legem universalem, et ubique locorum observabilem, afferant.

Et S. C. declaravit: « Decretum praedictum, attenta tantum immemorabili, quamvis in eo non expressa, ab ipsa Congregatione emanatum, et evul-

gatum fuisse, in eis que terminis tantummodo huiusmodi Decretum alibi observari, et locum habere posse, *censuit*: cum alias Officium Dedicacionis in Cathedrali tantum cum Octava, et in Civitate, ac Dioecesi sub duplici minori sine Octava recitandum sit. » Die 16. Martii 1658.

1870. LEODIENSIS.

Monialibus S. Sepulchri Civitatis Leodiensis petentibus facultatem continuandi celebrationem solemnitatis, et recitationem Officii S. Iacobi Apostoli earum Patroni Principalis die 1. Maii, transferendo, ut haecenus, in sequentem diem solemniam S. Titularis earum Ecclesiae, qui occurrit cum praedicto Festo S. Iacobi.

S. R. C. respondit: « servandas esse Rubricas, et Festum S. Titularis omnino celebrandum die, quo cadit, necnon solemniam S. Iacobi tantum sub ritu duplici 2. classis peragenda, ex quo non detur Patronus Ordini, neque Monasterio. » Die 16. Mart. 1658.

1871 MARIANEN.

Episcopus, Clerus, et Populus Civitatis nuncupatae de Bastia Marianen. Dioecesis Sac. R. Cong. exposuerunt, ob totalem praeservationem a contagione sese quibuscumque Bñae Virginis solemnibus annuatim occurrentibus prout earumdem Festivitatum vigiliis cum ieiunio vacaturos, et quidem proprio, et communi nomine Carolum Fabritium Iustinianum in manibus Episcopimet Oratoris solemne votum emisisse, expetentes, ut eas vigiliis Festivitatum *Nativitatis, Conceptionis, Purificationis, Annunciationis, Visitationis, Praesentationis, et Assumptionis B. M. V.* cum ieiunio peragendi, eademque Festa de praecepto Ecclesiae indicendi, et celebrandi facultatem tribueretur.

S. autem C., ut alias in similibus, respondit: « praeter Festa, quae ab universali Ecclesia servantur: Carolum Fabritium Iustinianum particulariter sese voto adstrictum ad celebritates, et ieiunia praedicta servanda etiam teneri, caeteros vero ad ea non teneri, nec cogendos esse, » declaravit. Die 16. Mart. 1658.

1872. MARSICANA.

Exposuit Archidiaconus Marsicanus, adhuc Canonicos renuere ei solemniter celebranti, absente Episcopo, in Officio Diaconi, et Subdiaconi inservire.

Et Em̃i PP., « Decreta alias in hac re edita, tam praesente, quam absente Episcopo, inconcusse servari *iusserunt*, ac insuper pro praedictorum implemento Episcopo facultatem attribuerunt, ut, etiam auctoritate Congregationis, Canonicos ad

parendum compellat, ac muletis, aliisque quibusvis poenis coerceat. » Die 16. Mart. 1658.

1873. RAGUSINA.

Archiepiscopus Ragusinus declarari petiit, quo ordine, et quando a prima Dignitate sit eidem administrandus Liber?

Et S. C. respondit: « servandum esse Caeremoniale, et primam Dignitatem non teneri ad substinendum Librum Episcopo Divina peragenti pontificaliter, et in cantu, nisi quando Episcopus aliqua canit, non autem quando inter Pontificalia solemniam aliquid legit; tunc enim huiusmodi onus spectat ad Cappellanum. » Die 16. Mart. 1658.

1874. RAGUSINA.

Capitulo, et Canonicis Ragusinae Cathedralis instantibus, ad infrascripta Dubia Sac. R. Cong. respondit.

« Archiepiscopi titulum in petitionibus benedictionum, in instantiis admissionis Ordinandum, et publicatione Indulgentiarum, non debere extendi ultra expressum in Pontificali, et Caeremoniali; Diaconos assistentes non teneri, imo non debere inservire Archiepiscopo de bugia, seu candela, sed eam esse administrandam per Cappellanum, et non posse cogi Canonicos ad inserviendum Archiepiscopo in Missis privatis, praeter consuetudinem. »

« Canonicos non indutos canonicalibus indumentis non teneri ad praestandam assistentiam Archiepiscopo; imo contra ritum praestari. »

« Canonicos debere expectare adventum Archiepiscopi, nec posse inchoare solemniam, quibus ipse interesse velit, si adhuc non pervenerit, sed Archiepiscopum oportere esse discretum, ne alias urgeat necessitas consulendi gravi Canonicorum incommodo. » Die 16. Mart. 1658.

1875. REATINA.

Communitas, et Populus Terrae Antrodoci Reatin. Dioec. ad tollenda scandala S. C. supplicarunt, declarare dignaretur: an Capitulo Collegiatae in funeralibus liceat deferre duas Cruces, scilicet propriam, et alteram Ecclesiae S. Augustini, et Conventus suppressi eidem Collegiatae unitorum?

Et S. C. respondit: « Servandum esse Decretum hac in re emanatum die 30. Iun. 1657. *videlicet*, non licere Capitulo, et Clero Collegiatae praedictae uti, nisi unica Cruce in funeralibus: idque rursus servari, » mandavit die 16. Martii 1658.

1876. TARENTINA.

Archiepiscopus Tarentinus institit declarari: 1. an attento, quod S. M. Innocentius X. indulserit

in toto Regno Neapolitano, tamquam de Protectore Regni, festum S. Dominici Confessoris iudici, et celebrari, sit una simul in eodem Regno continuandum praeceptum in festo S. Ianuarii, de quo, tamquam de Protectore Regni, hactenus festum celebrari consueverat.

2. autem: An non obstante Constitutione S. M. Urbani VIII. impressa in fine Breviarii Romani, ad limites, et in vim Constitutionis Gregorii XIII., in Ecclesiis, in quibus erecta reperiuntur Altaria, seu Cappellae in honorem Rosarii Bñae Virginis, quotannis Dominica prima Octobris possit celebrari festum SS. Rosarii sub duplici maiori?

Et S. C. respondit: « S. Ianuarium esse Protectorem Civitatis Neapolitanae tantum, et non totius Regni; ideo de eo tamquam de Patrono Regni non licuisse, nec licitum alibi festum celebrare. »

« Et Constitutionem Gregorianam quoad Festum SS. Rosarii servari posse ad limites Decreti a S. C. emanati ad mentem S. M. Urbani VIII., scilicet cum Officio, et Missa B. M., sumendis tamen e Breviario, et Missali Romano, non autem propriis de Rosario Ordini tantum Dominicano indultis. » Die 16. Martii 1658.

1877. VERCELLEN.

Vicarius Capitularis Biellae Vercellen. Dioecesis S. R. C. supplicavit, declarare dignaretur; quinam locus ei debeat in Processione Corporis Christi: an videlicet immediate ante, vel post Baldachinum?

Et S. C. respondit: « Vicario Capitulari locum competere tam in Choro, quam in Processionibus a sinistris primae Dignitatis, vel, prima Dignitate deferente SS. Sacramentum, a sinistris primi, et dignioris Canonici repraesentantis Capitulum. » Die 16. Mart. 1658.

1878. ALATRINA.

S. R. C. ad evellenda ex imo dissensionum semina, quae praesertim non sine gravi scandalo inter Personas Ecclesiasticas excitantur, « quavis contraria consuetudine non obstante, *quam simul improbat, mandat*, ut in posterum quaecumque Vesperarum, Missarum, et Processionum, nec non candelarum, cinerum, et palmarum benedictionum officia, seu solemnia *alternative per hebdomadas inter Abbatem, et Archipresbyterum S. Mariae de Turri Alatrinae Dioecesis inconcussae servata*, privative quoad alium spectent ad illum, qui tunc erit hebdomadarius, isque in huiusmodi exercitio, nec non eorum quilibet in reliquis, quae ad eos peculiariter secundum expresse disposita per Visitatorem Apostolicum anno 1581., vel

alias a consuetudine legitime inducta, aut ab Ordinariis pro tempore olim imperata, alteri praeferatur. Extra vero exercitium praedictorum posteriori Ordine Presbyteratus antiquiori deferat, et ambo in vinculo charitatis Domino famulentur. » die 6. Apr. 1658.

1879. CONVERSANA.

Moniales S. Cosmae pro eorum quiete repetitis precibus S. R. C. supplicarunt; ut declarare dignaretur: quatenus inter eas praelationis ratio habenda foret?

Et S. C. respondit: « Quamlibet ipsarum Monialium alteri praeferendam, ratione tantum anterioris, et antiquioris emissae Professionis, nullatenus attento, quod alias fuerint seniores aetate, et priores in loco. » Die 6. Apr. 1658.

1880. FOROLIVIEN.

Exposuerunt Capitulum, et Canonici Cathedralis Foroliviensis, Magistratum, post editum contra eum Decretum S. C. super iure praecedendi favore ipsorum Oratorum, ab accessu ad Ecclesiam prorsus abstinuisse, supplicarunt propterea, ut idem Magistratus compellatur ad consueta obsequia Cathedrali praestanda.

Et S. C. iussit: « Secretario Sacrae Consultae curam demandari, ut praedictum Magistratum ad consueta, et debita obsequia Cathedrali praestanda accedere cogat. » Die 6. Apr. 1658.

1881. FUNDANA.

Exposuerunt Capitulum Cathedralis, nec non Iudices, et Populus Fundanae Civitatis, modicum Episcopum sibi in animum induxisse transferendi patronatum Civitatis, quem ab anno 1215. semper extitisse ferunt, penes Sanctum Honoratum Abbatem, in S. Soterum Pont., et Mart., repetentes, ne quid innovari S. eadem C. in re tanti momenti permittat.

Et Em̃i PP. eidem Congregationi praepositi haud haesitarunt: « Non posse ab Ordinario ignorari, quod nullatenus liceat electionem S. Patroni a Populis olim habitam de consensu Cleri, et Episcopi, et vel ab Apostolica Sede approbatam, aut legitimi temporis observatione munitam immutari. Ita nihil aliud Episcopo Fundano iniungendum duxerunt, nisi ut is ad antiqui, et emeritissimi quidem Patroni Sancti Honorati Abbatis obsequium, qua par est optimi Praesulis religione, corda subditae sibi gentis inflammet. » Die 6. Aprilis 1658.

1882. MESSANEN.

Canonis Coadiutoribus Cathedralis Messanen. petentibus declarari, an ipsis competat locus in Choro praesentibus Coadiutis?

S. R. C., ad relationem Em̃i Card. Aldobrandini, responderi mandavit: « Licere Coadiutoribus, etiam praesentibus Coadiutis, Divinis in Choro interesse, sed veris Canonicis digniorem locum deferre, iisdemque supervenientibus stallum dimittere: et si sedes sufficiant tantum veris Canonicis, omnibus iisdem praesentibus, vel supervenientibus, a Choro discedere Coadiutores teneri.» Die 6. Aprilis 1658.

1883. NARNIEN.

Capitulum, et Canonicis Cathedralis Ecclesiae Narnien. petentibus facultatem continuandi recitationem Officiorum de Dedicatione eorum Ecclesiae cum Octava in tota Civitate, de Patrono principali Civitatis cum Octava in Civitate, et Dioecesi: de Sanctis Episcopis Narniensibus sub ritu dup. mai. in Cathedrali tantum: de S. Fausta V., et M. intuitu Corporis, quod inde Lucam translatum est, de S. Peregrino, de quo Caput in Cathedrali asservatur sub dup. min.

Sac. C. respondit: « Licere Officia recitare de Dedicatione Ecclesiae Cathedralis cum Octava in propria tantum Ecclesia: in Civitate vero, et Dioecesi sub. dup. mai. sine Octava.»

« De Patrono principali Civitatis in Civitate tantum cum Octava, in Dioecesi vero, ubi non adsit proprius loci Patronus similiter cum Octava; et ubi colitur Festum peculiaris Patroni, nihil de Patrono Civitatis, vel attenda consuetudine sine Octava sub dup. mai. tantum.

« De Sanctis Episcopis, qui reperiantur expressi in Martyrologio Romano sub dup. min. in Civitate, et Dioecesi.»

« De S. Fausta nihil, ex quo Corpus alibi reperitur.»

« De Sancto Peregrino similiter nihil, ex quo die 18. Novembris Martyrologium praedictum de huiusmodi Sancto non loquitur.» Die 6. Aprilis 1658.

1884. ORBIS.

Em̃o D. Card. Brancaccio postulanti; quaenam praxis servanda foret in precibus Feria 6. in Parasceve, et Sabbato sancto, si adhuc Regis Romanorum futuri Imperatoris electio sequuta non fuerit? S. C., quamvis vacante imperiali sede per obitum Rodulphi 11. Anno 1612., preces huiusmodi prorsus omissae fuissent, attento tamen exemplo allato a Paride de Grassis anno 1519. sub Leone X. in obitu Maximiliani, iussit, typis mandari sequentem notulam per Em̃um Urbis Vicarium ad singulas Urbis Ecclesias, prout etiam a particularibus ad Civitates, et loca transmittendam, videlicet:

EX S. R. C.

« Romanorum Rege futuro Imperatore adhuc non electo, Feria 6. in Parasceve in Missa ad Orationes dicatur: *Oremus*, et pro Romano Imperio ut Deus etc. *Omnipotens etc.* more solito. *Sabbato Sancto in Benedictione Cerei ad finem Praeconii dicatur*: Respice etiam ad Romanum benignus Imperium, cuius Tu etc.» Die 6. Aprilis 1658.

1885. PACEN.

S. R. C.: « Decretum in praeterita Congregatione editum ad instantiam Episcopi, Cleri, et Civitatis Pacen. super facultate recitandi Officium, et celebrandi Missam de Sancto Rocho Confessore intelligendum esse, *declaravit*, tantummodo ad limites Decreti a Saer. R. C. iussu Urbani VIII. evulgati die 26. Novemb. 1629. *scilicet*, in Ecclesiis tantum *D. Rocho* dicatis.» Et ita in Civitate, et Dioecesi Pacen. servari mandavit die 6. Aprilis 1658.

1886. SANCTI MINIATI.

Institerunt Fratres Minorum Observantium S. Francisci Conventus S. Romani Castris Franci Dioecesis S. Miniati, ne quid S. C. innovari permetteret circa consuetudinem favore Regularium in Tuscia inductam, ut sub regulari tantum Cruce etiam Clerus Saecularis incedat in funeralibus cadaverum, quae sepelienda deferuntur ad regulares Ecclesias.

At Sac. C. iussit: « Decretum emanatum sub die 4. Augusti 1657. favore Capituli, et Canoniorum Collegiatae eiusdem Loci omnino servari.» Die 6. Aprilis 1658.

1887. THELESINA.

In causa iuris benedicendi cereos, palmas, agnos, ova, et similia verten. inter Episcopum, et Rectores Ecclesiarum Civitatis, et Dioecesis Thelesinae ex una, et Fratres Carmelitas partibus ex altera.

S. R. C., utrisque auditis, ad relationem Em̃i D. Card. Sacchetti pro Em̃o Ginnetto, cui Causae eiusdem relatio commissa fuit, censuit: « Exceptis benedictionibus cereorum, cinerum, et palmarum, reliquas benedictiones privative quoad Regulares, respectu iurium Parochialium, spectare ad Rectores Ecclesiarum; » et ita servari mandavit die 6. Aprilis 1658.

1888. TUDERTINA.

Tria petiit declarari a Sac. R. C. Prior Franciscus Maria Stephanucciis Prima Dignitas in Cathedrali Ecclesia Tudertina:

1. An ipsi, attenta consuetudine, competat tapete in scamno capitulari, audiendarum con-

cionum, nec non in sede, seu stallo choralis, quod illi a Vicario Apostolico controvertitur?

2. An ipsi liceat in Choro, ex quo, cum sit prima Dignitas in sessionis ordine, nemini praerudicium inferat, obtento desuper Capituli, et Canonicorum assensu, ubi habitu praelatio Protonotariatus, quo gaudet, et lucrari distributiones?

3. Tandemque: an eidem Missarum solemniam peragenti teneatur duo Canonici in Officio Diaconi, et Subdiaconi assistere?

Et S. C. singulis praedictis petitionibus « affirmative respondit, scilicet, consuetudinem quoad tapete servandam: nec non attentis Capituli assensu, et praesentibus, quibus Orator in Curia Romana olim potitus est, videlicet: Canonicatu Basilicae S. Petri, Pincernae, et Cubicularii obsequiis, quae respective praestitit S. M. Urbano VIII., et Innocentio X., eius Personae tantum indulgendum, ut habitu Protonotarii indutus Divinis in Choro interesse possit, et distributiones lucrari. Diaconi autem, et Subdiaconi Canonicorum assistentiam ei Missarum solemniam peragenti deberi. » Et ita in praedictis omnibus servari mandavit die 6. Apr. 1658.

1889. AVERSANA.

Recursum habuit ad Sac. C. Rector Ecclesiae Cesaе Aversanae Dioecesis contra Fratres Dominicanos Conventus SSmi Rosarii, qui Missas in eorum Ecclesia diebus festis celebrare consueverunt, antequam celebretur Missa in Parochiali.

Et S. C. « Vicario mandavit iniungi, ut curet servari Decreta Sacr. C., ne Regulares andeant celebrare ante primam Missam, quae in Parochiali celebratur. » Die 8. Iun. 1658.

1890. CAIETANA.

Exposuit Episcopus Caietanus, ipsum, iuxta praecepta eius Antecessoris, alias praecepisse, Reliquias S. Erasmi Protectoris Civitatis in generalibus Processionibus deferri solitas, in Ecclesia, ad quam Processiones diriguntur, reponi non debere, inde ad Cathedralam postea privatim reportandas, sed pristino, et consueto loco cum eadem Processione restitui; et insuper Canonicis imperasse, ut in Missa Conventuali Celebranti in Officio Diaconi, et Subdiaconi famularentur; sed eius praeceptis nullatenus, quae deberentur, obsequia praestari.

Et Emi PP. S. R. Cong. praepositi, « eidem Episcopo iniungi, mandarunt, ut auctoritate etiam S. C. praedicta eius praecepta debitae executioni mandari curet. » Die 8. Iun. 1658.

1891. CUSENTINA.

Parochus S. Mariae Gratiarum loci Vici Cu-

sentinae Dioecesis Sac. R. C. supplicavit, 1. ut ipsi adiudicare dignaretur custodiam Parochialis Ecclesiae, quamvis eius servitio in Parochialem adhuc non erectae reperirentur addieti quatuor Cappellani, qui praefatae Ecclesiae dominium ratione antiquioris institutionis sibi competere praesumunt.

2. Ut praedictis Cappellanis iniungere vellet, ne Parochialia munia super cadaveribus obire audeant.

Et Sac. C., quoad 1., « licet non haesitet dominium Ecclesiae praedictae fuisse translatum in Parochum, ad eundem spectare custodiam ipsius Ecclesiae, tamen cum minime standum censuerit assertioni Oratoris, suos Iudices adire, mandavit. »

Quo vero ad 2. « non licuisse, neque licere Cappellanis sese in obeundis Parochialibus functionibus immiscere, cum eadem ad Parochos privative quoad alios quoscumque pertineant. » Die 8. Iun. 1658.

1892. FOROLIVIIEN.

Magistratus, et Conservatores Forolivienses ad S. R. C. denuo confugerunt, ut eadem S. Cong. moderare, aut saltem suspendere dignaretur Decretum ab ea contra Oratores evulgatum favore Capituli, et Canonicorum Cathedralis eiusdem Civitatis.

Et Emi PP., « Praedictum Decretum debitae executioni demandari, illique, qua par est reverentia, Oratores parere debere, » mandarunt die 8. Iunii 1658.

1893. INTERAMNEN.

In controversia Iuris praecedendi olim cor. b. m. Card. Rapacciolo Episcopo, et novissime in S. R. Cong. excitata, et vertente inter Rectores Ecclesiarum, et Beneficiatos Interamnen.

S. R. C., auditis, et mature perpensis iuribus hinc inde deductis, et a moderno Episcopo ad eandem transmissis, declaravit, « Penes Capitulum Cathedralis cum in Choro, tum in Processionibus locum deberi Beneficiatis uti de gremio Cathedralis eiusdem a Capitulo inseparabilibus, quibuscumque in contrarium Rectoribus minime suffragantibus. » Die 8. Iunii 1658.

1894. LUCERIEN.

Fratres Minores Observantiae S. Francisci Civitatis Lucerinen., qui, cesso Fratribus Reformatis antiquiori Conventu S. Salvatoris, in alterum recentioris erectionis sub nomine Pietatis se receperunt, eis praecedentiam controverti a dictis Reformatis exposuerunt, ex quo his antiquior Conventus fuerit assignatus.

At Emi PP. S. R. C. praepositi, « Praelationem

non ab antiquitate erectionis Conventus, sed ab incolatu Familiae cuiuscumque Ordinis desumendam esse, iuxta disposita per San. mem. Gregorium XIII., *declararunt*, et propterea Fratribus Min. Observant. uti antiquioribus in loco controversiae praecedentium super Reformatos Luceriae deberi, » decreverunt. Die 8. Iunii 1658.

1895. MINERVIEN.

Episcopus Minervien. Sac. R. C. supplicavit ei facultatem attribui, ut possit impellere Archipresbyterum Corignolae nullius Dioecesis ad deponendum cingulum violacei coloris, quem uti Protonotarius de numero non Participantium defert in pileo.

Et Emi DD. responderunt, « quod etiam auctoritate Congregationis praedictum Archipresbyterum cogat, nisi infra terminum a die praesentationis huius Decreti ei assignandum docuerit de speciali Sedis Apostolicae indulto. » Die 8. Iunii 1658.

1896. MONOPOLITANA.

Canonici Cathedralis Ecclesiae Monopolitanae a S. R. C. declarari petierunt, an, absentibus, vel impeditis Episcopo, ac primis duabus Dignitatibus, nempe Archidiacono, et Archipresbytero, Vesperarum, et Missarum solemnia spectent ad Hebdomadariam, seu antiquiorem dictae Ecclesiae Canonicum; an vero ad Primicerios, qui Chori directioni, et assistentiae addicti inter Dignitates numerantur?

Et S. C., inhaerendo Decreto alias super hac re edito die 6. Sept. 1603., « Praedictos Primicerios a Chori assistentia, et directione non esse dimovendos, et ad Canonicos immediate digniores post praefatos Primicerios Vesperarum, et Missarum solemnia spectare, *declaravit*, ac, ut unusquisque proprio muneri ineumbat; » ita in casu praedicto omnino servari mandavit die 8. Iunii 1658.

1897. RAGUSINA.

Vicario generali Archipresbyteri (legendum puto *Archiepiscopi*) Ragusini petenti: an ipse debeat semper praecedere Canonicis, et in Choro sedere supra omnes alios etiam sacris vestibus indutos?

S. R. C. respondit: « Eum sedere debere in loco, scilicet in primo stallo supra omnes Canonicos, nisi tamen consueverit sedere in sede, et loco separato. Verum Canonicis sacris vestibus amictis eum numquam praefendum esse, » *declaravit*. Die 8. Iunii 1658.

1898. S. MINIATI.

Fratres Minores Observantes loci S. Romani Dioecesis S. Miniati a S. C. declarari institerunt,

quod in associatione cadaverum, quae in eorum Ecclesiam, absque interventu capituli, humanda deferuntur, eorum tantum Crux sit erigenda, quamvis interveniant Parochus, caeterique Sacerdotes loci.

Et Emi DD., « Rituale Romanum omnino servari debere mandarunt die 8. Iun. 1658.

1899. SENENSIS.

Potentibus Episcopis Suffraganeis declarari, quaenam ratio habenda sit inter ipsos, et Archiepiscopum, cum simul in Metropolitana Divinis interfuturi conveniunt, et genuflexi preces effundunt ante Altare SSmi Sacramenti, et Aram maximam?

S. R. C. respondit: « Archiepiscopum oportere genuflectere, et incidere digniori quidem loco, sed in linea cum Suffraganeis, Archiepiscopum scilicet super Faldistorio, et Suffraganeos super pulvinaribus hinc inde. At si loco Faldistorii Archiepiscopus adhibeat genuflexorium commune, poterunt Suffraganei, si idem capax fuerit, super eodem hinc inde pariter genuflectere. » Et ita servari mandavit die 8. Iun. 1658.

1900. TIRASONEN.

Sorori Mariae de Iesu Ordinis Discalceatorum S. Francisci in Monasterio SS. Conceptionis de Agreda Tirasonen. Dioecesis supplicanti pro approbatione Litaniarum B. M. V. hispanico idiomate depromptarum.

Sac. R. C. iussit responderi: « Nihil. » Die 8. Iun. 1658.

1901. TRIUENTINA.

Vicarius Capitularis Civitatis Triventinae Sac. R. C. supplicavit, Regularibus, et Confraternitatibus iniungi, ut in Processionibus inibi habendis simul in Cathedralem conveniant; nec in viis prope eorum Ecclesias consistere audeant, sed ad eandem Ecclesiam Cathedralem redeant.

Et S. C., « Vicario scribi, *mandavit*, ut curet servari Decreta S. C., quod scilicet Processiones comitantes, quo conveniunt, eo debeant redire. » Die 8. Iun. 1658.

1902. URATISLAVIEN.

Ioannes Baithassar Liesp Episcopus Nicopolitanus, et Ecclesiae Uratislaviensis Suffraganeus, cum iam septuagenarius variis vexaretur infirmitatibus, et precise podagra, itaut pedum usu saepissime destitutus Sacrosanctum Missae Sacrificium celebrare nequeat, Sac. R. C. supplicavit, ut ei impertiri dignaretur facultatem, ut quandocumque is praedicto morbo detentus Sacra conficere nequiverit, possit nihilominus Sacros Ordines conferre inter Missarum solemnia alio Sacerdote cele-

brante, ut ita Ecclesiae necessitati possit satisfieri, cum non adsit in dicta Dioecesi alter Episcopus, nec extra illam, nisi ultra trecenta milliaria, et tanto itineris incommodo nemo velit se exponere.

At S. R. C. « Nihil ei » responderi mandavit die 8. Iun. 1658.

1903. ADIACEN.

A Capitulo Adiacen. fuit institutum, ut S. R. C. declarare dignaretur.

1. An determinata hora ab Episcopo, et Capitulo pro Divinis Officiis, ultimo pulsato signo, et Episcopo non veniente, Canonici possint ea inchoare?

2. An Canonicus possit esse Caeremoniarum Magister?

Et Eni Patres eidem S. C. praepositi responderi mandarunt: « Canonicos debere expectare adventum Episcopi, nec posse inchoare solemnias, quibus ipse velit interesse, si adhuc non pervenerit; sed Episcopum oportere esse discretum, ne alias urgeat necessitas consulendi gravi Canoniorum incommodo: et non repugnare, quod Caeremoniarum Magister sit Canonicus. » Die 13. Iulii 1658.

1904. BITUNTINA.

Petiit Coadiutor Archidiaconi primae Dignitatis Bituntinae Cathedralis a S. R. C. declarari, in quibus ipse, absente Coadiuto, caeteris Dignitatibus sit praefendus, et qui sint alii praelationis actus, in quibus, adhuc superstite Coadiuto, nulla ei supra alios competat praecedentia?

Et S. Cong. « In exercitio Ordinis, scilicet in Missarum, et Divinorum operatione, quae alias ad Coadiutum pertinent, preferendum esse Coadiutorem primae Dignitatis caeteris Dignitatibus inferioribus. In reliquis vero omnibus dictis Dignitatibus postponendum fore, » declaravit. Die 13. Iulii 1658.

1905. CONGREGATIONIS CAELESTINORUM.

Procurator Generalis Caelestinorum a S. R. C. declarari institit: An Monachi ex Congregationibus exemptis degentes in Monasteriis a S. M. Innocentio X. suppressis, et postea, praevia eorum suppositione visitationi, et correctioni Ordinarium, iisdem restitutis possint ab Ordinariis Locorum cogi ad eas accedere Processiones, quibus vigore Privilegiorum antea interesse non tenebantur?

Et EE. DD. responderi mandarunt: « Monachos non posse cogi accedere ad eas Processiones, ad quas iisdem alias prorsus exempti a correctione, et visitatione Episcopi, non tenentur. » Die 13. Iulii 1658.

1906. FUNDANA.

Acceptis ab Episcopo Fundano responsis circa praetensionem, quam eius Vicarius habebat, praecedendi Canonicis sacris indutis, et occupandi primum stallum in choro; ac super causa translationis Patronatus Civitatis a S. Honorato Abbate, in S. Soterum Pont., et Mart.: S. R. C. declaravit: « Canonicos sacris indutos ante Vicarium thurificandos, et in reliquis semper praefendos esse, dictumque Vicarium non posse occupare primum stallum, si haecenus eius antecessores consueverint sedere in sede separata; ac servari debere festum S. Honorati Abbatis post Constitutionem Urbanam in Patronum Principalem retenti. » Et ita servari mandavit die 13. Iul. 1658.

1907. GALLIARUM.

Regularibus Regni Galliae declarari petentibus: an in communione, quae inter Missae sacrificium peragitur, sit prius ministrandum SS. Eucharistiae Sacramentum Ministro Missae inservienti, an vero Monialibus, vel caeteris ibidem praesentibus?

S. R. Cong. responderi mandavit: « In casu praedicto Ministrum Sacrificii non ratione praerogativae, sed ministerii, praefendum esse caeteris quamvis dignioribus. » Die 13. Iulii 1658.

1908. LEODIEN.

Episcopus Dionisiensis, Episcopi Leodien. Suffraganeus Sac. R. Cong. supplicavit, ut Auditori Camerae, ac duobus aliis Episcopis in illis partibus commorantibus iniungere dignaretur executionem Decreti alias sub die 1. Dec. 1657. evulgati, quod scilicet Episcopus titularis aequae, ac Episcopus de residentia caeteris Dignitatibus Episcopali inferioribus ubique, et in omnibus praefendus sit.

Et EE. PP. S. eidem C. praepositi: « Episcopo Leodien. urbanis verbis scribendum esse duxerunt, ut praedictum Decretum servari curet. » Die 13. Iul. 1658.

1909. IUVENACEN.

Canonici Cathedralis Ecclesiae Juvenacen. a Sac. R. C. declarari petierunt: an ipsi teneantur excipere, et associare ad portam Ecclesiae Vicarium Apostolicum, eidemque teneantur ministrare Aspersionem in ingressu Ecclesiae, et Textum osculandum, expleto Evangelii cantu, ac debeantur necne thurificatio triplici ductu, et assistentia Caeremoniarum Magistri?

Et S. eadem C. respondit: « Quoad thurificationem, servandam esse eiusdem Ecclesiae consuetudinem. Quoad reliqua Vicario quamvis Apostolico praerogativas praedictas minime competere. » Die 13. Iul. 1658.

1910. RAGUSINA.

Petiit Archiepiscopus Ragusinus infrascripta Dubia declarari.

1. An Vicarius solitus in Choro sedere in sede separata, debeat in Processionibus praecedere Canonicis, ac Dignitatibus?

2. An Canonici eius Cathedralis teneantur assistentiam praestare Archiepiscopo Pontificalia exercenti extra Cathedralis?

3. An Canonicus celebrans, Vesperarum solemniam peracturus, possit uti Alba?

Et Sac. R. Cong. respondit. Ad 1. « Affirmative, scilicet, Vicarium praefendum esse Dignitatibus, ac reliquis Canonicis, qui sacris non sint induti. »

Ad 2. « Tres Canonici Cathedralis in Civitate teneri assistere Archiepiscopo Pontificalia exercenti: at extra Civitatem non esse cogendos. »

Ad 3. « Celebrantem non Episcopum facientem Officium in Matutinis, Laudibus, et Vesperis non posse uti Alba. » Die 13. Iul. 1658.

1911. REATINA.

Capitulum, et Canonici Cathedralis Ecclesiae Reatinae a S. R. C. declarari postularunt, Canonicos sacris indutos thurificandos esse ante Magistratum eiusdem Civitatis, non obstante transactione inter eos inita, in qua fuit concordatum digniorem ex Magistratu thurificari debere eomet instanti, quo thurificatur prima Dignitas, aut dignior Canonicus praesens.

Et Emi DD. S. eidem C. praepositi « Canonicos sacris indutos Magistratu in omnibus praefendos esse, responderunt, et ita omnino servari mandarunt, quibuscumque in contrarium non obstantibus; immo transactionem ipsam in hac parte, si secus expressis verbis disponderet, nedum haud servandam, sed eam prorsus iniquam declarantes. » Die 13. Iulii 1658.

1912. SALERNITANA.

Capitulo Collegiatae Ecclesiae S. Michaelis Archangeli loci Solophae Salernitanae Dioecesis petenti: an Rectores eiusdem loci possent in Sabbato Sancto pulsare Campanas, antequam pulsantur in eadem Collegiata Ecclesia Matrice?

S. R. C., huiusmodi Decretis pluries recensitis, respondit: « nullo modo licere pulsare Campanas in Sabbato Sancto ante pulsationem in Ecclesia Matrice. » Et ita in dicto loco Solophae omnino servari mandavit die 13. Iul. 1658.

1913. SENEN.

Supplicatum fuit S. R. C., ut eadem declarare dignaretur: An Praepositus prima Dignitas insignis Collegiatae S. Mariae Senarum in sessionibus

synodalibus sit praefendus, vel posthabendus Canonicis Ecclesiae Metropolitanae?

Et S. C. respondit: Inter Dignitates, et Canonicos Metropolitanae neminem interpungi posse, ex quo unum, et idem Corpus constituent: et ideo Praepositum Oratorem praefendum esse Canonicis eius Collegiatae tantum. « Ac ita Sac. eadem Cong. servari mandavit die 13. Iulii 1658.

1914. TRANEN.

Vicarius Tranensis Sac. R. C. supplicavit, ut opportuna remedia tribuere dignaretur abusibus, qui irrepere in sua Dioecesi, ac praesertim in Collegiata Ecclesia Baroli, in qua Canonici cappis supra cottis utuntur, et varia Officia ab Apostolica Sede non approbata recitare audent, ab eisdem Vicarii obedientia, et iurisdictione se eximere praesumunt, ex quo Apostolici Nuntii sint commissarii subcollectores.

Et S. C. respondit: « Exemptionem non suffragari quoad spiritualia, et respicientia cultum Divinum, et propterea Vicario praedicto iniungendum duxit, ut abusus huiusmodi, auctoritate etiam S. C., omnino aboleri curet. » Die 13. Iul. 1658.

1915. ALEXANEN.

Institutum fuit a S. R. Cong. declarari: An in Ecclesia Parochiali Castriniani Alexanen. Dioecesis Hebdomadarius possit uti Stola in canendis Divinis Officiis, quamvis Archipresbyter eiusdem Ecclesiae iis assistens illam deferre consueverit?

Et S. Cong. respondit: « Neutri licere in casu praedicto deferre Stolam; quae tantum in Sacramentorum administratione, et confectione adhiberi debet. » Die 7. Sept. 1658.

1916. BISACIEN.

Presbyteri Oppidi Morrae Bisaciensis Dioecesis a S. R. C. declarari petierunt: an Archipresbytero, qui Archipresbyteratus resignavit, competat praecedentia supra reliquos Presbyteros, ei anteriores in ordine, attento quod ipse fuerit Archipresbyter?

Et S. Cong. declaravit: « Nullam qualitatem Archipresbyteri remanere post renunciationem Archipresbyteratus; ideo eum esse contemplandum uti simplicem Sacerdotem, illumque antiquioribus in Ordine cedere oportere. » Die 7. Septembris 1658.

1917. CALAGURITANA.

In causa praecementiarum vertente inter Abbatem, et Monachos Cassinenses S. Mariae de Naxera ex una, et Cappellanos Presbyteros Saeculares S. Crucis eiusdem loci, partibus ex altera, usque de anno praeterito 1657. die 4. Aug., ad relationem Emi, et Rmi D. Cardinalis Pallotta,

iuxta alias resoluta in eadem causa die 7. Decembris 1630., scilicet ad limites Decretorum Tullen. sub die 12. Maii 1616., et Firmana Terrae S. Victoriae die 31. Mart. 1618. inibi enunciatorum, decretum fuit: « Praecedentiam deberi Cappellanis saecularibus S. Crucis supra Monachos Cassinenses praefatos. » A quo Decreto se gravatos reputantes Monachi, novam audientiam ab Eñõ, et Rñõ D. Cardinali Sacchetto S. C. Praefecto postularunt, quae eis fuit denegata: mox recursum habuerunt ad Signaturam SS. et re in plena Signatura relata, ac discussa, rescriptum fuit: « Negative, » ad petitionem scilicet avocationis causae a S. C., et remissionis ad Rotam. Quare Presbyteri saeculares, ut tandem optatum finem tam diuturnae, et dispendiosae litis attingerent, S. C. supplicarunt desuper perpetuum silentium imponi, idque obtinuerunt die 26. Ian. praesentis anni 1658. His tamen non acquiescentes Monachi die 16. Martii proxime praeteriti rursus ad Sac. C. confugerunt novissime expetentes, ut eis remissoriales, et compulsoriales literae decernerentur, ac relaxerentur pro sumendis probationibus super articulata immemorabili quasi possessione praecedendi, cum facultate transportandi Acta etc. Et S. C. iussit, « servari Decreta emanata, et si quid euperent, SSmum adirent, qui in eadem causa manus apposerat. » Tunc Monachi supplicem eorum libellum SSmõ praesentarunt, quem Sanctitas Sua ad Sac. C. transmisit. Quare, iuribus hinc inde auditis, et mature perpensis, tandem Eñi Patres decreverunt: « Nihil Monachis concedendum fore, sed Decretum emanatum anno 1630., et confirmatum anno praeterito 1657. omnino servari » iusserunt. Die 7. Sept. 1658.

1918. CANARIEN.

Fratres Min. Observant. S. Francisci Insularum Canariarum S. R. C. instituerunt, ut Vicario generali iniungere dignaretur iis prohibere non posse nec in Processionibus, ac praesertim in iis, in quibus cadavera ad humandum deferuntur, decantent preces, et Psalmos, quos *Rituale Romanum* praescribit?

Et Eñi DD. eidem S. C. praepositi: « Prohibitionem Vicarii generalis dispositioni Ritualis Romani prorsus contrariam nullatenus servandam, et per Vicarium ipsum omnino revocandam fore, mandarunt die 7. Sept. 1658.

1919. CIVITATIS CASTELLI.

Nicolaus Longinus Praepositus Cathedralis Civitatis Castelli S. R. C. exposuit, multos in eadem Ecclesia, contra bonos, et a Sede Apostolica approbatos ritus, irrepisse abusos, « quos omnes

ab eiusdem Ecclesiae praxi omnino revocari, *Sac. eadem Congr.* Episcopi curae nedum dimisit, » sed sedulo demandavit, ac praesertim illum, in cuius quasi possessione se manuteneri Orator ipse postulabat, « incedendi, scilicet, in accessu ad Pontificalium solemniam, cum sacris indumentis idem indutus sit, post Episcopum, ac penes iuniorem Diaconum assistentem. In quo casu servari debere Caeremoniale, et ipsum Oratorem oportere incedere immediate ante Episcopum, S. C. declaravit, et ita servari mandavit die 7. Sept. 1658.

1920. CONVERSANA.

Exposuerunt Canonici Cathedralis Conversanae, Dignitates, seu Canonicos Officium in Vesperis, ac Matutinis facientes in proprio stallo sedere consuevisse; supplicarunt propterea declarari: an faciens Officium, nonam Lectionem cantaturus, debeat stare in suo stallo, an vero teneatur adire Legile positum et conspectu Altaris?

Et S. R. Cong. respondit: « Hebdomadarium debere sedere in digniori, et primo stallo a parte Chori supra reliquos sui Ordinis, non exceptis Dignitatibus, quoad Canonicum Hebdomadarium, ibidemque Lectionem cantare. » Et ita servari mandavit die 7. Sept. 1658.

1921. FERENTINI IN CAMPANIA.

Duo petierunt declarari Canonici Cathedralis Ferentini. 1. An Canonicus hebdomadarius faciens Officium in Choro debeat sedere in primo stallo? 2. An thurificato Vicario in Choro assistente, debeant thurificari Canonici sedentes in eadem parte post Vicarium praedictum?

Et Sac. R. C. ad utrumque, « Affirmative, » responderi mandavit die 7. Septembris 1658.

1922. FOSSANEN.

Ad instantiam Episcopi Fossanen. Sac. Rit. Congr. declaravit: « Episcopum posse cogere ad interveniendum cum cotta Processionibus SS. Sacramenti Sacerdotes, et Clericos, qui nulla gaudent Praebenda, et uti Confratres alicuius Societatis cum aliis Confratribus in eadem Processione incedunt: Non licere in Orationibus Quadragesimarum reponere Augustissimum Sacramentum tempore noctis, et contrariam consuetudinem abolendam esse: Festa Sanctorum Comprotektorum non posse iudici sub praeepto: Simplicis Beneficiatos locum habere debere in Choro, et in Processionibus post omnes Praebendatos propriae Ecclesiae: et Festum Dedicacionis Cathedralis Ecclesiae non posse transferri. » Die 7. Sept. 1658.

1923. FUNDANA.

Capitulum et Canonici Cathedralis Fundanae declarari petierunt, Vicarium talari habitu, et

bireto indutum debere incedere in Processionibus ordinariis post Episcopum, iuxta consuetudinem, et non a dextera antiquioris Canonici.

Sac. autem Congreg. declaravit: « Vicarium incedere debere inter Canonicos digniori loco, quandocumque iidem non fuerint sacris vestibus induti: tunc enim Vicarius a Processionibus abstinere debet, vel post Episcopum incedere, nisi Magistratus sit in quasi possessione incedendi eodem in loco immediate post Episcopum. » Die 7. Septembris 1658.

1924. **FUNDANA.**

Petit Vicarius generalis Fundan.: an ipse thurificari debeat non solum post Canonicos sacris indutos, et sacrificii ministros, verum etiam post Canonicos sacris amictos apud stalla choralia existentes?

Et Sac. C., « Affirmative, » respondit. Die 7. Septembris 1658.

1925. **MACERATEN.**

Rursus relata in S. R. C. per Eñm Dñm Cardinalem Azzolinum controversia inter Archipresbyterum S. Andreae Montis Milonis Maceraten. Dioecesis, et Cappellanum substitutum a Praeposito Matricis Ecclesiae S. Blasii, cuius ipsorum in Processionibus generalibus inibi peragi solitis Presbyteri partes explere, et stolam deferre competat in locum Praepositi?

Eadem S. C., visis partium iuribus, illisque plene examinatis, atque discussis, censuit: « Standum esse in Decretis die 13. Iulii proxime praeteriti, nempe, non competere Cappellano substituto Praepositi in casu praedicto stolae delationem, quandocumque Praepositus ipse praefatis Processionibus interveniat, et sit praesens: cum vero Praepositus idem absens, et legitima causa fuerit impeditus, non ad Archipresbyterum, sed ad dictum Cappellanum Praepositi munia explere, et stolam deferre spectare, » declaravit. Et ita omnino servari mandavit die 7. Septembris 1658.

Decretum diei 13. Iulii eiusdem anni 1658. sequens est.

MACERATEN. Relata per Card. Azzolinum controversia inter Archipresbyterum Ecclesiae Sancti Andreae Montis Milonis Maceraten. Dioecesis, et Cappellanum substitutum Praepositi Matricis Ecclesiae S. Blasii dignioris presbyteri eiusdem Terrae, qui ratione dictae Cappellaniae loco eiusdem Praepositi ad ipsum in Processionibus Presbyteri partes explere, et stolae delationem spectare praesumebat.

Et S. R. C. « Cappellano praedicto in casu, de quo agitur, stolae delationem non competere,

sed, nolente Praeposito, ad Archipresbyterum S. Andreae pertinere » declaravit.

1926. **NEAPOLITANA.**

Rursus conquesti sunt Canonici Metropolitanae Ecclesiae de Vicario Archiepiscopi, qui in spretum Decretorum Sac. C. adhuc desistere non praetermittit ab usu bugiae, plurium ministrorum, aliorumque episcopis tantum competentium. Et S. C. rursus rescribi mandavit, « Eidem Vicario, ut omnino abstineat. » Die 7. Septembris 1658.

1927. **NICIEN.**

Confratres Societatis Misericordiae Moneci Nicien. Dioec. a Sac. R. C. declarari petierunt posse in Altari eorum Oratorii Tabernaculum Augustissimi Sacramenti (*retineri*), idemque ibidem exponi, necnon Missarum, et Vesperarum solemniam per eorum Cappellanum privative quoad Parochum, intra cuius Parochiae limites situm est Oratorium, peragi licere, irrequisita prorsus eiusdem Parochi, necnon Episcopi singulis vicibus licentia, nec attempto illius Decreto, seu prohibitione.

Et Sac. C., acceptis, ac perpensis Ordinarii literis, « Praefato Cappellano privative quoad Parochum omnia praedicta munia competere, requisita tamen licentia Episcopi quoad expositionem SSmi Sacramenti; Tabernaculum vero in eorum Altari retineri non licere, » declaravit. Die 7. Septembris 1658.

1928. **PUTEOLANA.**

Petente Cantore Cathedralis Ecclesiae Puteolanae: an in distributionibus Versiculorum, et Sequentiarum sit ab eo servandus ordo Canonico- rum, vel eius arbitrio praedicta possit assignare Canonicis in captu magis instructis?

Sac. R. C. declaravit: « in distributione Antiphonarum, et reliquorum omnium, quae cantari debent a Canonicis, semper servandum esse ordinem antianitatis, non attempta maiori habilitate, et experientia modulandi. » Die 7. Septemb. 1658.

1929. **RAGUSINA.**

Archiepiscopo Ragusino petenti: an Regularibus liceat peragere Processiones extra ambitum eorum Monasterii in Festo SSmi Corporis Christi?

S. R. Cong. respondit: « In Processione infra Octavam Corporis Christi fieri consueta, Regularibus non posse prohiberi, ne extra Claustra eorum Monasterii ducant Processiones huiusmodi. » Die 7. Septemb. 1658.

1930. **VIGILIEN.**

Orta controversia inter Canonicos Cathedralis Vigilien. in Dalmatia circa recitationem Officii Divini cum cantu in festis de devotione: Episcopus Vigilien. S. R. Cong. supplicavit, ut ei iniungere

dignaretur: an ipse debeat sequi partes eorum, qui cantare volunt; an vero Canonicorum, qui canere recusant, nisi sint festa de praecepto?

Et S. C. mandavit responderi: « Episcopum debere adhaerere iis, qui Officia Divina canere volunt, quod est favorabilis Ecclesiae, modo ex utraque parte Canonici sint pares numero. Verum, quoad Festa per Constitutionem Urbanam de moderatione Festorum sublata, Canonicos teneri ad eandem solemnitatem prorsus peragendam, qua ante Constitutionem festa quorumvis Sanctorum recolebant. » Die 7. Sept. 1658.

1931. ANGRENS.

Petitum est a S. R. C. declarari: an, attenta antiquissima consuetudine, liceat in Insulis Angrens. celebrare novemdiales Missas votivas de B. M. V. ante Nativitatem Domini, quamvis in ipsis concurrat Festum S. Thomae Apostoli, aut Dominica 3. vel 4. Adventus.

Et S. eadem C. declaravit: « Ratione concursus Populi, quatenus adsit, decantari posse Missam votivam de B. V., non omissa tamen currenti, et quidem solemniter statuta hora canonica de more decantanda. » Die 28. Sept. 1658.

1932. ARETINA.

Relata per Eñm D. Cardinalem Azzolinum controversia inter Clerum Saecularem, et Regulares Castrileonis Florentini Aretinae Dioecesis excitata, ex quo hi in Choro Collegiatae, dum Divinis intersunt, supra Praesbyteros Saeculares sedere praesumant: prout eos quandoque sedisse exposuerunt.

S. R. C., pluries auditis Partibus, declaravit: « Clero Saeculari semper et quancumque deberi praecedentiam supra Regulares, non obstante qualibet in contrarium inducta consuetudine. » Et ita in casu proposito servari mandavit die 28. Septembris 1658.

1933. CALAGURITANA.

Ad instantiam Episcopi, et Capituli Calaguritanæ Cathedralis S. R. C. declaravit: « Festum Martyrii SS. Emetherii, et Celidonii Patronorum Principalium Civitatis a Clero Saeculari Civitatismet celebrandum esse cum Octava; a Regularibus vero sine Octava. In Dioecesi autem, ubi non adsit proprius loci Patronus, similiter cum Octava; at ubi colitur festum peculiaris Patroni, nihil de Patrono Civitatis, vel, attenta consuetudine, sub duplici maiori tantum sine Octava. Et ad haec omnimode servanda, etiam auctoritate S. Congr., tum Saeculares, cum Regulares per Episcopum compelli posse, » eadem declaravit. Die 28. Septembris 1658.

1934. DECRETUM GENERALE SUPER REGULARIBUS.

Cum pluries expositum fuerit. Decretum editum die 28. Iul. 1628. a Cardinalibus Congregationis Episc., et Regul., Sac. Conc., et Sacr. Rit. qui de mandato S. M. Urbani VIII. simul convenerunt cum Secretariis earumdem trium Congregationum, idemque in Regestis S. R. C. ob incuriam Secretarii tunc temporis minime exaratum fuisset; ipse ab Eñm D. Cardinali Paulatio (ut ab Eñis PP. mihi iniunctum fuerat in Congregatione praeterita ad instantiam Archiepiscopi Mediolanen.) eiusdem Decreti copiam accepi, quam, eodem Eñm Cardinali Paulatio praesente, Eñis PP. de verbo ad verbum perlegi. Idemque iusserunt idem Decretum in Acta S. C. referrem, ut expetitus, illius duplicata possim expedire, et petentibus tradere. Die 28. Sept. 1658.

DECRETUM GENERALE. Die 27. Iul. 1628., habita fuit Congregatio particularis de ordine SSñi D. N. Urbani VIII., cui interfuerunt Illm̄i et Rm̄i DD. Cardinales Congregationum Sacri Concilii, Episcoporum, et Rituum, necnon Secretarii earumdem; negotioque mature discusso, unanimiter censuerunt: « Posse Episcopos poenis sibi bene visis compellere quoscumque Regulares recusantes, etiam Monachos, et quomodolibet exemptos, ad infrascriptas Processiones accedere, atque illis interesse, exceptis dumtaxat in strictiori clausura viventibus, et Monasteriis ultra medium milliare a civitate distantibus, nempe in die festo SSñi Corporis Christi, in Litanis Maioribus, in Rogationibus, ac in quibusvis aliis publicis, et consuetis, vel pro bono, causa, et honore publico ab Episcopis indictis Processionibus, non obstantibus quibuscumque privilegiis, consuetudinibus, vel praescriptionibus etiam immemorabilibus; Privilegiis tantum Apostolicis, Sacro Tridentino Concilio posterioribus contrarium desuper dispen. minime sublati.

Regularibus autem, et Confratratibus in Ecclesiis Regularium esse permissum intra eorum Ecclesias, et claustra tantum Processiones facere, et non extra: Si vero Ecclesiae claustra careant, eisdem Regularibus, et Confraternitatibus licere Processiones facere intra ambitum dumtaxat earumdem Ecclesiarum, hoc est prope muros Ecclesiae, sive exeundo a ianua Ecclesiae, et intrando per aliam, sive per eandem ianuam, et semper prope muros Ecclesiae, et non extra dictum ambitum, nisi de licentia, et consensu Ordinarii, aut cum Cruce Parochi: privilegiis pariter, ut supra, Apostolicis contrarium disponentibus, qui-

bus per hoc decretum minime censeatur derogatum. »

Quae resolutio fuit ab eadem Congregatione approbata 21. Augusti eiusdem anni 1628. in Congregatione habita in Palatio Montis Quirinalis, et deinde ab eodem SS. D. N. approbata, et iussu Sanctitatis Suae observanda.

1935. FOROSEMPRONIEN.

Fuit institutum infrascriptis Dubiis a S. R. C. responderi.

1. An prohibitio, quod Imagines Beatorum non possint exponi publicae venerationi, et super Altari in iis Ecclesiis, aliisque publicis locis, quibus hoc ex speciali Sedis Apostolicae indulto non est concessum, sit intelligenda simul, et coniunctim supradicta, an vero divisim?

2. An quis possit licite permittere, ut exponatur cum luminibus, et tabellis Imago Beati non canonizati, in Ecclesiis, aliisque publicis locis, in quibus hoc fieri ex Apostolicae Sedis speciali indulto minime indultum patet?

3. An possint Sacerdotes, absque speciali indulto, Missas currentes celebrare in honorem alicuius Beati non canonizati, exprimendo, vel non, nomen eiusdem Beati?

Et S. C. responderi mandavit. Ad 1. « Intelligendam esse divisim, ita ut publice non possint exponi in Ecclesiis, Oratoriis, aliisque publicis locis nec supra, nec extra Altare. »

Ad 2. « Episcopus teneri amovere, et prohibere, ut impleantur Decreta Congregationum SS. Inquisitionis, et SS. Rituum, quorum exequutio iisdem iniuncta est. »

Ad 3. « Negative. » Et ita in omnibus servari mandavit die 28. Septembris 1658.

1936. IUVENACEN.

Expositum est Sac. R. C., Dominum Civitatis Iuvenacen. in animum sibi induxisse, velle adhibere in Cathedrali Ecclesia, dum Divinis assistit, solitum baldachinum, et stratum.

Et EE. DD., « abusum huiusmodi non esse tollerandum, sed etiam, auctoritate S. C., omnino abolendum esse, Vicario Apostolico eiusdem Civitatis nunciari, » mandarunt die 28. Sept. 1658.

1937. NEAPOLITANA.

Relata per Em̄m D. Card. Franciottum controversia a Fratribus conversis, et Oblatis profesis Ordinis Minimorum Provinciae Neapolitanae excitata, ex quo iis praecedentiam deberi praesumerent supra Novitios, qui adhuc professionem non emisissent.

EE. DD., visis, ac mature perpensis partium iuribus, censuerunt: « Praecedentiam deberi No-

vitiis supra laicos iuxta dispositionem Iuris communis, et Constitutiones editas a Capitulis Generalibus Romano, et Marsiliensi. Et ita ubique, et in toto Ordine servandum esse, *mandarunt*, sub poenis in contravenientes, vel non acquiescentes per regulae constitutiones decretis, aliisque arbitrio S. C. infligendis. » Die 28. Sept. 1658.

1938. NICOTEREN.

Expositum est S. R. C.: Principissam de Aricia Dominam Civitatis Nicoterensis usum baldachini sibi arrogasse cum Vicarii Capitularis assensu.

Et Sac. C. eidem « Vicario iniungi *mandavit*, ut huiusmodi abusum omnino aboleri curet. » Die 28. Sept. 1658.

1939. AGRIGENTINA.

Rochus Trainitus Archipresbyter Terrae de Licata Agrigentinae Dioecesis a S. R. C. declarari postulavit: an Vicario Foraneo competat praecedentia supra ipsum Oratorem in choro, et in processionibus, et in eius defectum Missas solemnes celebrare, caeterasque functiones obire?

Et S. C. respondit: « Vicario Foraneo nullam competere praecminentiam, nec ullum ius ecclesiasticas functiones obeundi, ratione Vicariatus. » Die 7. Decemb. 1658.

1940. ALBINGANEN.

Episcopus Albinganen. a Sac. R. C. declarari postulavit: 1. an Protonotarii Apostolici e numero non Participantium possint, praesente Episcopo, uti habitu praelatio?

2. An inter Canonicos simili, nec distincta praebenda gaudentes, sit servanda regula praecedendi ratione ordinis, in quo unusquisque est constitutus; an vero anterioritatis adeptae possessionis Canonicatus?

Et S. C. Ad 1.: « Servari consuetudinem. »

Ad 2.: « Canonicos audiendos esse, » respondit. Die 7. Dec. 1658.

1941. BRUNDUSINA.

Canonici Cathedralis Ecclesiae Brundusinae Sac. R. C. supplicarunt declarari: ipsos non teneri ad inserviendum in Officio Diaconi, et Subdiaconi Dignitatibus celebrantibus.

Et S. C.: « Canonicos praedictos non solum teneri, verum etiam per Ordinarium ad ea munera subeunda compellendos esse, » respondit. Die 7. Decembris 1658.

1942. CAIETANA.

Habito recursum ad S. R. Cong. per Canonicos Cathedralis Caietanae, a gravamine, quod sibi ab Episcopo illatum praesumebant praeepto, scilicet, ut Canonico Missam conventualem celebranti assistant in Officio Diaconi, et Subdiaconi.

S. eadem C. declaravit: « Canonicos praedictos ad haec obeunda servitia teneri diebus festivis, et duplicibus tantum, reliquis vero diebus posse servari consuetudinem celebrandi Missam Conventualem, etiam sine ministris, ad ritum in Missali Romano praescriptum. » Et ita Decretum editum die 8. Iunii proxime praeteriti intelligendum esse. Die 7. Dec. 1658.

1943. CIVITATIS CASTELLI.

Institum fuit a S. R. C. declarari: an Vicario generali debeatur praecedentia in Ecclesia, choro, processioneibus, aliisque ecclesiasticis functionibus supra Dignitates, et caeteros Canonicos sacris indutos, et an Vicarius praedictus, dum Episcopus solemniter celebrat, et in Processione SS. Corporis Christi, aliisque solemnitatibus possit uti Pluviali?

Et S. eadem C. respondit: « Vicario numquam competere praecedentiam supra Dignitates, et Canonicos Sacris indutos, nec usum Pluvialis, nisi sit de gremio Capituli, et in eo casu eum debere incedere loco suae receptionis, non obstante qualibet contraria consuetudine, quam abusum » declaravit, et ita omnino servari mandavit die 7. Dec. 1658.

1944. CIVITATIS DUCALIS.

Canonici Cathedralis Ecclesiae Civitatis Ducalis a Sac. R. C. declarari enixe postularunt: an ipsi teneantur capitulariter assistentiam praestare Episcopo Ordinationes peragenti: et an illum debeant per longum temporis spatium in aula expectare, mox ad Ecclesiam comitaturi?

Et Sac. C. ad 1. respondendum esse censuit: « Canonicos praedictos teneri ad praefatam assistentiam, quando solemniter in cantu inter Divina Officia fiunt Ordinationes; si vero fiant privatim, tres tantum ex ipsis debere Episcopo inservire. »

Ad 2. « Canonicos expectare debere adventum Episcopi, sed Episcopum oportere esse discretum. » Die 7. Dec. 1658.

1945. COLONIEN.

Patres Societatis Iesu Oppidi Duseldorpiensis Coloniae. Dioecesis a S. R. C. declarari postularunt: licere sibi Processiones ducere, et dirigere per vias ab Ordinario praescriptas.

S. eadem Cong. respondit: « Patribus praedictis nullatenus prohiberi posse, quin per vias eis ab Ordinario concessas Processiones dirigant. » Die 7. Decembris 1658.

1946. CONVERSANA.

Ad instantiam Capituli Cathedralis Ecclesiae Conversanae.

Sac. R. C., ut alias in similibus, declaravit: « Dignitati, seu Canonico solemniter celebranti Ca-

nonicos pariter inservire debere in Officio Diaconi, et Subdiaconi, quamvis Praebendae non sint distinctae. » Et ita in Cathedrali praedicta servari mandavit die 7. Dec. 1658.

1947. GUASTALLAE.

Sac. R. C. declaravit: « Canonicos Collegiatae Guastallae famulari debere in officio Diaconi, et Subdiaconi Abbati solemniter celebranti, eique assistentiam praestare quaecumque is, solemniter cum processione repositurus Augustissimum Sacramentum, cum illo Populo benedicat. » Prout servari mandavit, et per Abbatem Canonicos cogi posse concessit. Die 7. Dec. 1658.

1948. NOVARIEN.

Renuentibus Canonicis Collegiatae Ecclesiae S. Gaudentii Civitatis Novariensis parere Decretis alias editis die 18. Iul. 1654., quod scilicet ad Parochos, privative quoad Canonicos Collegiatae praedictae, spectet officium absolutionis super defunctorum cadaveribus, quae in Parochiali Ecclesia humana sunt.

S. R. C., « Ut ab Ordinario, autoritate etiam S. C., eos ad haec omnimode servanda compelli possint, » imperavit. Die 7. Dec. 1658.

1949. PARMEN.

S. R. C., ut alias pluries declaravit: « Monachis Cassinensibus, exceptis tribus tantum solemnitatibus, numquam competere usum Baldachini, et signanter nec in vestitione Monialium huiusmodi licere. » Ae ita in Civitate Parmensi servari mandavit die 7. Dec. 1658.

1950. POSNANIEN.

Exposuit Praepositus Bonecensis Dioecesis Posnaniensis erectionem Confraternitatis Suffragii a fel. me. Innocentio X. obtentam, ei ab Ordinario impediri, attentò quod in eadem Ecclesia duae reperiantur Confraternitates, licet sint alterius Instituti, et Invocationis.

Et S. R. C. respondit: « Non obstare Bullam Clementis VII. quoad erectionem plurium Confraternitatum, quae sint diversi Instituti, vel Invocationis, prout in casu praedicto locum non habere, » declaravit. Die 7. Dec. 1658.

1951. ADIACEN.

Episcopus, et Capitulum Ecclesiae Cathedralis Adiacen. S. R. C. supplicarunt, declarare dignaretur: an ipsi liceret sub ritu duplici recitare Officium Inventionis Corporum S. Stephani Protomartyris, necnon SS. Placidi, et Corneli Mart., de quibus insignes Reliquiae in eadem Cathedrali asservantur?

Sac. C. respondit: « unicum festum sub duplici intuitu Reliquiarum insignium, posse celebrari »

ideoque de S. Stephano non licere die Inventionis celebrari festum sub duplici, quod iam duplex celebratur die Martyrii. De Sanctis verò Placido, et Cornelio, licere, quatenus eorum dies Martyrii sub duplici celebrari non consuevisset, et modo Reliquiae sint insignes, ac de illarum identitate Ordinarius ipse non haesitet. » Die 15. Februarii 1659.

1952. ASCULANA IN APULIA.

Episcopo Asculano in Apulia petenti licentiam asservandi SSmum Eucharistiae Sacramentum in sua privata Cappella *Feria V. maioris hebdomadae, ut sequenti Feria 6. in Parasceve*, ante accessum ad publicam solemnitatem possit Missam brevem eiusdem diei privatim celebrare.

S. Cong. respondit: « sibi volenti Eucharistiae Sacramento refici ea die, satis consultum, Caeremoniali Romano docente Regulam, ac Caeremonias servandas, celebrante Episcopo feria 6. in Parasceve. » Die 15. Februarii 1659.

1953. BISINIANEN.

Capitulum Cathedralis Bisinianen. declarari supplicavit: An liceat sibi canere Missas defunctorum infra Octavas privilegatas, et diebus duplicibus?

Et S. C. respondit: « Servari Rubricas Missalis Cap. 5. Die 15. Februarii 1659.

1954. BRIXIEN.

Iosephus Franzinus Praepositus insignis Collegiatae S. Nazarii, et Celsi Civitatis Brixien. Sac. R. C. supplicavit, sibi facultatem impertiri sumendi paramenta ex Altari etiam in Missis quotidianis, cum habeat usum Pontificalium in Missis maioribus, idque, quatenus Ordinarius assentiat.

Et Sac. Cong.: « Nihil Oratori indulgendum esse, » censuit. Die 15. Februarii 1659.

1955. CESENATEN.

Tria petiit declarari Episcopus Cesenatensis.

1. An Canonici Cathedralis Ecclesiae possint assistere Missae Pontificali induti cappa, non autem sacris vestibus?

2. An stante, quod in eadem Ecclesia non adsit distinctio praebendarum, omnes Canonici possint indui pluvialibus in Missis Pontificalibus, prout consueverunt in Vesperis?

3. An aliquod particulare Sacellum debeat deputari ad sumenda sacra indumenta Pontificalia, et ad Tertias canendas ante Missam solemnem?

Et Sac. R. C. responderi iussit. Ad 1. « Esse abusum, ne Canonici sumant ad Missam sacra indumenta omnino ab Ecclesiae Cesenatensis Caeremoniarum praxi revocandum. »

Ad 2. « Ex quo non adsit distinctio Praeben-

darum, posse omnes tum Dignitates tum Canonicos indui pluvialibus. »

Ad 3. « Deputari debere Sacellum, iuxta dispositionem Caeremonialis Episcoporum. » Die 15. Feb. 1659.

1956. CAIETANA.

Canonici Cathedralis Ecclesiae Caietanae non acquiescentes Decretis S. R. C. circa assistentiam Diaconi, et Subdiaconi ab ipsis praestandam Canonico celebranti, iterum ad eandem S. C. confugerunt pro moderatione dictorum Decretorum.

Et Erii PP. Episcopo iniungendum esse censuerunt, « ut Decretis praedicta omnino servari curet, et Canonicos ipsos compellat, auctoritate etiam S. C. » Die 15. Feb. 1659.

1957. CIVITATIS DUCALIS.

Ad instantiam Capituli Cathedralis Ecclesiae Civitatis Ducalis S. R. C., prout alias in similibus, declaravit: « Vacante sede episcopali Vicarium Capitularem in choro, sessionibus, ceterisque ecclesiasticis functionibus digniorem locum dimittere debere primae Dignitati, Capitulum representanti. Die 15. Feb. 1659.

1958. FASSANEN. NULLIUS.

Petrus Pistoya Protonotarius Apostolicus a S. R. C. declarari postulavit: an in supplendis vicibus Archipresbyteri, ipse sit praefendus omnibus Presbyteris eiusdem Ecclesiae obsequio additis, ac senioribus Sacerdotibus extraneis, et an sibi competat habitus praelatitii delatio, et in Missis privatis usus quatuor Candelarum, ac sacra indumenta ex Altari sumere?

S. autem C. « Nihil » responderi mandavit, die 15. Feb. 1659.

1959. FAVENTINA.

Fratres Jesuati S. Mariae Magdalenae Faventinae Civitatis a S. R. C. declarari petierunt: an onus celebrandi Missam de requie quolibet die feriali, intelligatur de die, quo recitatur Officium de feria, aut quolibet die, in quo non cadat Festum de praeepto?

S. autem C., « Missas privatas de defunctis quocumque die dici posse, declaravit, praeterquam in Festis dup. et Dominicis diebus ad praescriptum Rubricarum generalium Missalis Romani. Die 15. Feb. 1659.

1960. GUASTALLAE.

Abbate Guastallae petente, ut Sac. R. Congr. declarare dignaretur, a Canonicis ei assistentiam deberi, non solum quando ipse solemniter cum processione, sed etiam quandocumque absque solemnitate, et processione, repositurus Augustissimum Sacramentum, Populo benedicit.

S. C. respondit, « standum esse in Decretis. »
Die 15. Feb. 1659.

1961. GERMANIAE.

S. R. C. ad tollendos abusos, qui in ecclesiasticis functionibus irrepere solent, praecipue addicta, declaravit: « Canonico celebranti non licere almutiam retinere super Altari, neque ea uti debere hebdomadarium, non denique Diaconum, et Subdiaconum super brachio eam posse deferre. Et ita ubique omnino servari *mandavit*, non obstante qualibet in contrarium inducta consuetudine, quam abusum » declaravit. Die 15. Februarii 1659.

1962. INTERAMNEN.

Capitulum, et Canonici Cathedralis Ecclesiae Interamnen. a S. R. C. declarari postularunt: an ipsi excipere Magistratum ad Cathedralium euntem, eique obviare usque ad portam Ecclesiae, et solemnia, in quibus Magistratus ipse debet intervenire, ei nunciare, eundemque expectare teneantur? Supplicarunt insuper iniungi omnimodam observationem Decreti alias in controversiis inter ipsos, et Magistratum verten.: *de anno 1642. evulgati.*

Et S. C., « in hac parte Decretum praedictum servari *mandavit*; in reliquis vero, Magistratum audiendum esse *censuit*: ideoque duplicatum Decreti die 19. Jul. 1642. emanati cum additione infrascriptae novae iussionis pro eiusdem Decreti omnimoda observatione Capitulo Oratori expeditum fuit, » videlicet.

INTERAMNEN. Rursus Capitulo Cathedralis Interamnen. instante, S. R. C. iussit, « servari Decretum die 19. Jul. 1642. evulgatum, quavis contraria consuetudine successive inducta nullatenus attendenda, quam abusum » declaravit. Die 15. Feb. 1659.

1963. MARIANEN.

S. R. C. ut alias Episcopi Marianen. instantiae rursus responderi praecepit. « Ad ieiunium, vacationem ab operibus, et ad Missam audiendum diebus alias ex praecepto Ecclesiae minime servandis, in implementum voti, tantum teneri, qui actu voverunt; secus autem, qui actu non voverunt, vel successores illorum, qui actu voverunt. » Die 15. Feb. 1659.

1964. MATERANEN.

Presbyteri Materanensis Ecclesiae exposuerunt, Archiepiscopum praecepisse, Vicarios Foraneos in Choro, sessionibus, aliisque ecclesiasticis functionibus primis tantum Dignitatibus posthabendos esse, ceteris autem Sacerdotibus, quamvis anterioribus, praefereandos.

S. autem C., « ad Ordinarium, prout alias in similibus, rescribi *mandavit*: Vicariis Foraneis ratione Vicariatus nullum ius, et praeminentiam competere, nec potuisse ipsum Archiepiscopum, quidquid contra S. Cong. Decretum decernere. » Die 15. Feb. 1659.

1965. MESSANEN.

Petentibus Canonice Cathedralis Messanen. moderationem Decreti praeterito anno favore Canonice Coadiutorum emanati, et declarari, eo Decreto nullatenus indultum fuisse Coadiutoribus, ut, praesentibus Coadiutis, cum habitu canonicali in Choro, et Processionibus interesse possint, sed tantum ut privatae personae, et sine habitu canonicali.

S. R. C., referente Eño Aldobrandino, decrevit: « Manendum esse in Decretis; et ex quo nihil veris Canonice depereat, obsequium vero Ecclesiae augeatur, Coadiutoribus in vim praefati Decreti licuisse, et licitum fore, etiam praesentibus Coadiutis, cum habitu canonicali Divinis, caeterisque ecclesiasticis functionibus interesse, modo veris Canonice stalla non occupent, imo iis advenientibus, si stalla non supersint, ipsi Coadiutores a Choro discedant. Die 15. Feb. 1659.

1966. NEAPOLITANA.

Institutum Capitulum Metropolitanae Ecclesiae Neapolis infrascripta Dubia declarari.

1. An ad secundas, et tertias Benedictiones in Matutinis, et ad nonam lectionem, quae per celebrantem Canonicum, vel alium e numero Hebdomadarium stantem in stallis canonicalibus, vel prope Altare, tum etiam Pluviali indutum cantetur, Canonice, et reliqui de Clero stare teneantur?

2. An, dum cantatur *Symbolum* a Cantoribus, attendenda consuetudine, quod ad versum: *Et incarnatus es etc.*, Canonice caput inclinent, reliqui vero inferiores genuflectant, etiam Celebrans, si fuerit e numero Hebdomadarium, genuflectere teneatur?

3. An Celebrans e praedicto Hebdomadarium numero, Canonice in Chorum adveniendi assurgere debeat?

Et S. C. declaravit. Ad 1. « Canonice tantum Officium peragente. »

Ad 2. « Ad versum, *Et incarnatus est etc.*, omnes, nec excepto Episcopo, teneri genuflectere, quodcumque stantes incidant in illa verba: *Et incarnatus est etc.* tum si ab ipsis ore proferantur, tum si a cantoribus canantur, vel etiam si sedeant, in ipsa Nativitatis die, nec non Annun-

ciationis B. M. V. festo. Caeteris vero diebus indiscriminatim sedentes omnes, nemine excepto, teneri caput detectum inclinare. Nec eo casu locum habere dispositionem Caeremonialis, quod, caput inclinantibus Canonicis, inferiores genuflectant.»

Ad 3. « Celebrantem Canonicum, eoque magis e numero Hebdomadariorum Canonico in Choro adveniēti, postquam idem ante Altare preces effuderit, et stans Crucem, et Celebrantem ipsum salutaverit, teneri assurgere.» Et ita in Ecclesia Neapolitana servari mandavit. Die 15. Feb. 1659.

1967. NERITONEN.

Conquesti sunt Canonici Cathedralis Ecclesiae Neritonensis, modernum Episcopum multa praecepisse, quae ob novitatem scandala pariunt: et exinde Divinum cultum iacturam non medioerem pati; quod scilicet in festo S. Gregorii Missarum solemnia, non ut hactenus hebdomadarius, sed prima Dignitas peragat; ac ut Diaconi, et Subdiaconi, et Clerici Civitatis quolibet die festo Officium parvum B. M. V. recitent in Altari eiusdem Cathedralis Ecclesiae sub invocatione SSmī Crucifixi, dum iidem Canonici Divinis Officiis sub Altari maiori assistunt.

S. autem C., « super his informationes ab Ordinario desiderari, respondit, quamvis eadem C. non haesitet eodem tempore, quo cantatur in Choro a Praebendatis Ecclesiae, dissonum videri, ut in eadem Ecclesia alii diversae preces recitent, et confundatur canendi modulus diversa cantus ratione; onera vero, et honores immutandi novitatem sine gravi, et laudabili ratione dissidia, ac motus animi generare, utilitate prorsus vacua. Die 15. Feb. 1659.

1968. PUTIGNANI, sive NULLIUS.

Presbyteris matricis Ecclesiae loci Putignani supplicantibus declarari: an, canente nonam lectionem digniore Presbytero, ac Rectore eiusdem Ecclesiae, debeat a digniore existente in Choro responderi: *Ad societatem etc.* aut, postquam idem Rector dixerit, *Iube Domine benedicere etc.*, absque alia benedictione, debeat a cantoribus responderi. *Amen?*

S. R. C. rescribi mandavit, « Digniorem praesentem in Choro benedicere debere, ac contrariam consuetudinem abusum, et corruptelam omnino revocandam, et abrogandam esse, » declaravit. Die 15. Feb. 1659.

1969. RAGUSINA.

Exposuit Archiepiscopus Ragusinus, quod Archidiaconus, et Canonici recusent obedire Decreto S. C., quo eisdem iniunctum est, ut assistant

ipsi Oratori pontificaliter celebranti extra Cathedralē, et vetitus usus albae sub pluviali ad Vesperas. Praeterea ab ipsis Canonicis denegari praecedentiam in Processionibus, et in Choro Episcopis suffraganeis, vel exteris, nec non eius Vicario generali. Et S. R. C. iussit, « oratenus Archiepiscopum admoneri, ne tam severe in Capitulum animadvertat, sed suaviter viros illos ad observantiam Decretorum S. C. alliciat. Quo vero ad Episcopos, et Vicarium infrascriptum Decretum dari praecepit.»

RAGUSINA. Ad aures Em̄orum Patrum S. C. pervenit, quod Dignitates, et Canonici Metropolitanae Ragusinae haesitent: an ipsi Episcopis suffraganeis, vel exteris supplicationibus, vel Divinis in Choro praesentibus digniorem locum deferre teneantur, sitque ab ipsis par obsequium Vicario Generali exhibendum? Et S. R. C. « Dignitatibus, et Canonicis praefatis praesenti Decreto significandum duxit, quod, Episcopis etiam exteris Pluviali, et Mitra redimitis, ipsi, tametsi sacris induti, digniorem locum deferre tenentur, nec diversam disciplinam cum iisdem Episcopis sacris non redimitis ipsimet choralibus amicti indumentis servare debent. Verum ipsos sacris indutos nequaquam debere digniorem locum Vicario generali non Episcopo deferre, et contrariam consuetudinem, si quae extet, abrogandam, S. eadem C. *declaravit*: nec non Dignitates, et Capitulum praefatum admoneri, *praecepit*, ut, sicut obsequentissimos in S. C. imperium filios decet, sese posthac ostendant hisce, et anteactis Decretis observatores quam religiosos.» Die 15. Feb. 1659.

1970. REATINA.

Communitas Castri S. Ioannis Reatinae Diocesis a S. R. C. declarari postulavit: quinam intelligantur dies impediti ad celebrationem Missarum pro defuncto, qui aliquas institui mandavit Cappellanas cum onere celebrandi Missam de Reque quocumque die non impedito?

Et Em̄i PP. S. eidem C. praepositi, « in casu, de quo agitur, dies impeditos intelligi, *responderunt*, eos, in quibus a Rubricis vetitum est celebrari Missas defunctorum, scilicet omnibus diebus Dominicis, et duplicibus.» Die 15. Februarii 1659.

1971. RIPANA.

Ad instantiam Capituli Cathedralis Ripanae, S. R. C., prout alias in similibus, declaravit: « Vicario Generali nullam competere praecedentiam super Canonicos sacris indutos, quamvis ipse incedat in habitu Protonotarii: » Et ita in

Civitate praedicta servari mandavit. Die 15. Februarii 1659.

1972. CESENATEN.

Episcopus Cesenaten. infrascripta Dubia a S. R. C. declarari postulavit :

1. An ad Vicarium Generalem vigore consuetudinis, et Decreti Synodalis ante annos fere octuaginta conditi, spectet supplere vicibus Episcopi in Missarum, aliorumque Divinorum solemnibus, private etiam quoad primam Dignitatem ?

2. An Magistratui Civitatis, in Processionibus post Episcopum immediate incedenti, liceat per famulum clavam ante se deferre facere ?

3. An videatur tolerabilis consuetudo, ut Dignitatibus solemniter celebrantibus Presbyter assistens Pluviali indutus assistat ?

4. An Dignitatibus, et Canonicis extra Cathedrali, nec non Abbatibus Regularibus tam in propria, quam in aliena Ecclesia solemniter ultra tres vices, in quibus Pontificalibus uti eis indultum est, Vesperas, et Missas celebrantibus, liceat sedere in sedibus cameralibus, an vero lidem in scamno, praesertim praesente Episcopo, sedere teneantur ?

5. An Abbatibus Regularibus liceat sumere sacras vestes de Altari, cum Missam sint celebraturi, ac triplicem in ea impertiri benedictionem tam in propria, quam in aliena Ecclesia, quoties eis liberit extra dies, in quibus Pontificalibus uti eis indultum est, et actu utuntur ?

6. An Laicis Regularibus, delaturis in Processionibus Crucem, et candelabra sit permittendus usus Albae, Dalmaticae, Pluvialis, ac smilium ?

Et S. C. responderi mandavit. Ad 1. « Vicario uti Vicario non competere ius supplendi vicibus Episcopi in celebratione Missarum solemnium, aliorumque Divinorum operatione, et contrariam consuetudinem esse abusum, nec non synodale decretum minime sustineri. »

Ad 2. 3. et 4., « Servari consuetudinem legitime tamen praescriptam, et si eadem praescripta non putetur, quousque contrarium probeatur, S. C. nihil innovari » mandavit.

Ad 5. « Ultra tres vices Abbatibus nullatenus licere sacra paramenta ex Altari sumere, et trina Crucis productione solemniter benedicere, et tunc, si actu Pontificalibus induti solemniter peragant; privatim vero celebrantibus, numquam a simplici Sacerdote, vel in minimo eos discrepare permissum est. »

Ad 6. « Negative. » Et ita in Civitate Cesenaten. servari mandavit. Die 29. Mart. 1659.

1973. CIVITATIS CASTELLI.

Ad instantiam Vicarii generalis Civitatis Castellae, S. R. C. declaravit, « Vicarium praefendum esse Canonicis sacris vestibus non indutis, secus autem Canonicis sacris indumentis amictis; nec posse eum uti Pluviali, nisi fuerit Capitularis, et eo casu sedere loco suae receptionis debere, si velit lucrari distributiones: Canonicos vero associaturos Episcopum ad Ecclesiam ab Episcopo distantem citra sexaginta passus, debere esse indutos insigniis, et vestibus canonicilibus, ac contrariam consuetudinem revocandam fore, et esse abusum. » Die 29. Mart. 1659.

1974. FERETRANA.

Ad instantiam Capituli Cathedralis Ecclesiae Feretranae S. R. C., ut alias in similibus declaravit: « Coadiutorem Dignitatis etiam primae, posse interesse Ecclesiasticis functionibus, praesente Coadiuto, sed sedere debere post omnes Dignitates. » Et ita in Cathedrali praedicta servari mandavit. Die 29. Mart. 1659.

1975. INTERAMNEN.

Institit Episcopus Interamnensis declarari: an Gubernatori Praelato eiusdem Interamnensis Civitatis pro tempore existenti, competat locus, et ius genuflectendi in Ecclesia super eodem genuflexorio, in quo tunc temporis genuflectit Episcopus? Cumque negotium huiusmodi a SS. D. N. commissum fuerit discutiendum per Congregationem particularem DD. Alterii, Rasponi, et Phebaei, iidem, eo mature perpensa, censuerunt, « eiusmodi locum, et ius Gubernatori praefato non competere, genuflectendi scilicet simul cum Episcopo in eodem genuflexorio, sed eum genuflectere debere in alio scamno, seu genuflexorio una cum Magistratu saeculari, cuius caput gerit, et repraesentat. » Quam sententiam eidem SS. D. N. relatam, Sanctitas Sua approbavit, et iuxta eam de caetero circa praemissa observari mandavit, praetensa consuetudine, caeterisque contrariis non obstantibus quibuscumque: necnon per S. R. C. Decretum desuper expediri mandavit. Die 19. Febr. 1659. Quamobrem praelecto in eadem S. R. C. huiusmodi Decreto, Emissi Patres idem laudarunt, et in Acta S. C. referri, ac partibus in forma consignari iusserunt. Die 29. Mart. 1659.

1976. MAZZARIEN.

Petiit Cantor Mazzarien. a S. R. C. declarari: an ipsi Oratori, an potius Archidiacono competat ius vocandi Ordinandos in solemnibus Ordinationibus ?

Et Sac. eadem Cong.: « Rubricas Pontifica-

lis servandas esse, » respondit. Die 29. Martii 1659.

1977. PUTEOLANA.

Canonici Cathed. Eccl. Puteolanae a S. R. C. declarari postularunt.

1. An Missarum celebratio in festo Purificationis B. M. V., Fer. IV. Cinerum, et Dominica Palmarum, absente Episcopo, spectet ad primam Dignitatem, an vero ad Hebdomadariam?

2. An in Processionibus extraordinariis, quae ex devotione Capituli peraguntur, prima Dignitas, an vero Hebdomadarius induendus sit Pluvialis, et ad quem ipsorum dictis diebus spectet Missae celebrare?

Et S. C. ad 1. respondit: « Benedictionem, ac distributionem praedictam spectare ad primam Dignitatem, modo Officium prosequi, et Missam canere velit: alias ad Hebdomadariam pertinere. »

Ad 2. « Servandam esse consuetudinem. » Die 29. Mart. 1659.

1978. REGNI CORSICAE.

Ad aures Emorum Patrum S. R. C. praepositorum pervenit, plurimos in Regno Corsicae irrepsisse abusus.

1. Scilicet, ut Sacerdotes celebrantes, praesente Principe, vel Ministro Reipublicae, ad eos conversi, confessionem absolvant, eisque caput inclinent ad verba *Tibi Pater*, et *Te Pater*.

2. Evangelii Textum, et in defectum Instrumenti Pacis, Manipulum eisdem osculandum tradi.

3. Sacerdotem, antequam Populo in fine Missae benedicat, Principem, seu Ministrum capitis inclinatione venerari.

Et S. eadem C. huiusmodi abusibus tollendis praesertim addicta, « Nullo modo praedicta licere declaravit, et ab Ecclesiae praxi per Ordinarios locorum, etiam auctoritate S. C., omnino revocanda fore » mandavit. Die 29. Mart. 1659.

1979. SULMONEN.

S. R. C., ut alias in similibus declaravit: « Vicario ut Vicario nullum competere ius supplendi vices Episcopi in cantu Missarum solemnium, aliorumque Divinorum; verum ut Canonico loco suae admissionis eidem licere huiusmodi munia subire, prout in Cathedrali Sulmonensi servari mandavit, qualibet contraria, etiam immemorabili consuetudine non obstante, quam abusum vocat. » Die 29. Mart. 1659.

1980. TRIVENTINA.

S. R. C., prout in similibus, declaravit: « Inter simplices Sacerdotes nulla gaudentes Praebenda, anterioritatem suscepti Ordinis Presbyteratus inspiciendam esse, nulla inter eos habita

ratione prioritatis in Ordine Subdiaconatus, vel Diaconatus. » Et ita in Terra Alfidinae Triventinae Dioecesis servari mandavit. Die 29. Martii 1669.

1981. URBIS S. M. AD MARTYRES.

Exposuerunt Canonici Sacro Presbyteratus Ordine decorati Collegiatae Ecclesiae S. Mariae ad Martyres de Rotunda nuncupatae, hactenus in ea intolerabilem irrepsisse abusum, ut nulla in Ecclesiasticis Sessionibus, ac Processionibus, praeterquam anterioritatis adeptae possessionis, praeminentiarum ratio habeatur inter Canonicos, qui quidem omnes pari Praebenda indiscriminatum gaudent, utpote Praebendarum distinctio ibi non adsit, imo tum conniventia, tum literarum Apostolicarum tenore, huc usque per simplices Clericos Praebendas ipsas detineri posse pateat indultum, quamvis aliquos Sacris Ordinibus, ac praesertim regali Sacerdotio insignitos esse oporteat, ne solemnia, quae huiusmodi potestatem exigunt, inibi sileant, et vaeret Sacrificio Ara, Sacerdote, ac Ministris perperam destituta.

S. itaque R. C., quod a Canonicis Clericis pro tempore a die 16. Dec. 1606. (qua S. ipsius C. Decreto provisum fuit, nihil ipso tunc innovari) quid vel minimum relevans exhibitum sit, vel sola consuetudo ab ipsis Clericis tunc sub litis initium deducta modernis novissime deducenda obveniat; Sacrorum Canonum dispositioni inhaerendo, declaravit: « Inter pares Praebendas obtinentes hierarchicum Ecclesiae ordinem inconcusse servandum fore, nullatenus attempta anterioritate possessionis adeptae, nisi inter aequales Ordine; neque tamen consuetudinem illam abrogans, qua alicubi laudabiliter inductum reperitur; (etenim ipsi Praebendati ad susceptionem Sacrorum Ordinum nedum alliciuntur, sed suaviter impelluntur), ut qui primo ordinatus gradum Ordinis semel ascenderit, ab antiquiori praebendato pari Ordine postmodum insignito, ne a stallo pellatur; imo ius praelationis semel adeptum numquam remittat. Itaque Presbyteros Diaconis, Diaconos Subdiaconis, Subdiaconos Clericis praefereandos esse, tametsi Praebendae Sacrum Ordinem non desiderent. » Prout in Collegiata praedicta servari mandavit, « quavis etiam immemorabili consuetudine non obstante, quam abusum vocat. » Die 29. Mart. 1659.

1982. NEAPOLITANA.

Habito responso a S. R. C. sub die 15. Februarii proxime praeteriti, quod Canonici stare non teneantur ad secundas, et tertias benedictiones in Matutinis, et ad nonam Lectionem, quae

per celebrantem Canonicum, vel Hebdomadarium canuntur: dubitatum fuit, an eiusdem Decreti dispositio Hebdomadariis pariter suffragetur?

Et Em̄i Domini responderi mandarunt: « In statione, et in sessione cum a Canonicis, tum a Beneficiatis uniformitatem semper fore servandam, et quoties Divina stare non exigant, nedum a Canonicis, verum etiam ab inferioribus aequaliter sedendum esse. » Die 24. Maii 1659.

1983. ORDINIS S. FRANCISCI.

Fratribus Conventualibus S. Francisci, oblata supplicatione, declarari poscentibus: quid ab ipsis, occurrente Vigilia S. Antonii de Padua nuncupati in festo SS. Corporis Christi, rite servandum videatur?

S. R. C., quamvis non dubitet, ubi militat eadem ratio, eandem vigere iuris dispositionem; ut tutiori tamen agatur conscientia, quod Apostolica definitione non caret, praesenti declaratione sancivit; « a Fratribus praedictis in praefata Vigilia S. Antonii de Padua, quae in festum SS. Corporis Christi aliquando incidit, ieiunandum, vel a carnibus abstinendum fore. Verum eo casu ieiunium huiusmodi feria IV. die immediate antecedente Festo SS. Corporis Christi anticipandum, ne pia universalis Ecclesiae, ac solemnioris Festi laetitia, particularis, et minus dignae celebritatis poenitentiali praevisione decrescat. Itaque etiam quamvis non petentibus Fratribus Ordinis Minoris Observantiae suffragari, S. eadem G. huiusmet declarationis tenore *decrevit*, ut ad maiorem devotionem in Apostolicam Sedem iidem concitentur, dum eorum curam eandem habuisse non haesitent, quorum vota fuerint posteriora, quam praestita. » Die 24. Maii 1659.

Facta autem de praedictis SS^{mo} relatione, *Sanctitas Sua* annuit, ac praelibatos Fratres, ut supra, a praecepto, quo ipsis Urbana Constitutione ieiunium praedictum patet iniunctum, absolvit. Idemque simile occurrente casu perpetuo posthaec in feriam quartam praecedentem revocatum pari sanctione firmavit. Die 26. eiusdem mensis Maii eodemque anno.

1984. VELITERNA.

Canonici Cathedralis Ecclesiae Veliternae, in qua Praebendae non sunt distinctae, sed omnes habent adnexum Ordinem Presbyteralem, a S. C. declarari postularunt, an inter ipsos praecedentia competat Canonico antiquiori in possessione, quamvis Ordine posteriori, an vero Canonico posterioris possessionis, sed in Ordine anteriori?

Et Em̄i PP. responderi mandarunt: « Con-

suetudinem Ecclesiae servandam esse, modo Canonici infra terminum a S. Tridentina Synodo statutum Presbyteralem Ordinem susceperint; et si consuetudo probari nequeat, praefendum esse Canonicum, qui prius post adeptam possessionem ad Ordinem Praesbyteralem ascenderit. » Die 24. Maii 1659.

1985. VOLATERANA.

Canonici Collegiatae Ecclesiae Oppidi S. Geminiani Volateranae Dioecesis a S. R. C. declarari postularunt, supra Vicarium Foraneum, ac Hebdomadarium sacris indutum, Praeposito, prout hactenus consuevit, locum non competere.

Et S. C. responderi mandavit: « Vicario Foraneo ratione Vicariatus nullam competere praecedentiam, sed eum stare, et sedere debere in loco suae receptionis, si sit de gremio Capituli. Verum Hebdomadario, si fuerit Canonicus, deberi digniorem locum a parte Chori; Praeposito autem digniorem locum e conspectu Hebdomadarii, vel immediate post Hebdomadarium Canonice: at si Hebdomadarius erit Canonico inferior, deberi ei locum, cum fuerit sacris indutus, apud Altare a parte cornu Epistolae; nisi fuerit sacris indutus, digniorem locum supra reliquos sui Ordinis. » Die 24. Maii 1659.

1986. BERGOMEN.

Exposuerunt Canonici Cathedralis Bergomenae, ac praesertim die 28. Februarii 1628. S. R. Cong. statuisset veris Canonicis praecedentiam competere supra Canonicos Coadiutores; supplicarunt propterea declarari, perperam Coadiutores praesumere ipsis veris Canonicis esse praefendos in ministerio Diaconi, et Subdiaconi Episcopo solemniter celebranti praestando.

S. autem C., « quamvis non haesitet a Coadiutoribus semper deferendum esse veris Canonicis, excepto tamen ministerio ad Coadiutos spectante, quod, privative etiam quoad veros Canonicos, competit Coadiutoribus; tamen Episcopi informationes desiderari, *respondit*, super consuetudine hucusque servata. » Die 14. Iun. 1659.

1987. BITUNTINA.

Institit Archibresbyter secunda Dignitas Cathedralis Bituntinae a S. R. C. sibi adiudicari ius assistendi Episcopo solemniter celebranti supra Coadiutorem Archidiaconi primae Dignitatis?

Et S. eadem C., « quamvis non haesitet spectare ad Coadiutorem supplere vicibus Coadiuti, privative quoad alias Dignitates, tamen Ordinarium audiri *mandavit* super iuribus utriusque partis, et consuetudine hucusque servata. » Die 14. Iun. 1659.

1988. **FUNDANA.**

Primicerio Cathedralis Fundanae assistentiam, et solita, ac debita obsequia Episcopo, eiusque praeceptis praestare renuente, cum ex eius obedientia, et iurisdictione se exemptum praesumat, ex quo Apostolici Nuntii Commissarii Subcollectoris officium gerat.

S. R. C. respondit, « exemptionem non suffragari quoad spiritualia, et respicientia cultum divinum, ac propterea Episcopo iniungendum esse duxit, ut Primicerium praedictum ad onera sibi debita omnino subeunda auctoritate S. C. compellat. » Die 14. Iun. 1659.

1989. **ISERNIEN.**

Conquestae sunt Dignitates Cathedralis Isernien. Canonicos eiusdem Cathedralis nuper praesumere coepisse, ut in Missarum solemnibus Canonici in officio Diaconi, et Subdiaconi iis famulentur, ac in Vesperis quatuor ex gremio Ecclesiae Pluvialibus induti assistentiam praestent; supplicarunt propterea huiusmodi praerogativam ipsis tantummodo Dignitatibus ex consuetudine debitam, Canonicis praedictis prohiberi.

Et S. C., « quamvis non haesitet Canonico Missarum solemnibus peragenti Canonicos pariter, et non inferiores pro Diacono, et Subdiacono famulari debere, tamen ab Episcopo informationem desiderari, » mandavit. Die 14. Iun. 1659.

1990. **NEAPOLITANA.**

Instituit Vicarius generalis Emissi Archiepiscopi Neapolitani a S. R. C. declarari: an liceat in Ecclesiis, in quibus non asservatur SS. Sacramentum, celebrari Missam fer. V. in Coena Domini, et in Sepulchro idem Augustissimum Sacramentum asservari?

Et S. Cong. respondit: « Non licere. » Die 14. Iun. 1659.

1991. **PUTEOLANA.**

Cum S. R. C. die 29. Mart. proxime praeteriti, Decretum generale, quod, absente, vel impedito Episcopo, functiones Episcopales spectant privative ad primam Dignitatem, in Ecclesia Puteolana servandum, ad instantiam Capituli Cathedralis eiusdem expediri iussisset; subinde autem Cantor secunda Dignitas Missarum solemnibus die Purificationis ad ipsum privative ex erectione suae Dignitatis pertinere exposuisset, idque iam a S. C. approbatum pateat extitisse Decretis emanatis 9. Dec. 1617., et 3. Aug. 1652.

Emissi DD. S. R. C. praepositi tollendis dissensionibus, quae inter Ecclesiasticas personas oriri solent, praesertim addicti, Candelarum distributionem praedicta die Purificationis ad Cantorem

praefatum pertinere, *declararunt*, cum eidem vigore Decreti erectionis suae Dignitatis competat ea die Missarum solemnibus persolvere. » Die 14. Iun. 1659.

Decretum diei 3. Aug. 1652. sequens est.

PUTEOLANA. Orta controversia inter Cantorem Cathedralis ex una, et Decanum eiusdem ex altera super benedictione, et distributione candelarum in die Purificationis B. M. V.

S. R. C., cum alias declaraverit solummodo praedicta spectare ad Celebrantem; hodie, proponente Emissi D. Cardinali Costaguto, ad instantiam praefati Cantoris, citato Decano eius adversario, subiunxit: « ius celebrandi Missam in die Purificationis spectare ad praedictum Cantorem, ex Decreto erectionis eiusdem Cantoriae.

1992. **CUSENTINA.**

Postulantibus Capitulo, et Canonicis Metropolitanae Ecclesiae Cusentinae, S. R. C. declaravit: « Canonicos in Choro existentes ad confessionem debere stare, reliquos vero inferiores genuflectere, eamque consuetudinem, ut Canonici celebrantes, vel alias officium peragentes penes sedem, et non apud Altare thus in Thuribulo imponant, et aspersionis officium pariter peragentes, non ante Altare, sed prope sedem preces, et orationem cantent: omnino ab Ecclesiae Cusentinae praxi revocandam fore. » Die 19. Iulii 1659.

1993. **FULGINATEN.**

Decanus Cathedralis Ecclesiae Fulginaten., qui duplici gaudet Prebenda nempe Decanali, et Canonicali, S. R. C. exposuit, nuper a Canonicis coeptum recusari supplere eius vices in obeundis muniis canonicalibus, quaecumque ipsi Oratori Decanatus onera simul explenda obveniunt.

S. autem C., partibus auditis, declaravit: « Decanum teneri obire munia Decanatus, et Canonicos, ne Ecclesia debito fraudetur obsequio, teneri supplere pro Decano in oneribus Canonicalibus, quae tamen in tabella turni uti ad Decanum Canonicum pertinentia adnotentur, qui debet ex urbanitate rogare Canonicos, ut suppleant eius vices; at si iidem recusent, ab Ordinario compellantur. » Die 19. Iul. 1659.

1994. **NOLANA.**

Episcopus Nolanus exposuit, a Fratribus Reformatis S. Francisci Monialibus Monasterii S. Spiritus Nolae existentibus, sub poena peccati mortalis, et incursu in excommunicationem, vetitum fuisse, ne ipsi Oratori in visitatione Clausurae Monasterii consueta praestentur obsequia.

S. autem C. declaravit: « Moniales debere

initio Visitationis Episcopum sub Baldachino sedentem revereri cum genuflexione, et ab eo singulas accipere benedictionem, non attenta prohibitione a Fratibus perperam interposita. » Die 19. Iul. 1659.

1995. ORITANA.

Episcopus Oritanus exposuit, nuper a Dignitatibus, et Canonicis Cathedralis induci coeptum abusum in Missis privatis, adhibendi duos ministros, quatuor candelas accensas, et abacum parandi.

S. vero C. « Abusus suis initis dirimere intenta, ne serpent ulterius, Dignitatibus, et Canonicis praedicta minime licere, » respondit. Die 19. Iulii 1659.

1996. RECINATEN.

S. R. C., iuxta alias resoluta, declaravit: « Vicario generali non Praelato, vel alias Protonotario Apostolico in habitu tamen praelatio Divinis non interessenti, nec, absente Episcopo, trini ductus thuribuli thurificationem competere, sed tantum duplici ductu eum thurificari debere, » et ita in Ecclesia Recinaten. servari mandavit. Die 19. Iul. 1659.

1997. ROSSANEN.

Procurator generalis Ordinis Capuccinorum exposuit a Fratibus Minimis S. Francisci de Paula nuncupat. Rossanen. Civitatis Fratibus Capuccinis eiusdem loci in Processionibus praecedentiam controversi, ex quo Capuccini ab antiquo Conventu ad modernum, postquam Fratres Minimi in ea Civitate Conventum adepti sunt, transierunt.

S. itaque R. Cong. censuit: « Praecedentiam competere Capuccinis uti antiquioribus in loco, et familiam novi Conventus subrogati loco antiqui, iis omnibus privilegiis gaudere, quibus antiqui Conventus familia ipsa fruebatur, praesertim quod translatio auctoritate Apostolica peracta sit. » Die 19. Iul. 1659.

1998. INTERAMNEN.

S. R. C. in causa controversiarum iuris praecedendi verten. inter Rectores Ecclesiarum, et Beneficiatos Cathedralis Interamnen., rursus auditis iuribus hinc inde novissime deductis, ad relationem Emi D. Card. Franciotti, declaravit: « Rectores praedictos esse de gremio, ac de Clero Ecclesiae Cathedralis, ac proinde Decretum emanatum die 8. Iunii 1658. non afficere Rectores praefatos, quin possint inter Canonicos, et Beneficiatos existentes Divinis interesse, ex quo cesset ratio inseparabilitatis corporis Capituli, et Cleri eiusdem Ecclesiae, cuius ipsi membra existunt,

et retinendam esse praecminentiarum praxim hactenus in eadem Ecclesia servatam, quod Rectores, quoties Divinis interesse inibi compelluntur, sint Beneficiatis, ut olim, in sessionibus, stationibus, et processionibus praeferendi. » Et ita in posterum servari S. eadem C. mandavit. Die 2. Augusti 1659.

1999. ORDINIS MINIMORUM.

Fratres Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula S. R. C. supplicarunt, dignaretur declarare: an inter communia SSmum Suffragia S. Iosephi Sponsi Bnae V. habenda sit immediate post commemorationem Bnae Virg. tamquam de Patriarcha, et an pariter in Litanis in Ecclesiis praesertim sub eiusdem invocatione Deo dicatis post B. Virg. invocandus sit?

Et S. C. respondit: « Inter Suffragia ponendum esse loco Conf. non Pont., et Litanis non licere addere Sanctos in eis non expressos. » Die 2. Augusti 1659.

2000. SARZANEN.

Instante Ioanne Fantono de Fuizano Sarzanen. Dioecesis, S. C. declaravit, « ipsum Oratorem incedentem in habitu Protonotarii, debere in Choro sedere post Canonicos, vel, ubi Capitulum non existit, immediate post Rectorem Ecclesiae, vel alias facientem Officium. In Processionibus vero pariter eodem loco, vel nisi adsit Magistratus posse etiam uti Praelatus incedere post Baldachinum, sub quo defertur SSmum Sacramentum. » Die 2. Aug. 1659.

2001. URBIS S. M. AD MARTYRES.

Auditis Pompilio Zuecharino, et Michaele Angelo Bonaugurio Canonicis Clericis Collegiatae Ecclesiae S. M. ad Martyres de Rotunda nuncupatae, inter non exigua spatia dilationis iisdem, repetitis vicibus, indulta ad iura quaecumque cumulanda, producendaque contra Canonicum Ioanem Carolum Vallonum in sacro Sacerdotali Ordine constitutum, posteriorem praedictis in possessione Canonicatus; ac tandem, et novissime relata per Emum, et Rmum D. Card. Ghisium huiusmodi praecedentiarum controversia in C. S. R. Ordinaria habita coram SS.; *Sanctitas Sua* decrevit; « Canonicos Sacerdotes, quamvis possessione Canonicatus posteriores, ubi Praebendae non sunt distinctae, semper, et ubique praefereandos esse Canonicis inferioris Ordinis, etiam possessione Canonicatus anterioribus, non obstante immemorabili consuetudine, quam abusum impraescriptibilem *declaravit*, ob idque in Collegiata praedicta Decretum emanatum die 29. Mart. praesentis anni debitae executioni demandari, et post-

haec inviolabiliter, ac inconcusse servari « mandavit. » Die 27. Sept. 1659.

2002.

DECRETUM.

Super Cultu Beatis adhuc non Canonizatis praestando a S. R. Congregatione ordinaria habita coram SS. D. N. Papa Alexandro VII. emanatum.

Ad aures EE. PP. C. S. R. plures devenerunt, qui patrantur Indulgentiarum excessus in materia praestationis cultus Beatis adhuc non Canonizatis.

Quamobrem eos eliminare, ac, ne in futurum inducantur, providere studentes, ad infrascripta devenerunt Decreta etc.

1. « Quod eorumdem Beatorum Imagines etiam non principaliter, et uti supplices appositae, simulacra, picturae, tabellae, aut scripturae eorum praecleara gesta repraesentantes, aut referentes Ecclesiis, Sacrariis, et Oratoriis quibuscumque, et praesertim in quibus Missae Sacrificium, vel alia Divina Officia peraguntur, inconsulta Sede Apostolica, nullo pacto exponantur. »

2. « Quod ubi indultum fuerit per Sedem Apostolicam Imagines, simulacra, pietasque tabellas, in Ecclesiis poni, et coli posse in pariete tantum, non autem super Altari collocandi facultas censeatur. »

3. « Quod, si concessa fuerit per eandem Sedem Apostolicam Altarium erectio, non tamen ob id Missam, et Officium de praedictis Sanctis celebrandi, vel recitandi facultas tradita praesumatur; etenim specifica, et expressa concessio super his praecedere debet. »

4. « Ubi in uno loco cultus fuerit concessus, non extendatur, inconsulto Pontifice, ad alium locum, quavis alia concurrente auctoritate. »

5. « In locis, ubi Beatos praedictos ab omnibus coli permissum fuit, non inde publica Officii recitatio permissa censeatur, sed tantummodo privata, nec satisfactoria praecepto recitationis, nisi quoad illos, quibus Sedes Apostolica de hoc indulserit. »

6. « Missae pariter, quae fuerunt indultae certis personis, nempe Presbyteris regularibus, vel saecularibus alicuius loci, vel Monasterii, seu Presbyteris alienius Ecclesiae servitio praecipue addictis, a confluentibus Sacerdotibus, quavis dignitate, etiam Cardinalatus, insignitis, minime celebrentur. »

7. « Dies festi in Beatorum eorumdem memoriam non celebrentur, nisi speciali indulto Apostolico provisum fuerit. »

8. « Eorumdem nomina in Calendariis non apponantur, nisi illius tantum loci, earumque

personarum, in quo, et a quibus cultus cum Officio, et Missa celebretur. »

9. « In quibusvis Ecclesiasticis precibus, etiam in Oratoriis privatis, recitandis, particularia eorumdem suffragia non apponantur, vel recitentur. »

10. « Publicis in precibus praeter indultas, et a Sede Apostolica approbatas, iidem Beati non invocentur. »

11. « Eorumdem Reliquiae in Processionibus minime circumferantur. »

S. tamen C. praesentibus declaratione, et iussione remove non intendit cultum Beatis per communem Ecclesiae consensum, vel per immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum, Virorumque Sanctorum scripta, vel temporis centum annorum metam excedentis scientiam, ac tolerantiam Sedis Apostolicae, aut Ordinariorum hactenus praestitum, ac certis modo, et forma ab eo tempore eis exhibitum. Verum si a centum annis citra cultus huiusmodi aliqua ex parte constiterit auctus, et extensus, eo casu S. eadem C. eundem in pristinum reduci iubet; prout quemvis cultum extra casus praedictos ad expressa tantum verbaliter in Apostolicis Indultis omnino revocari mandat sub poenis etc.

Firmis quoque remanentibus Decretis, nempe, ne Beati in Patronos eligantur, ne eorum natalia cum Octavis celebrentur, et aliis quibuscumque a S. C. hactenus emanatis, quae praesenti Decreto renovantur.

His autem SSmo relatis, et in C. S. R. ordinaria habita coram Sanctitate Sua per Emum, et Rmum D. Cardinalem Sacchetti accurate perlectis, mature discussis, Sanctitas sua ea approbavit, et pro omnimoda eorumdem observatione mandavit typis imprimi, ad valvas affigi, et publicari, ut, elapso tempore sex mensium a die publicationis eorumdem, omnes, et singulos afficiant, et avertent, ac si omnibus, et singulis eadem exhibita, vel personaliter praesentata, intimata, seu notificata fuissent. Indulsetque locorum Ordinariis, ut auctoritate Sedis Apostolicae possint, imo debeant Saeculares, et Regulares quoscumque quantumvis exemptos etiam Societatis Iesu, S. Antonii Viennen., et S. Ioannis Hierosolymitani, et reliquos omnes speciali expressione indigentes, etiam sub censuris compellere.

Cum aliqui nulli subdantur Episcopo, qui eos, si excesserint, coercere valeat; eo casu a Sedis Apostolicae Nuntiis si aderint, sin minus ab Archiepiscopis, in quorum Provinciis, vel ab Episcopis Romano tantum Pontifici subiectis, intra, vel prope quorum Dioecesis limites eorum Ec-

clesiae, vel Monasteria sita fuerint, tamquam a Sede Apostolica Delegatis ad huiusmodi Decretorum observationem praedicti omnino cogantur. Die 27. Septembris 1659.

2003. DECRETUM.

Circa usum Pontificalium Praelatis Episcopo inferioribus concessorum a S. R. C. habitae coram SSmo D. N. Alexandro PP. VII. emanatum.

Die 27. Septembris 1659.

S. R. C. tollendis, et eliminandis circa Ecclesiasticos ritus, qui irreperunt, abusibus sedulo intenta, post Episcoporum Caeremoniale evulgatum, (quo quidquid ad ipsos in Sacris Caeremoniis pertinet, abunde praescripsit) idem quoad inferiores Praelatos, qui Pontificalium usu fruuntur, praestandum curare necessarium existimavit, ut excessus aboleantur, uniformisque inducatur Sacrorum Ritus in omnibus, et praesertim tempore, quo privilegia ipsi perperam interpretantes, obtendentesque parum obsequi student Decretis pluries ab eadem S. R. C. hac in rem evulgatis, aut ipsa ignorare praetextunt. Quamobrem omnia simul, ut uno conspiciantur obtutu, cogere, perque capita dirigere constituit, quo facilius observentur.

1. « Super Altari, in quo Sacrum erunt facturi, septimum nequaquam apponant Candelabrum. »

2. « Cathedram, seu sedem fixam, et permanentem in eorum Ecclesiis ne detineant, sed tribus ipsis diebus, quibus ex antiquis Decretis tantummodo Pontificalia celebrare est ipsis permixtum, mobili sede, seu Cathedra utantur, quam nihilominus simplici sericeo panno coloris festivitati congruentis obducere poterunt, non auro contexto, aut phrygio, aut basylico opere exornato. »

3. « Baldachinum adhibere supra sedem poterunt non pretiosum, aut aureum, sed simplex, et eo, quod Altari superimponitur materia, et opere inferius; ad ipsam autem per duos tantum gradus in Presbyterii superficie stratos ascendatur. »

4. « Non abacum alium praeter parvam mensam, et in cornu Epistolae parare faciant, in qua duo candelabra cum candelis, necnon mitra, calix, missale, thuribulum, navicula, et reliqua ad celebrationem necessaria collocentur, prope vero mensam eamdem parieti haerens baculus pastoralis aptetur. »

5. « Dies vero, in quibus solemniter ipsis operari conceditur, sint de praecepto festivi, vel

alii, in quibus ipsis Pontificaliter celebrare festivitatis ratio exigit, nempe Patroni loci, Fundatoris Ordinis, Tituli, et Dedicacionis Ecclesiae. Abstineant autem ab huiusmodi Pontificalium usu in Officiis, et Missis Defunctorum quocumque die etiam festivo, et de praecepto. »

6. « Ad Ecclesiam accedentes, licet Pontificaliter Divina peracturi, iisdemque absolutis ab Altari recessuri, a suis Canonicis, vel Monachis (ut mos est Episcoporum) ne associari se sinant. »

7. « Praeter duos Sacrificii ministros, Diaconum nempe Evangelii, et Subdiaconum Epistolae, duo alii tantum Diaconi cum Dalmaticis, et unicuique Presbyter cum Pluviali his assistant. Duo insuper Cappellani, qui de Mitra, et Baculo, ac totidem Acolythy pro candelabris inserviant. Praeterea sex alii Canonici, vel Monachi, duo scilicet Pluvialibus, duo Planetis, totidemque Tunicellis induti Divinis huiusmodi interesse valeant, qui tamen non in sedibus, seu stallis choralibus, sed in scamnis absque postergalibus panno viridi laneo coopertis, situ congruo accomodatis, moxque illico removendis consideant. »

8. « Mitram pretiosam, nisi illis expresse a S. Sede indultam, non adhibeant. Sub Mitra pileolum nigri tantum coloris induant. Baculum Pastoralem albo velo appenso deferant; ab iisque, et aliis Pontificalibus etiam de Ordinariorum Privilegiis extra Ecclesias sibi subiectas prorsus abstineant, et neque in Processionibus, quae ab eorum Ecclesiis per vias extra ambitum, vel Parochiam ducuntur, insigniis praedictis utantur, vel penes se perferri faciant. »

9. « Regulares Rochettum non deferant, nisi ex tali Ordine fuerint, cui indumentum huiusmodi competat. »

10. « Invitati ad Ecclesiam exemptam, nec in illa Pontificalibus uti valeant; nec illi, qui non fuerint Abbates perpetui, vel benedicti, in propriis Ecclesiis uti possint privilegio perpetuis Abbatibus, vel alias benedictis indulto. »

11. « Sacras vestes ex Altari non sumant, nisi Pontificaliter Divinis vacaturis. »

12. « Indulgentias impertiri, vel publicare non audeant, absque expresso S. Sedis indulto. »

13. « Pontificales Benedictiones cum trina Crucis productione in Missis tantum Pontificalibus, necnon Vesperis, et Matutinis Pontificaliter itidem celebratis licere sibi tantum meminerint. Privativim vero Populis, quamvis pleno iure subiectis, nisi expresse ipsis permissum fuerit, etiam Pontificalibus induti per Ecclesiam incedentes benedicere non praesumant. »

14. « Praesente Episcopo, sine speciali Sedis Apostolicae permissu, etiam Pontificaliter celebrantes, a benedictionibus cessent. »

15. « Si Episcopus aderit, ipsius sedes in cornu Evangelii uno solum gradu eminentior Abbatiali est erigenda, haecque altero grado humilior, ut dictum est, in cornu Epistolae colloceatur. A latere Episcopi Canonici Cathedralis, prope Abbatem Canonici, vel Monachi Monasterii Abbatialis Ecclesiae consideant. Confessionem cum Celebrante Episcopus faciat, isque thus thuribulo imponat. Evangeliorum textum osculetur, et Populo solemniter (quamvis Abbas ipse Pontificaliter celebret) benedicat; Episcopus propterea trino ductu, et immediate Canonici Cathedralis duplici, moxque Abbas (nisi celebret) pariter duplici, ac subinde Canonici, vel Monachi Abbatialis Ecclesiae unico tantum ductu thurificentur. »

16. « Abstineant tamen Episcopi, ubi consuetudo contraria non viget, a frequenti huiusmodi accessu ad Ecclesias exemptas in similibus actibus, ut liberius Abbates valeant suis uti Privilegiis. »

17. « In Ordinationibus Canonicoꝝ, Clericoꝝ, Monachorum, nec non in vestitionibus Monialium, et emissionem Professionis earumdem, etiam pleno iure sibi subiectarum, in benedictione sacrae suppellectilis, caeterisque actibus (Missarum, Vesperarum, Matutinarum solemnibus tres tantum in anno, ut praefertur, exceptis) neque in Ecclesiis, Oratoriis, aliisque locis tam publicis, quam privatis quantumvis exemptis, eisdemque Abbatibus pleno iure subiectis Mitram, Baculum, et quaevis alia Pontificalia insignia, nisi de expressa Sedis Apostolicae concessione, adhibeant. »

18. « Ecclesiasticam suppellectilem pro servitio dumtaxat suarum Ecclesiarum, vel Monasteriorum benedicant. »

19. « Reliqua Pontificalia extra loca ipsis Abbatibus subiecta, vel pro servitio alienae Ecclesiae, aut in subditos pariter alienos, etiam de licentia Ordinariorum, exercere non valeant, puta Campanarum benedictionem, Calicum, et similium, in quibus sacra adhibetur unctio, nec non Minorum Ordinum collationes. »

20. « Concionatoribus, qui eorum subditis verbum Dei praedicandi onus acceperint, benedictionem elargiri non praesumant, sed Episcopis, quibus ius huiusmodi privative competit, omnino dimittant. »

21. « In Missis privatis quoad indumenta, caeremonias, ministros, Altaris ornatum, et benedictionis largitionem a simplici Sacerdote non

discrepent, ac proinde sacras vestes induant in Sacristia, neque utantur Cruce pectorali, unico sint contenti ministro, aquam cum pelvi, et urceolo argenteis sibi ministrari non sinant, duasque tantum candelas super Altare adhibeant. »

His autem SSmo relatis, et in C. S. R. Ordinaria habita cor. *Sanctitate Sua* per Enim, et Rmum D. Card. Brancaccium accurate perfectis, mature discussis, *Sanctitas Sua* ea approbavit, et pro omnimoda eorumdem observatione typis mandavit imprimi, ad valvas affigi, et publicari, ut, elapso termino sex mensium a die publicationis eorumdem, omnes, et singulos usu Pontificalium gaudentes cum Saeculares, tum Regulares, quantumvis exemptos, et speciali expressione indigentes afficiant, et aretent, ac si omnibus, et singulis eadem adhibita, vel personaliter praesentata, intimata, seu notificata fuissent, indulsetque praeterea Locorum Ordinariis, ut auctoritate Sedis Apostolicae possint, imo debeant, praefatos etiam per censuras compellere.

Cumque nonnulli ex praedictis Abbatibus, et Praelatis proprium habere possint territorium, iuraque Episcopalia, nullique subdantur Episcopo, qui eos coercere, si excesserint, valeat; eo casu a Sedis Apostolicae Nuntiis, si aderunt, sin minus ab Archiepiscopis, in quorum Provinciis, vel ab Episcopis Romano etiam Pontifici subiectis intra, vel prope quorum Dioecesium limites eorum Ecclesiae, vel Monasteria sita fuerint; tamquam a S. Sede delegatis ad huiusmodi Decretorum observationem praedicti omnino cogantur. Die 27. Sept. 1659.

2004. ALBINGANEN.

Franciscus Pisanus Praepositus Collegatae Ecclesiae loci Alexii Albinganen. Dioecesis elapsis mensibus S. R. C. exposuit, ab Ordinario traditam fuisse facultatem Cappellano S. Catharinae eiusdem loci benedicendi candelas, et quaelibet comestibilia, necnon administrandi in praedicta Ecclesia Sacramentum SS. Eucharistiae, quae privative spectant ad Parochum, vel saltem, non nisi de eiusdem assensu, extra Parochias, et Ecclesias privilegiatas fieri permittuntur.

S. autem C., « Parochorum indemnitati nendum conservandae, sed augendae propemodum intenta, Episcopo iniungendum censuit, ut revocet traditam huiusmodi facultatem, ne Parochialis praedicta frequentia, et obsequiis Populi decreseat, suoque iure privetur. » Die 22. Novemb. 1659.

2005. BONONIEN.

Petiit Capitulum Ecclesiae Bononien. declarari:

an, attento, quod inibi asservatur Venerabile Sacramentum, non quidem in Tabernaculo super Altari collato, sed appenso palmis octo circiter a superficie Altaris distante, sit genuflectendum, quoties Altari sit inclinandum, ac si Sacramentum immediate super Altare collocatum existeret?

Et S. C., « omnino genuflectendum esse, » respondit. Die 22. Nov. 1659.

2006. CONVERSANA.

Canonici Cathedralis Ecclesiae Conversanae S. R. C. supplicarunt, declarare dignaretur: quodnam e stallis choralibus Hebdomadarius Canonicus occupare debeat, cum a qualibet parte Chori extrema stalla sint Dignitatum; et an Hebdomadarius Dignitas in eodem stallio, in quo Hebdomadarius Canonicus pariter sedere debeat?

Et S. C. respondit: « Hebdomadario tum Dignitati, tum Canonico deberi stallum primae, vel secundae Dignitatis a parte Chori, et immediate sub Hebdomadario sedere debere primam, vel secundam Dignitatem respective; stallum vero e conspectu Hebdomadarii vacuum dimittatur, ut prima, et secunda Dignitas in stallorum paritate conveniant, et alter alterum ex directo respiciat. » Die 22. Nov. 1659.

2007. GALLIARUM.

A quodam Gallo Presbytero S. C. fuit praesentatus libellus, quo petebatur reduci Antiphonam S. Dionisii, quae cantatur in Ecclesia nationali S. Ludovici ad formam eiusdem Antiphonae, quae cantatur in Ecclesiis Galliarum, nempe B. Dionisii magna est merces tua, quod verbum penultimum merces hic Romae translato reperitur in verbum Fides: Secundo autem quae movebant ad desiderandum huiusmodi reductionem assignabatur, quod scilicet repugnet Doctrinae Theologicae, cum in Patria Beati videant Deum facie ad faciem, prout est in sua essentia, ideoque careant fidei exercitio.

Praeterea idem Presbyter supplicii eius libello adnexum exhibuit folium Parisiis impressum, quo petebatur in S. C. perpendi, et in integrum restitui Orationem secretam Missae diei Resurrectionis Domini, eo quod credatur, incuria Bibliopolarum, a biscentum annis citra immutata, nempe verba Populi tui, quae nunc leguntur in Missali moderno, habeantur in antiquitate longe diversa, scilicet plebis tuae, itaut verbum, quod sequitur tunc initiata esset adiectivum plebis, eidemque inniteretur; verbum autem proficiant vertendum in singulare, nempe proficiat, ut pariter referatur ad plebem.

S, autem C. censuit respondendum esse, le-

ctum, siquidem quod praedicatur de fide S. Dionisii retrahendum est ad tempus, in quo B. Dionisius proficiens in via, fidei exercitio potiebatur, praesertim quod Christum adhuc non sibi notum Deum fassus fuisset die Passionis in illa verba: Auctor Naturae patitur: cum vidisset sereno Coelo vim pati Solem, et obscurari: hanc igitur Fidei admirandam confessionem in adhuc gentili homine post eius conversionem, et consummationem iure merito recenset Ecclesia.

Quo vero ad Secretam Missae Resurrectionis, nihil est immutandum pariter censuit S. C.: siquidem verbum initiata est neutrum absolutum referens res initiatas, nempe solemnia Sacrificii initiata Paschalibus mysteriis, quod scilicet prolata fuerint praeludia Sacrificii, in quibus Paschalia mysteria recensita fuerint, quasi initia Sacrificii, quod Solemnitatibus haece inchoatur in ordine ad partes integrantes, quamvis quoad substantialia per oblationem initiatur. Verbum autem proficiant bene habetur in plurali, ut concordet cum neutro plurali initiata.

Quod vero verbum proficiant in suo veriori sensu dicat progressum facere, quod verificatur de Personis, non de rebus, responsum fuit hoc in locutione Ecclesiastica idem importare, quod verbum prosint, et in plerisque Collectis legi, nobis proficiant ad salutem. Die 22. Nov. 1659.

2008. MATHERANA.

Petrus Antonius Gallus Cantor Ecclesiae loci Latezzae Matheranae Dioecesis declarari postulavit: an Archipresbytero eiusdem loci liceat in administrando Populis SS. Sacramento manum porrigere osculandam?

Et S. C. respondit: « Non licere, et contrariam consuetudinem esse abusum omnino tollendum. » Die 22. Nov. 1659.

2009. NARNIEN.

Episcopus Narnien. declarari institit: an ipsum cappa pontificali suffultum dexteram deferre liceat in propriis aedibus Gubernatori eiusdem loci; nec non ad sinistram eundem admittere ad genuflectendum in eodem genuflexorio, in quo pariter cappa indutus ipse Ordinarius genuflectat?

Et S. R. C. « Neutrum ipsi licere respondit, et contrariam consuetudinem esse abusum. » Die 22. Nov. 1659.

2010. NOLANA.

Episcopus Nolanus, ad quem directae fuerunt literae S. C. pro habenda informatione desuper necessaria in causa controversiarum inter Canonicum Montanarum Sacerdotem, et Clericos Canonicos antiquioris possessionis, respondit: Cle-

ricos promiscue cum Sacerdotibus sedere, et stare inibi haecenus consuevisse, attenta tamen anterioritate possessionis adeptae de Canonicatu: verum quia post literas praefatas ad Ordinarium directas, emanavit Decretum in Congregatione habita coram SSmo favore Sacerdotum, quamvis in Canonicatu posteriorum, S. C. iussit; « Decretum praedictum omnino in Ecclesia Nolana debere servari. » Die 22. Nov. 1659.

2011.

ORITANA

Episcopus Orien. exposuit, a Dignitatibus Cathedralis adhiberi caeptum assistentiam Presbyteri Assistentis in Missa solemnii, et enixe postulavit prohiberi, ne abusus altius radices figat, verum vix exortus penitus eradicetur.

S. autem C. respondit: « Quod Ordinarius sua auctoritate provideat, ut nihil novi in sua Ecclesia inducatur, vel novissime inducta ulterius serpent. » Die 22. Nov. 1659.

2012.

PLACENTINA.

Obtinentes Dignitates in Ecclesia Placentina Provinciae Compostellanae exposuerunt, haecenus consuevisse Missas canere diebus tantum solemnibus, Canonicos vero in reliquis duplicibus. Idque ad formam concordiae inita inter ipsos, et iuxta intellectum germanum Brevis Pontificii, quo cavetur: Portionarios Ecclesiae in semiduplicibus, et socios, Companeos nuncupatos, in semiduplicibus, et feriatis; Canonicos vero, et Dignitates obtinentes in duplicibus, et solemnioribus decantari per Dignitates, supplicarunt iniungi, ut nihil innovetur.

Et S. C. « Solitum omnino servari, et nihil innovari mandavit, praesertim, quod, praeter deducta, repugnet Canonicorum ministerio a Divinorum operatione prorsus vacare, ut sequeretur, si Missarum, et Officiorum celebratio inter Dignitates tantum, et inferiores Praebendatos divideretur. » Die 22. Nov. 1659.

2013.

RUBRICARUM.

Institutum fuit a S. R. C. declarari infrascripta Dubia, quae in compilatione Calendarii Ordinarii nuncupati obvenerunt alteri ex Caeremoniarum Magistris SS. D. N., nempe.

1. An infra Octavam SS. Corporis Christi, quando contingat in Officio fieri debere commemorationem festi simplicis, sit pariter de eodem Sancto recitanda nona Lectio? Ratio autem dubitandi insurgit, quod in Rubricis Octavae Ascensionis habeatur de simplicibus fieri debere commemorationem, et nonam Lectionem: in Rubricis vero Octavae SS. Corporis Christi de nona huiusmodi Lectione nil penitus disponatur, di-

cente Rubrica, de Simplici faciendam esse commemorationem tantum.

2. An in Missis ferialibus, quae contingunt a Dominica Passionis ad feriam V. in Coena Domini cum facienda obvenerit commemoratio de simplici, an sit omittenda tertia Oratio, quae pro secunda assignatur in Missali, nempe pro Papa, vel pro Ecclesia. Dubium insurgit, ex quo Rubricae praecipiant dicendam esse secundam Orationem tantum.

3. An festo quadraginta Martyrum sit assignanda sedes fixa nempe dies 10. Martii, an vero idem, tamquam translatum, sit celebrandum prima die non impedita; de quo caeptum est dubitari ab eo tempore, quo S. M. Innocentius X. ad duplicem ritum evexit Officium S. Franciscæ Romanae?

S. autem C. ad primum respondit; « Affirmative, nempe recitari debere nonam lectionem de Sancto simplici, de quo in Laudibus facienda est commemoratio, ex quo eiusdem solemnitatis sint Ascensionis, et SS. Corporis Christi, ut utraeque admittant commemorationem simplicium, nec dispar ratio possit assignari, quod in una sit peragendum, in alia omittendum videatur. »

Ad 2. « Negative, nempe, omittendam esse tertiam Orationem, eo quod Rubricae ad hoc satis clare disponant. »

Ad 3. « Affirmative, nempe, assignandam fore certam sedem Officio quadraginta Martyrum, diem scilicet 10. Martii, idemque in novis Martyrologiis canendum, » prout servari mandavit. Die 22. Nov. 1659.

2014.

SALERNITANA.

Rector Ecclesiae S. Andreae Terrae Solofrae Salernitanae Dioecesis instituit declarari, an, attento quod eadem Ecclesia distet a Matrice per milliarium, teneatur ipse Orator Sabbato Sancto sequi Matricem in pulsatione Campanae, an pro arbitrio eam possit pulsare, praesertim quod haecenus ita servari consueverit? Et Sac. Cong. respondit: « Servanda esse Decreta, quibus Matrici Ecclesiae huiusmodi privilegium competere sancitum est. Die 22. Nov. 1659.

2015.

SANCTAE SEVERINAE.

Dominicus Susanna Canonicus Cathedralis S. Severinae declarari petiit: an, attento quod ipse adhuc non reperiatur in sufficienti aetate ad suscipiendum Sacerdotium, sit tamen idoneus, et paratus, quamprimum aetatem impleverit, ad suscipiendum Ordinem huiusmodi, sit, vel ne praefereendus Canonicis Sacerdotibus posterioris possessionis, cum Praebendae non sint distinctae?

Et S. C. respondit: « Quod Orator, quousque Sacerdotio carebit, posthabendus est Canonicis Presbyteris etiam posterioris possessionis; at si cum primum licuerit Sacerdotium suscipiet, tunc, nisi consuetudo Ecclesiae, quam eo casu Canonici iuniores probare debebunt, secus non exigit, locum suae possessionis ascendat. Die 22. Novembris 1659.

2016. SENOGALLIEN.

Raphael Bernardinus Rector Ecclesiae S. Mariae, vulgo *dello sportone* Senogallien. Dioecesis declarari supplicavit: an Regulares teneantur ad Parochialem proficisci, ut inde cum Clero, et Parocho ad domum defuncti pergant delaturi cadavera ad suas Regulares Ecclesias? Et S. C., prout alias in similibus, « Affirmative » respondit. Die 22. Nov. 1659.

2017. TORNACEN.

Episcopus Tornacen. in Belgio tria Dubia exhibuit declaranda.

1. An in Ecclesiis non Parochialibus liceat aquam benedicere, et aspersionis caeremoniam Dominicis diebus peragere?

2. An Palmarum, et Candelarum benedictio inibi celebranda sit diebus Purificationis, et Dominicae Palmarum?

3. An ibidem sit connivendum, ut Venerabile Eucharistiae Sacramentum asservetur, et palam exponatur?

Et S. C. « plurimum de prudentia Rm̄i Ordinarium confisa, eiusdem arbitrio singula praedicta indulgentia dimisit. » Die 22. Nov. 1659.

2018. AVERSANA.

Antonius Portillus Rector Portionarius S. Mariae de Pizza Civitatis Aversanae duo dubia declarari supplicavit, nempe.

1. An Imago SS. Crucifixi in Cruce posita super Altari videatur necessarie adhibenda in Sacrificio?

2. Et an Dioecesani teneantur vacare ab Operibus sub praecepto die principalis Patroni Civitatis?

Et S. C. ad 1. respondit: « Satis esse, ut impleantur disposita per Rubricas generales Missalis cap. 20. de Praeparatione Altaris. Etenim Caeremoniale Episcoporum cap. 10. lib. 1. docet solummodo, quo vertenda sit Imago, casu quo adsit. »

Ad 2. vero: « Dioecesanos non teneri ab operibus vacare die solemnitatis Patroni Civitatis, tum praesertim si peculiarem Patronum habeant: posse tamen Clerum recitare Officium sub duplici sine Octava de Sancto Protectore praedicto. » Die 20. Decemb. 1659.

2019. BARCINONEN.

Episcopus Barcinonen. declarari supplicavit: an, expuncto e Solemnitatibus de praecepto servandis in sua Dioecesi festo S. Eulaliae Patronae minus principalis, ieiunii praeceptum, quod praecedenti die servari consueverat, sublatum pariter censeatur?

Et S. C. respondit: « Affirmative, verum si ex voto idem indictum reperitur, voventes tantum teneri, quoad vixerint, praedicta die ieiunare. » Die 20. Decembris 1659.

2020. CAMERINEN.

Magistratus Terrae Apri Camerinen. Dioecesis S. R. Cong. exposuit, in Ecclesia Collegiata S. Urbani haecenus consuevisse Praetorem, et ipsum Magistratum per Canonicum Diaconum immediate post Canonicos thurificari: modo autem in eadem Ecclesia erectos fuisse octo Beneficiatos, et dubitari coeptum: an ipsi Oratores debeant thurificari ante praedictos Beneficiatos?

Et S. C. respondit: « Non obstare novam erectionem Beneficiatorum, quin, iuxta dispositionem Caeremonialis, et consuetudinem haecenus servatam, Praetor, et Magistratus thurificentur immediate post Canonicos. Die 20. Dec. 1659.

2021. CASSANEN.

Clerus loci Turris Mormannae Cassanen. Dioecesis declarari supplicavit: an Officium Dicationis Cathedralis, quae cadit die Exaltationis SS. Crucis, per Dioecesim sit recitandum ipsa die anniversaria eiusdem Dicationis, et transferendum videatur Officium SS. Crucis?

Et S. C. respondit: « Transferendum esse festum Exaltationis SS. Crucis. Die 20. Dec. 1659.

2022. SULMONEN.

Ad instantiam Cleri Matricis Ecclesiae loci Palenae Sulmonen. Dioecesis, S. R. C. inhaerendo Decreto alias in similibus edito in Congregatione particulari de ordine S. M. Urbani VIII., eoque annuente die 27. Iulii 1628., declaravit: « Posse Episcopos poenis sibi benevisis compellere quoscumque Regulares, etiam Monachos, et quomodolibet exemptos ad infrascriptas Processiones accedere, atque illis interesse, exceptis dumtaxat in strictiori clausura viventibus, et Monasteriis ultra medium milliare a Civitate distantibus, nempe in die festo SS. Corporis Christi, in Litanis maioribus, in Rogationibus, ac in quibuscumque aliis publicis, et consuetis, vel pro bono, causa, aut honore publico, non obstantibus quibuscumque. » Die 20. Dec. 1659.

2023. ASCULANA IN APULIA.

Episcopus Asculanus duo declarari postulavit.

1. An, stante antiqua consuetudine suae Ecclesiae, Cantor secunda Dignitas Cathedralis, dimissa Primiceriis Chori directione, teneatur assistere una cum prima Dignitate ipsi Episcopo Oratori, ex quo inibi Praebendae non habeantur distinctae, et ad Dignitates spectet huiusmodi assistentiae munus?

2. An ipsi pontificaliter Missam defunctorum celebranti Mitram per Presbyterum assistentem, vel Cappellanum imponi, et auferri debeat?

Et S. C. respondit: « Servandum esse Caeremoniale. » Die 24. Ian. 1660.

2024. BOVINEN.

Episcopus Bovinen. literas direxerat S. C. Immunitatis, quibus eandem certiore faceret per Marchionem Iliceti in Collegiata Ecclesia eiusdem loci sedem etiam cum tertio gradu novissime adhiberi coeptum, ac propterea de remedio opportuno supplicabat.

S. autem praedicta C. ad C. S. R. supplicem eiusdem Episcopi libellum transmisit, quae censuit: « Non licere Marchioni praedicto adhibere sedem eum gradibus, sed desuper tapete tantum. » Die 24. Ian. 1660.

2025. CONVERSANA.

Archidiaconus prima Dignitas Cathedralis Ecclesiae Conversanae Sac. Congreg. supplicavit, declarare dignaretur, teneri Canonicos in ministerio Diaconi, et Subdiaconi Dignitatibus Missarum solemnibus peragentibus inservire: ipsique Oratori licere pulvinar ex corio, super quo genuflectat, ante sedem choralem adhibere.

Et S. C. respondit: « Alias provisum sub die 7. Decembris 1658. Die 24. Ianuarii 1660.

2026. PANORMITANA.

Antonius Amatus Princeps de Galatea Dominus Civitatis Caccami in Regno Siciliae Sac. Cong. supplicavit, sibi facultatem impertiri dignaretur, ut posset in Ecclesia baldachino uti; prout sui Antecessores haecenus consueverunt?

S. autem Cong., eiusdem pietate plurimum commendata, respondit: « Non licuisse suis Antecessoribus Baldachinum in Ecclesia adhibere, neque sibi grave futurum adhuc laudabilem sane Christianam pietatem sequi, et ab huiusmodi usu sese tum etiam in posterum abstinere. » Die 24. Ianuarii 1660.

2027. PLACENTINA.

Franciscus Parentus, et Georgerius Diana Canonici Presbyteri Collegiatae Ecclesiae Branae Placentinae Dioecesis ad C. S. iterato confugerunt, expetentes moderationem Decreti ab ea emanati die 22. Novembris 1659., quo scilicet approbata

extiterunt Decreta Ordinarii super cantu Missarum, et Vesperarum in singulis Anni festivitibus edita, nec non causae cognitionem, ac decisionem dimitti A. C. Bulgario, a quo obtinuerant inhibitionem super observatione antiquae Tabellae: praeterea, quod, ipsis inauditis, S. Congregationi in eos animadvertere placuisset, nempe ipsos novis oneribus, et quidem insupportabilibus respectu tenuitatis praebendae aequae gravatos ab Episcopo eadem declarasset.

S. autem C., attento quod ad Oratorum eorumdem preces, et querimonias tantum ab Ordinario authenticis Documentis facti veritate expetita, et accepta, ac iustitia Decretorum plenius praelibata, et inspecta, eadem Decreta exequi iussisset; rursus, auditis, ac mature perpensis iuribus etiam novissime per Oratores deductis; « in Decretis omnino manendum esse censuit, eaque propterea inconcussa servari, ac debitae executioni demandari praecipit. » Die 24. Ianuarii 1660.

2028. PISAUREN.

Capitulum Cathedralis Pisauri, novissime extractis choralibus stallis in maiori Ecclesiae abside, S. R. C. exposuit, ab Archidiacono secunda Dignitate digniorem sedem ad Chori laevam desiderari, post Praepositum primam Dignitatem sibi thuris praerogativam omnino debitam pariter censi. Quamobrem S. C. supplicavit, declarare dignaretur, quidquid cum Archidiacono rite servandum videatur.

Et S. C. respondit: « Secundum Dignitatem vel immediate post primam in eadem Chori parte sedere debere, si velit immediate thurificari, vel, si alias eligat digniorem sedem in parte sinistra, post Canonicos existentes in dextera se thurificari sinat, prout ita servari, » mandavit. Die 24. Ian. 1660.

2029. RAVENNATEN.

Ad tria dubia per Caeremoniarum Magistrum Ravennatensis Ecclesiae Metropolitanae proposita S. R. C. respondit.

1. « A Praefecto cubiculi Rñi D. Archiepiscopi intra Presbyterium Archiepiscopo Divina peragenti, vel publice iisdem assistenti, nullum obsequium, nullamque assistentiam praestari debere, sed praedicta eo casu spectare ad Magistrum Caeremoniarum. »

2. Quando Archiepiscopus est pontificaliter indutus, nempe Mitra cum Pluviali, vel Planeta, Caudatarium, et Cruciferum adhibere debere cotam, verum, si cappam deferat Episcopus, praedicti vestem violaceam deferre debent. »

3. « Cruciferum, dum Archiepiscopus concionibus interest, posse Crucem parieti haerentem dimittere. » Die 24. Ian. 1660.

2030. SANCTI SEVERINI.

Archidiaconus Cathedralis Ecclesiae Civitatis S. Severini S. R. C. supplicavit, iniungere dignaretur Episcopo, ne ipsum Oratorem ad indebita, et consueta (forte *insueta*) obsequia sibi praestanda compellat, nempe, ut cubiculum petat, in quo Episcopus idem ad Ecclesiam accessurus cappam induit.

At S. C. respondit: « Archidiaconum Oratorem teneri ad huiusmodi obsequium Episcopo exhibendum, et, si recuset, omnino compellendum, ut praestet. » Die 24. Ian. 1660.

2031. SURRENTINA.

Archiepiscopus Surrentinus S. C. supplicavit, dignaretur declarare: an connivendum, ut Concionator initio concionis titulum Illm̄i Magistratui attribuat: an, ut Magistratus idem interfuturus ecclesiasticis functionibus sedem supra praelatum obductam adhibeat, eique in aedibus Episcopalis dexteram Orator ipse deferre debeat?

Et S. C. ad 1. « Nihil, respondit »

Ad 2. « Audiri iura per Magistratum deducenda. »

Ad 3. Inconveniens, atque indecens, ut filii praecedant parentem, idque tantum per literas Archiepiscopo nunciandum. » Die 24. Ian. 1660.

2032. TUDERTINA.

Episcopus Tudertinus declarari postulavit: an connivendum, quod Prior Cathedralis Ecclesiae in Missarum privata celebratione adhibeat quatuor candelas accensas, super Altari, Bugiam, ministrum Sacerdotem praeter Clericum, Canonem, a Missali distinctum, et quod praeterea duo Intortitia a suis famulis ad elevationem detineri faciat?

Et S. C., « Priorem praedictum in Missarum celebratione penitus a simplici Sacerdote nullatenus discernendum esse, eique propterea praedicta minime licere, » respondit. Die 24. Ian. 1660.

2033. ULYSIPONEN.

Patres Theatini Ecclesiae S. Mariae de Divina Providentia Ulysiponen. Civitatis exposuerunt: Dedicacionem praedictae Ecclesiae occurrere cum Dominica secunda Epiphaniae, et hactenus consuevisse cantari Missam de B. M., cum Evangelio proprio: *Loquente Iesu ad turbas etc.*; tandem vero sibi in animum induxisse, si S. eadem C. assensum praebat, posthac in Missa praedictae B. M. V. canere Evangelium currentis Dominicae: *Cum nuptiae factae essent*, necnon Ora-

tionem: *Deus, cuius providentia*, quae habetur in Missa Dominicae VIII. post Pentecosten.

S. autem C. Fratribus iisdem Oratoribus praecipit, « ut in posterum Dominica praedicta, servatis Rubricis, celebrent Missam propriam de Dedicacione Ecclesiae: modo tamen Ordinarius Dominicam praedictam, et non diem certam mensis Anniversariam Dedicacionis in ipsis Dedicacionis Ecclesiae solemnibus assignaverit: eoque casu die assignata, quamvis in Dominica non inciderit, Missam pariter propriam de Dedicacione omnino celebrent. » Die 24. Ianuarii 1660.

2034. URATISLAVIEN.

Suffraganeus Uratislavien. exposuit, ob eius invaletudinem non posse Ordines conferre, et Missae sacrum absolvere, petitque dispensari, ut inter Missarum solemnibus, ab alio Sacerdote peragenda, sedens Ordines conferre valeat.

Et S. C. censuit, « nihil indulgendum fore. » Die 24. Ian. 1660.

2035. AESINA.

Angelus Baldassinus Plebanus Matricis Ecclesiae Castri Musciani Aesinae Dioecesis S. R. C. supplicavit, dignaretur iniungere Rectori S. M., ut, non obstantibus contrariis Decretis a Vicariis generalibus Em̄orum Corradi, et Cybo hactenus emanatis, servet consuetudinem Decreto Vicarii generalis bo. me. Cardinalis Cineii firmatam, obviam eundi ad Imaginem usque B. M. V. vulgo *la Madonnella*, ipsimet Oratori ad praedictam Ecclesiam processionaliter accedenti diebus S. Gregorii Magni, et Assumptionis Bñae Virginis.

S. tamen C. animarum salutis commodo sedulo prospiciens, quibuscumque non obstantibus, Decreta Em̄orum Corradi, et Cybo servari mandavit, ac satis esse declaravit, « quod Parochus S. Mariae ad portam suae Ecclesiae praedictum Plebanum excipiat, ut reliquum temporis in audiendis confessionibus, et in laicis Sacra Eucharistia reficiendis insumat. » Die 28. Feb. 1660.

2036. AQUILANA.

Episcopus Aquilae S. C. exposuit, abusum in ea Cathedrali irrepsisse, ut Regius Moderator, ac Magistratus Solemnibus intra Presbyterium intersint, praedictos autem recusare velo humeros operire, cum aquam ipsius Ordinarii in manibus Missis maioribus administrant, et posteriores Pluvialis eiusdem fimbrias in Processionibus maioribus sustinere.

S. autem C. iussit, « Episcopum admoneri: ut suaviter praefatum Regium Gubernatorem, et Magistratum disponat ad observationem Sacrorum Canonum, quibus prohibetur laicis locus in

Presbyterio, reliqua tamen obsequia laudandi, si praesent, sed non cogendi, ut exhibeant in-viti. » Die 24. Febr. 1660.

2037. CIVITATIS PLEBIS.

Episcopus Civitatis Plebis S. R. C. exposuit, Gubernatorem eiusdem Civitatis nedum propria obsequia ipsi Oratori praestare rennere, eum scilicet solemniss in Cathedrali peractis ad eadem Episcopalem, vel ad curram associandi; verum praeterea Magistratui vetuisse, nē huiusmodi officia eidem praestet.

S. autem C. « facultatem attribuit Episcopo Oratori, compellendi Gubernatorem, et Magistratum ad obsequia praedicta diebus consuetis omnino praestanda. » Die 28. Febr. 1660.

2038. ISERNIEN.

Episcopus Isernien., sub incerto tamen nomine, postulavit: an liceret Canonico Protonotario uti habitu Praelatitio in Choro, et in Capitulo: extra vero Ecclesiam adhibere ornamenta violacea in pileo?

Et S. C. iussit, « ad Episcopum literas dirigi, quibus idem admonetur ne permittat Canonicum Protonotarium uti ornamentis violaceis in pileo, neque Praelatitio habitu indutum Capitulo interesse. In Choro autem provideat, ut idem Canonicus, si velit Divinis adesse, vel sedeat ultimus omnium habitu praelatitio indutus, neque distributionibus gaudeat; aut suo loco habitu Canonicali suffultus maneat, si velit fructus suos facere. » Die 28. Febr. 1660.

2039. RUREMUNDEN.

Episcopus Ruremunden. Canonicus Cathedralis Leodien. S. R. C. supplicavit, declarare dignaretur, etiam in ipsa Civitate supra Archidiaconum Archidiaconalis iurisdictionis exercitium inibi habentem, ipsi Oratori praecedentiam competere uti Episcopo.

Et S. C., « utique Oratori supra Archidiaconum praecedentiam competere, » declaravit. Die 28. Febr. 1660.

2040. CAMERINEN.

Archidiacono, et Canonicis Capituli Cathedralis Camerinen. petentibus: an ipsis liceret plures Missas celebrare Feria V. in Coena Domini, in qua cadit Festum SS. Annunciationis?

Sac. Cong. respondit: « licere, et jussit, ut a Cardinali Vicario singularum Ecclesiarum Urbis Rectoribus idem notificetur. » Die 20. Martii 1660.

2041. CONGREGATIONIS VALLIS UMBROSAE.

Orta controversia inter Arsenium Borbonium,

et Leonem Strozium Monachos Congregationis Vallis Umbrosae super iure praecedendi, nempe quod Borbonius invalide emisisset professionem adhuc in legitima aetate minime constitutus, at bona fide, et non suo, sed Superiorum computationis annorum errore, ob diversitatem inchoationis anni ab Incarnatione Dominica, quae Florentiae verius ab Annunciatione, quam alibi a Nativitate Domini computatur: elapso autem quinquennio detecto errore statim nedum tacite, sed explicite eam ratificavisset. Verum medio tempore Strozium iam in legitima existens aetate, valide ab initio professus esset, ac proinde sententiam favorabilem ab Abbate generali obtinisset.

S. R. C., utraque parte informante, sententiam Abbatis generalis ex defectu citationis nullam declaravit, censuitque « Borbonium reintegrandum fore in suo iure praecedendi, siquidem illi a die completae legitimae aetatis retrotractio ratificationis habitae suffragetur. » Prout exequi mandavit: Die 20. Mart. 1660.

2042. NEAPOLITANA.

Gubernatores SS. Annunciationis Neapolis S. C. supplicarunt, dignaretur facultatem tribuere celebrandi solemnitate SS. Annunciationis Dominica in albis hoc anno, in quo translatio cadit die S. Athanasii Protectoris Civitatis, nempe feria 2. post Dominicam in albis.

Et S. Cong. respondit, « Obstare Rubricas. » Die 20. Mart. 1660.

2043. NOLANA.

Petiit Episcopus Nolanus a S. R. C. declarari: an convivendum, quod Canonici Cathedralis, iuxta inductam consuetudinem, in Choro non recitent Officium parvum B. M. V., Defunctorum, Psalmos Graduales, et Poenitentiales temporibus in Rubricis Breviarii Romani praescriptis?

Et S. C. responderi mandavit: « Praedicta non esse omittenda, et contrariam consuetudinem post Bullam Pii V. inductam, esse abusum impraescriptibilem. » Die 20. Mart. 1660.

2044. SORANA.

Promotor Fiscalis Episcopalis Curiae Soranae S. R. C. supplicavit, Canonicis Collegatae Ecclesiae S. Restitutae eiusdem Civitatis iniungere dignaretur, observationem Decreti Vicarii Capitalis, Synodalibus Constitutionibus conformis; nempe quod omnes Clerici cum biretis, et superpelliceo simul in Cathedrali conveniant ad conciones audiendas.

Et S. eadem Cong., prout alias die 28. Febr. « proxime praeteriti, censuit, Canonicos praedi-

etae Ecclesiae S. Restitutae, ut ea, qua par est sedulitate Divinis, quae in propria eorum Ecclesia peraguntur, vacare possint, laudandos esse, sed non cogendos, ut ad conciones praedictas accedant. » Die 20. Mart. 1660.

2045. AQUILANA.

Episcopus Aquilanus in status descriptione novissime ad S. C. Concilii transmissa, praeter ea, quae praeteritis diebus a S. R. C. postulaverat, nuntiavit se Praesidi Civitatis praesumentem osculum Textus Evangelii, dum Divinis in Cathedrali interest, et diversa ratione a consuetudine hactenus cum Regiis Auditoribus servata thurificari debere, utraque denegasse.

S. R. C. duxit respondendum, « in ea re suae Amplitudinis zelum fore commendandum; praeterea vero non licere Canonicis Cathedralis antiquum usum capparum pontificalium resumere, nisi docto, quod olim ex Indulto Apostolico eas adhibuerint. » Die 17. Apr. 1660.

2046. DECLARATIO DECRETI.

Super Cultu Beatis adhuc non canonizatis praestando.

Allatis ad S. R. C. Dubiis circa observationem, et intelligentiam Decreti super cultu Beatis adhuc non canonizatis praestando editi die 27. Septembris 1659., et publicati 3. Febr. praesentis anni 1660.

1. An ubi indultum fuerit, ut Missa de aliquo Beato celebretur, liceat eius imaginem, et simulacrum, nec non votivas tabellas super Altari exponere?

2. An §. *dies festi in Beatorum honorem non celebrentur*, extendatur ad festa devotionis?

3. An indulta recitandi Officium cum Octava, vel sine Octava, et celebrandi Missam de Beatis fuerint revocata per dict. Decretum S. C.?

4. An in Ecclesiis, in quibus Officium, et Missa de Beatis recitari, ac respective celebrari possunt, liceat eorum Reliquias exponere?

5. An Episcopi Regulares, qui ex indulto Sedis Apostolicae gaudent privilegiis suae Religionis, de quibus sunt capaces pro eorum conditione, possint de Beatis suae Religionis recitare Officium, et in propriis Cathedralibus Missam celebrare, et Altare Beatis praedictis erigere?

S. R. C. respondit. Ad 1. « Affirmative. »

Ad 2. « Negative. »

Ad 3. « pariter Negative. »

Ad 4. « Affirmative. »

Ad 5. « Negative. » Die 17. April. 1660.

2047. NARNIEN.

Moniales S. Catharinae Terrae S. Gemini Or-

dinis S. Clarae, licentiam petierunt retinendi Corpus S. Antonini Martyris in Oratorio, quod intra claustra Monasterii constructum reperitur?

Et S. C., « inhaerendo Decretis Congregationis S. Concilii, quibus cautum reperitur, ne asserventur Reliquiae SS. in Monasteriis, sed in exteriori Ecclesia, ad petita negative respondendum duxit. » Die 17. Aprilis 1660.

2048. NOLANA.

Episcopus Nolanus exposuit, ab Archipresbytero Terrae Circiani Nullius, sed intra limites Dioecesis Nolanae sitae Ordinis Militum S. Ioannis Hierosolymitani, usurpari ius benedicendi Concionatorem quotidie, ut solent Episcopi, quamvis non gaudeat iurisdictione quasi Episcopali; supplicavit propterea, ei prohiberi huiusmodi abusum.

Et S. C. respondit: « Satis provisum fuisse Decreto novissime emanato super excessibus Indultorum usus Pontificalium, quo vetita patet huiusmodi benedictio, etiam habentibus usum Pontificalium. » Die 17. Aprilis 1660.

2049. SENOGALLIEN.

Archipresbyter Cathedralis Senogallien. S. C. supplicavit, declarare dignaretur: an consuetudo servanda videatur, qua inductum reperitur, ut Imagines diverso tempore a Rubricis praescripto cooperiantur?

Et S. C. iussit, « ad Ordinarium literas dirigi, quibus eidem iniungatur observatio Rubricarum, nisi grave scandalum paritura putetur, et desuper scandali huiusmodi motivis instrui ab eodem Ordinario, » mandavit. Die 17. Aprilis 1660.

2050. THELESINA.

Retulit Emus D. Card. Aldobrandinus tria dubia ad instantiam Capituli Cathedralis Ecclesiae Thelesinae, nempe:

1. An Sabbato Sancto Ecclesia Collegiata S. Martini Terrae Cerreti possit pulsare campanas, antequam pulsentur campanae Ecclesiae S. Leonardi subrogatae in locum Cathedralis ad quotidianum Divinorum usum, quamvis antiqua Cathedralis in suo iure permaneat illesa?

2. An liceat ipsis Canonicis Cathedralis Ecclesiae S. Leonardi praedicti Missas celebrare, et alias functiones peragere in Ecclesiis sitis intra limites Parochialis Ecclesiae Collegiatae praedictae?

3. An Ecclesiae, quae de novo eriguntur in dicta Terra Cerreti subiiciendae videantur subrogatae Cathedrali, vel Collegiatae antiquae Matrici, idque per Episcopum arbitrio peragi possit sine consensu Capituli Collegiatae Ecclesiae?

Et S. R. C. ad 1. respondit: « Competere Ecclesiae S. Leonardi pulsum campanae ante Collegiatam. »

Ad 2. « non licere Capitulo Cathedralis. »

Ad 3. « Adeundam esse S. C. Concilii. » Die 17. Aprilis 1660.

2051. VITERBIEN.

Prior, et Canonici Collegiatæ Ecclesiae S. Angeli Civitatis Viterbien. S. C. exposuerunt, in eorum Ecclesia servari Corpora SS. Savini, et Eugenii, de quibus cum teneantur recitare Officium, supplicarunt propterea, eis assignari diem 7. Octobris, et quo ignoretur Martyrii dies.

Et S. C. respondit: « Non teneri, imo neque posse recitari Officium de Sanctis illis, de quibus nulla habetur mentio in Martyrologio Romano, vel non constet de identitate eorummet Corporum SS., de quibus mentionem facit idem Martyrologium. » Die 17. Aprilis 1660.

2052. ABBREVIATORUM DE PARCO MAIORI.

Pluries, et quidem novissime dubitatum fuit a RR. PP. DD. Abbreviatoribus maioris residentiae: quis eorum in Cappella Pontificia videatur alteri praeferendus; an scilicet, qui in Collegium, aut in Cappellam primo admissus, vel ingressus fuerit, vel qui prius habitum Praelatitium actu susceperit? *SSmus* autem suo speciali Rescripto provinciam commisit Eñño D. Cardinali Franciotto, una cum Secretario C. S. R.; auditis hinc inde iuribus deducendis, decernendi quidquid ab iisdem DD. Abbreviatoribus servandum sit, ut inde subortae iam lites absque iudicii strepitu praecidantur, et futuris aditus praeccludatur omnimode, ne quid inordinatum, sed neque contentiosum aliquando involvat Ecclesiasticae Hierarchiae norma Pontificia Cappella. Iuribus itaque hinc inde deductis mature perpensis, seduloque discussis, ea mox, et sententiam suam Eññus idem Cardinalis in Consistorio Secreto *ad Sanctitatem Suam* detulit, quae mandavit in Acta C. S. R. referri Decretum inconcussa lege servandum, nempe: « Quod Abbreviator ille alteri praeferatur tum in Cappella Pontificia, cum alibi in caeteris quibuscumque actibus, praeterquam in Parco, qui prius habitum Praelatitium actu susceperit, praevis, ac adimpletis solemnitatibus requisitis per Constitutionem S. M. Sixti V. incipientem: *Quemadmodum etc.* Datam Romae decimo Kal. Octob. 1586. enunciata a S. M. Paulo V. in Constitutione incipiente: *Romani etc.* data Romae Kal. Iulii anno 1605.; quamvis is, qui prius habitum susceperit, posterior fuerit in admissione in Colle-

gium, quibuscumque in contrarium facientibus penitus sublatis. » Die 12. Iun. 1660.

2053. ARIMINEN.

Guardianus, et Fratres Conventuales Ecclesiae S. Francisci loci S. Archangeli Ariminen. Dioecesis S. R. C. exposuerunt, ex certis signis, quae adhuc exstant in eorum Ecclesia, haesitari non posse, quin olim fuerit consecrata, verum ignorari penitus diem actae Consecrationis; propterea supplicarunt assignari diem ad celebranda huiusmodi anniversaria solemnia.

Et S. C.: « Modo Vicarius generalis Episcopi absentis non haesitet de veritate narratorum, eiusdem arbitrio diem in posterum semper retinendam, extra tamen Adventum, et Quadragesimam, Oratoribus assignari indulgendum » censuit. Die 12. Iun. 1660.

2054. BOIANEN.

Episcopus Boianen. S. R. C. exposuit, nonnisi cum scandalo populi totius Regni Neapolitani posse debitae executioni demandari Decretum editum super cultu Beatis adhuc non canonizatis praestando; quamobrem supplicavit, dignaretur Sac. Cong. ei praecipere, si quid quoad B. Caietanum apud Neapolitanum Populum in magna veneratione universim habitum connivendum videatur?

Et S. C. iussit, « cum SSñño agi: an quoad praeterita, nempe quoad Altaria iam erecta, et Imagines Beatorum publicae venerationi hactenus expositas firmandum sit, ne removeantur, praecipiendo stricte Episcopis, ne in futurum nova erigi, et exponi permittant, procedentes contra inobedientes etiam exemptos, ut delegati Sedis Apostolicae, vel si de omnibus Beatis haec firmari non placeret, saltem dignaretur Sanctitas Sua declarare, Decretum emanatum non extendi ad Beatos illos, quorum nomina recensentur in Martyrologio Romano, saltem quoad Altaria iam erecta, et Imagines olim expositas tum in publicis locis. Delato autem ad SSñnum sensu S. C., *mandavit*: Episcopo Boianen., et aliis huiusmodi petentibus responderi, quod suaviter curent executioni demandare Decretum, et Populum, quantum poterit, tum per Confessarios, tum per Concionatores promoneri faciant, quod S. Cong. non intendit cultum, privatamque Populi religionem in B. Caietanum remove, sed potius, ut augeatur, desiderat; at cultum publicum ubique Sanctis Canonizatis praestandum, Beatis fieri communem vetat, alias nulla daretur distinctio inter Sanctos, et Beatos, et frustra (quod absit opinari) Ecclesia ad solemnia Canonizationis proce-

dere quodammodo videretur, si causa huiusmodi effectus novos minime produceret. »

Quo vero ad novam provisionem, « Sanctitas Sua dixit, maturius procedendum, neque quidquam contra firmatam legem velle firmare. » Die 12. Iun. 1660.

2055.

COMEN.

En̄o D. Cardinali Costaguto referente, S.R.C. in causa controversiarum praecedentiae inter Capitulum, et Canonicos S. Fidelis, et Parochos Comen. Civitatis, declaravit, « in funeralibus Parochum, ad cuius Ecclesiam cadaver Stola indutum deferendum fuerit, Capitulo praefendum fore, secus vero quoad reliquos Parochos servandum videri. » Die 12. Iunii 1660.

2056. CONGREGATIONIS CASSINENSIVM.

Procurator generalis Congregationis Cassinensium SS̄no humiliter supplicavit, dignaretur praecipere C. S. R., ut, quae Abbatibus Cassinensibus particulari Sedis Apostolicae indulto ex vetitis, et praeter expressa in Decreto novissime super usu Pontificalium edito, adhibere liceat, praevia discussione declararet. *Sanctissimus* autem Oratoris, preces ad eandem Congreg. transmisit, rescripsitque per En̄um D. Card. Franciottum notulam dubiorum supplicii libello subnexam in ipsa Congregatione referri, quae

Ad §. 4. « Decreti, quo prohibetur usus praeterquam unius Abaci, asserentibus Monachis hactenus ab immemorabili tempore eorum Abbates adhibere consuevisse secundum Abacum ad pelvim, et urceolos exponendos, *consuit*: Servandum esse Decretum. »

Ad §. 5., « quo tribus tantum diebus de praeccepto etc. Pontificalis celebratio permittitur, exponentibus Monachis, taxativam huiusmodi non extendi ad usum Pontificalium sine Baldachino, ac propterea ex Indulto Alexandri II. sibi competere Pontificalium usum, tum in exequiis nobilium virorum: *S. C. censuit*: Huiusmodi Privilegium tantummodo suffragari Monasterio Cavensi, nec ad alia Monasteria extendi. »

Ad §. 6., « quo in accessu Abbatis Divina peracturi, et recessu eiusdem post Divina absoluta, prohibetur associatio more Episcoporum, affirmantibus Monachis se ab immemorabili tempore simili associatione usos esse, atque indecorum videri, ut Abbas pontificaliter peracturus Divina solus Ecclesiam petat; *S. C. censuit*: Annuendum esse petitis, modo non extra, sed intra septa Monasterii sese ad Ecclesiam conferat.

Ad §. 7., « quo taxatur numerus ministrorum, exponentibus Monachis, Abbates indigere

ministris ad librum, et candelam, ad intortitia elevationis, et ad candelabra Evangelii, ad Mitram, et Baculum. *S. C. censuit*: Indulgendos fore alios quatuor ministros cotta indutos praeter expressos in Decreto. »

Ad §. 8., « quo usus Mitrae pretiosae, et Baculi sine velo appenso vetitus est, asserentibus Monachis, Mitram pretiosam ipsis de iure competere, velum quoque nunquam eos consuevisse baculo appensum adhibere, nec esse de ritibus Romanae Ecclesiae, sed Ambrosianae tantum. *S. C. censuit*: Quoad Mitram servandam esse dispositionem cap. *Ut Apostolicae* De Privileg. in 6. quoad Baculum vero servandum esse Decretum. »

Ad §. 10., « quo prohibetur usus Pontificalium in aliena Ecclesia, licet exempta, quamvis Abbas ad ipsam fuerit invitatus; exponentibus Monachis, eos inibi Pontificalibus Insigniis hactenus usos esse, idque a iure ipsis permissum praesumere. *S. C. censuit*: Servandum esse Decretum. »

Ad §. 11. « quo Sacras vestes ex Altari sumere Abbates privatim celebraturi prohibentur, asserentibus Monachis, se hactenus tali privilegio gavisos esse. *S. C. censuit*: Servandum esse Decretum. »

Ad §. 13., « quo disponitur, ne Abbates extra Pontificalia pontificali more, ac trina Crucis productione, necnon privatim occurrenti Populo, tum Pontificaliter induti etiam per Ecclesiam incedentes benedicant; asserentibus Monachis, Abbates in Missis privatis hactenus Episcopali more benedixisse, et Pontificalibus praesertim indutos per Ecclesiam transeuntes occurrenti Populo benedictionem elargiri consuevisse. *S. C. censuit*: Servandum esse Decretum. »

Ad §. 14., « quo in praesentia Episcopi Abbatibus denegatur facultas benedicendi solemniter etiam in Pontificalibus, asserentibus Monachis, ex privilegio ipsis, etiam praesente Episcopo, benedictiones huiusmodi competere. *S. C. censuit*: Servandum esse Decretum. »

Ad §. 15., « quo traditur ordo inferioribus Praelatis Divina pontificaliter peragendi, praesente Episcopo loci Ordinario, exponentibus Monachis, Episcopo vetitum reperiri ingressum in eorum Ecclesias, ipsis invitatis. *S. C. censuit*: Servandum esse Decretum. »

Ad §. 17., « quo usus Mitrae, et reliquorum Insignium Pontificalium, praeterquam tribus anni diebus, abrogatus est, suggerentibus Monachis, indecorum videri, ut in Ordinibus conferendis, in consecrationibus, et in receptionibus, et professione Monachorum, et Monialium, Abbates Mi-

tram non adhibeant. *S. C. censuit*: Indulgendum fore, ut ea tantum utantur in actu Ordinationum, et Benedictionum cum Sac. Oleo. »

Ad §. 19., « quo vetita est Abbatibus benedictio sacrae suppellectilis pro usu alienarum Ecclesiarum, asserentibus Monachis, pro aliena Ecclesia ex Apostolico indulto eis licitum esse Ecclesiasticam suppellectilem benedicere. *S. C. mandavit*: exhiberi Indultum authenticum ex Archivio Apostolico desumptum, et interim abstinere. »

Ad §. 21., « quo in Missis privatis prohibetur Abbatibus quavis ritus, et praerogativae ad Episcopos privative spectantes, exponentibus Monachis, Abbates Cassinenses hactenus in Missis privatis adhibuisse quatuor candelas, ministros ad lotionem manuum, ac duos assistentes cum cotta etc. *S. C. censuit*: Servandum esse Decretum. »

Praesentisque Declarationis Decretum typis imprimi posse concessit. Die 12. Iun. 1660.

Praedictis autem *SSmo* relatis, *Sanctitas Sua* ea approbavit, et Decretum editum die 27. Septembris 1659. omnino exequi, et servari mandavit. Verum « quoad §§. 5. 6. 7. 8. et 17. ad limites tantum praesentis declarationis, et non alias; salva quavis contraria, verbaliter tamen expressa, dispositione privilegiorum particularibus Monasteriis Congregationis Cassinensium concessorum. » Die 20. Iul. 1660.

2057. MEDIOLANEN.

Archipresbyter loci Monzae Mediolanen. Diocesis, qui gaudet usu Pontificalium, consuevit ab antiquo tempore benedicere Concionatorem, praecipue qui Concionem sit habiturus, dum ipsemet Missarum solemniam pontificali more peragit: supplicavit propterea declarari: an censeatur comprehensus in Decreto novissime emanato?

Et *S. C.* respondit: « Ei non licuisse per Concilium Tridentinum huiusmodi benedictiones elargiri, et eum esse comprehensum in Decreto praedicto. » Die 12. Iun. 1660.

2058. MESSANEN.

Coadiutores Canonicorum Cathedralis Messanen., quibus anno 1658., referente Eño D. Cardinali Aldobrandino, adiudicatus fuit locus in Choro, etiam praesentibus Coadiutis, ea tamen lege, ut Canonicis advenientibus, si stalla desint, etiam discedendo a Choro locum dimittant, novissime declarari supplicarunt: an, deficientibus stallis, Coadiutoribus, quorum Coadiuti abfuerint, sint dimittenda stalla a Coadiutoribus, quorum Coadiuti Choro praesentes erunt?

Et *S. C.* « affirmative respondit, ut Coadi-

tores pro Coadiutis absentibus possint lucrari distributiones, et supplere vicibus eorum, prout inconcussae servari » mandavit. Die 12. Iun. 1660.

2059. NARNIEN.

Priores Civitatis Narnien. exposuerunt, hactenus in Cathedrali consuevisse, ut eorum Secretarius thurificaretur immediate post Beneficiatos, sedeatque in stallo contra Beneficiatos praedictos: modo autem erecto Seminario, ab Episcopo existimari, quod Secretarius sit thurificandus post Alumnos Seminarii; propterea supplicarunt, nihil innovari de antiqua consuetudine.

Et *S. C.*, « non haesitans, quod Seminarium thurificandum sit immediate post Beneficiatos tamquam de Clero *ulterius mandavit*, ab Ordinario desiderari delineationem Chori, an Secretarius vere sedeat in stallo choralis, vel intra Presbyterium? » Die 12. Iun. 1660.

2060. PAPIEN.

Retuli in *C. S. R.* Decretum editum de mandato *Sanctissimi* super controversiis vertentibus inter Episcopum, et Magistratum Civitatis Papiensis, utraque parte assentiente, et approbante, prout *Sanctissimus D. N.* mandaverat referri ad effectum, ut apponeretur in Regesto Sac. Cong., quodque Eñi Patres mandarunt in acta *S. C.* referri, et sub die 12. Aug. 1660. publicari, tenoris videlicet.

PAPIENSIS. Sñi *D. N.* subortis contentionibus inter Pastorem, et oves sedandis, eliminandisque sollicitus, quamvis re utrimque composita, et Antistitum in eorum gregem diligens studium, singularis, probataque Papiensis Magistratus Religio in obsequendam Pastoris virgam numquam ulla mox emersura dissensionis tempestate turbari posse initam, Christianae Charitatis tranquillitatem abunde studeant, tamen praesenti Decreto leges posthae inter praedictos perpetuo, et inconcussae servandas, in Acta *C. S. R.* referri mandavit, nempe:

Ut in Cathedrali Ecclesia implementum emanati Decreti die 9. Novemb. 1657. quoad sedilia Abbatum, et Decurionum perpetuo servetur. In reliquis vero Ecclesiis, in quibus Abbates, et Decuriones praefatos Divinis interesse contigerit, aliqua interposita pariter stabili divisione extrinsecus collocentur. At si loci angustia id alicubi servari non patiatur, extra cancellulos Presbyterii decenti loco, selunctim a Populo, Abbatum, et Decurionum eorundem sedilia constituantur, eius videlicet altitudinis, ut vix Presbyterio aequentur; verum ad illa nullatenus anteriori parte, ne pluralitas graduum solii, vel throni imaginem

praeseferat; sed a latere pateat ascensus, eorumque aditus Populo praecludatur, custodiendus utique ab Abbatum, et Decurionum famulis ostiariis nuncupatis, quique, ubi intra cancellulos sedilia praefata, utpote in Cathedrali collocata extiterint, Populum ab ingressu pariter arceant, ostium tamen patens omnino dimittant, eique nec manum admoveant, ne a laicorum arbitrio Clericis ad Altare pendere videatur accessus. »

« Quod licet Abbates, et Decuriones, iuxta Sacrorum Canonum dispositionem extra Presbyterium Divinis interfuerint tum in Cathedrali, cum alibi immediate post Canonicos, consuetis ductibus per Caeremoniarum Magistrum thurificentur, eisque pax deferatur, quique Clerum subinde thurificet, eidemque pacem similiter deferat. »

« Ut in posterum Campanarum in publica turri existentium usus, pia olim Magistratus liberalitate Ecclesiae Cathedrali aliquando indultus, vel quovis nomine etiam precario traditus, pariter Episcopi, et Cathedralis utilitati respondeat, ita videlicet, ut Campanarius a Publico constituendus funeralibus emolumentis perfruatur; at ne dum Publico, sed Episcopo, et Cathedrali Ecclesiae in Campanarum earumdem pulsatione (discreta scilicet ad praescriptum tabellae a S. R. C. probatae, eidemque Campanario per Magistratum pro tempore consignandae), assiduo famuletur. Et ne quandoque ab eodem Campanario Ecclesiam servitio debito fraudari contingat, Magistratus in Capitulis Instrumenti concessionis Campanariatus adiciat, et quidem sub pecuniaria poena in commodum Sacrorum Cathedralis eroganda, et irremissibiliter exsolvenda, ne semel quidem statutis horis Campanas pro servitio Ecclesiae pulsare praetermittat, in quo conscientia Magistratus pro tempore oneratur, qui Dei servitium nullo sub praetextu negligi curet. Verum Campana illa, quae in damnatorum suppliciis exequendis pulsari solet, numquam in usum Ecclesiae adhibeatur. Praedictis tamen cuiusvis partium nullum ius tributibus, vel quid minimum praeiudicii inferentibus, sed salvis prorsus, et integris partium earumdem iuribus permanentibus. »

« Quod licet Sacratissimae Spinae Coronae Domini, ac Sanctorum Reliquiae sub laicali dominio nullatenus contineri possint, tamen ius honorarium detinendi unam ex tribus clavibus Tabernaculi, in quo eadem religiosa eorundem Magistratus, et Populi munificentia perornatissime, quamdecenter asservantur, Episcopi, et Capituli arbitrio inde Populi devotione exponendae, et in supplicationibus deferendae, eo extendatur, ut,

nonnisi Magistratus Deputato ad clavem deferendam praemonito, ac praesente, Tabernaculum aperiatur, et obseretur, nec extra Tabernaculum eadem Reliquiae detineantur, nisi adstante deputato praedicto, cui, cum sit honor detinendi clavem, sit etiam onus Reliquias ipsas custodiendi. Expositio tamen huiusmodi raro, et diebus tantum consuetis, vel alias ob publicam causam fiat, ne cultus assiduitate tepescat. »

« Tandem, ut Abbates, et Decuriones praefati solitis ecclesiasticis functionibus pro eorum pietate, interesse studeant, et obsequiis debitis, quae par est religiosi gregis pietate, Pastoris personam prosequantur. »

Et sit forte circa praefatorum observationem aliqua difficultas quandoque emeserit, vel contentio aliqua, quod absit, acciderit, cuncta iuxta ultimum statum ante difficultatem, vel contentionem subortas adamussim serventur, et statim ab utraque parte amicabiliter S. C. consulatur, a qua decisio mox religiose servanda expectetur. Die 12. Iun. 1660.

Decretum autem diei 9. Novembris 1657. ad quod habetur relatio, est ut sequitur.

PAPIEN. Cum plurium referat, contentiones, quae inter Pastores, et oves vix pullulare noscuntur, radicitus evelli, praesertim ne diu de Pastoris animo aliqua mordeat gregem sinistra suspicio, SS. D. Noster in Causa vertente inter Episcopum, et Abbates, ac Decuriones Papienses, concertationum, ac Iudicii strepitu sublato, et ne redivivis conatibus, tametsi compressas, rursus eas excitari contingat, perpetuo desuper silentio imposito, eorundem Abbatum, et Decurionum sedilia in Cathedrali Ecclesia, solito, et antiquo loco reaptari. At situm, quem illa hactenus occupabant a Presbyterio scammulis, seu cancellulis altitudinis quatuor palmorum circiter, ligneis interim interponendis, ac infra annum marmoreis ibidem extruendis dividi imperavit, quique in medio convexi laeicis, nec pollicem antiqui sedilium situs abripiant, sed late dilati, sufficientem locum sacra facientibus praestent, ut dilucidius ex annexa Templi delineatione patebit. De quorum implemento Episcopus, et Abbates, ac Decuriones S. R. C. illico certiore reddant, in cuius acta praesens Decretum Sanctitas sua referri mandavit. Die 9. Novembris 1657.

2061. PERUSINA.

S. R. C. acceptis Episcopi Perusini literis informativis super controversia inter Capitulum Cathedralis, et Clerum eiusdem Civitatis, iisdemque, utraque parte audita, perpensis, censuit: « Cle-

rum Civitatis, qui sub propria Cruce pallio, pensili more Regularium suffulta, incedere consuevit in Processionibus, quae ibidem annuatim per Civitatem ducuntur, cogendum esse, ut nuda Cruce numquam utatur, sed eam cum pallio praedicto omnino adhibeat in singulis Processionibus etiam feria V. et feria VI. maioris hebdomadae coloris temporis convenientis. Praeterea, si SSmo visum fuerit, in causa Criminali coram A. C. introducta in perpetuum sileri ad dirimendas quascumque dissensiones, quo Capitulum, et Clerus in vinculo pacis (ut ecclesiasticos viros decet) Domino famulentur. » Die 12. Iun. 1660. Et facta de praedictis Sanctissimo relatione, Sanctitas Sua Decretum approbavit, et executioni omnimode demandari praecepit; quodque A. C. per Secretarium Congregationis admoneatur, ut quoad iudicium criminale aures utrisque partibus deneget, et causa perpetuo sileat. Die 20. mensis Iun. eodem anno 1660.

2062. PLACENTINA.

Valerius Valaia Archipresbyter Terrae S. Ioannis Placentinae Dioecesis declarari petiit, an Cappellanus Societatis S. Iacobi possit in Oratorio suo benedicere palmas, candelas, et comestibilia sine assensu Parochi?

Et S. C. iussit, « ad Ordinarium dirigi literas, quibus admoneatur praedicta esse de iuribus Parochi, ideo, nisi quid relevans in contrarium habeat, prohibeat Cappellano, ne huiusmodi peragat. » Die 12. Iun. 1660.

2063. REATINA.

Lodovisius Cassianus Abbas S. Laurentii Montis Regalis, et Fani Reatinae Dioecesis supplicavit, iniungi observationem soliti circa delationem baculi, et mitrae in Processionibus.

Et S. C. respondit: « Non licere extra Ecclesiam huiusmodi delationem, et servari Decretum editum die 27. Sept. 1659. » Die 12. Iun. 1660.

2064. RIPANA.

Rursus delata ad C. S. R. controversia: An Vicario Generali Episcopi Ripani in Ecclesiis Regularium competat sedes supra scamnum Magistratus eiusdem Civitatis? Emi PP., mature discussis iuribus hinc inde deductis, censuerunt: « Standum esse in Decretis, nempe Vicario praedicto non competere sedem supra scamnum praefati Magistratus, sed in alia parte, et prorsus seiunctim ab illo. Et ita, non obstantibus in contrarium per Episcopum allegatis, servari, mandarunt, firmo tamen in reliquis remanente Decreto quoad praecedentiam Vicarii supra Magistratum. » Die 12. Iunii 1660.

2065. SENOGALLIEN.

Relata ab Em̃o D. Card. Aldobrandino Causa controversiarum inter Rectorem Parochialis Ecclesiae S. Mariae Sportoni Senogallien. Dioecesis, et Fratres Reformatos Ordinis S. Francisci Ecclesiae S. Mariae Gratiarum.

S. R. C., « attenta maxima distantia Ecclesiae Regularis tum a Parochiali, tum a domibus, a quibus cadavera defunctorum sumenda sunt, ne praedicta eorum Ecclesia debito Chori servitio fraudetur, censuit, Fratres non cogendos esse, ut accedant ad funera, verum si invitati interesse voluerint, eos teneri accedere ad Ecclesiam Parochialem, ut inde cum Parocho ad domum defuncti procedant. » Et ita servari mandavit. Die 12. Iunii 1660.

2066. SENOGALLIEN.

Archipresbyter prima Dignitas Cathedralis Senogallien. declarari supplicavit: An Vicario Generali competat praecedentia supra Dignitates, et Canonicos sacris vestibus indutos tum in Choro, tum in Processionibus?

Et S. C. respondit: « Non competere, et Ordinarium admoneri, ut mandet, Vicarium eo casu abstinere a functionibus, et quidquid relevans in contrarium obveniat, ad S. C. transmittat. » Die 12. Iun. 1660.

2067. SULMONEN.

Clerus Terrae Palenae Sulmonen. Dioecesis declarari petiit: an Fratres de Observantia possint abstinere a Processionibus generalibus ea ratione, quod deferens Crucem Cleri Saecularis sit laicus non tonsuratus?

Et S. C. respondit: « Crucem Cleri Saecularis, omnino deferendam esse a Clerico cotta induto, et contrariam consuetudinem esse abusum. » Die 12. Iun. 1660.

2068. SURRENTINA.

Rursus proposita controversia inter Rm̃m Archiepiscopum Surrentinum, et Magistratum eiusdem Civitatis; S. R. C. censuit, « connivendum fore ab Archiepiscopo, ut Concionatores, postquam initio concionum ipsum salutaverint cum titulo Illm̃i, et Rm̃i, iuxta antiquam consuetudinem, Gubernatorem, et Magistratum subinde salutent cum titulo Illm̃i, idque ad aures Procuratoris Archiepiscopi deferendum. Verum si Archiepiscopus se paratum non ostenderit ad parendum S. C., detur Decretum Magistratui. Praeterea quoad dexteram Archiepiscopi a Magistratu suscipiendam in aedibus Episcopalibus, » quam S. C. neque putat a Magistratu ullatenus praesumi, quod eius pietati plurimum derogaret, « nullo pacto assen-

tit, ut illi ab Episcopo deferatur. » Die 12. Iunii 1660. Praedictis autem *ad Sanctissimum* delatis, eo quod Archiepiscopus supplicis eius libello *Sanctitatem Suam* adierat, Sanctitas Sua annuit. Die 20. eiusdem mensis Iun. eodem anno 1660.

2069. CAMPLENSIS.

Capitulum Cathedralis Camplensis S. C. supplicavit, declarare dignaretur, an Canonici Cathedralis ubique sint praefereendi, etiam Dignitatibus Ecclesiarum Collegiatarum?

Et S. C., « In sessionibus, stationibus, et processionibus ecclesiasticis, quando capitulariter incedunt, Oratores utique praefereandos esse, *respondit*, in reliquis vero actibus privatis, vel alias, in quibus uti singuli intersunt ad ritum ecclesiasticum, nullatenus pertinere, ideoque nihil describendum esse duxit. » Die 24. Iulii 1660.

2070. VICEN.

Episcopus Vicensis se admoneri supplicavit, quid sibi maneat agendum, si Monachi ei recusent subministrare necessaria volenti Pontificaliter celebrare in illorum Ecclesiis, et aspersionem in ingressu earundem porrigere?

Et S. C., ad relationem Emi Franciotti, iussit, « ut Procuratorem Generalem Camaldulensium admoneam, ne audeant Monachi debita obsequia praestare (*legendum puto* recusare) Episcopo ad eorum Ecclesiam accedenti ad exercenda Pontificalia Ordinis, non tamen Iurisdictionis. » Die 24. Iulii 1660.

2071. ARETINA.

Communitas Castri Rigomagno Aretinae Diocesis S. R. C. supplicavit, facultatem attribui, ut ibidem quotannis Dominica infra Octavam S. Thomae Processio duci possit post Missam solemnem de eodem Sancto decantandam.

Et S. eadem Cong.: « Processionem arbitrio Ordinarii peragenda dimisit: Missam vero vetuit die Dominica de S. celebrari. » Die 24. Iulii 1660.

2072. AESINA.

Institerunt Presbyteri, et Confratres Societatis Mortis Aesinae Civitatis praecipui Capitulo Cathedralis, ut sinat servari Decretum Synodale, quo Confraternitatibus iniunctum est, ut interfuturae funeribus accedant ad Parochialem Ecclesiam, inde ad locum defuncti Parochum associaturae; neque eas compelli S. C. permittat ad accessum ad Cathedralis, quando etiam Capitulum interfuturae est funeri; ac proinde supplicarunt aliquem ex Emis deputari, qui eorum iura in S. C. referat.

S. autem C., acceptis, et perpensis iuribus

ab Emō D. Card. Cybo transmissis, censuit, « Oratores nullatenus audiendos esse, sed omnino cogendos ad observationem Decreti ab Ordinario emanati: praeterea *declaravit*, Decretum Synodale locum habere quodcumque Capitulum Cathedralis non interfuturae sit funeri. Die 11. Septembris 1660.

2073. ANGELORUM IN INDIIS.

Episcopus Civitatis Angelorum in Indiis SSmo supplicavit, Clero Civitatis facultatem tribuere dignaretur recitandi Officium transitus S. Ioseph die 20. Iulii.

Et S. C. « nihil videri concedendum, *respondit*. Siquidem irrepsit, ut credatur plerisque tali die obiisse S. Ioseph Sponsum Bñae Virginis, et proinde celebretur transitus illius, cuius obitum Ecclesia celebrat die 19. Mart. Die autem 20. Iul. non Ioseph Sponsus Bñae Virginis, sed Ioseph Iustus, qui missus est in sortem cum Mathia spiritum reddidisse fertur, et quia tum Ioseph Sponsus Mariae nominatur Iustus in Evangelio, ideo error inde manavit. » Die 11. Sept. 1660.

2074. COMEN.

Rursus proposita per Emum D. Card. Costagutum controversia verten. inter Capitulum, et Canonicos Collegiatae Ecclesiae S. Fidelis ex una, et Parochos Civitatis Comen. partibus ex altera.

S. R. C., utraque parte informante censuit, « praecedentiam competere Capitulo, et Canonicis Collegiatae supra Parochum defuncti, quando cadaver ad Collegiatam Ecclesiam defertur. » Et ita servari mandavit. Die 11. Sept. 1660.

2075. PADERBONEN.

Episcopus Paderbonen. sub Archiepiscopatu Moguntino exposuit, per Decretum Synodale olim ab Antecessore *de anno* 1324. indictum fuisse ex praecepto, servandum Festum S. Liborii Episcopi, nec non abstinentiam a carnibus die praecedenti ex praecepto pariter iniunctam extitisse, ea tamen praeepta vel non recepta, aut in desuetudinem abiisse: quapropter immediatum eius Praedecessorem in Rituali tunc typis tradito eadem exarari curasse, verum ob bella nunc adhuc usu recepta esse: proinde supplicavit, dignaretur S. C. declarare, an posset ipse cogere Civitatis incolas ad observationem huiusmodi praecepti?

Et S. C. iussit « ut, quoad festum inquiratur: an S. Liborius sit principalis Patronus Civitatis? eo enim casu posset Episcopus festum indicare in vim Constitutionis Urbanae; quo vero ad Vigiliam cum ieiunio, oretenus Procuratorem Episcopi admoneri, ne suos subditos novo onere gravet, sed potius, ut indicta iam ieiunia, ac

recepta servata exacte, eos hortetur, impellatque, Die 11. Sept. 1660.

2076. POLIGNANEN.

Episcopus Polignanen., qui suis litteris S. C. certiore reddidit, se tandem Baldachinum Domini temporalis ab Ecclesia Cathedrali amovisse, cum Civitas ad manus Creditorum Principis devenit sub hasta plus offerenti deliberanda; verum summopere vereri, nisi S. C. approbatio intercedat, imo et prohibitio, ne in posterum permittat Ordinarius, ut Baldachinum huiusmodi erigatur, ne a futuro Domino temporalis in primum cuncta redigi praesumatur.

Et S. C., iussit, «Zelum Episcopi plurimum commendari, et prohiberi in posterum, ne abusus reviviscat.» Die 11. Sept. 1660.

2077. PORTUEN.

Sebastiano Rubeo Archipresbytero Cerveteri Portuen. Dioecesis petente facultatem celebrandi die 14. Ian. festum SS. Salvatoris titularis modernae Societatis sub eadem invocatione erectae in sua Ecclesia Parochiali cum aliquo Officio proprio puta Transfigurationis Domini; S. C. iussit: «dimitti arbitrio Emi Barberini Ordinarii, verum si placeret die Circumcisionis huiusmodi titulum celebrare, S. C. videri satis superque congruum.» Die 11. Sept. 1660.

2078. AESINA.

Presbyteri, et Confratres Societatis Mortis Aesinae Civitatis iterum S. R. C. supplicarunt, ne eos gravari sineret, cogendo, ut ad Cathedrali conveniant quandocumque Capitulum interfuturum sit funeri. Praeterea conquesti sunt, Decretum ab hac Congregatione editum caeteras Confraternitates non comprehendere ab Ordinario censi; quapropter alicui ex Emis eandem causam committi postularunt, coram quo eorum iura possint deducere.

Et S. eadem C. in Decretis diei 11. Sept. «proxime praeteriti standum esse, censuit, et omnes Confraternitates eiusdem Civitatis teneri ad Cathedrali accedere, quandocumque Capitulum funebribus interfuturum sit, declaravit. Die 20. Nov. 1660.

2079. AMALPHITANA.

Archiepiscopus Amalphitanus declarari postulavit: an Decretum novissime emanatum super usu Pontificalium comprehendat nedum Regulares, sed etiam Saeculares Praelatos Episcopo inferiores?

Et S. C. «Affirmative» respondit. Die 20. Novembr. 1660.

2080. ASCULANA IN APULIA.

Episcopus Asculanus a S. R. C. declarari po-

GARDELLINI. DECR. S. RIT. C. TOM. I.

stulavit: an in civitate Asculana Officium recitari, et Missa celebrari possint de S. Leone Patrono minus principali infra Octavam Epiphaniae die 12. Ian., cum praedictum Sanctum una cum Bna Virgine Cathedralis Ecclesiae compatronum existere ab ipsius Antecessorum relationibus appareat?

Et S. eadem C. respondit, «ab Octava Epiphaniae omnia duplicia excludi praeter ea, quae sunt primae classis, nempe Titularis, et Patroni Principalis, ac Dedicacionis Ecclesiae; propterea Officium de S. Leone transferendum esse» mandavit. Die 20. Nov. 1660.

2081. DUBIUM.

Proposito per Emum D. Cardinalem Franciotum Dubio: an extra Urbem possit celebrari transitus S. Ioseph Sponsi Bnae Virginis die 20. Iul., prout in Ecclesia Universitatis Fabrorum Lignariorum Urbis quotannis celebratur, etiam cum luero Indulgentiae plenariae concessae a S. M. Innocentio X. S. R. C., attento, quod ea die Martyrologium Romanum recenset mortem S. Iosephi Iusti, quem Apostoli cum S. Mathia statuerunt, ut locum Apostolatus Iudae proditoris impletet, indeque irreperit error, ut aliqui crediderint praedicta die commemorari transitum S. Iosephi Sponsi Bnae Virginis, qui etiam Iustus dictus est Matth. cap. 1. num. 19., cuius obitus celebratur die 19. Mart. «Festum praedictum cum in Urbe prohibendum, tum extra Urbem omnino, ne inducatur, vel alio quovis pacto celebretur praecavendum esse» censuit: quo vero ad Indulgentias a praelibatae S. Mem. Innocentio X. concessas cum Sanctissimo agi mandavit. Die 20. Novembris 1660.

Facto autem verbo cum Sanctissimo, Sanctitas Sua mandavit festum omnino prohiberi, et R. P. D. Ugolinum Brevium a Secretis admoneri. ut Breve Indulgentiarum repetat, et laceret. Die 25. eiusdem Mensis eodemque anno 1660.

2082. IANUEN.

Referente Emio D. Card. Sacchetto, S. R. C. ad dubia per Mansionarios, seu Cappellanos Massae Cathedralis Ecclesiae Ianuen. proposita, ita respondit.

Ad 1. An in Missa conventuali Dominicis, et aliis diebus festis de praecepto, Altare ad Introitum thurificari debeat, quamvis Beneficiati celebrent? «Nihil innovari.»

Ad 2. An Subdiaconus praeterquam in Missis Defunctorum, et Feria 6. in Parasceve, Patenam tenere debeat? «Nihil innovari.»

Ad 3. An Diaconi sacris vestibus induti primi

post digniorem Cleri Candelas, et cineres recipere, et post Celebrantem in Parasceve Crucem adorare debeant? « Negative, cum non sint Canonici. »

Ad 4. An Beneficiati cum Pluviali Vesperarum officium absolventes sedere debeant in banco, in quo sedent Canonici? « Negative, et servari solitum. »

Ad 5. An Diaconus sacris vestibus indutus una cum Celebrante pergere debeat ad Fontem benedicendum? « Diaconum a sinistris Celebrantis incedere debere. »

Ad 6. An Sacerdos, et Diaconi sacris vestibus induti praeferendi sint Canonicis sacro indumento nullatenus amictis, cum procedunt ad Fontem benedicendum in Ecclesia S. M. Castelli? « Melius informet, et Eñum Archiepiscopum audiri. »

Ad 7. An Canonici, absente Archiepiscopo, adhibere valeant secundam Crucem, quam Patriarchalem vocant, mediam inter Capitulum, et Beneficiatos Oratores? « Servari solitum, et audiri Eñum Ordinarium. »

Ad 8. An Capitulum, et Beneficiati stare debeant ad integram Chori thurificationem? « Canonicos debere stare durante eorum thurificatione: ceteros vero a principio ad finem. »

Ad 9. An Beneficiatis prout Canonicis ante, et post thurificationem sit a thurificante facienda capitis inclinatio? « Servari Caeremoniale Romanum. »

Ad 10. An oblationes Populi dividi debeant etiam inter Beneficiatos, et non inter Canonicos tantum? « Ad Eñum Ordinarium remitti. »

Ad 11. An Canonicus thurificandus sit, qui proprio loco, et in suo stallo non manet? « Affirmative. »

Ad 12. Qua hora recitari debeat Matutinum, cum inclusive a mense Maio per totum mensem Octobris recitari consueverit hora decima nona, reliquo tempore hora vigesima quarta? « Matutinum recitandum esse de mane hora per Eñum declaranda. »

Et ita S. C. servari mandavit die 20. Novembr. 1660.

Post diem Congregationis Eñus Praefectus mandavit mihi, ut praedicti Decreti publicationem suspenderem ad proximam Congregationem, in qua iterum audiri petierant Canonici Cathedralis.

Vide igitur quae in proxima Congregatione firmata fuerunt.

2083.

IANUEN.

Iterum propositis per Eñum D. Card. Sac-

chettum dubiis pro parte Cappellanorum de Massa Cathedralis Ianuensis S. R. C. exhibitis, Eñi Patres, ut infra responderunt.

Ad 1. An in Missa conventuali Altare incensari debeat ad introitum in Dominicis, et diebus festivis? « Eñus Archiepiscopus provideat. »

Ad 2. An Subdiaconus, praeterquam in Missis Defunctorum, et Feria 6. in Parasceve, Patenam sustinere debeat? « Eñus Archiepiscopus provideat. »

Ad 3. An Diaconus, et Subdiaconus satis vestibus induti debeant primi post digniorem Personam Capituli palmas, candelas, et cineres recipere; sicut etiam primi post Celebrantem in Parasceve Crucem adorare? « Negative, cum non sint Canonici; expedire tamen, ut saltem diebus praedictis Canonici inserviant in officio Diaconi, et Subdiaconi; eoque casu affirmative. »

Ad 4. An Cappellanus de Massa solemniter Vesperarum Officium peragens cum Pluviali, sedere debeat in loco, ubi sedere solet Canonicus, quando huiusmodi munus absolvit? « Negative, et servari solitum. »

Ad 5. An Diaconus sacris indumentis indutus conjunctim cum Celebrante procedere debeat ad Fontem benedicendum? « Diaconum, et Cappellanus de Massa incedere debere cum Celebrante a sinistris. »

Ad 6. An Sacerdos celebrans Missam, et Diaconi parati praeferendi sint Canonicis, qui non sint sacris induti, quando in Vigilia Pentecostes proceditur ad benedicendum Fontem, iuxta priscum morem, ad S. Mariam Castelli? « Eñus Archiepiscopo iuxta mentem. »

Ad 7. An Canonici, absente Archiepiscopo, possint interponere Crucem Patriarchalem in Processionibus quibuscumque inter ipsos, et Cappellanos Massae? « Nihil innovari. »

Ad 8. An, quando fit in Choro generalis incensatio, tam Canonici, quam Cappellani de Massa stare debeant, quousque dicta incensatio perficiatur? « Canonicos stare debere, durante eorum thurificatione: ceteros vero a principio ad finem thurificationis. »

Ad 9. An facienda sit capitis inclinatio ante, et post thurificationem tam Canonicis, quam Cappellanis de Massa cum thurificantur? « Servari Caeremoniale Romanum. »

Ad 10. An oblationes cerae, olei, et pecuniae, quae fiunt a piis personis etiam inter conciones, distribui debeant tum inter Canonicos, tum inter Cappellanos de Massa? « Ad Eñum Archiepiscopum. »

Ad 11. An Canonici incensari debeant, quando non existunt in suis propriis subselliis canonicilibus? « Affirmative, dummodo non extra numerum stallorum canonicalium. »

Ad 12. Qua hora recitari debeat Matutinum; cum mensibus Maii, Iun., Iul., Aug., Sept., et Octobr. aliquando recitetur post Completorium hora 19. cum dimidio, aliquando autem hora 24., prout reliquis mensibus? « Servari solitum, et aetivo tempore hora per Ordinarium statuenda. »

Sequentibus praeterea Dubiis pro parte Canonicorum porrectis S. eadem C., ut infra, respondit.

Ad 1. An Cappellani de Massa debeant considerare cantum firmum, ita ut eligi non debeant, neque possint imperiti huiusmodi cantus? « Affirmative, et in posterum examinentur a deputandis per Ordinarium. »

Ad 2. An sit facienda reformatio Cappellanorum nunc existentium, qui carent peritia cantus firmi? « Lectum. »

Ad 3. An redditus Cappellanis de Massa assignati reduci debeant in totum, vel in parte ad distributiones quotidianas, ne servitium Chori de facili negligatur? « Emo Ordinario, qui provideat, habita ratione ad dispositionem sacri Concilii. »

Ad 4. An Cappellani de Massa possint inchoare horas Canonicas, quibus Canonici interesse solent, ante alicuius Canonici adventum? « Negative, sed expectare debent ad minus per quadrantem post pulsam campanae. »

Ad 5. An incepto Officio aliquis Cappellanus de Massa possit recedere a Choro, absque licentia maioris Canonici praesentis, vel Chori Praefecti ab Ordinario deputati, seu Scholastici; et an, absoluto Officio, possint discedere ante Canonicos? « Negative sine licentia praedictorum, seu, quatenus nullus ex praedictis reperitur in Choro, abque licentia dignioris, etiam quod esset de Massa, sed expectare debere Canonicorum recessum, et interim stare detecto capite. »

Ad 6. An Mansionarii, qui eliguntur ex numero Cappellanorum de Massa per Capitulum, teneantur repetere Antiphonas intelligibili voce, prout versiculos ad *Benedictus*, et *Magnificat*, dum pulsatur organum? « Affirmative. »

Ad 7. An Cappellani de Massa teneantur assurgere, et stare, detecto capite, quando Canonici, et Concappellani Chorum ingrediuntur, vel Canonicis tantum, et non Concappellanis? « Canonici teneri assurgere, Concappellanis vero ex urbanitate posse. »

Ad 8. An Cappellani de Massa, quando dis-

cedunt ab eorum stallis, ut prodeant in medium Chori ad canendum, deponere debeant pileolum? « Affirmative etiam quoad Canonicos, quando prodeunt in medium Chori ad canendum. »

Ad 9. An quando prodire debent Cappellani de Massa in medium Chori, omnes, vel aliqui tantum accedere teneantur? « Teneri omnes ad formam Constitutionum. »

Ad 10. Cum S. C. die 28. Mart. 1651. declaraverit, Cappellanos de Massa esse subiectos Praefecto Chori in iis, quae Chori directionem concernunt, et die 24. Aug. 1654. esse subiectos in iis, quae pertinent ad servitium Ecclesiae: An insurgente aliqua differentia inter ipsos quoad caeremonias, et consuetudines Ecclesiae, obtemperare debeant maiori Canonico de Choro, aut Chori Praefecto, seu Scholastico? « Servari decreta »

Ad 11. An in casu inobedientiae in his, et in aliis, plecti debeant arbitrio Ordinarii? « Affirmative. »

Ad 12. An sit servanda consuetudo, in Metropolitana Iantuensi aspergendi omnes Canonicos singulatim diebus Dominicis ante Missam? « Affirmative. »

Et ita S. eadem C. servari mandavit, sub poenis arbitrio Ordinarii, in singulis transgressionum casibus infligendis. Die 18. Decemb. 1660.

2084. PISCINIEN. NULLIUS.

Ex quo non competat Praeposito Pisciniensi (ius) benedicendi Concionatoribus, antequam verbum Dei in suis Ecclesiis praedicare incipiant, idque etiam novissimo Decreto C. S. R. vetitum sit.

S. eadem C. « in hoc casu ad Rmum Apostolicae Sedis Nuntium apud Serenissimum Magnum Ducem Etruriae residentem, per Praepositum praedictum Concionatores ad huiusmodi benedictionem, et facultatem obtinendam mittendos fore, » censuit, ac ita servari mandavit. Die 20. Novembris 1660.

2085. SEGUNTINA.

Capitulum Seguntinum S. R. C. supplicavit declarare dignaretur, an Clericis cotta indutis praefereendi videantur Acersecomites Episcopi interestes sine cotta?

Et S. eadem C. respondit: « Clericos indutos cotta, seu alio Ecclesiastico indumento praefereandos esse privatis personis, seu aliter Clericis nullo choralis, seu Ecclesiastico indumento suffultis » Die 20. Nov. 1660.

2086. MAZZARIEN.

Cantor, et Archidiaconus Civitatis Mazzariae S. C. supplicarunt, declarare dignaretur: an Cantori primae Dignitati, vel Archidiacono se-

cundae Dignitati spectet assistentiam presbyteralem praestare Episcopo in Ordinationibus?

Et S. C. respondit, « alias die 29. Mart. proxime praeteriti anni responsum, debere servari Rubricas Pontificalis. » Die 4. Dec. 1660.

2087. PARISIEN.

Congregatio, et Seminarium Presbyterorum S. Sulpitii Parisien. S. C. exposuerunt, die 30. Aug. magno cum populi concursu festum celebrare consuevisse in honorem Divini Sacerdotii Iesu Christi, omnium Summorum Pontificum, et Sacerdotum; supplicarunt propterea eis facultatem attribui celebrandi Missam propriam ab eis novissime editam.

Et S. C. respondit: « Nihil omnino Oratoribus concedendum videri. » Die 4. Dec. 1660.

2088. SPOLETANA.

Canonici Collegiatae Ecclesiae S. Petri Spoletanae Dioecesis S. R. C. supplicarunt, dignaretur moderari Decretum super ministerio Diaconi, et Subdiaconi eis iniuncto, celebrante Priore. Et S. C. censuit: « Standum esse in Decretis. Verum, ne Prior arbitrio Missarum solemnibus vacet, et proinde Canonicos defatiget *iussit*, ut ab Eno Episcopo semel taxatorum celebrationis huiusmodi dierum annualis numerus in posterum non excedatur. Et propterea quod ad assistentiam Canonicaem pariter praestandam Canonico celebrandi, de qua oretenus supplicavit Procurator Capituli: » S. eadem C. respondit: « Laudandos esse Canonicos, si concanonico celebranti assistentiam Diaconi, et Subdiaconi praestent, sed ob paucitatem numeri Canonicorum eorundem, eos nullatenus cogendos fore. » Die 18. Dec. 1660.

2089. SULMONEN.

Exposuerunt Canonici Cathedralis Sulmonen. « sub die 22. Nov. proxime praeteriti anni » se gravatos ab Episcopo ad praestandam eidem assistentiam Diaconi, et Subdiaconi in Missa privata, et quando assistit Missarum solemnibus, quae per Canonicum celebrantur extra Cathedrali. Et S. C. *iussit*, *Ordinarium audiri*, qui tandem respondit, quoad assistentiam in Missa privata Capitulum falsum exposuisse, quo vero ad assistentiam in Missa solemnibus extra Cathedrali, id quidem ab eo praesumi sibi debitam a Canonicis assistentiam, quando ob Populi commoditatem, ex quo Cathedralis longe distet ab habitu, accedit ad assistendum Missarum solemnibus diebus solemnioribus anni ad Ecclesiam SS. Annuntiationis.

Et S. C. mandavit, « ut Canonici pareant Ordinario » Die 18. Dec. 1660.

2090. THELESINA.

Canonici Collegiatae Ecclesiae Cerreti Thelesinae Dioecesis S. R. C. exposuerunt, ipsis vetitam fuisse ab Episcopo moderno delationem propriae Crucis in Processionibus, quamvis illam hactenus deferre consueverint, et novissime cogi ad incedendum sub Cruce Cathedralis, intermedios vero inter ipsos Oratores, et Capitulum Cathedralis praecipisse eundem Ordinarium, ut incedant Clerici Seminarii.

Et S. C. mandavit, « ad Ordinarium dirigi literas, quibus ipse admoneatur, ne quid inno vare praesumat. » Die 18. Dec. 1660.

2091 FOSSANEN.

Episcopus Fossanen. exposuit, a Capitulo suae Cathedralis Ecclesiae negligi observationem Decreti S. C. emanati die 8. Augusti 1635. circa associationem ipsius Oratoris a Palatio ad Ecclesiam pergentis, et ab Ecclesia ad Palatium redeuntis, necnon circa assistentiam in Missis, quae ab eodem privatim in Cathedrali celebrantur.

S. autem C. declaravit: « Canonicos Cathedralis compellendos esse ab Episcopo, etiam sub censuris, ad praedicta obsequia sibi praestanda: ac, si quid relevans in contrarium iidem habeant, in S. C. deducant. » Die 15. Ianuarii. 1661.

2092. MEDIOLANEN.

Ad preces Co: Ferrantis Cavenago S. R. C. declaravit: « Dño loci permitti posse sedem cum genuflexorio, et tapete, non tamen gradatam, neque fixam, sed amovibilem, et extra Presbyterium, eidemque pacem cum Instrumento, et thurificationem duobus ictibus post Rectorem Ecclesiae etiam simplicis Parochialis, per Cappellanum cotta indutum, non tamen per ministros Sacrificii sacris amictos praestari debere. » Die 15. Ian. 1661.

2093. MESSANEN.

Cum alias. S. R. C. habita « diebus 6. Aprilis 1658., et 12. Iunii proxime praeterito an. 1660. » declarasset, licere Coadiutoribus Canonicorum Ecclesiae Messanen., etiam praesentibus Coadiutis, Divinis in Choro interesse, dummodo stalla pro veris Canonicis praesentibus, vel pro Coadiutoribus, quorum Coadiuti abfuerint, supersit, vel aliis inchoato Officio advenientibus dimittantur: novissime dubitatum fuit: an Decreta huiusmodi locum habeant in Sessionibus Capitularibus? S. igitur C. cum superius enunciatis Decretis, quae tantum in Ecclesiae, necnon divinatorum officiorum cedunt obsequium, Coadiutoribus indulgendum duxit: « Eadem Decreta ad officia tantum divina, nempe ad assistentiam

quarumcumque precum, officiorum, et sacrificiorum divinorum, concionum, necnon supplicatiorum, seu processionum pariter divinarum: nullatenus vero ad sessiones capitulares, vel alias quascumque Canonicorum congregationes, seu alio quovis nomine nuncupatas, eorumdemque congressus extendi, » declaravit. Die 15. Ian. 1661.

2094. PLACENTINA.

In causa controversiarum circa interpositionem Seminariorum, et aliorum non incedentium in Processionibus cum paramentis sacris, inter Canonicos, et Clerum Cathedralis, et Canonicos et Clerum Collegiatae incedentes cum paramentis: S. R. C. mandavit, « iniungi Episcopo, ut locum assignet Seminario, et reliquis Clero Cathedralis Ecclesiae sine paramentis praecedentibus ante omnes, qui sacris paramentis induti sunt. » Die 15. Ian. 1661.

2095. PUTEOLANA.

Ad duo proposita Dubia S. R. C. censuit Canonicis Puteolanae Ecclesiae respondendum: « Quod ad Benedictiones ad secundam, et tertiam Lectionem cuiuslibet Nocturni, tam si a Canonicis, quam si a Beneficiatis, vel Clericis Lectiones recitentur, hebdomadarium Canonicum, seu dignitatem, Episcopali excepta, stare debere iuxta Caeremonialis Episcoporum dispositionem. Quo vero ad stationem, vel sessionem aliorum Canonicoorum, dum hebdomadarius Canonicus daturus benedictionem huiusmodi stat, servandam esse consuetudinem Ecclesiae. » Die 15. Ian. 1661.

2096. NEAPOLITANA.

Clericis Regularibus Minoribus Neapolis petentibus, an ad ipsos, ad quos spectat in maiori hebdomada Divinorum actio, an vero ad Hebdomadarios exercentes in eadem Ecclesia curam Animarum Fontis benedictio pertineat?

S. R. C. respondit: « Benedictionis huiusmodi solemniam spectare ad Celebrantem, praesentibus tamen Hebdomadariis curam Animarum inibi exercentibus. » Die 12. Martii 1661.

2097. PUTEOLANA.

Vicarius Capitularis Puteolanus exposuit, contraverti observantiam Decreti emanati a S. R. C. die 15. Ianuarii 1661., nempe, quod cum Dignitates, tum Canonici hebdomadarii, dum benedicunt Cantoribus Lectionum ad secundam, et tertiam benedictionem cuiuslibet Nocturni stare pariter debeant, quamvis canentes Lectiones fuerint simplices Beneficiati Cappellani, vel alias non Canonici, ex quo contrarium Decretum sub die 24. Maii. 1659. nuper emanaverit, nempe, quod Chorus non debet assurgere ad secundas,

et tertias huiusmodi benedictiones; propterea supplicavit iniungi executionem Decreti.

Et S. C. respondit: « Omnino executioni demandari praedictum Decretum, quod si attente expendatur, non quidem ut supponitur, contrarium est, sed prorsus conforme in hac parte. » Die 12. Mart. 1661.

2098. URBIS.

Sacerdos deputatus a Vicario ad conficiendum turnum Orationis quadraginta horarum in Urbe petit: an Feria VI. in Parasceve sit prosequenda huiusmodi Oratio cum expositione SSmi, an vero abstinendum?

Et S. C. mandavit: « Omnino cessandum a mane feriae V. usque ad mane Sabbati Sancti. » Die 12. Mart. 1661.

2099. FORESEMPRONIEN.

Confraternitates Terrae Fractarum Foresempromien. Dioecesis S. C. supplicarunt, dignaretur Episcopo iniungere, ut immemorabilem consuetudinem hactenus servatam, conveniendi in Ecclesia S. Angeli Societatis SSmi Sacramenti occasione Processionum, atque funerum, quibus eadem interfuturae erunt, non obstante novissimo Synodali Decreto, sinat etiam in posterum retineri.

Et S. C. « Attenta dispositione Rubricarum Ritualis Romani, qua cavetur, ut constituto tempore, quo corpus ad Ecclesiam deferendum est, convocetur Clerus, et alii, qui funeri interesse debent, ut in Parochialem, vel in aliam Ecclesiam, iuxta loci consuetudinem, ordine conveniant, censuit, Decretum Synodale non potuisse extendi ad loca, in quibus contraria viget consuetudo: idque ad Episcopum rescribendum esse, vel eius Agenti oretenus aperiri. » Die 9. Aprilis 1661.

2100. REATINA

Universitas Antrodoci Reatinae Dioecesis se gravatam esse exposuit Decreto Emi Ordinarii super thurificatione habenda in Divinis; cum idem Episcopus praeceperit, Priores thurificandos non per Sacristam, sed per ultimum Canonicum, ipsi vero ab immemorabili, per aliquod temporis spatium interrupta, a Canonico Diacono sacris induto fuerint thurificati: supplicavit propterea, ut S. C. soliti observationem iniungere dignaretur.

S. autem C. oretenus mandavit: « per Secretarium nunciari Emi Ordinario satis esse, ut per Sacristam thurificentur. » Die 9. Apr. 1661.

2101. SENOGALLIEN.

Episcopus Senogallien S. R. C. exposuit, Dere-

tum ab eadem C. editum 12. Iun. 1660. nempe; Vicarium Generalem non esse praeferendum Canonice sacris indutis, adversari consuetudini ab immemorabili tempore servatae in civitate Senogalliensis, nec non Decretis Sacrae C., et praecipue in « Casalen. 5. Iul. 1614., et Castellaneten. 25. Septembris 1621. Verum quia iisdem Decretis, ut apparet in Regestis, id potissimum sancitum est, scilicet: « Vicario Generali semper competere praecedentiam supra Dignitates, et Canonicos, nisi tamen sint sacris vestibus induti » S. C. mandavit « standum esse in Decretis, eidemque Episcopo transmitti exemplar authenticum praedicti Decreti Casalensis. » Die 9. Aprilis 1661.

2102. SQUILLACEN.

Parochi S. Satriani Squillacen. Dioecesis rursus S. R. C. exposuerunt, quod Archipresbyter Matricis Ecclesiae, occasione cuiusdam Processionis, quae die Pentecostes cum delatione Reliquiarum S. Theodori ad Matricem ipsam ducitur, excipere consuevit ipsos Oratores ad obedientiam sedendo super Cathedra Episcopali in cornu Evangelii, eos singulim ad accessum per balium vocari faciendo, et renuentes accedere multando: et licet Episcopus praedefunctus de his certioratus eidem Archipresbytero praecepisset, ne huiusmodi obsequia amplius exigere auderet, adhuc tamen in sua pertinacia, et usurpatione persistit.

Et S. eadem C. Ordinario rescribi mandavit, « ut huiusmodi non permittat, eaque auctoritate eiusdem S. C. prohibeat. » Die 9. Apr. 1661.

De praecedentia inter parochos, et Collegiatas.

2103. DECRETUM GENERALE.

Propositis tribus Dubiis in C. S. R.: an scilicet Decreta pluries edita, quibus firmatum fuit, ut in associatione funerum salva legitima loci consuetudine, debeatur praecedentia Capitulo Collegiatae Ecclesiae supra Parochum etiam proprium defuncti; sine tamen praeiudicio in reliquis iuribus, et praerogativis eidem Parocho de iure, vel de consuetudine competentium, extendantur ad Collegiatam nuper erectam territorio, et cura animarum penitus destitutam contra Parochum Matricis, et unice loci Parochialis Ecclesiae, etiamsi in literis erectionis Collegiatae appositae fuerit praeservativa: « sine tamen praeiudicio iurium Parochialis Ecclesiae etc? »

An attento, quod S. C. saepius declaraverit, idemque Rituali Romano cautum sit, quod in funeralibus unica Crux adhibeatur illius Ecclesiae, ad quam cadaver defertur, secus vero si Capi-

tulum Cathedralis, vel Collegiatae interfuerit: tunc enim Crux Capitularis privative adhibenda est, quoad Parochum loci unice Parochialis etiam intelligatur?

Et an in Cappella Palatii Episcopalis, absente Episcopo, Missa celebrari possit, et praesertim a Vicario generali?

Et S. C., praehabita matura discussione, decrevit: « Decreta edita favore Cathedralium, et Collegiatarum extendi ad casus propositos tum quoad praecedentiam, tum quoad Crucem. Atque in Cappella Palatii Episcopalis, etiam absente, vel vacante Sede, posse Missam celebrari, potissimum vero per Vicarium, nec non diebus festis inibi Sacrum audientes implere praeceptum Ecclesiae: sicque in casibus particularibus in posterum responderi, » mandavit. Die 2. Iulii 1661.

2104. ALEXANEN.

Archipresbyter Castrignani S. R. C. exposuit, Episcopum Decreto Synodali praecepisse, ut in Ecclesiis Parochialibus primae, et secundae Vesperae in solemnioribus festivitatibus cum assistentia duorum ministrorum cum tunicella, et dalmatica cantentur; et extra administrationem Sacramentorum, ne Parochi, et Rectores in funeralibus suis, in processionibus stolam adhibeant.

Et S. C. « ad Ordinarium scribi, mandavit, quod Caeremoniale, et Rituale servari curet. » Die 2. Iul. 1661.

2105. AMALPHITANA.

Expositum est S. R. C.: Vicarium Amalphitanum praesumere titulum Rñi ab Episcopis Suffraganeis; alioquin solita, ac debita Urbanitatis officia ipsis denegare.

Et S. eadem C. rescribi mandavit: « huiusmodi titulum Vicario nullo modo competere, neque per Episcopos tribui posse; ipsum tamen teneri debita, ac consueta urbanitatis officia, numquam satis pontificalis ordinis dignitati per eum praestanda, Episcopis praedictis omnino exhibere. » Die 2. Iul. 1661.

2106. ASCULANA.

Novissime in S. R. C. edito Decreto favore Archidiaconi Cathedralis Asculanae super controversia an Canonici eiusdem Cathedralis occupare possint stallum Vicarii in digniore parte chori, dum ipse Vicarius, uti Archidiaconus in suo stallo sinistrae partis sedet? Cum Canonicorum Procurator novam audientiam postulaverit: Emi PP. censuerunt, « interim acquiescenti consono, ut Vicarius, etiam vicariali ha-

bitu indutus, sedens in sede Vicarii distributiones omnes lucretur, ac si in loco, et habitu Archidiaconi divinis pariter interesset.» Die 2. Iul. 1661.

2107.

BITUNTINA

Proposito Dubio in S. R. C.: an in Cappella Palatii Episcopalis, absente Episcopo, Missa celebrari possit, et praesertim a Vicario Generali?

S. eadem C., praehabita matura discussione, decrevit: « in Cappella Palatii Episcopalis, eo etiam absente, vel vacante Sede, posse Missam celebrari, potissimum vero per Vicarium; nec non diebus festis inibi Sacrum audientes implere praeceptum Ecclesiae.» Die 3. Iul. 1661.

2108.

CIVITATIS CASTELLI

Conquestus est Promotor Fiscalis Curiae Episcopalis Civitatis Castelli, Magistratum eiusdem Civitatis consueta obsequia Episcopo praestare renuere, eum scilicet, solemnibus in Cathedrali praeractis, ad ianuam Ecclesiae associandi.

S. autem C. rescribi mandavit: « Magistratum praedictum compelli posse ad solita obsequia, diebus consuetis, omnino praestanda.» Die 2. Iulii 1661.

2109.

EUGUBINA.

Ad instantiam Prioris S. Nicolai loci Cantiani Eugubinae Dioecesis S. R. C. declaravit: « Decretum editum a Vicario generali Eugubino conforme Decretis S. R. C. servandum esse; nempe, ut in funeribus quaecumque intervenerit Capitulum Collegiatae Ecclesiae S. Ioannis Baptistae, omnes funus associantes incedere debeant sub unica Cruce Capituli praedicti, quod praecedere debeat dicto Priori, et quibuscumque aliis eidem funeri interessentibus. Si autem Canonici praedicti non capitulariter, sed uti singuli invitati ad funus accedere velint, tunc Prior praedictus omnes praecedere debeat, et Crucem suae Ecclesiae deferre faciat. At si funus ad Ecclesiam praedictam S. Io. Baptistae ducatur, et Prior praefatus ad illud fuerit invitatus, et Canonici non capitulariter, sed uti singuli interfuerint, praeterquam Archipresbyter eiusdem Ecclesiae, Prior caeteris omnibus praefertur. In aliis vero Processionibus possit idem Prior suam Crucem, prout hactenus consuevit, gestari facere, sub qua omnes, et singuli Sacerdotes, et Clerici suae Parochiae, et suae Ecclesiae inservientes incedere valeant, quatenus tamen aliquando non fuerit admissa observatio Caeremonialis ut sub unica Cruce, etiam in Processionibus omnes incedant.» Et ita servari mandavit. Diei 2. Iul. 1661.

2110.

FANEN.

Promotor Fiscalis Curiae Episcopalis Fani S. R. C. supplicavit, declarare dignaretur an usus pileoli debeat retineri a Canonicis tam quando pluviali induti in fine supplicationum preces, et orationes ante SS. Sacramentum canunt, quam dum Episcopo in solemnibus pro Diacono, et Subdiacono assistunt?

Et S. C. responderi mandavit: Lectum Die 2. Iulii 1661.

2111.

LAURETANA.

Dignitates, et Canonici S. Domus Lauretanae S. R. C. exposuerunt, modernum Vicarium praesumere sibi sedem debere in Choro supra Canonicum celebrantem, vel officium peragentem, aut quod celebrans semper ad Chori sinistram, non autem alternatim a parte Chori sedeat, ut exinde ipse Vicarius semper digniorem locum obtineat.

Et S. C., « quamvis non haesitet, Vicarium cedere debere Canonico officio peragenti, et Canonicum praedictum semper sedere oportere in primo stallo a parte Chori alternatim per hebdomadam: tamen ab Ordinario informationes desumi mandavit super consuetudine, et sede, qua hactenus Vicarius usus fuerit, nempe: an sede separata, seu inter stalla choralia?» Die 2. Iulii 1661.

2112.

LUCANA.

Institit Blasius Orsucci Prior Saecularis, et Collegiatae Ecclesiae S. Mariae Capri Camaioris Dioecesis Lucensis, a S. R. C. declarari, per Decretum novissime evulgatum super usu Pontificalium sibi non prohiberi usum Mitrae auriphrysiatae, et Baculi sine velo albo appenso, prout hactenus ab erectione suae Dignitatis, in vlm Indulti S. M. Pauli III., sui praedecessores consueverunt.

Et S. eadem C. respondit: « Oratorem posse uti Mitra ad praescriptum tantum cap. ut Apost. de Privileg. in 5., et Caeremonial. Episcoporum cap. 17. lib. 1., quo vero ad Baculum ipsum non comprehendi in Decreto praedicto » Die 2. Iul. 1661.

2113.

MONTIS REGALIS.

Iterum proposita in C. S. R. controversia, quae versabatur inter Capitulum Collegiatae S. Iacobi, et Archipresbyterum Terrae Benarum; S. eadem C., pluries auditis partibus declaravit: « Decretum editum die 4. August. 1657. executioni debitae demandandum esse, nempe quod Capitulum Collegiatae praefertur praefato Archipresbytero, quamvis Archipresbyteralis Ecclesia sit unica Parochialis; et Collegiata Ecclesia anima-

rum (cura) penitus careat. Idemque quoad unicum Crucem Collegiatae Ecclesiae in funebris deferendam, si Capitulum intervenerit, servandum fore. Usus vero almutiae praedicto Archipresbytero prohibendum, ex quo adhuc non docuerit de Indulto Apostolico. » Die 2. Iulii 1661.

2114. PATAVINA.

Consulta S. R. C., an Canonicis Cathedralis Patavinae liceat Episcopi sensibus quidquam indulgere contra Caeremonialis dispositionem, et in S. R. C. Decretorum inobservationem, signanter cum ipse Episcopus in Monialium, ac Sacrorum Oleorum consecratione, podagrae morbo affectus, et ad operandum prorsus inabilis, per Vicarium, seu Dignitates Missam celebrari velit, mox ipse sedens, et legendo formam Consecrationis solemnibus praedictis vacare intendat?

Et S. C. mandavit: « Episcopus literis admoneri, ut omnino abstineat, quatenus non possit, servata forma ad praescriptum Rubricarum, huiusmodi, vel similia implere ». Die 2. Iulii 1661.

2115. PERUSINA.

Cum in Cathedrali, et Parochialibus Civitatis Perusinae, ex antiqua eiusdem Ecclesiae Ritualis dispositione, in funebris laicorum, quando Missa non celebratur, Sacerdos ad caput defuncti sistere consuevit; secus autem disponi videatur in Rituali Romano: supplicatum fuit a S. R. C. declarari: quid in hac re servandum foret?

Et S. eadem C., « Rituale Romanum omnino servari, » mandavit. Die 2. Iul. 1661.

2116. PISAUREN.

Quaesitum fuit nomine Episcopi Pisaurensis quid agendum casu, quo Sacerdos habens curam animarum, et impeditus in uno brachio, non possit cum utraque manu elevare SSmum in Missa, nisi usque ad os, attamen una tantum manu possit idem elevare supra caput, ita ut videri, et adorari valeat ab adstantibus?

Et S. C. mandavit, « moneri Episcopum, ut curet, ne Sacerdos praedictus absque dispensatione Apostolica celebret, interim vero per alium Sacerdotem suppleri ne Parochialis Ecclesia sibi debito destituatur obsequio. » Die 2. Iul. 1661.

2117. RHEGINEN.

Nomine Promotoris Fiscalis Episcopalis Curiae Rheginen. institutum fuit a S. R. C. declarari: an Vicario Generali, relicta sede separata cum tapete, et pulvinari, qua uti consuevit, feria V. in coena Domini, et feria VI. in Parasceve sedere liceat in primo stallo Chori supra pri-

mam Dignitatem, cum ipsemet Archiepiscopus non in solio, sed apud stalla canonicalia Matutinis assistat?

2. An Vicario generali competat praecedentiam supra Canonicos sacris indutos?

Et S. eadem C. ad 1. responderi mandavit: « Affirmative, et Vicarium laudandum esse.

Ad 2. Negative Die 2. Iul. 1661.

2118. SORANA.

Instante Episcopo Sorano; An Congregatio Saecularium in eadem Civitate Feria V. in Coena Domini in proprio Oratorio pedum ablutionis caeremoniam, quae ab Episcopo in Cathedrali persolvitur, peragere possit?

S. R. C. censuit: « Posse in Oratorio praedicto huiusmodi peragi, dummodo diversa hora, et post Episcopum. » Die 2. Iul. 1661.

2119. SORANA.

Orta controversia inter Canonicos Cathedralis Ecclesiae Soranae, et Canonicos Collegiatae Ecclesiae S. Restitutae eiusdem Civitatis.

1. An in functionibus publicis, quae fiunt in Cathedrali, in quibus interveniunt Canonici Collegiatae S. Restitutae, et Rectores aliarum Ecclesiarum inferiorum, Canonici praedicti sedere debeant post Beneficiatos Cathedralis?

2. An in Processionibus, in quibus interveniunt Clerus tam Cathedralis, quam aliarum Ecclesiarum inferiorum sub unica Cruce eiusdem Cathedralis, Canonici Collegiatae S. Restitutae, et aliarum Ecclesiarum inferiorum incedere debeant ante universum Clerum Cathedralis, qui constituitur ex Canonicis, Beneficiatis, Clericis adscriptis, et Seminariis?

3. In funeralibus defunctorum Parochiae Cathedralis, qui deferuntur ad sepeliendum in Ecclesiis Regularium existentibus intra fines Parochiae Collegiatae S. Restitutae, an onus functionis in via, tum ante ianuam Ecclesiae spectet ad Parochum Cathedralis?

4. In funeralibus defunctorum, qui veniunt extra Civitatem ad sepeliendum in Ecclesia Societatis Iesu sita intra fines Parochiae S. Restitutae, an onus functionis spectet ad Parochum Cathedralis?

S. R. C. responderi mandavit. Ad 1. « Canonici Collegiatae praefereandos esse Beneficiatis Ecclesiae Cathedralis in casu, de quo agitur.

Ad 2. « In casu proposito servari Caeremoniale Episcoporum » lib. 2. cap. 33.

Ad 3. « Spectare ad Parochum Cathedralis.

Ad 4. « Spectare ad Parochum Cathedralis in casu, de quo agitur. » Et ita S. eadem C. ser-

vari mandavit, non obstantibus inhibitionibus A. C. Die 2. Iul. 1661.

2120. THELESINA.

Cum alias apud S. R. C. Conquesti fuerint Canonici Collegiatae Ecclesiae Terrae Cerreti, modernum Episcopum praecepisse 1., ut Canonici Cathedralis in processionibus tum ordinariis, tum extraordinariis, ac in Missis, et Vesperis Pontificalibus Pluvialia deferant.

2. Ut Canonici Collegiatae praedictae in Processione SSⁿⁱ Corporis Christi, « iuxta dispositionem Caeremonialis » *lib. 2. cap. 33.*, sub Cruce Cathedralis incedant, vel si propriam Crucem velint deferre, ut post ipsos Canonicos sub Cruce Cathedralis Clerici Seminarii, caeterique Ecclesiae Cathedrali adscripti incedant.

S. R. C., habito responso Episcopi praedicti, ac partibus auditis, mandavit ad 1. « Servari Caeremoniale. »

Ad 2. « Servari Decretum Ordinarii conforme dispositioni Caeremonialis. » Die 2. Iulii 1661.

2121. TOLETANA.

Preces Abbatis Monasterii de Monserrato pro facultate celebrandi « secundum Missam de Passione Domini cum Gloria, et Credo » in Altare SSⁿⁱ Crucifixi singulis Dominicis, praeter Resurrectionis D. N., et Pentecostes; S. R. C. « reiciendas esse, » praecipit. Die 2. Iulii 1661.

2122. ASCULANA.

Iterum proposito Dubio: an Canonici Cathedralis Asculanae occupare possint stallum Vicarii in digniore parte Chori, dum ipse Vicarius uti Archidiaconus in suo stallo sinistralis partis sedet?

Et S. R. C., partibus auditis, censuit: « Standum esse in Decretis, nempe Canonicis praedictis non licere occupare stallum Vicarii in casu, de quo agitur. Praeterea Vicario praefato distributiones omnes deberi de tempore, quo abstinit ex hac causa, ac si Choro praesens fuisset. » Die 23. Iulii 1661.

2123. BENEVENTANA.

Propositis in C. S. R. tribus Dubiis circa ea, quae in Cathedrali Ecclesia Divinis inter futuro Vice gubernatori praestari debent, nempe non attento, quod Vice gubernator sedere consueverit in digniori stallo Chori a dexteris Vicarii, ipsius stallum, et genuflexorium ornanda sint decentioribus strato, et pulvinariibus iis, quae adhibentur a Vicario?

2. An attenta consuetudine, quod Vice-gubernator, praesente Archiepiscopo, thurificetur duplici ductu, possit in posterum tribus ductibus thurificari; quamvis Episcopi Suffraganei, qui

bus Vice-Gubernator dexteram exhibet, duplici tantum ductu thurificentur?

3. An teneatur Vice-Gubernator morem servare associandi Archiepiscopum usque ad aulam, vel satis sit, ut usque ad Episcopi gradus accedat?

Et S. C. respondit: « Omnino servari debere solitum in omnibus, et nihil penitus ab Ecclesiae praxi immutari. » Die 23. Iulii 1661.

2124. BITUNTINA.

Relata per Em̄um, et Rm̄um D. Cardinalem Azzolinum controversiarum causa, diu inter Dignitates, et Canonicos Cathedralis Bituntinae agitata; S. R. C., visis, et mature perpensis iuribus hinc deductis, censuit, « in Missis solemnibus Canonicos; et non inferioris ordinis praebendatos teneri, inservire in officio Diaconi, et Subdiaconi Dignitatibus, et Canonicis. Secus autem in Vesperis, caeterisque horis Canonicis, iuxta dispositionem Caeremonialis *lib. 2. cap. 3.* Quo vero ad locum Hebdomadarii officium peragentis, in casu proposito, servandum esse consuetudinem » Die 23. Iulii 1661.

2125. MASSAE LUBREN.

Cum alias S. R. C. 5. Martii 1644. declaraverit, Subcollectores, Commissarios, et alios Camerae Apostolicae Ministros privilegiis se tueri non posse, quominus, ubi de cultu divino agitur, per Episcopos Dioecesanos ad implendum eorum munus compellantur, et S. M. Urbanus VIII., hanc sententiam approbaverit, ac insuper *Liter. Apost. in forma Brevis, seu Motus proprii sub die 2. Iul. 1636.* ab eodem S. M. Urbano VIII. editas super cognitione causarum Subcollectorum etc., incipien. *Alias recol.* sic, ut praemititur intelligendas esse declaraverit.

S. eadem C., ad instantiam Episcopi Massae Lubrensis, decrevit: « Subcollectores huius modi, praesertim Beneficia Ecclesiastica possidentes, teneri accedere ad publicas, et solennes Processiones, nec non Episcopo solita, et consueta obsequia praestare in die ad id praefixa, et ad huiusmodi implenda per eundem Ordinarium cogi posse. » Die 23. Iulii 1661.

2126. UGENTINA.

Capitulum, et Canonici Cathedralis Ugentinae iterum S. R. C. exposuerunt, defunctum Episcopum Lanfrancum in Collegiata Ecclesia Terrae vulgo *Specchie*, in qua residebat, sedem Episcopalem erexisse: supplicantes propterea iniungi Canonicis eiusdem Collegiatae, ne eandem fixam retineant, imo omnino removeant, ne duae Cathedrae in una tantum Dioecesi reperiantur erectae.

Et Sacra eadem C., quae sub *die 9. Aprilis currentis anni* Episcopum expectandum esse censuit, ex quo tamen a Congregatione Episcoporum, et Regularium Vicarius Apostolicus ibi fuerit deputatus, eidem « Vicario iniungi *mandavit*, ut praedictam sedem amoveri, et in loco abdito servari praecipiat. » Die 23. Iulii 1661.

2127. ANDRIEN.

Ad dirimendas controversias excitatas inter Episcopum Andrien., et Capitulum Cathedralis; S. R. C., referente Eño D. Cardinali Azzolino, utraque parte informante, declaravit; « Servandam esse consuetudinem, ut Missarum solemnia peragentibus Dignitatibus, tum praesente, tum absente Episcopo, per Clericum cotta indutum elevetur Missale; ita tamen, ut pars illius inferior haereat Altari. Dignitati pariter Vesperarum, seu Laudum Officia persolventi, iuxta Caeremonialis dispositionem, per Clericum cotta indutum Breviarium administrari, et manibus elevari licere, quamvis frequentius Legile adhiberi soleat. Pannum laneum viridis coloris sericeis ornatibus eiusdem coloris circumductum, ad seamnum Dignitatis solemniter celebrantis cum tapete subpedaneo, adhiberi pariter licere. Abacum superimponendis candelabris, calice, pelvi, ampullis etiam argenteis, navicula incensi, thuribulo, aliisque ad sacrificium opportunis aptum, et consueto more ornatum, ad cornu Epistolae adhiberi posse. Patenae subpositionem per Sacerdotem cotta indutum in Comunione generali, quae per Dignitates agitur, retinendam. Quoad resumptionem, seu intonationem Antiphonarum servandum esse Caeremoniale. Stolum, et Pluviale in Choro assumere neque Dignitatibus licuisse: itaque omnino in Sacristia eadem induenda esse, et benedictionem ad nonam lectionem, etiam primae Dignitati officium facienti, a successive digniore, etiam Canonico, absentibus aliis Dignitatibus, dandam, non obstante quavis etiam immemorabili, contraria consuetudine. » Et ita inconcusse servandum esse S. eadem C. mandavit, non obstantibus quibuscumque in contrarium facientibus. Die 3. Septembris 1661.

2128. FARFEN.

Aliqui Sacerdotes Doctoratus laurea insigniti S. C. supplicarunt, declarare dignaretur: an Sacerdotibus doctoribus debeat praecedentia supra Presbyteros etiam anteriores ordine, non doctores? Et S. C. censuit, « Eño Abbati significandum, et *mandavit*, servari Decreta S. C., quibus alias firmatum fuit, nullam vim fieri posse in Doctoratu inter Presbyteros, cum Sacerdotis re-

galis dignitas absorbeat quoscumque gradus. Die 3. Septembris 1661.

2129. FERENTINA.

Episcopus Ferentinus S. C. supplicavit, declarare dignaretur: an ipse compellere possit Parochos ad praestandam sibi consuetam assistentiam in Missis, et Vesperis Pontificalibus?

Et S. C. « Affirmative » respondit: « praecavendum tamen, ne quid detrimenti animarum servitio contingat, quo tempore Parochus Episcopo in Divinis famulatur. » Die 3. Sept. 1661.

2130. FOROSEMPRONIEN.

Clerus Civitatis Forosempromien S. C. supplicavit, dignaretur declarare: an Magistris Caeremoniarum Cathedralis competat usus vestis violacei coloris?

Et S. C. « Affirmative » respondit, « nempe iuxta dispositionem Caeremonialis Episcoporum *cap. 4. lib. 1.*, non tamen sericae materiae, neque cum globulis, aliisque ornamentis rubei coloris. » Die 3. Sept. 1661.

2131. MONTIS REGALIS.

Instantibus Capitulo, et Canonicis Collegiatae loci vulgo nuncupati *Bene*, Dioecesis Montis Regalis Taurinen. Provinciae, S. R. C. declaravit: « Non licere Parocho Matricis eiusdem loci Protonotario Apostolico in administratione Sacramentorum, sed neque in funeribus adhibere habitum praelatitium, et quatenus interesse velit uti Protonotarius, eidem non proinde competere praecedentiam supra Canonicos, vel locum inter Canonicos, iuxta dispositionem Caeremonialis *lib. 1. cap. 13.*, quae etiam ad praesentem casum extenditur, » eamque servari mandavit. Die 3. Septembris 1661.

2132. VITERBIEN.

Capitulum, et Canonici Cathedralis Viterbien. exposuerunt, quod quatuor novissime provisi de Canonicatu, quamvis interdum etiam in Sacro Presbyteratus Ordine constituti, ministerium tamen Diaconi, et Subdiaconi subire coguntur, donec contingat (supplendum videtur *novissime alios*) ad canonicatus possessionem admitti. Hanc tamen obligationem non inesse Canonicis Poenitentiaro, et Curato, qui in ipsa administratione (*forte admissione*) ad canonicatus inter Presbyteros locum, et ordinis eiusdem exercitium obtinent, ac proinde, quamvis posteriores in possessione, praeferrunt quatuor praedictis Canonicis Diaconatus, et Subdiaconatus Ordinum exercitio respective addictis. Propterea declarari supplicarunt: an casu, quo quis ex numero Diaconorum, et Subdiaconorum anterior Poenitentiaro, vel Curato

in possessione Canonatus optet locum Presbyteratus, Poenitentiario, et Curato praeferendus videatur?

Et S. C. « Affirmative » respondit: « dummodo Diaconus, vel Subdiaconus praedicti alias optandi Praesbyteratum opportunitate sibi tradita, ne Sacerdotium suscipere cogentur, ad Presbyteros transire non neglexerint. » Die 3. Septembr. 1661.

2133.

URBIS.

Quaesitum fuit: an, qui in implementum oneris tenetur celebrare Missam de B. M. V. vigilia Assumptionis eiusdem Bñae Virginis, teneatur celebrare Missam votivam, vel de Vigilia?

Et S. C. respondit: « ex quo Missa de Vigilia praedicta sit de ipsa Bña Virgine, laudabilis videtur, ut celebret Missam de Vigilia, in qua et universalis Ecclesiae ritui, et particularis oneris implemento consulatur. » Die 3. Septem. 1661.

2134.

ARETINA.

Exposuit Procurator Gen. Ord. S. Augustini, consuevisse Fratres sui Ordinis in Ecclesiis saecularibus Castri Leonis Florentini Aretinae Diocesis aliquibus ecclesiasticis functionibus interfuturos, sedere in Choro post Canonicos, et supra reliquos Praebendatos, et Presbyteros saeculares, nec non ad cantum Officii defunctorum circa cadavera Intonare secundam Antiphonam: propterea supplicavit, dignaretur S. C. soliti observationem iniungere.

Et S. C. declaravit: « Regularibus ex quavis consuetudine non competere locum supra Clerum saecularem, ac proinde neque cantum secundae Antiphonae in Officio defunctorum ante Presbyteros pariter saeculares. Die 1. Octobris 1661.

2135.

CASTELLANETEN.

Exposuit Episcopus Castellaneten., in sua Cathedrali Canonicos, et reliquos praebendatos eiusdem, etiam in Quadragesima concionibus interesse consuevisse sine habitu choralis, et mixtum cum laicis stantes, vel sedentes in scamnis communibus; propterea supplicavit, provideri, ut, qua decencia fas est, in posterum concionibus iidem, quatenus adesse velint, induti choralis habitus ordinatim in proprio scamno coideant.

Et S. C. mandavit, « ut in futurum Canonici, et Praebendati reliqui Cathedralis Ecclesiae, vel Collegiatae, si inibi conciones habeantur, interfuturi assistant, ordine sedentes, in proprio ac decenti scamno cum habitu choralis sub poenis Episcopo benevisis. » Die 1. Octobris 1661.

2136.

NEAPOLITANA.

Nuntius Neapolitanus rursus confugit ad Cong. S. R. nomine Subcollectorum Regni pro modera-

tione Decreti alias emanati favore Ordinariorum, ut valeant in his, quae respiciunt cultum Divinum, compellere subcollectores ipsos, ac poenis coercere eorum audaciam, instititque saltem moderari Decretum circa poenarum executionem in personas eorundem Subcollectorum, idemque Decretum ad quos casus extendatur, exprimere. ne Ordinarii locorum eo, ut in dies auditur, abutantur.

S. autem C. « petitis abnuat, et in Decretis manendum esse, censuit etiam quoad poenarum inflictionem, earumque executionem etiam personalem favore Ordinariorum. » Die 1. Octobris 1661.

2137.

VITERBIEN.

Edito Decreto a S. R. C. die 3. Sept. proxime elapsi Canonicos coactos remanere in Ordine Diaconatus, vel Subdiaconatus cum ad Ordinem Presbyteralem transeunt, locum suae possessionis non amittere, nisi tamen opportunitatem sibi traditam Presbyteratum optandi, neglexerint, ne Sacerdotium susciperent: dubitatum fuit, an huiusmodi Decretum locum habeat cum Diaconi, facta prius legitima protestatione citra praeiudicium, iam optarint Presbyteratum, non autem locum suae Possessionis?

S. eadem C. respondit « Affirmative » Die 1. Octobris 1661.

2138.

CONGREGATIONIS

REFORMATAE S. BERNARDI

ORDINIS CISTERCIENSIS.

Priores S. Pudentianae, et S. Bernardi de Urbe S. R. C. exposuerunt, se cogi sub praecepto S. obedientiae a P. Bona eorum Abbate generali ad recitationem Breviarii monastici ante lapsum termini unius anni a S. C. eis indulti. Propterea declarari supplicarunt: an dictus Generalis possit eos compellere, ac proinde obedire teneantur?

S. C. respondit, « potuisse, et posse Generalem compellere praeceptis, et poenis pro arbitrio suo tam ipsos, quam alios suae Congregationis Superiores, et Monachos etiam ante lapsum termini praedicti ad Breviarium, et Missale Monasticum adhibendum in Officii Divini, et Missae celebratione, ac omnes teneri eius praecepto parere. » Praeterea cum renuntiatum fuisset ab aliquibus Monachis dubitari: an cum usu Missalis monastici a S. M. Paulo V. approbati possint in Missae celebratione antiquos ritus, et caeremonias Ordinis Cisterciensis retinere? S. C. declaravit: « Eisdem Monachos debere omnino praefato Missali deinceps uti, et Missam tam solemnem, quam

privatam celebrare cum ritibus, et caeremoniis in eosdem Missali praescriptis.»

Facta autem de praedictis *Sanctissimo D. N.* relatione, *Sanctitas Sua* annuit, et ita observari praecepit; non obstantibus eiusdem Congregationis S. Bernardi constitutionibus, et aliis contrariis quibuscumque. Die 3. Decembris 1661.

2139. EUGUBINA.

Clerus oppidi Canthiani Eugubinae Dioecesis declarari postulavit: quoniam sint Processiones publicae, ad quas compelli possunt habentes Beneficia etiam simplicia, modo sint Cappellani Ecclesiarum quantumvis exemptarum; et an extendatur ad Cappellanos exercentes curam Animarum?

Et S. R. C., *iuxta alias resoluta die 11. Jul. 1628.*, respondit: « Processiones publicas esse SS. Corporis Christi, Litaniarum Maiorum, Rogationum, ac quascumque alias consuetas, vel quae pro bono, causa, aut honore publico ab Episcopis inducuntur. In reliquis Sac. Congregatio Concilii consulendam esse. » Die 2. Decembris 1661.

2140. NULLIUS LOCI CIRIGNOLAE.

Carolus Pignattellus Princeps Cirignolae nullius Dioecesis, petiit sibi facultatem fieri erigendi in suo palatio Altare ligneum, ex quo pavimento cappellae pondere Altaris lapidei gravari nequeat.

Et S. C. respondit: « Petita facultate non indigere, dummodo Altare ligneum cum sacro lapide parieti colligatum amovibile non sit, et Altaris portatilis imaginem non praeseferat. Die 3. Dec. 1661.

2141. PINNEN.

Octavius Oliverius Coadiutor Praepositi Cathedralis Pinnen. declarari postulavit: quisnam locus ei competat in Choro, et in Processionibus, praesente Coadiuto? S. C., *iuxta novissima Decreta*, declaravit: « Oratori locum competere immediate post omnes dignitates, et supra Canonicos dummodo supersint stalla pro veris Canonicis. » Die 3. Dec. 1661.

2142. SARZANEN.

Capitulum, et Canonici Cathedralis Sarzanen., exorta difficultate in servanda quadam divisione Praebendarum, et distinctione ordinum novissime per Ordinarium decretis, a S. C. petierunt: an possit admitti talis optio praebendae, ac tituli, qua datur, ut Canonici Presbyter ad ordinem Diaconalem, et interdum Subdiaconalem deveniat, et proinde dietim evertatur ordo Hierarchy Ecclesiasticae?

Et S. C. « Quamvis non haesitet absurdum videri, ut a digniori ad inferiorem ordinem detur descensus, et gradus retrogradus; tamen ab Ordinario desuper plenius informari desiderat. » Die 3. Decembris 1661.

2143. GALLIARUM.

Ad scrupulum Fratris Ephrem Chateau proagentis Recollectorum Galliae, nempe se non tetigisse tactu phisico Calicem in sua Ordinatione ad Presbyteratum.

S. C. respondit: « Posse continuare celebrationem SS. Sacrificii absque ullo scrupulo, ac tuta prorsus conscientia. » Die 3. Dec. 1661.

2144. FROSEMPRONIEN.

Supplicatum fuit a S. R. C. declarari: an Canonici Cathedralis Frosempronien. comitari teneantur Episcopum ab Ecclesia discedentem usque ad aulam, a qua eum excipiunt, quamvis usque adhuc ad atrium usque eum associare consueverint?

Et S. C., « Caeremonialis dispositionem, et Decreta eiusdem S. C. servanda esse, respondit. Die 21. Ian. 1662.

2145. HYMNORUM.

Petit Fr. Bernardinus de Ronghe strictioris Ordinis S. Francisci, quod S. C. R. immutare dignaretur conclusionem Hymni: *Vexilla Regis prodeunt etc.*, et aliorum, qui recitantur a Dominica Passionis usque ad feriam V. in Coena Domini, dicendo: *Deo Patri sit gloria, et Filio, qui passus etc.*, et in Responsorio brevi ad Primam loco: *Qui sedes ad dexteram Patris: Qui passus es pro nobis.* Et S. C. respondit. « Lectum. » Die 21. Ian. 1662.

2146. LAUDEN.

Institit Archipresbyter Casalis Pistolonghi Lauden. Dioecesis declarari: an liceat Societati SS. Sacramenti feria V. in Coena Domini pannis lugubribus obtegere Cappellam, in qua SS. Sacramentum asservatur: et an hoc sit omnino prohibendum?

Et S. C. respondit: « Quod Orator adeat Eñum Ordinarium. Eñum autem Cardinali Vidono petenti, quid ipse acturus esset? sub libello supplicii rescripsi: Vetitum est adhibere quaecumque indumenta nigri coloris ad ornatum Sepulcri fer. V. et VI. maioris Hebdomadae cum intra, tum extra locum ipsius Sepulcri. Ideo Eñus D. Card. Ordinarium debet suo Vicario praecipere, ut debita praeventione suaderi mandet Custodibus Societatum, ut omnino huiusmodi abusum devitent, et quatenus non acquiescant, illis apparatus nigri coloris interdicti. » Die 21. Ianuarii 1662.

2147. ORDINIS REDEMPTIONIS
CAPTIVORUM.

S. R. C. declaravit, « Fratres Excalceatos S. M. de Mercede Ordinis Redemptionis Captivorum in occurrentia Festorum Ascensionis Dominicae, et Apparitionis S. Michaelis Archangeli Patroni eorum Ordinis, debere transferre Officium S. Michaelis, non obstante quacumque consuetudine, et contraria observatione. » Die 21. Ian. 1662.

Et facta de praedictis SSmo relatione, *Sanctitas Sua annuit*, « et quatenus Constitutiones Ordinis a S. M. Urbano VIII. approbatae secus innuere videantur, his non obstantibus, ita servari. » mandavit. Eadem die 21. Ian. eodemque an. 1662.

2148. SUTRINA.

Conquestus est Episcopus Sutrinus, Vice-Gubernatorem, et Antianus Terrae Capranicae Sutrinae Dioecesis debita, et consueta obsequia sibi praestare renuisse, eum scilicet excipiendi et associandi, quandoquidem cum cappa in eadem Collegiata ecclesiasticis functionibus assistit, sub praetextu, quoad eadem Terra sit sub gubernio Eñi Cardinalis totius status Ecclesiastici superintendentis. Et S. C. censuit: « ab Eñio Gubernatore iniungendum Vice-Gubernatoris et Antianis praedictis, ut consueta, et debita obsequia praestent Episcopo. » Die 21. Ian. 1662.

2149. TOLETANA.

Cum alias S. M. *Urbanus VIII.* indulserit Monialibus Regii Monasterii de Incarnatione Maritimi Toletanae Dioecesis, quod occurrente Festo SS. Annunciationis in hebdomada maiori, transferre possent Officium eiusdem Festi cum Octava post Pascha, prout Fratres Minimi servare consueverunt de Officio S. Francisci de Paula eorum Fundatoris: verum tunc expressum non fuerit, eosdem Fratres ad feriam secund. post Dominicam in Albis, quamvis impeditam Festo novem Lectionum, quatenus transferendam, transferre consuevisse, S. R. C. eadem Moniales supplicarunt, dignaretur declarare, quod ipsa pariter possint eandem praxim servare in translatione Officii cum Octava de SS. Annunciatione. Et S. C. « benigne indulisit. » Die 21. Ian. 1662.

2150. TORCELLEN.

Episcopus Torcellen. S. R. C. supplicavit, sibi facultatem attribui, ut Oleorum Consecrationem peragere possit in Cappella Palatii Episcopalis, cum magnum suae salutis afferat praedictum ob aeris intemperiem huiusmodi agere in Cathedrali. Et S. C. respondit: « Lectum. » Die 21. Ianuarii 1662.

2151. BARCHINONEN.

Episcopus Barchinonen., ad cuius preces S. C. declaravit, « posse cogi Canonicos ad associandum Episcopum post Vesperas ab Ecclesia discedentem, dummodo alii Canonici remaneant in Choro ad Completorium; » iterum supplicavit, dignaretur S. C. declarare determinatum numerum Canonicorum, qui eo casu ipsum Oratorem associare debeant. Et S. C. respondit: « Quatuor Canonicos ad minus teneri associare Episcopum, et ad haec obsequia praestanda Capitulum compelli posse. » Die 4. Martii 1662.

2152. COLYMBRIEN.

Quaesitum fuit a S. R. C. declarari: an Festivitates particulares Ecclesiae Cathedralis Colymbrien. sub ritu duplici ex eiusdem Dioecesis constitutionibus, vel consuetudinibus celebrari solitae cum Processione intus eandem Ecclesiam, comprehendantur in Rubrica Missalis, ubi dicitur: « et in festis principalibus Ordinum etc. et sic Symbolum in Missa debeat decantari? » Et S. C. respondit: « Negative, nempe quod Rubrica illa loquatur tantum de Festis SS. Ordinum Regularium, nec extendatur ad Presbyteros Saeculares. » Die 4. Martii 1662.

2153. LAUDEN.

Cum pluries per S. R. C. fuerit decretum, Confraternitati SS. Sacramenti Oppidi S. Angeli Lauden. Dioecesis dandam esse praecedentiam supra Confraternitatem S. Marthae eiusdem Oppidi in Processione SS. Corporis Christi, caeterisque actibus illius diei, dummodo tamen et ipsa Confraternitas SS. Sacramenti accedat ad alias Processiones, servata in reliquis dispositione *Constitutionis S. M. Gregorii XIII.*; et adhuc Decretum huiusmodi debito careat effectu: S. eadem C. ad tollendas dissensiones, « Eñio Ordinario facultatem attribuit, ut auctoritate etiam S. C., utramque Confraternitatem compellat ad parendum Decreto praefato, circumscriptis quibuscumque actibus concernentibus huiusmodi controversiam in quovis Tribunali haecenus interpositis. » Die 4. Martii 1662.

2154. MASSAE LUBRENSIS.

Nonnulli Presbyteri Dioecesis Massae Lubrensis Subcollectores Apostolici a S. R. C. declarari supplicarunt: an, attentis *Decretis a S. C. editis anno 1644. et 1661.*, quibus Ordinario facultas tribuitur cogendi praesertim habentes Ecclesiastica Beneficia ad interveniendum publicis Processionibus, teneantur repetere Civitatem, ut Processionibus intersint, si extra illam, ac interdum extra Dioecesim tunc temporis eos degere contigerit ser-

vitiis Rndae Camerae implicatos. Et Em̄i Patres eidem Congregationi praepositi responderunt: « omnino teneri. » Die 4. Martii 1662.

2155. MAZZARIEN.

Renunciatum est S. R. C., Juratos Terrae Carini Mazzarien. Dioecesis in Matrici Ecclesia Divinis Officiis interessentes ab Acolytho thurificari haecenus consuevisse, nuper autem abusum fuisse ibi inductum nempe, quod Subdiaconus cum eis confessionem faciat, et a secundo Subdiacono, qui tempore thurificationis dictis paramentis induitur, iisdem Juratis thus, et pax administretur. Et S. C., « de his Ordinarium admonendum esse censuit, qui novitates non permittat, et, quatenus huiusmodi sint inductae a multo tempore, curet suaviter illas, ut abusivas omnino abrogare. » Die 4. Martii 1662.

2156. NEAPOLITANA.

Joannes Petrus Previtalis Abbas saecularis nuncupatus Patientiae Caesareae Civitatis Neapolis, SS̄mo supplicavit, ut sibi facultatem largiri dignaretur, quod posset benedici, et ungi, cum ipse sit in sacro Presbyteratus Ordine constitutus, et ex Indulto S. M. ei competat usus Pontificalium, quamvis eadem Abbatia non sit Presbyteralis, sed, prout patet ex iisdem literis Apostolicis erectionis, sit saecularis sine cura pro uno Clerico saeculari: *et Sanctitas Sua* supplicem libellum remisit ad S. R. C., *quae nihil concedendum*, censuit, « siquidem huiusmodi benedictiones quoad Abbates saeculares in Italia penitus ab aula recesserunt » Die 4. Martii 1661.

2157. VITERBIEN.

Iterum S. R. C. sensum experiri voluit Canonicus Poenitentiarius Cathedralis Viterbien., se gravatum praesumens Decreto edito 1. Oct. 1661., quo declaratum fuit supra Canonicos Poenitentiarium, et Curatum, qui ab ipsa possessionis die inter Presbyteros locum obtinent, praecedentiam competere antiquiori Canonico, qui post exhibita in Subdiaconali, et Diaconali Ordinibus debita obsequia, cum primum ad Presbyteralem Ordinem sibi pateat accessus, progredi non cunctetur, decantatam vero quasi possessionem praecedendi rursus exposuit. At S. C., « nullatenus a Decretis recedendum, » censuit. Die 4. Martii 1662.

2158. BURGI S. DOMNINI.

Institit Marchionissa Angelica Pallavicini Monialis Ordinis S. Benedicti Monasterii S. Ioannis Baptistae Civitatis Burgi S. Domnini a S. R. C. declarari: an in festo S. Antonii de Padua, quod in praedicta Ecclesia S. Ioannis Baptistae, in qua sub eiusdem S. Antonii invocatione Altare erectum

reperitur, magna cum devotione, et concursu celebratur; Missa cum *Gloria*, et *Credo* decantari possit? Et eadem S. C., ad praescriptum Rubricarum, ratione concursus, « Affirmative, » respondit. Die 1. Aprilis 1662.

2159. DECRETUM.

Super celebratione Dedicacionis Ecclesiae Cathedralis.

S. R. C. declaravit, « Regulares in ipsa Civitate degentes in posterum teneri ad celebrandum festum Dedicacionis Ecclesiae Cathedralis cum Officio dup. 2. Classis, non tamen cum Octava, si ita SS̄mo visum fuerit. » Die 1. Aprilis 1662.

Et facta de praedictis SS̄mo relatione, Sanctitas Sua annuit. Die 8. eiusdem mensis, eodemque anno 1662.

2160. MACERATEN.

Instante Episcopo Maceraten. S. R. C. declaravit, « Gubernatori Maceraten. Praesidi Provinciae non habenti facultatem Legati de latere, non competere sedem sub baldachino, sed sine solio supra scamnum Magistratus: ac proinde Episcopum, eo praesente, nullibi Dioecesis debere a benedictionibus Populi abstinere. »

« Nullam praeterea deberi praecedentiam Gubernatori, ac Praesidi praedicto supra Episcopum, etiam extra Dioecesim degentem. »

« Episcopum non debere obviam ire Gubernatori praedicto advenienti ad Cathedralem, neque ab illa discedentem associare. »

« Gubernatorem, ac Praesidem praedictum teneri accedere ad Episcopum, ut ab eo accipiat candulam, et palmam benedictam, etiam cum osculo manus eiusdem Episcopi. »

« Canonicos teneri praestare Gubernatori Civitatis, ac Praesidi Provinciae consueta obsequia, et quatenus de consuetudine non liqueat, satis videri, ut per duos Canonicos excipiatur, et ad portam Ecclesiae associetur. »

« Magistratum teneri praestare Episcopo, et Cathedrali Ecclesiae consueta obsequia, tum praesente, tum absente Gubernatore, et quatenus renuat praestare, compelli posse. »

« Ad supplendum Magistratui absentis in latione manuum Episcopi, posse subrogari alios nobiles viros, quibus tamen locus in scamno Magistratus minime assignetur. » Et ita servari mandavit. Die 1. Aprilis 1662.

2161. MONOPOLITANA.

S. R. C., inhaerendo Decretis in similibus edictis, declaravit: « Coadiutori Dignitatis in Choro, caeterisque actibus capitularibus locum deberi post omnes Dignitates tum praesente, tum absente Coa-

diuto: in Capitulo vero, praesente Coadiuto, Coadiutorem voce carere.» Et ita in Ecclesia Monopolitana servari mandavit: Die 1. Aprilis 1662.

2162. NULLIUS PROV. TAURINEN.

Ad relationem Eñi, et Rñi D. Cardinalis Azolini S. R. C. declaravit: » Non licere Confessario, et Cappellanis Monialium S. Clarae loci Carignani nullius Dioecesis Provinciae Taurinen., erigere propriam Crucem in Processionibus, et funeribus, quamvis eadavera deferantur ad Ecclesiam earumdem Monialium.

« Eidem Confessario non competere usum Stolaе, sed neque Officium facere super cadaveribus, quamvis pariter illa deferantur ad Ecclesiam ipsarum Monialium, in eaque humanda fuerint. Sacramenta administrare ministris Monasterii, praesertim degentibus seunctim ab Ecclesia, privative spectare ad Praepositum. »

« Non licere, sine licentia Ordinarii, in Ecclesia Monialium, et in publicis Oratoriis, seu Ecclesiis Confraternitatum exponere Venerabile Sacramentum; vel Confessario, et Cappellanis Monialium, aut Cappellanis Confraternitatum Processiones peragere.

A pulsu Campanae, et Missarum solemnii eadem hora, vel ante Matricem Ecclesiam, Monialium, et Confraternitatum ministros abstinere debere competenti hora praedicta persolvere. » Et ita servari mandavit. Die 1. Aprilis 1662.

2163. PERUSINA.

Institutum Capitulum Cathedralis Ecclesiae Perusinae Episcopo demandari executionem Decreti alias a S. C. editi die 12. Junii 1660., quo cautum fuit, « Clerum eiusdem Civitatis in omnibus Processionibus etiam fer. V., et VI. maioris Hebdomadae adhibere debere Crucem cum pallio appenso. »

Et C. C. mandavit, « scribi Episcopo, ut poenis arbitrio etc. Decreti observationem praecipiat. » Die 1. Aprilis 1662.

2164. SUB-COLLECTORUM.

S. R. C. declaravit, « Sub-Collectores Spolio-rum extra Civitatem degentes servitio R. C. Ap. implicatos, non teneri redire ad Civitatem, ut intersint Processionibus publicis; sed in Civitate commorantes, ac perpetua quaecumque Beneficia, etiam Cappellanas nuncupatas obtinentes compelli posse ad huiusmodi accessum. » Et ita servari mandavit. Die 1. Aprilis 1662.

2165. THELESINA.

S. R. C., referente Eñi D. Cardinali Azzolino, ad eliminandas quascumque controversias, quae inter Capitulum Cathedralis Thelesinae, et Capi-

tulum Collegiatae Ecclesiae S. Martini Oppidi Cerreti hactenus excitatae fuerunt, vel in futurum oriri potuissent, utrisque partibus pluries auditis, et re mature discussa, attentaque deciaratione facta favore Capituli Cathedralis a S. C. Episcoporum, et Regularium, super nullitate unionis Ecclesiae SS. Trinitatis, alias S. Leonardi nuncupat., quam ad se spectare praesumebat Capitulum Collegiatae Ecclesiae S. Martini eiusdem Oppidi, declaravit: « Servandam esse concordiam initam inter partes coram Eñi olim Cardinali Caesarino de Anno 1632., et confirmatam a S. M. Urbano VIII. literis datis 25. Oct. 1633., quibuscumque non obstantibus contrariis Decretis, usu, vel consuetudine subinde sequutis, vel respective inductis.

Praeterea desuper iure peragendi Processiones, « servandum esse Decretum a S. C., emanatum die 28. Augusti 1615., confirmatum die 15. Junii 1619., nec requisita licentia Parochi, intra cuius limites ducenda erit Processio. Nullibi tamen tum Cathedrali, tum Collegiatae, et Parochiali Ecclesiae licere Processiones etiam ordinarias peragere, sine licentia Episcopi.

Circa implementum onerum Missarum, et lueum eleemosynarum servandam esse concordiam initam » die 20. Augusti 1632.

« Parochum S. Martini nedum posse, sed debere in Ecclesia S. Leonardi celebrare qualibet hebdomada duas Missas lectas, prout singulis annis canere tres Missas cum Vesperis, nempe in festis SS. Trinitatis, S. Marci et S. Leonardi, ad formam concordiae, atque Decreti editi die 22. Augusti 1631. Capitulum Cathedralis ad celebrationem Missarum huiusmodi teneri subministrare Parocho, et Canonicis Collegiatae sacram suppellectilem, si quae communis in sacristia habeatur ad confluentium usum, sed de propria suppellectili non teneri. »

« Pluvialis indumentum, et precum decantationem in Processione S. Marci, absente Episcopo, vel nolente huiusmodi officium peragere, spectare ad illum, qui mox in Cathedrali Ecclesia Missam solemnem celebraturus erit, quamvis Processio terminetur in Collegiata Ecclesia. »

« Circa usum sacrarum vestium in Processionibus, et functionibus Pontificalibus, servandum esse Caeremoniale, et Decretum editum » die 2. Iulii 1661. »

« Clericos Seminarii, quatenus Capitulum, et Clerus Collegiatae in Processionibus incedat sub propria Cruce, debere iuxta praelibatum Decretum procedere; secus, si Crucem Cathedralis Capitulum Collegiatae subsequatur. »

« Funera , et funeralia emolumenta defunctorum Episcoporum , Canoniceorum , aliorumque Praebendorum Cathedralis Ecclesiae , spectare ad Cathedralium private quoad Parochum Collegiatam uniceae Parochialis in Oppido Cerreti. »

« Neminem debere interesse cum Pluviali Processionibus Rogationum , praesente Episcopo Pluviali induto , et preces decantaturo. »

« Eo autem absente , vel nolente preces absolvere , huiusmodi spectare ad eum , qui eo mane solemniter celebraturus erit in Cathedrali , private quoad Parochum loci. »

« Subiicere , vel aggregare Cathedrali Ecclesiae novas Ecclesias extruendas in actu erectionis , inesse liberae voluntati , et arbitrio Episcopi. »

« Christifideles sumentes SS. Eucharistiae Sacramentum in Cathedrali Ecclesia S. Leonardi , adimplere praeceptum Paschale , Sacramenta administrare Episcopo aegrotanti , ac in extremis laboranti , spectare ad Capitulum Cathedralis private quoad Parochum unicum loci , et intra cuius limites Episcopus degit. »

Et ita S. eadem C. servari mandavit , « ac perpetuum silentium desuper imposuit , ut tandem utrumque Capitulum in vinculo charitatis Domino famuletur. » Die 1. Aprilis 1662.

2166. SYRACUSANA.

Instantibus Capitulo , et Clero Syracusano , S. R. C. , prout alias in *Giennen. die 9. Maii 1628.* , declaravit : « facultatem concessam in literis , et Bullis Canonizationis celebrandi festum de aliquo Sancto Canonizato , et Officium de eo recitandi , non posse ad exercitium deduci , nisi eo modo , et forma , qua specialiter per Sedem Apostolicam , et S. R. C. permittitur. Ideoque esse necessarium huiusmodi Decretum , et declarationem , nec posse Ordinarium , neque Capitulum , aut alios recitare Officium de Sanctis Canonizatis , qui non sint in Calendario descripti , vel non sint Patroni , aut adsint eorum Reliquiae insignes , iuxta Decretum contra abusum editum. Die 1. Aprilis 1662. »

2167. ALBINGANEN.

Expositum fuit in S. R. C. in Collegiata Ecclesia S. Ioannis Baptistae Plebis Thelesinae Albinganen. Dioecesis , abusum irrepsisse Missam cantandi in solemnitate SS. Corporis Christi post absolutam Processionem. Et S. C. « Ordinario iniungi , mandavit , huiusmodi consuetudinem , quatenus legitime non praescriptam , uti a Caeremonialis dispositione alienam , omnino abrogandam ; si quid vero in contrarium obveniat , informat. » Die 3. Iunii 1662.

2168. BOBIEN.

Exposuit Episcopus Bobiensis ; in Ecclesia S. Columbani Monachorum Cassinensium , in qua mos est terminandi Processionem Rogationum , a solo Curato exceptum fuisse , contra consuetudinem usque adhuc servatam cum suis antecessoribus , qui ab Abbate , et Monachis excipi consueverunt.

Et S. C. , « Procuratorem Ordinis monendum , censuit , ut Abbas et Monachi praedicti huiusmodi obsequia Episcopo praestare in futurum non omitant. » Die 3. Iunii 1662.

2169. BERGOMEN.

Ad instantiam Archipresbyteri loci Soriani Bergomen. Dioecesis S. R. C. , inhaerendo Decretis alias in similibus editis , declaravit , « Vicario Foraneo , ratione Vicariatus , nullam prorsus praerogativam competere , neque in congressibus , in quibus casuum conscientiae disputationes habentur. » Et ita servari mandavit. Die 3. Iunii 1662.

2170. DUBIUM.

Petitum fuit a S. R. C. declarari : an Episcopus possit statuere diem Dominicam ad celebrandum festum alicuius S. Martyris , de quo asservetur Reliquia insignis in Ecclesia , et an Tibia sit Reliquia insignis ?

Et S. C. respondit , quoad 1. « Negative , imo neque posse de eo celebrari Officium , et Missam in die ipsa martyrii , vel obitus , nisi Reliquia sit de Sancto descripto in Martyrologio Romano , et constet de identitate Reliquiae eiusdem Sancti. »

Ad 2. pariter , « Negative , iuxta Rubricas in Missali , et Breviario Romano impressas. » Die 3. Iunii 1662.

2171. FAVENTINA.

Haeredes Thomae Burghesii S. R. C. exposuerunt , se teneri in implementum mentis eiusdem Testatoris singulis diebus Missam de defunctis celebrari facere : cumque ad onus huiusmodi se teneri crediderint singulis tantum diebus , in quibus ad praescriptum Rubricarum Missa pro defunctis celebrari permittitur , per quinquaginta circiter annos diebus duplicibus Missas huiusmodi minime celebrari fecisse. Nuper vero Eñm D. Cardinalem Rossetum Episcopum declarasse , ipsos haeredes teneri ad implementum eiusdem oneris etiam in duplicibus non festivis de praeepto , iuxta declarationem a S. R. C. emanatam die 7. Septembris 1607. super conniventia celebrationis Missarum quocumque die non festivo de praeepto , pro implenda Testatorum voluntate , quamvis secus pro suo interesse declaraverit Congregatio R. Fabricae , nempe Missas huiusmodi tantum ce-

lebrari posse quibus diebus a *Rubricis Missalis Romani* eas celebrari permittitur.

S. igitur C., attento in primis novissimo Decreto per *SSmum D. N.* in visitatione Ecclesiarum Urbis edito, pariter declaravit: « Missas huiusmodi pro defunctis celebrandas esse diebus non duplicibus, vel alias a Rubricis non exceptis; et ita servari, *mandavit*, quibuscumque non obstantibus Decretis haecenus in contrarium emanatis. Quatenus vero dispositiones Testatorum videantur comprehendere dies quoscumque etiam duplices, vel etiam festivos, Missae quidem celebrentur pro defunctis diebus tamen permissis; reliquis autem duplici Officio impeditis Missae celebrentur de festo occurrenti cum applicatione Sacrificii in suffragium animae Testatoris. » Die 3. Iunii 1662.

Et facta de praedictis *SSmo* relatione, *Sanctitas Sua*, quatenus opus sit, derogando in hac tantum parte mentibus Testatorum, ita servari mandavit. » Die 5. eiusdem mensis, eodemque anno 1662.

2172. LABACEN.

Petit Episcopus Labacen. declarari: an Praepositus, vel aliae Dignitates sibi Divinis pontificaliter interessenti assistentes, possint inter solemniam huiusmodi deponere Pluviale, ad effectum celebrandi Missam?

Et S. C. respondit: « Non licere. » Die 3. Iunii 1662.

2173. LAUDEN.

Institit Magister Caeremoniarum Cathedralis Ecclesiae Laudensis declarari, quinam videantur dies assignandi Officiis Sanctorum Calendarii Laudensis, qui incidunt in festo Sanctorum Calend. Romani, nempe.

S. Policarpi Episcopi et Martyris, quod coincidit cum Officio S. Bassiani Episcopi, et Patroni Civitatis.

S. Romualdi Abbatis, quod concurrat cum Officio S. Riccardi Confessoris.

S. Titiani Episcopi Laudensis, quod incidit in festum SS. Iacobi, et Philippi Apostolorum.

S. Elisabeth Reginae Portugalliae, cuius Officium ad libitum recitatur, idemque cadit in festo S. Alberti Episcopi, et Patroni Civitatis.

S. Gualterii Confessoris, quod incidit in festum S. Mariae Magdalenae.

Translationis Corporis S. Bassiani Episcopi, et Patroni Civitatis, quae cadit in die S. Caroli Borromaei.

S. Danielis Martyris, cuius Corpus in eadem Cathedrali asservatur, cuiusque festum ab immemorabili celebratur feria 4. post Pascha, quamvis

Officium transferatur ad primam diem non impeditam post Dominicam in Albis.

Et S. C. respondit: « De S. Policarpo, Romualdo, et Elisabeth Regina, de quibus habetur mentio in Calendario Romano, tamquam de translatis ad praescriptum Rubricarum generalium recitandum esse Officium die prima non impedita Officio novem Lectionum cum translato dignioris ordinis, vel altioris ritus. »

« Festo proprio Laudensis Ecclesiae, nempe translationis Corporis S. Bassiani Episcopi, et Patroni diem proximam, uti sedem propriam assignandam esse, a qua idem aequae Officio Dominicae impediatur, ut in Officio S. Caroli Borromaei tota Provincia Mediolanensis simul, ut par est, conveniat. »

« De reliquis vero, de quibus asseritur Officium recitari in Ecclesia Laudensi, nulla tamen habetur mentio in Martyrologio Romano, S. C. nihil rescribendum esse duxit, antequam constet de asserto immemorabili cultu, vel alias a Decretis requisitis. » Die 3. Iunii 1662.

2174. RAGUSINA.

Michael Gollius Canonicus Cathedralis Ecclesiae Ragusinae institit a S. R. C. declarari: an Canonicus assistens teneatur e manu Archiepiscopi cappa induti, suscipere biretum, et Cappellano eiusdem Archiepiscopi porrigere?

Et S. C., « Ordinario scribi, » mandavit, « non per Canonicum, sed per Cappellanum huiusmodi implenda esse. » Die 3. Iunii 1662.

2175. SANCTI MINIATI.

Exposuerunt Canonici Cathedralis Ecclesiae S. Miniati quindecim ab hinc annis inter ipsos laudabiliter ad praescriptum *Sacrae Tridentinae Synodi sess. 24. cap. 11.* inductam esse distinctionem Praebendarum, adhuc tamen haesitationem in aliquibus vigere: an Canonici obtinentes Praebendas Diaconales, et Subdiaconales, quos contingat a Sacro Presbyteratus ordine reperiri, ratione presbyteratus, quem tamen eorum praebenda non exigit, quandoquidem sint anteriores possessione, videantur praefereendi Canonis iunioribus, dignioris tamen praebendae?

Et S. R. C. respondit: « Attendendam esse distinctionem Praebendarum, et iuniores Canonicos Praebendas Presbyterales obtinentes, Canonicis Diaconali vel Subdiaconali praebenda gaudentibus, etiam possessione anterioribus, praefereandos esse. » Die 3. Iunii 1662.

2176. VALVEN.

Ad instantiam Archiepiscopi Parochialis Ecclesiae Terrae Populi Valven. Dioecesis, S. R. C.

juxta alias resoluta, declaravit: « Regulares, et Confratres funeri interfuturos, nullo modo expectare debere per vias, aut prope domum defunctorum, sed omnes funus associantes convenire debere in Parochialem, aut aliam Ecclesiam, iuxta loci consuetudinem, ad praescriptum Ritualis Romani, ut inde cum Parocho ad domum defuncti pergant, etiamsi cadavera tumulanda deferantur ad dictorum Regularium Ecclesias. » Et ita S. C. servari mandavit, « non obstante contraria consuetudine, quam abusum vocat. » Die 3. Junii 1662.

2177. **DECRETUM GENERALE.**

Super celebratione Missarum pro defunctis.

S. R. C. mandavit, « ut, ad tollendos abusus, qui ubique irrepserunt, celebrandi scilicet Missas pro defunctis etiam diebus duplicibus, contra Rubricarum praescriptum, edatur Decretum, quo huiusmodi prohibeantur quibuscumque Sacerdotibus, et Regularibus; interim tamen Decretum praefatum per manus Eñorum mittatur. » Die 3. Junii 1662.

2178. **DECRETUM.**

De non celebrandis Missis privatis pro def. in Festo duplici.

Cum SSñus D. N. in Visitatione Ecclesiarum Urbis acceperit in plerisque Ecclesiis abusum irrepisse, celebrandi Missas privatas pro defunctis etiam in festis duplicibus contra praescriptum Rubricarum Missalis Romani, eundemque abusum Decreto Congregationis eliminari praeceperit, innotuerit vero S. R. C. huiusmodi abusum, etiam in aliis Ecclesiis ubique gentium existentibus, inductum pariter reperiri: S. eadem C., « ut Missalis Rubricae inviolatae serventur, districte praecipit omnibus, et singulis Sacerdotibus tam Saecularibus, quam Regularibus cuiusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, et Instituti, etiam necessario exprimendi, ut in posterum omnino dictam Rubricam servent, ita ut Missas privatas pro defunctis, seu de Requiem, in duplicibus nullatenus celebrare audeant, vel praesumant. Quod si ex Benefactorum praescripto Missae huiusmodi celebrandae incidant in festum duplex, tunc minime transferantur in aliam diem non impeditam, ne dilatio animabus suffragia expectantibus detrimento sit, sed dicantur de festo currenti cum applicatione Sacrificii, iuxta mentem eorum Benefactorum, curentque Ecclesiarum Rectores, Sacristae, aliique, ad quos pertinet, ut huiusmodi Decretum inviolate servetur, et in Sacristia affixum retineatur, ubi commode ab omnibus celebrare volentibus conspici, ac legi possit. In eos autem, qui contra facere ausi fuerint, vel praemissa adim-

plere neglexerint, locorum Ordinarii tum Saeculares, tum Regulares, pro modo culpaе, animadvertant. » Die 5. Augusti 1662.

Et facta de praedictis SSmo relatione, *Sanctitas Sua* annuit, « et cum applicatione Sacrificii satisfieri, ac Benefactorum mentem impleri voluit. Die 5. Augusti 1662.

2179. **DUBIUM.**

Institutum fuit a S. R. C. declarari: an Tybia integra habenda sit pro Reliquia insigni, et, an Episcopus potuerit transferre festum eiusdem Reliquiae in Dominicam quartam post Pascha, ut commodius, et frequentiori concursu possit huiusmodi solemnitas celebrari?

Et S. C. respondit: « Exprimi locum, et interim admonendos esse illos, ad quos spectat, ne vel commemorationem faciant de S. Martyre, inconsulta S. C. » Die 5. Augusti 1662.

2180. **LIMANA.**

Petitum fuit a S. R. C. declarari: an, occurrente Festo novem lectionum in Vigilia S. Thomae Apostoli, de ea debeat recitari nona lectio in Officio, et Evangelium in fine Missae?

Et S. C. respondit: « Officium recitari debere de Sancto duplici cum commemoratione Adventus, et nihil de Vigilia. In Missa vero de Sancto cum commemoratione de Feria, et Vigilia, cum ultimo Evangelio de Vigilia. » Die 5. Augusti 1662.

2181. **LOTHARINGIAE.**

Instantibus Capuccinis Lotharingiae, ut S. R. C. benigne sibi facultatem tribuere dignaretur addendi in Litanis, quas in suis Ecclesiis recitant, invocationem S. Iosephi, et S. Annae, intuitu singularis eorum erga praedictos Sanctos devotionis.

Et S. C., prout alias pluries, « Litanias non esse alterandas, » respondit. Die 5. Augusti 1662.

2182. **MACERATEN.**

Postquam S. R. C. in causa controversiarum inter Episcopum, et Praesidem Provinciae, nec non Magistratum Civitatis Maceratensis declarationes edidit, placuit SSmo, ut eadem ab Eño D. Card. Ghisio iterum in S. R. C. maturius pendendae proponerentur, iterum vero executio suspenderetur. Acceptis autem Partium iuribus, per Eñum D. Card. Gualterium transmissis, qui ad eam Civitatem ex commissione ideo se transtulit; Eñus D. Card. Ghisius ipsa iura, nempe praxim, et consuetudinem hactenus desuper servatas, nec non declarationes ipsas in S. C. retulit, et proposuit examinandas.

Et S. C., « illas in omnibus confirmandas esse

duxit, ut pote Caeremonialis, et Decretorum dispositioni prorsus conformes. Verum, ne circa eam intelligentiam haesitatio vel minima insurgat, ipsas prolixius exarandas esse censuit, nempe. »

« Gubernatori Maceraten. Praesidi Provinciae non habenti facultatem Legati de Latere non competere sedem sub baldachino, sed sine solio supra scamnum Magistratus, nempe cameralem decentem, et distinctam a scamno Magistratus, eidemque unico gradu, vulgo pradella tapete obducto, nedum Divinis iuxta Presbyterium, sed etiam alibi concionibus audiendis pariter supra scamnum Magistratus perpetuo detinendam. »

« Episcopum tamen, Praeside praedicto praesente, nullibi Dioecesis debere a benedictionibus Populi tam privatis, quam solemnibus abstinere, sed neque ullum humanitatis actum, antequam benedicat, erga Gubernatorem Praesidem exhibere. »

« Nullam deberi praecedentiam Gubernatori Praesidi Provinciae supra Episcopum, etiam extra Dioecesim degentem, quamvis Praeses in sua Provincia existat. »

« Episcopum non debere obviam ire Gubernatori Praesidi Provinciae advenienti ad Cathedralam, neque illum ab ea discedentem associare. »

« Gubernatorem, seu Praesidem praedictum teneri accedere ad Episcopum, ut ab eo accipiat candelam, et palmam benedictam, etiam cum osculo manus Episcopi; idemque servandum in distributione cinerum, numquam tamen eum teneri Episcopo genuflectere. »

« Canonicos teneri praestare Gubernatori Civitatis Praesidi Provinciae consueta obsequia; quapropter saltem per duos Canonicos idem excipiatur, et ad portam Ecclesiae in discessu associetur. »

« Magistratum teneri praestare Episcopo, et Cathedrali Ecclesiae consueta obsequia, tum praesente, tum absente Gubernatore, et quatenus renuat, compelli posse. At si Magistratus sponte velit ad Cathedralam accedere, et Divinis inibi iuxta solitum interesse, aut, antequam de eius contumacia per actus positivos Episcopo non constet, nulla ei vis inferatur, vel in eum Episcopus nullum coactionis remedium exequi permittat. »

« Ad supplendum Magistratui absentis in lotionem manuum Episcopi posse subrogari alios nobiles viros, quibus tamen locus in scamno Magistratus minime assignetur, sed qualibet vice in ipso solemnitate peragenda actu seligendos, et vocandos, et, quoad fieri potest, variandos nulla tamen praevia in scriptis eorum deputatione. »

Praeterea eadem S. C., ad relationem eiusdem Em̄i D. Cardinalis Ghisil, declaravit: « Gubernatorem Praesidem Provinciae non Episcopum non posse sumere paramenta de Altari, ex quo idem vetitum sit Praelatis Episcopo inferioribus, etiam usu Pontificalium gaudentibus, praeterquam in Missis Pontificalibus. »

Praedicta vero S. eadem C. ita servari mandavit, quibuscumque non obstantibus. Die 5. Augusti 1662.

2183. MONOPOLITANA.

Non acquiescens Decreto S. R. C. Coadiutor Archipresbyteri Cathedralis Ecclesiae Monopolitanae, iterum sua iura coram eadem S. C. experiri voluit. Quae, visis Literis Apostolicis, iuribusque Oratoris mature perpensis, « stetit in Decretis, nempe Coadiutorem praedictum stare, et sedere debere post omnes Dignitates, tam praesente, quam absente Coadiuto. Munia vero Coadiuto competentia, spectare ad Coadiutorem private quoad omnes alios. » Die 5. Augusti 1662.

2184. URBIS.

Quaesitum fuit a Monialibus Capuccinis Urbis: an Officium Octavae S. Clarae earum institutricis, et Patronae, praefendum sit Officio Octavae S. Laurentii, et Assumptionis B. M. V.

Et S. R. C. respondit: « Quoad Octavam S. Laurentii praefendum esse: quo vero ad Octavam Assumptionis B. M. V. negative. » Die 5. Augusti 1662.

2185. IMOLEN.

Expositum est S. R. C. in Oppido Docciae Imolen. Dioecesis ab immemorabili tempore habitos esse, et haberi in Patronos principales SS. Martyres Vitalem, et Agricola, quorum festum cum incidat die 4. Novembris, in qua cadit quoque festum S. Caroli Borromaei, supplicatum fuit declarari: quodnam festum ex SS. praedictis ea die sit celebrandum; et an festum Patronorum sit de praecepto servandum?

Et Sac. eadem Cong. declaravit: « Veris existentibus narratis, festum SS. Vitalis, et Agricolae, iuxta Constitutionem S. M. Urbani VIII. super observatione Festorum tamquam de praecepto esse servandum, et cum Officio, et Missa etiam per Octavam a Clero Saeculari; a Regularibus vero sine Octava esse celebrandum: festum vero S. Caroli transferendum fore iuxta Rubricas Breviarii Romani. » Die 19. Augusti 1662.

2186. ASCULANA.

Instante Rectore Ecclesiae S. Augustini Terrae Accumuli Asculanae Dioecesis a S. R. C. declarari: an sibi, suoque Cappellano prohiberi

possit a Curatis Terrae praedictae, ne Processionem cum delatione SS. Sacramenti in Dominica post festum S. Thomae de Villanova peragat per limites earumdem Parochiarum, etiam obtenta licentia E^mi Ordinarii?

S. eadem C. respondit: « Episcopum in universa Dioecesi absque Parochorum licentia posse facultatem tribuere processiones peragendi, et per vias, et plateas publicas, prout sibi benevisum fuerit, eas ducendi, ideoque Rectori, seu Cappellano praedictis licere praefatas Processiones peragere, easque ducere etiam per vias, et plateas intra limites Parochiarum dictorum Curatorum. » Et ita servari mandavit. Die 2. Sept. 1662.

2187. LEODIEN.

Instantibus Capitulo, et Canonicis Collegiatae Ecclesiae B. M. V. Oppidi Tongren. Dioecesis Leodien., S. R. C., inhaerendo Decretis alias in similibus editis, declaravit: « Canonicos Regulares S. Augustini eiusdem Oppidi Processionibus deferre debere praecedentiam Clero saeculari, eosque teneri accedere ad Processiones SS. Corporis Christi, S. Marci, Rogationum, ac ad quas-cumque alias publicas, et consuetas, vel pro bono, causa, aut honore publico ab Episcopo indictas, nisi aliter iis ab Apostolica Sede expresse indultum fuerit, vel iidem ultra medium milliare ab Oppido praedicto distent. Et ad haec implenda ab Ordinario poenis sibi benevisis cogi posse. » Die 2. Septembris 1662.

2188. ALBINGANEN.

S. R. C. in causa praecedentiarum vertente inter Bartholomaeum Panerium Coadiutorem Canonici obtinentis praebendam presbyteralem, et Canonicos diaconali, et subdiaconali praebenda gaudentes in Cathedrali Ecclesia Albiganen., visis iuribus ab Episcopo transmissis, censuit: « standum esse in decisis, nempe Coadiutori praedicto locum deberi post omnes Canonicos etiam inferioris ordinis; verum cum Canonici sacris vestibus induti fuerint, immediate post Presbyteros eidem locum competere. » Et ita servari mandavit, » Die 20. Nov. 1662.

2189. DUBIUM.

Institutum fuit declarari: an Canonici Regulares in eorum Ecclesiis, prout fit in Ecclesiis Collegiatis, teneantur canere duas Missas in feriis, et vigiliis, in quibus ieiunatur, praesertim cum non ex consuetudine antiqua, neque ex fundatione, aut lege, sed tantum ex usu ab aliquot tantum annis introducto ad id sint obligati.

Et S. R. C. respondit: « Teneri. » Die 20. Novembris 1662.

2190. FIRMANA.

Conquesti sunt Fratres Minoris Observant. S. Iusti Firmanae Dioecesis, se non parum gravatos esse Decreto Synodali E^mi Ordinarii, quo sancitum est, tum Saeculares, tum Regulares funus associaturos in Parochialem, seu aliam commodiorem Ecclesiam convenire debere, non autem recte pergere ad domum defuncti, vel per vias expectare, ut ab immemorabili tempore consueverunt.

Et S. C. respondit: « Oratores parere debere Decreto praedicto conformi Decretis S. C., quamcumque contrariam consuetudinem abrogantibus. »

2191. MONTIS REGALIS.

Archipresbyter Ecclesiae Matricis Cunei Dioecesis Montis Regalis a S. R. C. petiit declarari, ad ipsum, intra cuius Parochiae limites sita est Ecclesia Monialium S. Clarae, spectare officium absolutionis super Cadaveribus in ea tumulandis privative quoad Confessarium, et Cappellanum Monialium; et Regulares funus associaturos convenire debere in Parochialem, ut inde ad domum defuncti cum Parocho simul pergere valeant, renuisse (legendum *nec licere*) expectare in via, vel apud domi defuncti.

Et S. R. C., habita relatione Ordinarii, respondit; « In casu proposito ad Archipresbyterum praedictum huiusmodi officia peragere pertinere, et Regulares in Parochialem convenire debere ad praescriptum Rubricarum Ritualis Romani; abusum vero expectandi per vias, vel prope domum defunctorum omnino abrogandum fore. » Die 20. Nov. 1662.

2192. NERITONEN.

Supplicatum fuit a S. R. C. declarari: An Capitulum possit admittere ad participationem distributionum quotidianarum Dignitatem, seu Canonicum participantem, qui in Choro, sive caeteris functionibus Ecclesiasticis inserviat indutus habitu Protonotarii?

Et S. C. respondit: « negative. » Die 20. Novembris 1662.

2193. NLLLIUS FASANEN.

S. R. C. ad instantiam Sacerdotum Terrae Fasanen. nullius Dioecesis, habita relatione Episcopi S. Agathae Gothorum, declaravit: « ad Priorem Matricis Ecclesiae Terrae praedictae spectare distributionem candelarum, cinerum, et palmarum, necnon delationem SS. Sacramenti Feria V. in Coena Domini, et absolutionem in commemoratione omnium defunctorum, si ipse celebraverit; eo autem impedito, aut alias celebrare nolente, ea omnia ad hebdomadarium celebrantem

pertinere. Ius vero canendi Missam, et deferendi augustissimum Sacramentum qualibet tertia Dominica mensis hebdomadario competere. In reliquis Decretum praefati Episcopi S. Agathae Gothorum servari, mandavit. Die 20. Novembris 1662.

2194. PATAVINA.

Instante Magistro Caeremoniarum S. Laurentii Civitatis Patavii, S. R. C. declaravit: « Sacras Imagines Sabbato Sancto ad *Gloria in excelsis Deo*, si commode fieri poterit, vel post Officium eiusdem diei discooperiendas esse; thurificationem vero Cleri etc., tum exposito super altari SS. Sacramento per octavam Corporis Domini, consueto more, peragendam. Die 20. Nov. 1662.

2195. PATAVINA.

Conquestus est Archipresbyter Collegiatae Ecclesiae S. Mariae de Montianea Patavinae Dioecesis. Canonicum Subdiaconum inter Missarum solemniam renuere librum sustinere ad praescriptum Rubricarum Missalis Romani.

Et S. C., Episcopo *scribi*, mandavit, *pro Rubricarum observatione*. Die 20. Novembris 1662.

2196. SQUILLACEN.

Conquestus est Abbas S. Ioannis Terestri Ordinis S. Blasii de molestis sibi ab Episcopo Squillacen. (supplendum videtur *illatis*), ex quo ipse, ut hactenus consueverat, in Processione die festo eiusdem Sancti peragi solita, Mitram, et Baculum a duobus Clericis deferri mandaverit.

Et S. C. respondit, « Quod idem Abbas ab huiusmodi in futurum absteineat, et servet Decreta S. C. super usu pontificalium Praelatis Episcopo inferioribus concessorum edita. Die 20. Novembris 1662.

2197. INDIARUM.

Precibus Monialium SS^{mae} Conceptionis pro approbatione Litaniarum Iesu, quas adhuc canere consueverunt ante Imaginem SS^{mi} Crucifixi ab antiquo tempore in earum Ecclesia asservatam.

S. C. respondit, « Obstare Decreta SS^{mae} Inquisitionis id expresse prohibentia. » Die 23. Decembris 1662.

2198. MONTIS REGALIS.

Cum S. R. C. die 3. Sept. 1661. declaraverit: « Non licere Parocho Matricis Ecclesiae loci Benarum Dioecesis Montis Regalis Protonotario Apostolico, in administratione Sacramentorum, et in funeralibus adhibere habitum praelatitium, et quatenus interesse velit uti Protonotarius, eidem non proinde competere praecedentiam supra Canonicos, vel locum inter Canonicos. S. eadem C. idem intelligendum esse, censuit, in Processio-

nibus generalibus, et particularibus, quibus idem Parochus interesse velit. » Die 23. Decem. 1662.
2199. THELESINA.

Expositum est S. R. C., in Collegiata Ecclesia Cerreti Thelesinae Dioecesis in funeralibus, et Anniversariis nocturni pro defunctis recitationem praetermitti, non obstantibus Decretis S. C., et praecepto poenali Episcopi.

Et S. C., *Ordinario scribi*, mandavit, « qui mandet impleri Decreta S. C. et in trasgressores poenas irremissibiliter exequatur. » Die 23. Decembris 1662.

2200. TUDERTINA.

S. R. C. ad instantiam primae Dignitatis Cathedralis Tudertinae, inhaerendo Decretis alias in similibus editis, declaravit, « Coadiutori ipsius primae Dignitatis locu deberi in Choro, Processionibus, caeterisque ecclesiasticis functionibus post omnes Dignitates. Ad ipsum tamen spectare functiones, quae eidem Coadiuto competere, si praesens esset, modo literis Apostolicis secus cautum non fuerit. » Die 23. Decem. 1662.

2201. CIVITATIS CASTELLI.

Cum alias S. R. C. decreverit, Magistratum Civitatis Castelli posse compelli ad solita obsequia diebus consuetis omnino praestanda Episcopo, supplicavit idem Magistratus pro declaratione: an ad id teneatur tam diebus solemnibus, quam ferialibus, et quadragesimae?

Et S. C. decrevit, « Magistratum praedictum cogi non posse, nisi diebus, quibus alia huiusmodi obsequia Episcopo praestare consueverit.

2202. CAVEN.

Supplicatum fuit S. R. C. pro parte Dignitatum, et Canonicorum declarari infrascripta Dubia.

1. An Vicario generali liceat occupare sedem Archidiaconi, et aliarum Dignitatum, vel Canonicorum, aut potius sedere debeat in sede separata?

2. An idem Vicarius praecedere debeat Dignitatibus, et Canonicis vestibus sacris indutis?

3. An idem praecedere debeat in Choro Canonico celebranti, et tempore, quo ab eo SS^{mum} defertur?

4. An idem in habitu Protonotarii praecedere debeat Canonicis, et Dignitatibus?

Et eadem S. C. respondit: quoad 1. « Serve tur consuetudo. »

Quoad alia tria « Negative. » Die 17. Maii 1665.

2203. CUSENTINA.

Pro parte Capituli, et Canonicorum supplicatum fuit S. R. C. declarari: an Archiepiscopo in ferialibus accedenti ad Ecclesiam cum cappa

interessendo concionibus, teneantur praestare obsequia, quae consueverunt in solemnioribus, nempe illum euntem, et redeuntem comitari ?

Et eadem S. C. respondit: « Teneri quando-cumque cappa pontificali indutus accedat ad Ecclesiam, cum ea distet nisi ducentis passibus. » Die 17. Martii 1663.

2204. LAUDEN.

Panthemius Rota Canonicus Collegiatae S. Laurentii institit a S. R. C. declarari: an benedictiones candelarum, palmarum, fontis, et cinerum spectent ad Praepositum, vel ad Canonicum celebrantem ?

Et eadem S. C. respondit: « spectare ad Praepositum, quatenus celebret, sin minus ad Celebrantem. » Die 17. Mart. 1663.

2205. NEAPOLITANA.

Exposito S. R. C. per Vincentium Marini secundum Magistrum Caeremoniarum Archiepiscopi Neapolis, in diversis illius Civitatis Ecclesiis, non servata forma Ordinarii Romani, et Rubricarum, novos ritus introduci in celebrando festum SS. Innocentium, et signanter utendo tali die colore rubeo, et canendo Missam cum *Gloria*: eadem Sac. Congr. iussit, « servare Rubrica. » Die 17. Martii. 1663.

2206. SQUILLAGEN.

Capitulum Collegiatae Stisli supplicavit, per S. R. C. declarari, in funeralibus sibi competere praecedentiam adversus Parochos Civitatis etiam defuncti, sive omnes, sive pars eorum de Capitulo accedant.

Et S. C. respondit: « Dummodo incedant capitulariter cum Cruce, Canonici praecedant. » Die 17. Mart. 1663.

2207. TERAMI.

Canonici Cathedralis Dubium (exposuerunt): an de Patrono Regni sit facienda Octava in omnibus Regni Civitatibus, quemadmodum fit de Patrono particulari cuiuslibet Civitatis ?

Et S. R. C. declaravit, « Teneri de Patrono Regni. » Die 17. Mart. 1663.

2208. VOLATERANA.

Alamanus Incontrus Terrae Pomarani institit pro facultate faciendi sepulcrum pro se, et familia in Cappella sub invocatione SS. Crucifixi in Ecclesia Cathedrali de iure Patronatus ipsius, et Domus, longe ab Altare palmo uno minus trium cubitorum. « Lectum. » Die 17. Mar. 1663.

2209. TAURINEN.

Capitulum, et Canonici Collegiatae Oppidi Benarum supplicarunt S. R. C. pro declaratione infrascriptorum Dubiorum.

1. An, cum in dicto loco auctoritate Apostolica erecta sit nova Collegiata de bonis patrimonialibus sine cura Animarum, in die Corporis Christi levanda sit Processio, et SS. Sacramentum de Ecclesia ipsius Collegiatae, vel de Parochiali, uti prius ?

2. An delatio SS. Sacramenti in dicta die spectet ad Parochum Matricis, vel potius ad Dignitatem Collegiatae, et, eo absente, ad antiquiorem Canonicum ?

3. An, cum Regulares, et Confraternitates laicorum, ex immemorabili consuetudine dicti loci faciant suas Processiones per limites Parochiae, et cum propria tantum Cruce, hoc idem liceat Canonicis dictae Collegiatae ?

4. An in festo S. Marci Evangelistae, et tri-duo Rogationum Parochus Matricis una cum suis Clericis convenire debeat in Collegiatam Ecclesiam, ut ex illa leventur Processiones illis diebus faciendae, vel potius teneatur Capitulum illas facere separatim ab ipso Parocho ?

5. An spectet ad primam Dignitatem, et, ea absente, ad digniorem de Capitulo, vel potius ad Parochum, in cuius districtu dicta Collegiata posita est, administrare Sacramenta Canonicis eiusdem Collegiatae, illorumque funus levare, et Officium facere circa illud, dum defertur ad sepeliendum ?

Et eadem S. C., referente D. Servantio, respondit, ut infra. 1. « De Ecclesia Parochiali Matricis. »

2. « Ad Parochum. »

3. « Ad Ecclesias tantum Parochiales, infra limites Parochiae. »

4. « Convenire debent ad Ecclesiam Parochialem Matricem, cum ius benedicendi sit apud Parochum. »

5. « Ad Parochum, nisi secus in casibus omnibus praedictis provisum sit a Sede Apostolica in erectione Collegiatae, et nisi Collegiata gaudeat aliquo privilegio Apostolico. » Die 17. Martii 1663.

2210. REGIEN.

Episcopus Boriae postulavit a S. R. C. tria infrascripta declarari.

1. An Metropolitana pro temporalibus negotiis accedenti ad suam Dioecesim liceat attollere Crucem, et gestare mozzettam ?

2. An possit prohibere Episcopum, ipso praesente, ab usu Mozzettae ?

3. An possit erigere idem Metropolitanus in propria domo Altare ad tempus ?

Eadem S. C. declaravit: « tria supradicta li-

cite fieri posse a Metropolitanò. » Die 17. Martii 1663.

2211. **COMEN.**

Exponentibus Canonice Cathedralis Comen. Decuriones illius Civitatis velle uti sedibus, strato, et pulvinaribus in Ecclesia, et non amplius scamno in nobilem formam panno rubeo cooperto, iuxta solitum. Em̃i PP. S. R. C. praepositi decreverunt, « iniungi Episcopo, qui curet nihil innovari. » Die 28. Aprilis 1663.

2212. **MEDIOLANEN.**

Canonice S. Mariae de Scala Mediolani praetendentibus vigore tituli Cappellanorum Regiorum a Sacra Maestate Catholica nuper obtenti, aut non posse cogi ab Ordinario interesse Processionibus, quibus antea consueverunt, aut saltem praecedere debere aliis Capitulis, et Collegiatis eiusdem Civitatis; Em̃i Patres S. R. C. praepositi, habito super hoc maturo consilio, et diligenter omnibus rationibus perpensis, decreverunt: « Canonicos teneri, et compelli posse accedere ad Processiones, ad formam Decretorum Ordinarii, et quoad praecedentiam servari solitum, et nihil innovari. » Die 28. Aprilis 1663.

2213. **MONTIS FELTRI.**

Praetendentibus Cantoribus, et Musicis locum prope SS̃mum in Processione Corporis Christi iuxta solitum, non autem post Crucem, et ante Clerum, ut ipse Clerus praetendit; S. R. C. respondit: « Servetur Caeremoniale. » Die 28. Aprilis 1663.

2214. **REGIEN.**

Presbyteri Cathedralis denuo supplicarunt S. R. C. declarari: an Officium Dicationis Basilicae SS. Apostolorum, Petri, et Pauli 14. *Calend. Decembris*, sit transferendum ad diem Dominicae, vel ad feriam secundam, quando erit impedita dies Sabbathi, cum in illa Dioecesi eadem die 14. *Calend. Decembris* pariter accidat Dedicatio illius Ecclesiae? Ulterius exhibuerunt *particulam Calendarii illius Dioecesis*, ex qua apparet translatum fuisse ad diem Dominicam sequentem.

Et Em̃i S. R. C. praepositi responderunt: « Servetur Rubricae de translatione Festorum cap. 10. Die 28. Aprilis 1663. » Idem responsum iam fuerat in praecedenti Congregatione die 17. Martii eiusdem anni.

2215. **SENOGALLIEN.**

Iacobus de Benedictis Praepositus Cathedralis Senogallien. supplicavit S. R. C. pro declaratione infrascriptorum Dubiorum.

Utrum liceat Vicario generali, et Canonice

in Missis, et Vesperis solemnibus recipere thurificationes capite cooperto pileolo?

Utrum liceat saecularibus, ac etiam aliis ascendere Choros, et Presbyterium ad audiendas Missas, et conciones, nec non ad interessendum Divinis Officiis, et benedictionibus SS. Sacramenti?

Et Em̃i S. R. C. Praepositi censuerunt: « non licere. » Die 20. Aprilis 1663.

2216. **TELESANA.**

Clerus SS. Annuntiatæ Terræ Guardiae Telesanae Dioecesis institit S. R. C. pro licentia benedicendi cineres, palmas, et candelas, et pro facultate processionaliter deferendi SS̃mum circumcirca Ecclesiam, atque exponendi super Altare, in quo servari solet, et insuper sumendi in Feria V. maioris hebdomadae in dicta Ecclesia SS. Eucharistiam.

Et eadem S. C. respondit: « Quoad expositionem adeant Episcopum, quoad reliqua, nihil. Die 28. Aprilis 1663.

2217. **VENAFRI.**

Syndaci Civitatis Venafri renuentes ministrare Episcopo aquam manibus, ut antea consueverunt per immemorabile tempus in functionibus pontificalibus; institit Episcopus ab S. R. C. sibi declarari: an illos posset compellere per censuras?

Et eadem S. C. respondit: « Hortandos esse, non compellendos. » Die 28. Aprilis 1663.

2218. **ARIMINEN.**

Curati, et Beneficiati Ariminen. exposuerunt S. R. C., Episcopum Urbanae occasione Visitationis, decrevisse, quod vasa Olei sancti, quae asservabantur in cornu Epistolae, deinceps in cornu Evangelii servari deberent: et ulterius omnia diademata SS̃is Crucifixis amovenda essent. Modo praedicti Curati eidem S. C. supplicarunt, declarari quid agendum?

Et S. C. respondit: « Quoad vasa Olei Sancti serventur in loco decenti tam in cornu Epistolae, quam in cornu Evangelii. Quoad diademata, scribi Vicario pro informatione, et interim supersederi. » Die 16. Iunii 1663.

2219. **CATANIEN.**

S. R. C., ad preces Francisci Scopatii Parochi S. Laurentii Terræ Aidonis, declaravit: « Vicariis Foraneis non competere praecedentiam adversus Parochos, ad formam Decreti alias editi sub die 23 Mart. 1616., non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili. » Die 16. Iun. 1663.

2220. **EUGUBINA.**

Pro sedandis controversiis forsitan orituris inter Canonicos Collegiatae S. Ioannis Baptistae

Terrae Canthiani, et Parochos, et alios Presbyteros ratione praecedentiarum tam in sedendo, quam in aliis Processionibus faciendis, occasione futurae Synodi; S. R. C., ad preces eorundem Canonicorum, ita decrevit. «Sedeant Canonici Canthiani immediate post Collegiatae antiquioris erectionis in eodem banco.» Die 16. Iunii 1663.

2221. EUGUBINA.

Archipresbyter, et Canonici Collegiatae Ecclesiae S. Iohannis Baptistae Terrae Canthiani Eugubinae Dioecesis supplicarunt pro declaratione infrascriptorum Dubiorum.

1. An Cappellanus, et Sacristia Ecclesia Collegiatae S. Iohannis Baptistae Terrae Canthiani Eugubinae Dioecesis, quando in Processionibus, et funeralibus intervenit Capitulum dictae Collegiatae, debeant praecedere proprio Parocho defuncti?

2. An in funeribus, quando intervenit Capitulum Collegiatae, tam Parochi, quam alii de Clero debeant congregari in eadem Ecclesiae Collegiata, vel in Ecclesia, ad quam defertur defunctus?

3. An in Processionibus, quando intervenit Capitulum Collegiatae, tam Parochi, quam alii de Clero debeant congregari in dicta Ecclesia Collegiata, etiamsi Processio inchoanda sit in alia Ecclesia?

4. An Canonicus, vel Cappellanus, sive illius Sacerdos cum stola, vel sine stola, quando interveniunt, vel quilibet eorum intervenit in funeralibus loco Archipresbyteri dictae Ecclesiae Collegiatae, debeant praecedere aliis Parochis, et quid, interveniente Archipresbytero?

5. An liceat Parocho Ecclesiae S. Nicolai Terrae Canthiani in maiori hebdomada uti Planetis plicatis, quae solent concedi tantummodo Ecclesiis Cathedralibus, et Collegiatis, iuxta Caeremoniale Episcoporum, praesertim cum nullus ex eius praedecessoribus illis usus fuerit, sed simpliciter ministraverit in albis?

Et S. R. C. respondit. Ad 1. «debet procedere cum Capitulo, non ratione praecedentiae, sed quia, cum sint de gremio, efficiunt cum eo unum corpus quod non potest dividi.»

Ad 2. «iuxta Decreta S. C.»

Ad 3. «ubi inchoanda est Processio.»

Ad 4. «Non debent, quia sunt substituti; secus ipse Archipresbyter.»

Ad 5. «Servanda est Rubrica» 19. Missalis Romani tit. de qualitate Paramentorum, num. 6. et 7. die 16. Iunii 1663.

2222. FERENTINA.
Parochi Civitatis Ferentini supplicarunt pro declaratione infrascriptorum dubiorum.

1. An Parochi possint cogi ad deferendam Ecclesiam propriam praesertim in solemnibus, et ad interessendum Choro Cathedralis?

2. An Parochi in Choro Cathedralis thurificari debeant duplici ductu, velut Canonici?

3. An etiam Cathedralis Canonici teneantur convenire ad Parochialem, vel aliam defuncto viciniorem Ecclesiam, quando vocatur ad funus?

4. Utrum dicti Clerici Cathedralis ex debito inservientes, quando ab omnibus inceditur in uno corpore, cedere debeant locum Parochis? sive: utrum quando distinguuntur corpora Ecclesiarum, Clerici, qui non obtinent Beneficium, neque ullam habent mercedem in Ecclesia Cathedrali, incedere debeant cum ultima Ecclesia?

5. An Parochi cogi possint determinate ad sermocinandum supra Evangelium omnibus Festivis de praecepto, cum poena censurae ante lapsum trium mensium spatium post monitorium?

Et S. R. C. respondit. Ad 1. «Affirmative.»

Ad 2. «Unico ductu.»

Ad 3. «Ad Parochialem.»

Ad 4. «Parochi procedere debent post Canonicos, Beneficiatos, Clericos Beneficiatos, qui faciunt unum corpus, non autem post mercenarios Cappellanos, aut Clericos, quando sub Cruce Capituli dicti Parochi procedunt; supradicti autem Clerici, et Seminarii, et mercenarii inservientes Cathedrali Ecclesiae, quocumque titulo, cum suo Capitulo, et sub eorum Cruce procedere debent.»

Ad 5. «Ad S. C. Concilii» Die 16. Iunii 1663.

2223. GRANATEN.

Pr. Fr. Iohannes de Azzona e Valle Ordinis S. Francisci Observantium, et Magister Caeremoniarum Provinciis Granaten. institit pro declaratione infrascriptorum Dubiorum.

1. Cum a S. Sede Apostolica concessa fuerit facultas celebrandi in Hispaniis Festum Patrocinii Bñae Virginis sub ritu dup. mai. in aliqua Dominica Mensis Novembris ab Ordinario loci assignanda, et assignata fuerit secunda; quaeritur, si eveniat Octava omnium Sanctorum, vel alterius Sancti, qui habeat Octavam, vel aliud Festum classicum dignius, adeo ut dicta Octava transferri non debeat, nec per commemorationem transire possit: an festum, Officium, et Missa celebrari, et fieri debeat alia Dominica eiusdem mensis non impedita, vel prima die non impedita infra hebdomadam.

2. An in Consecratione Episcoporum tam Con-

secrator, quam Consecrandus, quam etiam assistentes omnes uti debeant colore albo?

3. Si aliqua urgenti causa celebranda sit Missa votiva infra Octavam, et haec Missa habeat propriam praefationem; an recitare debeat propria, vel de infra Octavam, ac etiam cum *Communicantes* infra ipsam Octavam?

4. Si Altare non habeat planitiem, sed novem, vel decem gradus, vel si habeat planitiem nimis latam; an Sacerdos celebraturus Missam pro illa incipienda descendere debeat ad ultimum gradum, vel a primo tantum; et an etiam descendere debeat planitiem, vel sufficiat, quod se ab Altari sejungat duobus vel tribus passibus?

5. An SSmo exposito, Gubernator Civitatis, seu loci Personam Regiam repraesentans tamquam Praelatus habere debeat sedem, vel bancum cum tapete, vel alio panno?

6. Cum in Hispaniis in die Octava S. Jacobi sit transferendum Festum S. Petri ad Vincula in diem immediate sequentem ad formam declarationis S. C. die 2. Novembris 1659., et viceversa cum Festum S. Petri sit perpetuum, et sic videatur assignanda certa dies sequens in perpetuum; quaeritur: si dies Octavae, et Festi accidat die Sabbati, an transferri debeat in diem sequentem, etiamsi fuerit Dominica, vel in primam diem non impeditam?

7. An in festo Corporis Christi in reponendo SSmo servanda sit dispositio Caeremonialis Episcoporum quoad Orationes, vel potius Ritualis Romani, ubi dicitur addi: *Dominus vobiscum etc.*?

Et Eni S. R. C. praepositi responderunt. Ad 1. « Officium de Octava, festum vero Patrocinii pro illo anno omittatur quoad Officium; quo vero ad Missam, possunt cantari duae; altera scilicet de Octava, de festo altera etc.»

Ad 2. « Consecrandus albo, Consecrator, et Assistentes colore temporali convenienti.

Ad 3. Praefatio « de Missa votiva dum propriam habeat; *Communicantes* de infra Octavam, quia est proprium de illo tempore infra Octavam.»

Ad 4. « Deberet apponi bradella, quae dividat Altare a planitie, et satis esset descendere ipsam bradellam.»

Ad 5. « Idem exposito, quam reposito Sanctissimo Sacramento.»

Ad 6. « Transferri debet ad formam Rubricarum generalium in primam diem non impeditam festo novem Lectionum.»

Ad 7. « Servanda est dispositio Caeremonialis Episcoporum lib. 2. cap. 33. de Festo SSmi Cor-

poris Christi, ubi nulla fit mentio de versu *Dominus vobiscum*, « sed iubetur tantum post *Psalmum de Caelo etc.*, et *R. Omne Delectamentum etc.* cantari orationem etc. Et sic servat in Urbe SS. Dominus N., observatur ab omnibus, quidquid alii in contrarium asserant.» Die 16. Junii 1663.

2224. HISPALEN.

Cum in Hispaniis die Octavae S. Jacobi Apostoli Patroni Hispaniarum in Sabbato primo Augusti cadat etiam festum S. Petri ad Vincula, et sic veniat perpetuo transferendum in diem sequentem: quaeritur; an transferri debeat in sequentem, etiamsi fuerit Dominica, vel ad primam non impeditam Festo, vel Officio novem Lectionum, cum in illo Calendario, et Rubrica dicatur simpliciter, transfertur in diem sequentem.

Et S. R. C. ad preces Hispanen. Ecclesiae declaravit: « Ad primam diem non impeditam Officio novem Lectionum, et in Calendario addenda esse illa verba: » Nisi fuerit Dominica. Die 16. Junii 1663.

2225. MONTIS REGALIS.

Capitulum Collegiatae Benarum Diocesis Montis Regalis Provinciae Taurinae institit pro declaratione horum Dubiorum.

1. An Capitulum, quamvis non invitatum, interesse possit generalibus Processionibus.

2. An Parochus intuitu Pluvialis, dum illud defert, habeat locum inter Canonicos Collegiatae, et possit incedere sub Cruce Capituli, relicta propria Cruce Parochiali?

Et S. R. C. declaravit. Ad 1. « Non solum potest, sed est laudandum Capitulum.»

Ad 2. « Non habet locum, nisi sit de gremio etc.» Die 16. Junii 1663.

2226. NAXIEN.

Exposuit Illms Secretarius S. C. de Propaganda Fide, se fuisse certioratum ab Archiepiscopo Naxiae, et Decano Cathedralis, tres esse in dicta Civitate ad dignitatem Protonotariatus noviter admissos, qui non sine populi scandalo, et vilipendio habitus, continuo vagantur, et divertunt ad cauponas, et insuper refugiunt servitium Ecclesiae: unde ab eodem Archiepiscopo fuit illis prohibitus usus rocchetti, et habitus violacei.

Et S. R. C. declaravit: « Quoad Divina posse compelli; in reliquis cum SSmo.» Die 16. Junii 1663.

2227. NUSCANA.

Episcopus Nuscanus supplicavit S. R. C. pro declaratione infrascripti Dubii: An solus Archiepresbyter, seu Curatus loci Balneoli Nuscanae

Dioecesis, possit, private quoad alios, publicare excommunicationes solitas, seu literas significationis tam a SS. D. N. Papa, quam ab Episcopo concessas: seu potius an Episcopus possit illarum publicationem alteri Sacerdoti, et Curato, cui velit, demandare?

Et S. eadem C. declaravit. « Ad Curatum private. » Die 16. Iun. 1663.

2228. PANORMITANA.

Magistri Caeremoniarum Cathedralis Panormitanae institerunt S. R. C. pro declaratione: an, quando dies Annunciationis B. M. V. incidit in Dominica Palmarum, vel Feria V. in Coena Domini, vel die Paschatis, vel alio aliquo die infra Octavam eiusdem, ad illa verba Symboli: *Et incarnatus est*, Sacerdos, et Ministri debeant genuflectere, prout usque adhuc fieri consuevit in dicta Ecclesia: an potius genuflectendum sit ea die, qua celebratur Festum praedictum secundum ritum Ecclesiae transferendum?

Et S. C. decrevit: « genuflectendum esse in die translationis. » Die 16. Iunii 1663.

2229. PERUSINA.

Prior, et Curatus Castri Pregii Dioecesis Perusinae, ac Protonotarius Apostolicus institit Sac. R. C. pro declaratione: an sibi liceat uti habitu Protonotariatus tam in sedendo, quam in procedendo inter suum Clerum ruralem, et illum urbanum; et, an sibi competat locus aliis Protonotariis assignatus; et, an praecedere debeat antiquioribus respectu Prioratus?

Et S. R. C. declaravit: « Posse uti sine lucro distributionum: competere locum inter alios Protonotarios, sed eo casu nullam competere praecedentiam respectu Prioratus. » Die 16. Iunii 1663.

2230. REGIEN.

Presbyteri Cathedralis Regii iterum, et tertia vice supplicarunt S. R. C. pro declaratione infrascripti Dubii: An Officium Dedicationis Basilicae SS. Apostolorum Petri, et Pauli, quando incidit die Sabbati 14. Decembris, qua die eadit etiam Dedictio illius Ecclesiae, sit transferendum ad diem Dominicum immediate sequentem ex doctrina *Gavanti tit. de Translatione Festi sub num. 15.*, et prout etiam impressum fuit in illo Calendario, vel potius ad feriam secundam? Et licet S. C. sufficienter responderit 17. Martii, et 28. Aprilis proxime praeteriti; nihilominus ad maiorem claritatem declaravit: « Transferendum esse ad diem immediate sequentem, non tamen impeditam Officio novem Lectionum, et translationem ad diem Dominicum abolendam esse a Calendario antedicto. » Die 16. Iunii 1663.

2231. ROSSANEN.

Franciscus Tranla Canonicus supplicavit Sac. Rit. Congr. pro declaratione infrascriptorum Dubiorum.

1. An parva Crux cum Imagine Crucifixi posita super tabernaculum ligneum; in quo inclusum asservatur SS. Sacramentum in Altari, sit sufficiens in adimplementum Rubricae volentis, quod in Altari, dum celebratur Missa debeat apponi Crux in medio candelaborum?

2. Similiter si in Altari, in quo adest magna Statua SS. Crucifixi, sit ponenda alia Crux, dum celebratur Missa?

Et S. eadem C. respondit: Quoad 1. « Non est sufficiens, sed poni debet alia Crux in medio candelaborum. »

Quoad 2. « Est sufficiens, et non indiget alia Cruce. » Die 16. Iun. 1663.

2232. S. MINIATI.

Emi S. R. C. praepositi, ad preces Episcopi, et Canonice Civitatis S. Miniati declararunt: « Non licere Patribus S. Dominici Conventus S. Iacobi dictae Civitatis in die Corporis Christi post Vesperas ducere Processionem cum SS. Eucharistiae Sacramento extra limites propriae Parochiae, non obstante quacumque immemorabili consuetudine, nisi de licentia Episcopi ordinarii. » Hac die 16. Iunii 1663.

2233. TOLETANA.

Moniales Regis Monasterii de Incarnatione Matrili Toletanae Dioecesis impetrarunt a S. M. Urbano VIII. facultatem (occurrente Festo Smae Annunciationis in hebdomada maiori) transferendi Officium eiusdem cum Octava ad feriam 2. post Dominicam in Albis, quamvis impeditam Festo novem Lectionum, prout fuit concessum a Clemente VII. Fratribus Minimis Officium S. Francisci de Paula eorum Fundatoris. Verum quia tunc non fuit a praedictis Monialibus expressum, quod idem servare possent, occurrente eodem festo extra hebdomadam maiorem in Quadragesima, supplicarunt pro hac facultate S. R. C., quae petitis benigne annuit, declarans: « Posse praefatas Moniales tam in Quadragesima, quam in feria 2. post Dominicam in Albis praedictum officium recitare ad formam fratrum Minorum. » Die 16. Iunii 1663.

2234. TRIVENTINA.

Martio Salvi Presbytero Capitulari exponente Episcopum in ultima Synodo decrevisse, ut omnes Presbyteri etiam Capitulares Choro adstantes, in ingressu Canonici in ipso Choro, assurgere debeant; utque ipsi Canonici viceversa, in ingressu

Presbyteri quamvis Capitularis, solum biretum levare debeant; S. R. C. respondit: « Pareant Decreto Episcopi » Die 16. Iunii 1663.

2235.

ALBINGANEN.

Denunciatum est S. R. C. in loco Petrae Albinganen. Dioecesis, quod in associandis cadaveribus, quae humanda sunt in qualibet Ecclesia Regularium, comitantibus Parocho, et Clero saeculari una cum Regularibus, duae semper Cruces eleventur. Quapropter Eñi S. R. C. praepositi, inhaerentes Decretis alias editis, *Et Statutis Cleri Romani cap. 5. §. 7.* declararunt: « Unicam tantum Crucem elevandam esse, illius videlicet Ecclesiae, ad quam cadaver tumulandum deferretur, » et ita servari mandavit. Hac die 4. Augusti 1663.

2236. CATANIEN. TERRAE AIDONIS.

Cum S. R. C. die 23. Martii 1619. censuerit Vicariis Foraneis per Dioeceses constitutis ratione Vicariatus huiusmodi in Choro, sessionibus, processionibus, aliisque functionibus nullam super alios antiquiores, seu digniores ipsius loci Presbyteros, Dignitates, vel Canonicos competere praeminentiam, seu praecedentiam: ac propterea inter Vicarium Foraneum Terrae Aidonis Catanien. Dioecesis, et Parochum, caeterosque Presbyteros idem servandum esse decreverit: idemque postea confirmaverit die 6. Iunii proxime praet. ad instantiam Francisci Sopotii Parochi S. Laurentii eiusdem loci, non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili: tamen non acquiescente dicto Vicario Foraneo, ex quo in Decretis praedictis non dicatur expresse, in functionibus faciendis tam in Ecclesia, quam extra; hinc eadem S. C., quamvis satis clare dicatur in dicto primo Decreto confirmato per secundum, nihilominus, ad terminandas superiores controversias, declaravit: « Nullam competere praecedentiam, et praeminentiam praefato Vicario Foraneo supra Parochum dictae Terrae Aidonis, et alios, ut supra, in omnibus functionibus Ecclesiasticis tam in Ecclesia, quam extra faciendis, non obstante quacumque contraria consuetudine per dictum Vicarium Foraneum adducta etiam immemorabili, » et ita servari mandavit. Die 4. Augusti 1663.

2237.

CUSENTINA.

Capitulum Cusentinum tria institit a S. R. C. declarari.

1. An directio Chori spectet Vicario, vel primae Dignitati?

2. An Canonici sacris vestibus induti in thurificatione praeferendi sint Vicario?

3. An Vicarius sit expectandus post datum signum in Choro?

Et S. aedem C. respondit: Ad 1. « Servari consuetudinem Ecclesiae. »

Ad 2. « Deberi praelationem Canonicis paratis. »

Ad 3. « Non esse expectandum. » Hac die 4. Augusti 1663.

2238.

CUSENTINA.

Prosper Aprilis Subcantor Capitularis Ecclesiae Cathedralis Cusentinae supplicavit a S. R. C. declarari.

1. An absente Cantore, Canonico, et Dignitate, ad illum spectet directio Chori, et exercere munera Cantoris?

2. An illi debeantur omnes praerogativae, et caeremoniae, quae debentur Cantori, quando in secundis Vesperis Nativitatis Domini, Paschatis, et Pentecostes canit loco eiusdem Cantoris?

3. An d. Subcantor tamquam caput choro debeat praeferi in sedendo, Hebdomadario, qui habet usum Stolae, atque etiam in Processionibus defunctorum tamquam caput chori praeferi debeat Presbytero non Capitulari, qui Stolum defert?

Et S. eadem C. in omnibus respondit: « Negative. » Hac die 4. Augusti 1663.

2239

ARETINA.

Supplicatum fuit S. R. C. declarari infrascripta Dubia.

1. An Canonici nondum consecratus, possit assistere Episcopo celebranti amiculo Sacerdotali indutus?

2. An Canonici Supranumerarii, et Antiani non consecrati, debeant praecedere Sacerdotibus.

3. An dicti Canonici teneantur Sacra suscipere. Et eadem S. C. respondit. Ad 1. « Posse permitti, tamen monendum, ut accipiat Ordines Sacros. »

Ad 2. « Non debere omnino praecedere. »

Ad 3. « Servari debere dispositionem S. Concilii Tridentini. » Et ita servari mandavit: Hac die 4. Augusti 1663.

2240

DALMATIARUM.

Dignitates, et Canonici Cathedralis, ut dicitur, di Liesina in Dalmatia S. R. C. institerunt pro declaratione: « An simplices Sacerdotes assistentes Canonico solemniter celebranti in officio Diaconi, et Subdiaconi debeant praecedere Dignitatibus, et Canonicis in functionibus accipiendi palmas, candelas, et cineres. »

Et S. eadem C. respondit: « Standum esse dispositioni Caeremonialis, c. 17., » et ita servari mandavit. Hac die 4. Augusti 1663.

2241. DALMATIARUM.

Instantibus quibusdam Episcopis Dalmatarum pro declaratione Dubiorum ad S. R. C., ut infra, videlicet.

1. « An Passio in Missis privatis legi debeat a celebrante in cornu Epistolae, vel Evangelii, dum Caeremoniale Episcoporum ait: in Dominica Palmarum Celebrantem in Missa solemniter debere legere Passionem in cornu Epistolae? »

2. « An Cruces, et Imagines Sanctorum, quae in iconibus Altarium reperiuntur, debeant in primis Vesperis Dominicæ Passionis tegi, an vero Cruces, et Imagines Salvatoris tantum? »

3. « Utrum Hebdomadarius debeat semper in Choro uti stola, vel absque ea peragere sua officia? Caeremoniale enim Episcoporum nihil de stola mentionem facit in decantandis horis Canonicis. »

4. « An Cruces, quae fiunt super oblata a Sacerdote, debeant fieri manu transversa, an vero manu recta in transversa parte Crucis? »

5. « An manus Sacerdotis (ad hanc igitur oblationem) debeant ita extendi, ut palmae sint apertae pollice dextero super sinistrum in modum Crucis supra manus, an vero infra manus? »

6. « An pars inferior Hostiae praecidi debeat, an vero superior, quando dicitur: *Pax Domini sit semper vobiscum*? »

7. « Quando Episcopus assistit Missae solemniter, nec celebrat, utrum Celebrans ad confessionem debeat respondere Episcopo: *Ad Deum, qui laetificat iuventutem meam*; an vero cum Episcopo dicere simul respondeant (sic): *Ad Deum, qui laetificat*? »

8. « An, quando Episcopus assistit cum cappa Missae solemniter debeat Celebrans incensari finito Evangelio, et non Episcopus, qui non est paratus Pluviali, ut ait Caeremoniale Episcoporum: An vero debeat ista incensatio tunc omitti etiam celebranti, finito Evangelio, ut Gavantus dicit? »

9. « Utrum in die commemorationis omnium Fidelium defunctorum omnes Sacerdotes in Missis de Requiem debeat Sacrificium applicare pro omnibus Fidelibus defunctis: an vero possint ad libitum eorum pro aliquibus tantum applicare? »

10. « Utrum Canonici Almutias deferre possint, quando vestibus sacris sint parati, videlicet Pluviali, Planeta, Dalmatica, Tunicella, an vero debeant tunc eas deponere? et quid dicendum defuncto Canonico: utrum Almutia possit poni super corpus defuncti parati Planeta, seu Dalmatica? »

11. « Utrum possint Canonici cum anulo aureo (sed sine gemma, seu aliqua effigie) Missam celebrare? »

Et eadem S. C. respondit. Ad 1. « A cornu Evangelii. »

Ad 2. « Debent tegi omnes Imagines in primis Vesperis. »

Ad 3. « Non debent uti stola. »

Ad 4. « Manu recta. »

Ad 5. « Supra manus. »

Ad 6. « Inferior praecidi debet. »

Ad 7. « Debet respondere usque ad *Indulgentiam* inclusive. »

Ad 8. « Celebrans debet thurificari, non vero Episcopus cum cappa. »

Ad 9. « Ad libitum. »

Ad 10. « Parati deferre non debent Almutias, et defuncto imponi potest supra brachium. »

Ad 11. « De rigore uti non debent. » Hac die 4. Augusti 1663.

2242. MELITEN.

S. R. C. declaravit: « Licet in qualibet Ecclesia Regularium Archipresbytero Meliten. iuxta consuetudinem antea servatam, dicere submissa voce Psalmum *De profundis*, vel *Miserere* cum Oratione super cadaveribus, non obstantibus quibuscumque aliis Decretis alias emanatis. » Hac die 4. Augusti 1663.

2243. MELPHITEN.

Vicarius generalis Melphiten. S. R. C. supplicavit infrascripta declarari.

1. « Ubi sedere debeat Vicarius quando assistit in choro, et an occupare possit sedem Dignitatum? »

2. « An liceat illi habere tapetum, vel suppedaneum parvum sub sede ex corio, stante quod Canonici, et Dignitates sedent in Choro supra Vicarium per tres palmos elevati? »

Et S. eadem C. respondit. Quoad 1. « Non posse Vicarium occupare stallum Dignitatis, sed addendum sedile in choro, et primum locum dandum Vicario. »

Quoad 2. *Servari consuetudinem*. Et ita servari mandavit. Hac die 4. Augusti 1663.

2244. NEPESINA.

Cum in S. R. C. delatum fuerit Magistratum Tulphae, et Roncillonis desiisse solitis functionibus Ecclesiasticis interesse, ex quo Episcopus deereverit illos thurificari duplici ductu ad formam Caeremonialis?

Et eadem S. C. declaravit, « Illos compellendos esse ad interessendum, et servari Decretum Episcopi. » Hac die 4. Augusti 1663.

2245. PANORMITANA.

« Non teneri Capitulum SS. Trinitatis nuncupat. Mayson Abbatia civitatis Panormi, accedendo

processionaliter ad celebrandum, transire per porticus, ubi residet Magistratus, nec salutari debere per Celebrantem, Diaconum, et Subdiaconum, detecto capite, *Emi S. R. C. praepositi censuerunt*: ideoque tales, caeterosque abusus contra formam Caeremonialis esse tollendos, et quoad thurificationem servandum esse pariter Caeremoniale. »
Hac die 5. Augusti 1663.

2246. RAGUSINA.

Audito Archiepiscopo, ac mature perpensis rationibus, et fidibus per eundem adductis, et exhibitis recesserunt Emi S. R. C. praepositi a resolutis ad instantiam Canonici Michaelis Gozzii die 3. Iulii 1662., et declararunt: « Teneri assistentes accipere biretum de manu Archiepiscopi cappa induti, et reddere eidem Archiepiscopo. »
Hac die 4. Augusti 1663.

2247. S. SEVERINÆ.

Audita relatione Archiepiscopi, visisque iuribus ab eo transmissis declararunt Emi S. R. C. praepositi; bene Archiepiscopum processisse ad censuras contra Principem Roccae; ideoque reintegrandas esse, prout reintegrari iusserunt, et ipsimet, praevia revocatione suspensionis illarum ab eis, vel de ipsorum ordine factae, reintegrati sunt, dictumque Principem in eadem censuras reincidisse declararunt. Decernentes insuper « Baroni in capienda simili possessione sui Castri non solum non competere usum baldachini, sed Clericos non teneri, neque posse compelli ipsum associare, » et ita in posterum servari mandarunt. Die 4. Augusti 1663.

2248. TRIVENTINA.

Martius Salvus Presbyter de corpore Capituli Cathedralis Triventinae petiit infrascripta Dubia declarari a S. R. C.

1. « An Hebdomadarius, et caeteri omnes existentes in Choro teneantur surgere, quando a Canonicis, Dignitatibus, et Presbyteris intonantur Antiphonae. »

2. « An Hebdomadarius teneatur sedere in propria sede, vel potius in illa die debeat habere digniorem locum, et occupare sedem primae Dignitatis? »

3. « An in festivitibus minoribus, absente Magistro Caeremoniarum, spectet dare signum pro incipiendis Matutino, et Vesperis ad Hebdomadarium, vel potius ad primam Dignitatem assistentem in choro? »

4. « An in Benedictionibus Lectionum Hebdomadarius, et omnes alii de Choro teneantur surgere. »

5. « Presbyteri participantes dictae Cathedra-

lis, qui habentur tamquam veri Capitulares, et sunt de corpore Capituli, et aequiparantur in omnibus, et sunt aequales Canonicis, debeant duplici ietu thurificari, sicut Dignitates, et Canonici iuxta decretum in Caesaraugustana de Daroca 21. Martii 1615.

Et S. eadem C. respondit: Ad 1. « Omnes debere surgere praeter Hebdomadarium paratum. »

Ad 2. « Quando Hebdomadarius est paratus debet occupare primam sedem. »

Ad 3. « Ad Hebdomadarium. »

Ad 4. « Tenetur Hebdomadarius semper surgere, et alii de choro tenentur, quando solemniter cantatur. »

Ad 5. « Non deberi. » Hac die 5. Augusti 1663.

2249. URBINATEN.

Declaravit S. R. C. teneri, et compellendos esse Capitulum, et Canonicos Ecclesiae Metropolitanae Urbinaten. cum suo ecclesiastico, et canonicali habitu accedere ad Archiepiscopum, quando ipse rei divinae peragenda causa ad Ecclesiam accessurus sit, sive ipsemet celebraturus sit, sive alter; eumque cappa indutum ex ea aula, seu camera, quam ad hoc destinaverat ad Ecclesiam progredientem comitari, et reducere; eundemque ordinem servandum esse *mandavit* in redeundo, ad formam Caeremonialis. Hac die 4. Augusti 1663.

2250. URBIS.

Pro parte Magistri Caeremoniarum S. Iacobi de Urbe institum fuit a S. R. C. declarari:

1. An in anno, quo festum S. Iosephi cadit feria 2., feria 3., vel feria 4., maioris hebdomadae, possint cantari duae Missae, altera de Feria, altera de Festo, ubi est concursus Confraternitatis et totius Populi; vel saltem possit fieri ab illis Processio, quam singulis annis solent facere tali die, aut etiam sit transferenda, vel omittenda illo anno; et si non possunt cantari duae Missae, an possit dici Missa privata de S. Iosepho, faciendo postea Processionem. »

2. « An in primis Vesperis SS. Sacramenti, quae solemniter celebrantur, et tamen non expositum, sit genuflectendum in hymno cum dicitur: *Tantum ergo Sacramentum?* »

Et S. eadem C. respondit. Ad 1. In hebdomada maiori utraque omittenda. »

Ad 2. « Ad consuetudinem Ecclesiae. » Hac die 4. Augusti 1663.

2251. SANCTI MINIATI.

Praetendentibus Canonicis S. Mariae Terrae Montopoli sibi, et non Confessario Monialium Ecclesiae competere ius benedicendi, et distribuendi candelas, cineres, et palmas, quae Mo-

lialibus dandae sunt; S. R. C. audita relatione Episcopi declaravit: «Hoc ius competere Confessario, et ita mandavit scribi Episcopo, qui provideat.» Hac die 6. Septembris 1663.

2252. PISAUREN.

Vicarius generalis Pisaurensis Protonotarius Apostolicus petiit a S. R. C. declarari, quando Episcopus exercet Pontificalia, et ipse intervenit habitu Protonotarii indutus, quonam loco sedere debeat?

Et S. eadem C. respondit: «In suo solito loco.» Hac die 6. Septembris 1663.

2253. SURRENTINA.

Supplicante Capitulo Ecclesiae Archiepiscopalis Surrenti declarari a S. R. C.

1. «An Canonicis absentibus, et non interuentibus in Choro, servitio Episcopi, et pro eo impeditis, debeantur distributiones quotidianae?»

2. «An cogi possint ad interessendum nonnullis functionibus inibi fieri solitis ab Archiepiscopo in Festis titularibus, et particularibus trium Monasteriorum Monialium ibi existentium?»

3. «An tempore Quadragesimae, etiam diebus feriatis, quando Episcopus descendit ad Ecclesiam, debeat assistere totum Capitulum, vel illi qui sunt de hebdomada tantum: et, an ipsum Capitulum teneatur assistere in qualibet functione per eum in qualibet Ecclesia extra Cathedralem facienda?»

Et eadem S. C. quoad 1. «Remisit ad C. Concilii,» quo vero ad reliqua «Episcopo pro informatione.» Hac die 6. Septembris 1663.

Relate praesertim ad 3. habetur sequens Decretum.

SURRENTINA. Em̄i S. R. C. praepositi declararunt: «Capitulum, Canonicos, et Clerum Cathedralis Surrenti cogi posse, et debere ad accedendum processionaliter iuxta solitum ad Ecclesiam S. Antonii RR. PP. Theatinorum, ad effectum ibidem assistendi, et interveniendi Cappellae, et functionibus per Archiepiscopum ab immemorabili in eadem Ecclesia fieri solitis, et consuetis occasione festivitatis dicti S. Antonii praecipui Patroni dictae Civitatis: ideoque iusserunt, ut super his Capitulum, et Canonici pareant Archiepiscopo. Reliquas vero controversias inter ipsum Archiepiscopum, et Canonicos remiserunt ad S. C. Concilii.» Hac die 24. Novembris 1663.

2254. AQUILANA.

S. R. C. inhaerendo Decretis in similibus alias editis, decrevit: «Canonicos paratos thurificandos esse, et praecedere debere ante Vicarium, ratione paramentorum.» Hac die 24. Novembris 1663.

2255. CAMERINEN.

Renuentibus Presbyteris Terrae Montecelii Camerinen. Dioecesis reddere obsequia, capite detecto, Magistratui eiusdem loci in fine Missae cantatae, sicut idem Magistratus praetendit; instituerunt S. R. C. declarari non teneri eosdem Presbyteros salutare, nisi tecto capite, prout antea consueverunt.

Et S. eadem C. mandavit: «Iniungi oretenus Episcopo, qui curet, ut deinceps praedicti Presbyteri Magistratum, detecto capite, saluent.» Die 26. Ianuarii 1664.

2256. PHAREN.

Capitulum, et Clerus inferioris Cathedralis Pharenensis institit. S. R. C. pro declaratione: an Canonico solemniter Celebrante, Diaconus et Subdiaconus assistentes, dummodo non sint Canonici debeant praecedere, absente Episcopo, aliis Canonicis in recipiendo candelas in die Purificationis, cineres in prima die Quadragesimae, et palmas Dominica Palmarum, necnon in Communione Feria V. in Coena Domini, in adoratione Crucis Feria VI. in Parasceve, in thurificatione in Vesperis ad *Magnificat*, ac tandem in aspersione aquae benedictae diebus Dominicis per annum?

Et eadem S. C. declaravit: «Praecedere debere Diacono, Subdiacono, caeterisque paribus, secus Canonicis.» Hac die 26. Ianuarii 1664.

2257. GRANATEN.

Cum alias, et sub die 30. Ian. 1610. S. R. C. pro Episcopo Pacen. declaraverit: «Clavem Capsulae, in qua Feria V. in Coena Domini conservatur SS. Sacramentum sumendum in crastinum, fuisse, et esse consignandam Dignitati, vel Canonico, qui in crastinum Feria VI. in Parasceve erat celebraturus, non autem Gubernatori Civitatis, ut moris erat in multis Ecclesiis Hispaniarum.» Eadem S. C., ita supplicantibus Ecclesiis Regularibus, et Saecularibus civitatis Motril Granaten. Dioecesis: «Idem Decretum servandum esse iudicavit, et concessit in Ecclesiis dictae Civitatis Motril.» Hac die 26. Ianuarii 1664.

2258. MEDIOLANEN.

Cum nonnulli Musices Professores Civitatis Mediolani ausi fuerint uti musicalibus instrumentis in quibusdam eiusdem Civitatis Ecclesiis contra formam Constitutionum Synodali, et Provincialium auctoritate Apostolica confirmatarum, necnon edictorum Archiepiscopi in vim illarum emanatorum, sub praetextu dictas Constitutiones vel restringi ad solas Ecclesias ritus Ambrosiani, vel non extendi ad Ecclesias exemptas, vel non comprehendere laicas personas.

S. R. C. bene, ac mature perpensis ab utraque parte deductis, declaravit: « Constitutiones antedictas comprehendere omnes Ecclesias, et personas quamvis exemptas, et laicas, ideoque edicta Archiepiscopi servanda, et exequenda esse, *mandavit.* » Die 25. Ianuarii 1664.

2259. NULLIUS PROVINCIAE
SENENSIS.

Monachi S. Bernardi in Monasterio B. M. V. Gratiarum, ac S. Silvestri Montis Soractis post concessam a S. R. C. die 8. Augusti 1655. facultatem celebrandi Missas S. Nonnosi, necnon die 7. Septembris 1658. recitandi Officium, supplicarunt hodie pro licentia dicendi, et celebrandi dictam Missam quocumque tempore, ut fit de Votivis aliorum Sanctorum, idque tam per ipsos Monachos, quam per omnes alios Sacerdotes sive saeculares, sive regulares ad dictam Ecclesiam celebraturos accedentes, et concurrentes.

Et eadem S. C. quoad 1. respondit: « Non indigere: » quoad 2. « licere, et concedere, *iudicantur,* dummodo utantur Missali Romano. » Hac die 26. Ianuarii 1664.

2260. SURRENTINA.

« Capitulum, et Canonicos Cathedralis Surrenti teneri, et cogi posse ad assistendum Archiepiscopo in omnibus functionibus per eundem extra Cathedralium faciendis, dummodo remaneat in Ecclesia pars Canonorum sufficiens pro Divinorum celebratione, » S. R. C. declaravit. Hac die 22. Ianuarii 1664.

2261. TUDERTINA.

S. R. C. iterum declaravit: Coadiutori Prioris primae Dignitatis Cathedralis Tudertinae deberi locum in Choro, Processionibus, caeterisque ecclesiasticis functionibus post omnes Dignitates, et ad ipsum Coadiutorem spectare functiones, quae eidem Coadiuto competenter, si praesens esset, modo tamen in litteris Apostolicis secus cautum non fuerit, prout *declaravit* die 23. Decembris 1662. Ideoque non licuisse, neque licere eidem praecedere Archidiacono, qui est secunda Dignitas in eadem Ecclesia: ac ita servari, *mandavit,* quibuscumque per ipsum Coadiutorem in contrarium allegatis, et per Episcopum transmissis, et commissione huius causae Eño Franciotto die 28. Aprilis proxime praeteriti non obstantibus. » Hac die 26. Ianuarii 1664.

2262. PLACENTINA.

Exponentibus Canonicis Ordinis Sacerdotalis Cathedralis Placentinae per Magistrum Caeremoniarum eiusdem Cathedralis introduci, quod cineres dentur Episcopo non a Canonico celebrante,

prout in *Caeremoniali cap. 28. lib. 2. De Officio, et Missa Fer. IV. Cinerum Episcopo celebrante, vel non celebrante, sed praesente, §. Hora competente Canonicus celebraturus etc.* disponitur, sed ab una ex Dignitatibus: ulterius easdem Dignitates praetendere ius benedicendi dictas cineres, candelas, palmas, et fontes, absente Episcopo, ad ipsas, non autem ad celebrantem spectare, et pertinere contra praescriptum *eiusdem Caeremonialis cap. 19. de eadem F. 4. Cinerum Episcopo absente §. Nam Celebrans parabitur d. lib. 2., et Decretorum a S. C. in similibus emanorum.* Eadem S. C. « Caeremoniale omnino servandum esse, » iussit et mandavit. Hac die 26. Ianuarii 1664.

2263. ARETINA
IURIS DEFERENDI CRUCEM.

Ad relationem Eñi Azzolini, partibusque hinc inde plene informantibus, S. R. C. iudicavit: « Monachis Cassinensibus, et aliis Regularibus Civitatis Aretii in funeralibus, eaque associantibus, quando interveniunt Capitulum, et Canonici Ecclesiae Cathedralis eiusdem Civitatis, non licere erigere eorum Crucem, sed incedere debere sub illa Capituli, et Canonorum, praetensa ab eis consuetudine in contrarium non bene, et plene probata, minime suffragante. » Hac die 15. Martii 1664.

2264. ASCULANA.

« Non licere Canonicis Cathedralis Asculi occupare sedem Archidiaconi celebrantis, » S. R. C., ad petitionem Gregorii Pesci Archidiaconi, declaravit. Hac die 15. Martii 1664.

2265. CANARIEN.

S. R. C., inhaerendo Decretis alias editis, declaravit: « Confraternitatibus Laicorum, et Regularium Insularum Canariensium non licere facere Processiones extra claustra earum Ecclesiarum dicta claustra habentium; et si non habeant, extra limites, et ambitum illarum, hoc est prope muros, nisi de licentia, consensu, et cum Cruce Parochi, exceptis tamen Ecclesiis, quae habent in hoc speciale privilegium. » Et ita servari mandavit. Hac die 15. Martii 1664.

2266. MACERATEN.

« Non licere Vicario generali Maceratensi uti in Choro habitu Protonotarii, et lucrari distributiones, sive intersit, sive non Episcopus; et neque diebus, quibus ab eodem Episcopo fit solemniter Cappella, praetenso usu, et solito in contrarium non obstante, » S. R. C. audita etiam relatione Episcopi, declaravit. Hac die 15. Martii 1664.

2267. PISAUREN. Episcopus Pisaurum super declaratione: an Amictus, Albae, et Tobaleae Altarium, necnon Pallae, et Corporalia confici possint ex tela quadam composita ex lino, et gossipio subtilissimo, quem vocant Mussulo? Lectum. Die 15. Martii 1664.

2268. S. MINIATI. S. R. C. declaravit, « Presbytero Joanni Montanello debere praecedentiam Ordinis a die Ordinationis adversus alios Presbyteros simplices, non obstante quod Ordines susceperit in habitu Regulari S. Francisci, et quod postea a Religione praedicta licentiatum fuerit ob nullitatem professionis. » Hac die 15. Martii 1664.

2269. SENOGALLIEN. Em̄i S. R. C. praepositi ea, qua possunt solitudine summopere studentes tollere scandala, utque Ecclesiae, qua decet reverentia, et devotione venerentur; committunt, ac, expresse praecipiendo, mandant Episcopo Senogalliensi, ut omnino, et sub poenis eius arbitrio exequi faciat, et curet Decreta eiusdem S. C. edita sub die 28. Aprilis prox. praet., quibus declaratur, non licuisse, neque licere saecularibus ascendere Chorum, et Presbyterium. » Hac die 15. Martii 1664.

2270. TOLOSANA PROCESSIONIS. Referente Em̄o Francioto, S. R. C. declaravit « ad favorem Fratrum Praedicatorum Tolosae: non licere Franciscanis minor. observantiae, minusque Confraternitati in eorum Ecclesia magni conventus erectae sub titulo Conceptionis SS̄mae Virginis Immaculae, illiusque confratribus facere Processionem prima Dominica cuiuslibet mensis, nec posse praefatos Religiosos minor. observantiae novum Rosarium sub titulo Seraphici, aut novem novendarum, aut alterius rationis inducere, praedicare, et docere, nec in Litanis B. Virginis aliquid innovare, nec tabellam exponere, in qua B̄na Virgo Dei Mater det Rosarium Sanctis Francisco, et Clarae, prout etiam fieri prohibuit, et servari, mandavit. » Hac die 15. Martii 1664.

2271. ASCULANA. Episcopus Asculanus supplicavit pro declaratione: An Diaconi assistentes semper debeant habere pacem a Subdiacono ministrante, sive ipsi Subdiaconus, et Diaconus ministrantes suscipiant de manibus Episcopi Sacram Communionem, sive non; vel potius ab Episcopo, quando ipsi Diaconus, et Subdiaconus ministrantes sunt Sacerdotes, et iam celebraverint, vel sint celebraturi, adeo ut non possint dictam Sacram Communionem de

manibus Episcopi suscipere. » Et S. R. C., inhaerendo Decretis alias editis, et signanter in una Bracharen. die 17. Iunii 1660., respondit: « Quod, quando Diaconus, et Subdiaconus ministrantes Sacram Communionem de manibus Episcopi celebrantis accipiunt, tunc debent accipere osculum pacis immediate ab eodem Episcopo, ut in Libro Caeremoniali cavetur; sed si fuerint Sacerdotes, et iam celebraverint, vel sint celebraturi, tali casu debere accipere pacem ante ipsos primo loco Presbyterum assistentem cum Pluviali, ut illum per Chorum distribuat, et deinde Diaconum, qui cantavit Evangelium ab eodem Episcopo, et illum Subdiacono dare; Subdiaconum vero Diaconis assistentibus, adeo ut Diaconi assistentes utroque casu, et semper debeant habere a Subdiacono ministrante. » Et ita servari mandavit. Die 24. Maii 1664.

2272. CAVEN. Episcopus Caven. instituit pro declaratione infrascriptorum Dubiorum S. R. C.

1. An liceat Episcopo in quacumque Ecclesia etiam Regularium suae Dioecesis erigere baldachinum, praesertim quando personaliter interest functionibus Ecclesiasticis, sive dum habetur sacra concio, illud erigi facere e regione pulpiti tamquam in loco digniori. ?

2. An permitti debeat, quod Canonicus suae Cathedralis, qui officium magistri Caeremoniarum pro tempore exercet associetur Acolythum, quando in Missa solemnii, seu in Vesperis accedit ad incensandum Magistratum saecularem videlicet Syndacos, Electos, Gubernatorem, aliosque Officiales ipsius inibi collegialiter assistentes ?

3. An possint, praefati Gubernator, regius Syndacus, et Electi Civitatis in Processione, quae fit singulis annis in festo SS. Corporis Christi, incedere cum fanalibus accensis post Episcopum deferentem subtus umbellam SS̄mum Sacramentum, vel potius omnes praedicti Magistratus teneantur incedere in huiusmodi Processione ante Crucem Cleri ?

Et S. eadem R. C. declaravit: Quoad 1. « Licere. » Quoad 2. « Tenetur associare. » Quoad 3. « Audiatur pars. » Die 24. Maii 1664.

2273. CALAGURITANA PRAEEMINENTIARUM.

Cum in Civitate Vianae Dioecesis Calaguritanae, quae caput est Principatus Regni Navarrae, duo extent insignes Ecclesiae Parochiales insimul unitae, an unum Monasterium Fratrum S. Francisci de observantia a 24. annis circiter fundatum, spatio dictorum annorum plures fuerint diversis

vicibus suscitatae lites, et controversiae inter Parochos, et Beneficiatos dictarum Parochialium, et Guardianum, et Fratres dicti Monasterii, tam super Processionibus, quae per dictos Regulares fiunt extra ambitum, et claustrum sui Conventus sine licentia, et permissione Parochorum; quam etiam super modo, et forma servanda per dictos Regulares in associatione, et tumulatione cada-verum. Quapropter, ne in posterum novae suscitentur discordiae, et dissensiones occasione praemissorum, sed inter dictos Parochos, et Regulares quies, et perpetua pax servanda sit, pro parte dictorum Parochorum, et Beneficiorum Ecclesiarum Parochialium Civitatis Vianae supplicatum fuit S. R. C. pro declaratione, seu resolutione infrascriptorum Dubitorum.

1. An liceat Regularibus S. Francisci Civitatis Vianae facere Processiones extra ambitum, et claustrum proprii Conventus cum Cruce elevata, aliisque Insigniis eundo per Parochias dictae Civitatis, et Territorium illarum, invitis, et contradicentibus Parochis?

2. An liceat dictis Regularibus simul cum Congregatione Saecularium nuncupat. 3. Ordinis S. Francisci noviter erecta in Civitate Vianae facere Processionem, quae dicitur *Via Crucis* per parochias dictae Civitatis, et Territorium illarum sine consensu Parochorum?

3. An sufficiat dictis Regularibus pro faciendis dictis Processionibus obtinere solam licentiam Ordinarii, vel copulative requiratur consensus Parochorum, attento quod non solum agitur de praevicinctio Episcopi, sed etiam Ecclesiarum Parochialium, quae defraudantur tam circa frequentiam Divinorum Officiorum, quam etiam quoad perceptionem emolumentorum, ac iurium Parochialium?

4. An praefati Regulares, quoties intersunt Processionibus, quae fieri solent pro aliqua necessitate, vel publica causa, teneantur accedere ad Ecclesias Parochiales, et una cum Clero ab Ecclesiis discedere, et expectare, donec terminatae sint functiones Ecclesiasticae dictarum Processionum; et an in dictis Processionibus, et Functionibus debeant incedere capite discooperto, prout faciunt Beneficiati, et Clerici dictarum Parochialium iuxta dispositionem Ritualis Romani?

5. An Corpora defunctorum in proprio Conventu possint dicti Regulares, antequam sepeliantur in Ecclesia eiusdem Conventus, illa extrahere, et processionaliter deferre per Parochias Civitatis, et territorium illarum; vel solum sit permissum intra ambitum, et claustrum Conventus huiusmodi functionem peragere?

6. An Religiosi vocati ad associandum aliquem defunctum teneantur accedere ad Ecclesiam Parochialem, ubi defunctus debet sepeliri, et una cum Beneficiatis, et Clero se conferre ad domum defuncti, vel potius sit eis permissum accedere absque Beneficiatis ad domum eiusdem defuncti, ibique expectare Beneficiatos, et Clerum dictae Parochialis; et an huiusmodi forma sit servanda, etiamsi talis defunctus sepeliri debeat in Ecclesia Conventus?

7. An dicti Religiosi possint in domo defuncti canere Officia defunctorum, Responsoria, Praeces, aliasque Orationes sine consensu Parochorum?

8. An dicti Religiosi teneantur exire conventualiter, et cum Cruce elevata extra portam Conventus; quotiescumque Parochi, et Beneficiati deferunt aliquem defunctum sepeliendum in Ecclesia Conventus; et permittere, ut Beneficiati ingrediantur in Ecclesiam, ibique relinquunt defunctum?

9. An praefati Religiosi valeant duo, vel tres, aut plures nomine totius Communitatis post humatum corpus defuncti in Ecclesia Conventus, et completas exequias, associare ad domum defuncti in consanguineos, vel alios amicos nuncupatos in dicta Civitate *Los de la honra*, ibique canere, et recitare Responsoria, et Orationes defunctorum?

10. An liceat dictis Regularibus, seu Religiosis in die Sabbati Sancti pulsare campanas, antequam pulsentur campanae Ecclesiarum Parochialium?

11. An dicti Religiosi debeant se abstinere a pulsatione campanarum tempore concionis, quae fieri solet in Ecclesia Parochiali S. Mariae dictae Civitatis, attenta vicinitate utriusque Ecclesiae?

Et S. eadem C. respondens, praefata Dubia ita resolvit, et declaravit. 1. « Non licere absque consensu Parochorum. »

2. « Ut supra, non licet Regularibus, et Congregationi tertii Ordinis. »

3. « Requirit ab Episcopo, et Parocho »

4. « Teneri accedere ad Parochialem, et in- tibus expectare; et non discedere, antequam sit terminata Processio, et extra Ecclesiam incedere capite cooperto, dummodo non deferatur Sanctissimum Sacramentum. »

5. « Non posse extra ambitum et claustrum. »

6. « Teneri accedere ad Parochialem, et una cum Clero ad domum defuncti, etiam quod in eorum Ecclesia sepeliatur. »

7. « Non posse absque Parochi consensu.
8. « Quando non comitantur defunctum, tentent exire conventualiter cum Cruce ad portam, et permitti, ut ingrediantur, et possint assistere exequiis, sed non canere.»
9. « Abstineant.»
10. Non licere ante pulsum campanae matricis Ecclesiae.»
11. « Vetitum non reperitur. Hac die 24. Maii 1664.»

2274. RAGUSINA.

Expositum fuit S. R. C. 1. Quod Dignitates, et Canonici Ecclesiae Metropolitanae parere renunt Decreto emanato ab hac S. R. C. sub die 14. Iulii 1658., quo declaratum fuit. Vicarium praefendum esse Dignitatibus, et reliquis Canonici, qui sacris non sint induti.

2. Quod sub praetextu modicae pluviae nolunt iidem Canonici Archiepiscopum associare a suo palatio ad Ecclesiam cappa indutum, vel e contra?

3. Quod Dignitates praetendunt sedere in Choro super pulvinaribus?

Et S. eadem C. mandavit: Quoad 1. « Archiepiscopus faciat servare Decretum.»

Quoad 2. « Teneri Canonicos associare Archiepiscopum, et posse cogi.»

Ad 3. « Non competere Dignitatibus usum pulvinarium, » Et ita servari mandavit. Die 24. Maii 1664.

2275. FIRMANA.

Quicumque sive Saeculares, sive Regulares Clerici, qui ad funus associandum vocati fuerint, ne recta via pergant ad domum defuncti, ibique, vel per vias expectent, etiamsi in eorum Ecclesia mortuus sit sepeliendus, sed in Parochiali, vel in alia commodiori de consensu Parochi congregentur, et inde una cum Parocho ad locum, unde cadaver asportandum erit. S. R. C. ad preces Praepositi S. Luciae Terrae Lori, « supradictum Decretum per Eñum Archiepiscopum Firmanum in sua Synodo Dioecesana factum, nedum adprobandum, sed etiam eidem Archiepiscopo committendum esse iudicavit, sicuti committit; et mandat, ut auctoritate ipsius S. C. tam Saeculares quam Regulares totius suae Dioecesis, et praecipue Fratres Minores Conventuales S. Francisci dictae Terrae Lori, omnesque alios inobservantes, vel illi parere minime curantes, omni iuris remedio, etiam per censuras ad totalem illius observantiam cogat, et compellat. » Die 24. Maii 1664.

2276. TROIANA.

« Abusum deferendi Crucem per Subdiaconum, vel Diaconum non Canonicum ultimo loco ordinatum in Processione, iuxta ritum Ecclesiae faciendam post benedictionem Palmarum in Ecclesia Cathedrali Troiae contra dispositionem Caeremonialis introductum, S. R. C., tollendum, et in posterum omnino servandum esse Caeremoniale ad formam Decreti Episcopi, » declaravit. Die 24. Maii 1664.

2277. TROIANA.

S. R. C. declaravit, « omnino servandum esse Caeremoniale cap. 18. et 23. lib. 1. de modo surgendi, thurificandi chorum duarum Dignitatum capitularium, et chorum aliarum duarum assistentium Cathedralis Troiae. Die 24. Maii. 1664.

2278. ALBINGANEN.

Cum S. R. C. pluries, et perpetuo, et ultimo loco in una *Canarien. die 15. Martii proxime praeteriti*, inhaerendo aliis Decretis, declaraverit, « Confraternitatibus Laicorum, et Regularibus non licere facere Processiones extra claustra eorum Ecclesiarum dicta claustra habentium, et si non habeant extra limites, et ambitum illarum, hoc est prope muros, nisi de licentia, consensu et cum Cruce Parochi, exceptis tamen Ecclesiis, quae habent in hoc speciale privilegium. Hinc eadem S. C., ad tollendas ultiores controversias inter Capitulum Cathedralis Civitatis Albinganen. ex una, et Regulares S. Dominici, et Conventuales S. Francisci eiusdem Civitatis partibus ex altera, nuper ortas, occasione Processionum per ipsos Regulares diversis anni temporibus ibi fieri solitarum, prout supplicii libello enunciatum fuit: « Episcopo committendum esse, *iudicavit*, observantiam supradicti, et aliorum Decretorum desuper editorum, iniungendo eidem ut, auctoritate etiam S. C., Regulares praedictos cogat ad faciendas Processiones per eos fieri solitas, ut supra disponitur, nisi doceant de speciali privilegio. » Hac die 12. Iulii 1664.

2279. ALIFANA.

Quaerente Episcopo Alifano a S. R. C. Ad, stante Decreto ipsius S. C. *die 14 Novem. 1615. in una Pisauren.*, quo declaratur, Fratribus Ordinis S. Dominici licere in vim literarum Clementis VIII. facere per vicos, plateas, et loca ab eis semel electa Processionem Corporis Christi per eos in dicta civitate Pisauri fieri solitam Dominica infra Octavam dictae festivitatis, hoc censeatur permissum in dicta Civitate et Dioecesi Alifana absque eo, quod dicti Fratres tenean-

tur pro qualibet vice petere licentiam ab Ordinario loci?

Eadem S. C. censuit, « quoad petitionem licentiae servandam esse consuetudinem, et solitum. » Hac die 12. Iulii. 1664.

2280. BITUNTINA.

Dum S. R. C., ad relationem Emi Azzolini, ad sedandas controversias inter Dignitates, et Canonicos Cathedralis Bitunti die 23. Iulii 1661. declaraverit, « in Missis solemnibus Canonicos, et non inferioris ordinis praebendatos, teneri inservire in officio Diaconi, et Subdiaconi Dignitatis et Canonicis, seus autem in vesperis, caeterisque horis Canonicis, iuxta dispositionem Caeremonialis lib. 2. cap. 3., *At quia* Caeremoniale d. cap. 3. disponit in casu, quo est praesens Episcopus; ideo Canonici Diaconi, et Subdiaconi quaerunt.

1. An tali servitio teneantur, etiam absente Episcopo?

2. An illud verbum *in solemnibus* intelligatur de Festivitatibus solemnibus primae classis alias declaratis a S. C., vel etiam Dominicis anni et aliis Festivitatibus, quibus Canonici Presbyteri ex eorum devotione celebrare, et Missam canere volunt?

3. An teneantur, quando Canonici Presbyteri cantant Missam extra propriam Ecclesiam Cathedralis?

Et S. eadem C. respondit, Ad 1. « Teneri, etiam absente Episcopo. »

Ad 2. « Intelligendum esse de illis Festis, in quibus tenentur celebrare ex obligatione Capituli. »

Ad 3. « Non teneri, nisi celebrent extra Ecclesiam ex obligatione Capituli. » Hac die 12. Iulii 1664.

2281. DALMATIARUM

Supplicante S. R. C. Episcopo Corzolae, ad tollendas controversias inter infradicendos pro declaratione: An praecedentia tam in sedendo, quam in Processione debeatur Curatis Villarum, qui sunt Presbyteri Saeculares, vel potius Guardiano Fratrum S. Francisci Minorum Observantium, et Priori Ordinis S. Dominici, quando simul omnes conveniunt in consecratione Olei sancti per ipsum Episcopum facienda?

Et S. C. declaravit: « Deberi Sacerdotibus Saecularibus? » Hac die 12. Iulii 1664.

2282. IANUENSIS.

Stephanus Saulus exposuit S. R. C. eius antecessores ad favorem Ecclesiae non tamen Collegiatae sic disposuisse. « Necnon una die cuiuslibet

hebdomadae in perpetuum, et in saecula saeculorum dicere, cantare, et celebrare etiam teneantur omnes dicti RR. Rector, et Presbyteri Missam unam defunctorum in cantu pro anima sua, et suorum: » unde quaesivit: An aliqua die infra Octavam Corporis Dñi cantari possit Missa una de Requite?

Eadem S. C. declaravit: « Non obstat dispositio contraria. » Hac die 12. Iulii 1664.

2283. MONOPOLITANA.

Cum S. Ianuarius fuerit declaratus a S. R. C. Patronus principalis Regni Neapolis, Civitas Monopolis supplicavit declarari.

1. An in die festo dicti Sancti fieri debeat Officium sub rit. dup. cum Octava?

2. An de S. Ianuario tantum, vel etiam de Sociis, et cum Octava?

3. Ad quem diem sit transferendum Officium Sociorum, quando fieri debeat de solo S. Ianuario?

Et eadem S. C. respondit Ad 1. « Affirmative. »

Ad 2. « *De solo S. Ianuario Patrono.* »

Ad 3. « Ad primam diem non impeditam. » die 12. Iul. 1664.

2284. ROMANA.

Commissarius generalis Ordinis Minor. de Observantia S. Francisci humillime supplicavit S. R. C., quatenus declarationes in infrascriptis Dubiis dignetur emanare, ut de caetero in omnibus dicti Ordinis Ecclesiis uniformiter conveniant in observatione Rubricae, eo quod ob diversitatem Rubricarum in variis typis impressarum, quae a Breviario Romano differunt, minime in recitatione concordant, videlicet.

1. Dedicatio Basilicae Salvatoris, si concurrat cum festo Translationis S. Ludovici, quod celebratur sub die 10. Novembris sub rit. dup. min. per annum, et similiter dictum festum Translationis concurrens cum festo S. Martini, quomodo erit ordinandum Officium in utriusque Vesperis?

2. Festum S. Antonii de Padua, quod in Religione celebratur sub ritu dup. 2. clas., si occurrat in die Corporis Christi debeat transferri post Octavam, vel fieri in Sabbato infra eandem?

3. Stante concessione Pii V. fel. rec. quod Fratres Minores possint in qualibet fer. 5. per annum festo novem Lectionum non impedita, recitare Officium Corporis Christi (exceptis temporibus Adventus, et Quadragesimae) sub illis verbis (iuxta illud, quod in eius Breviario Romano in eius solemnitate die recitandum pro-

ponitur, recitare licite, et libere valeatis) debeant recitare eo modo, et forma, quo in dicta die praescribitur? quidve de Missa Conventuali?

4. An in secundis Vesperis Octavae S. Bonaventurae concurrentis cum festo S. Mariae Magdalenaee debeat fieri commemoratio Octavae, vel a Capitulo de festo S. Mariae Magdalenaee?

5. An Officium proprium S. Elisabethae novissime ex indulto SS. D. N. Urbani VIII. fel. rec. editum, et in Breviario Romano appositum debeat, et possit a Fratribus Minoribus recitari, et in eorum Breviario apponi?

6. Quanam erunt Lectiones primi Nocturni in Officio Beatorum Ordinis, quod sub rit. dup. mai. per annum celebratur?

7. An in Missa dictorum Beatorum debeat dici *Credo*?

8. Quae ritus cuius ordinis sint festa Dedicationis Basilicarum S. Martini, et S. Mariae Magdalenaee?

Et eadem S. R. C. respondit.

Ad 1. « Servari Rubricas generales in concurrentia duplicium minorum.

Ad 2. « Transferri post Octavam. »

Ad 3. « Deberi recitari ut in die, et Missa de communi, seu votiva. »

Ad 4. « A capitulo S. Mariae Magdalenaee. »

Ad 5. « Posse et debere. »

Ad 6. « De Communi. »

Ad 7. « Negative »

Ad 8. « Duplicia minora. Et etiam eadem S. R. C. voluit, et praecepit, ut in posterum omnes Fratres dicti Ordinis Minor. Observantiae, qui ad divina Officia sunt obligati, teneantur observare Rubricas eodem modo, et forma desuper declaratas, » et ita servari mandavit. Hac die 12. Iulii 1664.

2285.

SYRANA.

Cum Episcopus Syranus in Arcipelago transmiserit ad S. C. de Propaganda Fide infrascriptos ordines, praecepta, seu edicta prohibitoria per ipsum facta, et publicata contra Fratres Capuccinos, scilicet.

1. Ne Capuccini faciant amplius Processiones ab eis per Civitatem secunda Dominica cuiuslibet mensis fieri solitas, neve amplius, sub poena peccati mortalis, utantur opera, et servitio saecularium in Choro, et Sacristia: neve aliquem in posterum induere possint veste coloris nigri, et bireto pro servitio in Divinis.

2. Ne exponant SSmum diebus Dominicis, cum sit praeiudiciale Confraternitati eiusdem Sanctis-

simi erectae in domo, ubi Sanctissimum solemniter conservatur.

3. Ne utantur Pluviali.

4. Ne amplius in posterum recitent Litanias per eos recitari solitas non approbatas, donec exhibeatur licentia S. R. C.

5. Ne accedant domibus eius dioecesanorum, et subditorum cum Stola, et Crucifixo, et Rituale a Romano diverso.

Per Illmum, et Rmum Albitium dictae S. C. de Propaganda Fide Secretarium fuerunt transmissa ad S. R. C. cum de re ad eam spectante agatur; et eadem S. R. C. consideratis, ac etiam mature perpensis replicationibus Capuccinorum per eundem Episcopum transmissis, decrevit, « ut ipsi Capuccini pareant Episcopo in omnibus: ideoque ad observantiam omnium praedictorum per eundem Episcopum, etiam auctoritate S. C., sub censuris, aliisque poenis cogi, et compelli posse, atque debere, » iussit et mandavit. Hac die 12. Iulii 1664.

2286.

TAURINEN

Capitulum, et Canonici Collegiatae Senarum Montis Regalis Dioecesis. Provinciae Taurinensis, ad tollendas ultiores controversias cum Archiepiscopo eiusdem loci, institerunt S. R. C. pro declaratione infrascriptorum Dubiorum, videlicet.

1. An Processiones pro Litiis maioribus Rogationum, occasione Iubilaei, necnon pro pace, pluvia, vel serenitate petenda, inter generales censeri debeant?

2. An Parochus Matricis Ecclesiae possit ad suum libitum inchoare generales Processiones, non expectatis Canonicis Collegiatae, vel potius eligenda sit competens hora, videlicet, ut post decantatum Matutinum, vel immediate ante Missam capitularem, sive post illam decantatam?

3. An generalibus Processionibus praedictis Parochus interesse debeat personaliter, et non per substitutum, maxime dum Capitulum Collegiatae eidem interfuerit?

4. An Decreta alias per dictam S. C. emanata, quod Capitulum Collegiatae in omnibus sit praeferendum Archiepiscopo matricis Ecclesiae, quamvis Archiepiscopalis Ecclesia sit unica Parochialis, et Collegiata animarum cura penitus careat; et quod cum Capitulum ab haeredibus invitatum fuerit ad levanda funera, debeant omnes tam saeculares quam regulares convenire in Ecclesia Collegiata, et sub unica Cruce Capituli incedere, debeat servari etiam in Processionibus generalibus, in quibus inceditur etiam cum Cruce

Parochi, et nullum afferri potest praeiudicium iuribus parochialibus, et Parochi; et quis debeat facere functiones benedicendi campos, et maledicendi animalia, et a quo debeat praescribi, et intimari hora huiusmodi Processionum?

5. An Archipresbyter in propria Parochia assistens, tam in Vesperis, ac Missis decantatis, quam in concionibus, uti possit habitu Proto-notarii?

6. An, dum Capitulum fuerit invitatum ad funus, et illud renuat Parochus levare, possit idem Capitulum ab haeredibus requisitum illud levare, praevia tamen protestatione Parochi facienda?

7. An officium faciendum in Ecclesia Collegiata, circa funus ad eandem delatum pro sepultura, spectet ad Parochum, vel potius ad Dignitatem Collegiatae?

Et eadem S. C. respondit. Ad 1. « Affirmative. »

Ad 2. « Non posse, sed spectare ad Collegiatam Ecclesiam, et indicenda est hora conveniens. »

Ad 3. « Dum non obstat legitimum impedimentum, debet personaliter interesse. »

Ad 4. « Affirmative, et functiones benedicendi spectare ad Parochum, et hora debet praescribi, et intimari a prima Dignitate Collegiatae. »

Ad 5. « Posse requisito, et expectato Parocho nolente, venire. »

Ad 6. « Ad Dignitatem Collegiatae. » Hac die 12. Iulii 1664.

2287. ARETINA.

Instantibus Canonicis supranumerariis Civitatis Aretii pro revocatione Decretorum a S. R. C. die 4. Augusti proxime praeteriti, ad preces Episcopi Aretini editorum, quibus declaratur.

1. « Non esse permittendum, quod Canonicus non consecratus, Episcopo celebranti assistat amictu Sacerdotali indutus. »

2. Canonicos supranumerarios etiamsi antiannos, non tamen consecratos, non posse praecedere Sacerdoti. »

3. « Dictos Canonicos teneri suscipere Sacros Ordines ad formam S. Concilii. »

Et S. eadem C. respondit Ad 1. et 2. « Standum esse in decretis, praetensa dictorum Canonorum supranumerariorum institutione, et consuetudine Cathedralis per eos exhibita, et allegata non obstantibus. »

Et quoad 3. « remisit ad S. C. Concilii. » Hac die 30. Augusti 1664.

2288. AQUIPENDEN.

S. R. C. declaravit, concedi posse, prout con-

cessit « Episcopo Aquipendentis facultatem cogendi, etiam sub censuris, aliisque eius arbitrio poenis, Regulares, et in casu proposito Augustinianos, et Conventuales S. Francisci ibi degentes ad deferendum in Processionibus Capuceum, et non pileum, et canendas litanias, et alias preces a Clero Saeculari cantari solitas. » Hac die 30. Augusti 1664.

2289. ASCULANA.

Ad terminandas controversias inter Capitulum, et Canonicos ex una, et Gregorium Piscem Archidiaconum Cathedralis, et Vicarium generalem partibus ex altera, S. R. C., utraque parte plene informante, ad infrascriptas declarationes devenit.

1. Confirmavit Decretum editum « die 15. Martii proxime praeteriti non licere Canonicis occupare sedem Archidiaconi celebrantis. »

2. « Capitulum, et Canonicos, quando in processionibus deferuntur Reliquiae ad Ecclesias Regularium, terminata functione, ac data benedictione per illas deferentem, teneri, et cogendos esse expectare ipsum deferentem, donec sibi mutaverit habitum, et in casu proposito Archidiaconorum, quando ab eo deferuntur, asserta consuetudine in contrarium allegata non obstante. »

3. « Dictum Archidiaconum, licet etiam Vicarium, quando intervenit in Choro cum habitu Proto-notarii, non gaudere distributionibus quotidianis. »

4. « Ius deferendi Reliquias S. Crucis, et Spinae inter ipsum Archidiaconum, et Decanum Canonorum spectare ad digniorem in casu proposito. »

5. « Absolutionem Mortuorum ibi fieri solitam, qualibet 2. feria non impedita, spectare ad Archidiaconum, non autem ad Canonicum antiquiorem, dictoque Archidiacono impedito, ad digniorem. »

6. « Invocationem, seu Orationem Spiritus Sancti, quando convocatur Capitulum, spectare ad digniorem. »

7. « An dicto Archidiacono in Missis privatis liceat sibi inservire facere per Subtus Sacrestanum cum veste talari, et Cotta linea? S. C. non reprobavit, sed declaravit, « non posse compellere. »

8. « Archidiaconum, licet etiam Vicarium, non posse abstinere se a Choro, et gaudere distributionibus quotidianis. »

9. « Quoad delationem facis maioris in Processionibus, Archidiaconus respondit: non curari, ideo etc. » Hac die 30. Aug. 1664.

2290. **BERGOMEN.**
Proposito Dubio in S. R. C. per Eñum Al-
dobrandinum inter Canonicos Sacerdotales ex
una, et Canonicos Diaconales et Subdiaconales
partibus ex altera Ecclesiae Bergomen; An, et
cui danda esset praecedentia, etiam ad effectum
manutentionis.

Eadem S. C. utraque parte informante, de-
claravit: « Praecedentiam deberi Canonico Prae-
bendae Presbyteralis, non obstante, quod ipsi Dia-
coni, et Subdiaconi essent antiquius admissi ad
Canonicatum, ac etiam non obstante in casu pro-
posito allegata per ipsos Diaconos et Subdiaconos
consuetudine dictae Ecclesiae in contrarium. » Hac
die 30. Augusti 1664.

2291. **CAMERINEN.**

PRAECEDENTIAE.

Ortis controversiis inter Priorem Antonium
Vallemanum Rectorem, et Curatum Parochialis
Ecclesiae S. Antonii ex una, et Curatum, et Can-
onicos Collegiatae Mathelicae super praecedentia
inter ipsos, tam in funeralibus, quam in proces-
sionibus: et deducente ipso Vallemano deposi-
tiones plurium Personarum adesse loci consuetu-
dinem in funeralibus, scilicet, quod, quando ca-
daver defertur ad alienam Ecclesiam, Parochus
ipsius cadaveris non accedat, sed, data per ipsum
propriam Parochum benedictione dicto cadaveri
in propria illius domo, illud consignet Parocho,
ad cuius Ecclesiam defertur, et proprius Parochus
recedat.

Et S. R. C. ad sedandas dictas controver-
sias, censuit, quoad associationem Cadaverum
« committendum esse Episcopo, ut servari faciat
dictam consuetudinem, quatenus adsit, non ob-
stantibus aliis Decretis ipsius S. C. favore ipso-
rum Curati et Canonicorum Collegiatae in iisdem
funeralibus editis anno 1640. et per eosdem in
praesenti allegatis. Et quoad praecedentiam in
aliis processionibus, non competere dicto Priori
Vallemano, nullamque tali casu assertae Digni-
tatis propter Prioratum habendam esse rationem,
declaravit. Hac die 30. Aug. 1664.

2292. **SUTRINA.**

Orta controversia inter Episcopum Sutrinum
ex una, ac Priores Ronellionis partibus ex al-
tera, super eo, quod Episcopus praetendebat ipsos
Priores teneri, et obligatos fuisse deferre baldachinum, illumque associare, et obsequia ei praestare, quando ipse, ultra primam etiam vicem, accedit in visitatione.

S. R. C. referente Eño Brancatio, declaravit:
« Priores laudandos, non autem compellendos esse

ad praedicta, asserta consuetudine loci in con-
trarium per Episcopum allegata, nec plene pro-
bata, non obstante. Die 30. Aug. 1664.

2293. **SENOGALLIEN.**

Ad preces Raphaelis Bernabini Rectoris Pa-
rochiae S. Mariae Sportonis Dioecesis Senogal-
liensis, S. R. C., declaravit: « Confraternitati
dicti loci sub invocatione SSmae Conceptionis
B. M. V. erectae in Ecclesia Reformatorum
non licere associare cadavera sine licentia, et in-
terventu Parochi, et propriam erigere Crucem
contra formam Decretorum ipsius S. C., quae
proinde servari » mandavit. Hac die 30. Augu-
sti 1664.

2294. **SUTRINA.**

Pro parte Placidi Lodani Sacerdotis Curati
Terrae Trivignani Sutrinae Dioecesis humiliter
supplicatur S. R. C., quatenus dignetur declarare
an dignior Sacerdos, ad quem spectat candelam,
cineres, et palmam Sacerdoti celebranti in die
Purificationis, in fer. 4. Cinerum, et in Dominica
Palmarum ministrare, debeat ab eodemmet Ce-
lebrante supradicta accipere stans, vel flexis
genibus?

Et S. eadem R. C. respondit: « Stans. » Hac
die 30. Aug. 1664.

2295. **TUDERTINA.**

Relata per Eñum Franciottum controversia
inter Hieronymum Fredum Coadiutorem Prioris
Cathedralis Tuderti, qui, absente Priore Coadiuto,
praetendebat sedem ipsius Prioris Coadiuti in Choro,
et sic praecedere Archidiacono.

Et S. R. C. declaravit: « Dictum Coadiuto-
rem sedere debere post omnes Dignitates. » Hac
die 30. Aug. 1664.

2296. **AUGUSTENSIS.**

Breviarium Augustense Provinciae Tarasiensis
typis mandatum Taurini apud NN. Ioannis Do-
minici Tariri anno 1618., quod incipit a licentia
Episcopi Augustensis Ludovici Martini, data Au-
gustae die 20. Septembris 1612., et signata Pie-
coz, et a Decreto S. R. C. Romae die 30. mens-
is Augusti 1615. signato « Ioannes Paulus Mu-
cantius Presbyter Romanus I. V. D. sacrarum
Caeremoniarum Magister, et Sedis Apostolicae
Notarius, et Secretarius S. R., et desinit per Ora-
tionem pro Patre, et Matre, in quo Breviario,
incipiendo a Psalterio disposito per hebdomadas
usque ad dictam Orationem pro Patre, et Matre
defunctis sunt folior. 552. et in S. R. C. die
30. Augusti proxime praeteriti exhibitum per
Vicarium generalem Episcopi Augustensis cum ve-
nerit ad limina.

Eadem S. R. C., ad relationem Em̃i Brancacii, cui commissa fuit illius decisio, (forte revisio) declaravit: supradictum Breviarium esse illud reformatum alias eidem S. C. exhibitum, et per eandem Congregationem, referente Em̃o Bellarmino, non approbatum, ideoque denuo prohibendum, ac omnino eliminandum, et abolendum esse, censuit. Insuper declaravit, continere in se multas historias falsas, hymnos insipidos, et ridiculos, rubricas non solum contradicentes communi Ecclesiarum ritui, sed etiam confusas; prout prohibuit, aboleri, et eliminari voluit, et mandavit. De sanctis vero patronis illius Ecclesiae, mandavit exhiberi Lectiones proprias approbandas ab ipsa S. C. atque interim utantur Breviario Romano, prout etiam uti voluit, et mandavit. Hac die 22. Novembris 1664.

2297. CALAGURITANA.
Cum alias S. R. C. multa decreverit, super usu Pontificalium Praelatis Episcopo inferioribus concessorum, prout in eius *Decreto generali sub die 27. Septembris. 1659.* edito in Congregatione ordinaria habita coram SS̃mo, ab eoque approbata, et pro omnimoda eorumdem observatione de ordine eiusdem typis impresso, et mandato; eadem S. R. C., ad instantiam Episcopi Calaguritani, declaravit, «vigore supradicti Decreti posse per Ordinarium eundem prohiberi, prout in eo disponitur, usum dictorum Pontificalium etiam Abbatibus Conventus S. Mariae Naxerae, S. Miliani Cucullae, Valvaturae Ordinis S. Benedicti, aliisque Abbatibus, et Praelatis inferioribus Dioecesis Calaguritanae, nisi doceant de legitimo, et valido privilegio in contrarium, quod sit in viridi observantia, vel quod alias sibi legitime competat praedictorum usus.» Die 22. Nov. 1664.

2298. CAVEN.
Iterum proposita per Em̃um Franciottum causa inter Magistros, et Confratres Cappellae B. M. Pietatis, contra Parochos Ecclesiae S. Michaelis Archangeli super infrascriptis dubiis, nempe.

1. An Parochus possit exercere solemnia in Cappella B. M. Pietatis.
2. An eadem die qua solemnia celebrantur in Ecclesia Parochiali, valeat Cappellanus solemnia peragere intus dictam Cappellam?
3. An Cappellanus possit reiterare functiones Parochi in exequis Confratrum?

Et S. R. C., audita relatione dicti Em̃i, atque bene mature perpensis depositionibus testium ab utraque parte examinatorum, et aliis hinc inde plene allegatis, respondit. Ad 1. «Licere dummodo non impediatur servitium Ecclesiae.»

Ad 2. «Non licere in solemnioribus ab Episcopo declarandis.»

Ad 3. «Non licere reiterare absolutionem iam factam a Parocho.» et ita servari mandavit. Die 22. Novembris. 1664.

2299. MINERBIEN.

Audita relatione Episcopi super controversia inter Archidiaconum primam Dignitatem, et Archipresbyterum secundam in Cathedrali Minerbiensi: ad quem ipsorum spectet ius celebrandi Missam, absente, vel impedito Episcopo diebus Palmarum, Cinerum, Candelarum, et Ascensionis Domini? S. R. C. declaravit: «Absente, vel impedito Episcopo, spectare ad illum, qui facit benedictionem Palmarum, Cinerum et Candelarum.» Hac 22. Novembris 1664.

2300. NUSCANA.

Supplicante Episcopo Nuscano pro declaratione infrascriptorum dubiorum; S. R. C. respondit, ut infra.

1. In qua parte Altaris erigi debeat sedes pro Duce, et Barone unius Terrae in sua Dioecesi? Respondit: «In cornu Epistolae.»

2. Quomodo sit recipiendus dictus Dux in Ecclesia, an ab Episcopo, et eius Canonicis? Respondit: «Ab Episcopo nullo pacto excipiendus; a Canonicis vero iuxta solitum.»

3. An Episcopus tam in Ecclesia, quam in palatio, quam demum quocumque alio in loco semper habere debeat manum dexteram a Duce, et Barone? Respondit: «semper praefereendus Episcopus, praeterquam in domo Episcopali, in qua humanitatis gratia, potest Episcopus dexteram deferre.»

4. An Dux thurificari debeat per Canonicos, et quot ductibus? Respondit: «Iuxta solitum, servata consuetudine Ecclesiae.»

5. An debeat dari pax, ante, vel post Canonicos? Respondit: «Iuxta solitum, servata pariter consuetudine Ecclesiae.» Hac die 22. Novembris 1664.

2301. TOLOSANA.

Ad expositionem RR. PP. Ordinis Praedicatorum Tolosae ad aures Em̃orum S. R. C. praepositorum devenit, Fratres Minores S. Francisci de Observantia eiusdem Civitatis, et Confraternitatem in eorum Ecclesia magni Conventus erectam sub titulo Conceptionis SS. Virginis Immaculatae, non sine magno populi scandalo, et spretu, renuisse, et irreverenter recusasse parere «Literae Apostolicae in forma Brevis a SS̃mo D. N. Alexandro VII. expeditae, sub dat. Romae apud S. M. M. sub anulo Piscatoris» die 18. Maii. prox. praet. su-

per observatione Decreti eiusdem S. C., referente Eño Franciotto, ac pluribus hinc inde plene informantibus, editi, *die 15 Martii prox. praet.* super prohibitione Processionis dictae Immaculatae, dictis Fratribus de Observantia prima Dominica cuiuslibet mensis, atque introductione, praedicatione, et instructione novi Rosarii, et sub titulo Seraphici, aut novem novemialium, vel alterius rationis, necnon super prohibitione aliquid innovandi in Litanis, vel exponendi tabellam, in qua B. V. Dei Mater det Rosarium SS. Francisco, et Clarae, prout latius in dictis Decreto, et Brevi, ad quae etc. Quamobrem eadem S. C., referente eodem Eño Franciotto, non obstante, quod dicti Fratres Minores de Observantia petierint audiri adversus iam resoluta, et quamplurima ad eorum favorem deduxerint, sic iterum decrevit: « Pareant omnino, et docto de partitione, audiantur. Interim vero scribatur, et committatur Archiepiscopo, qui curet observationem Decreti cum omnibus facultatibus de super necessariis et opportunis, ac etiam sub censuris si opus fuerit. » Hac die 23. Novem. 1664.

2302. BAREN.

Dignitates, et Canonici Ecclesiae Collegiatae Insignis S. Eustachii Terrae Aquaevivae supplicarunt S. R. C. pro declaratione infrascriptorum Dubiorum.

1. An de S. Eustachio Mart., Patrono Principali dictae Terrae, et Titulari dictae Ecclesiae Collegiatae, fieri debeat Officium dupl. de Com. plurimor. Mart. cum Octava, prout ab immemorabili servatum fuit, vel potius de Com. unius Mart., prout disponitur in Rubricis?

2. An de S. Ianuario Episcopo, et Mart. et Patrono principali Civitatis, et Regni Neapolis debeat fieri Officium de com. unius Mart., vel potius unitum cum aliis sociis prout fieri consuevit?

3. An in festivitibus dierum Patronorum tam principalium, quam minus principalium, Lectiones primi Nocturni sumi debeant de Scriptura currenti, et an in Missis dici debeat *Credo*?

4. An Regulares, et Moniales eiusdem Terrae teneantur facere Officium Dedicationis dictae Collegiatae tamquam de insigni, et maiori Ecclesia?

Et eadem S. C. respondit. Ad 1. « Servandas esse Rubricas Breviarii Romani, et, non obstante quacumque consuetudine in contrarium etiam immemorabili, Officium S. Eustachii tamquam de principali, et solo Patrono loci, et Titulari dictae

Ecclesiae fieri debere de Com. unius Mart. absque commemoratione aliorum, qui transferri debeant ad primam diem festo novem Lectionum non impeditam, servata regula Rubricae.»

Ad 2. « Ut ad proximum. »

Ad 3. « De Patronis principalibus tam Officium, quam Missa uti de dup. primae class.; et ideo loco primi Nocturni, si non adsunt propriae, sumi debeant de Communi. De Patronis minus principalibus uti de duplici maiori per annum. »

Ad 4. « De Titulari Ecclesiae Cathedralis, et Patrono teneantur, sed in die tantum, non per Octavam. » Die 22. Novem. 1664.

2303. BOVINA.

Episcopus Boviae supplicavit S. R. C. pro declaratione infrascriptorum Dubiorum.

1. An eius Vicarius generalis sedere debeat in Choro, vel extra in Presbyterio?

2. Quatenus sedere debeat; in quonam stallo sedere debeat?

3. An ipse Vicarius sit thurificandus?

4. Quando sit thurificandus: an thurificari debeat ante, vel post Dignitates, et Canonicos?

Et eadem S. C. respondit: Ad 1. « Dandum esse locum in Choro. »

Ad 2. « Iuxta consuetudinem Ecclesiae. »

Ad 3. « Esse thurificandum. »

Ad 4. « Iuxta consuetudinem Ecclesiae. » Et ita servari mandavit. Hac die 22. Nov. 1664.

2304. NOVARIEN.

Ad preces Capituli et Canonicorum Ecclesiae Novariensis, S. R. C. declaravit: « Anniversaria, et Missas cantatas de Requie relictas ex dispositione Testatorum, quotannis in die ipsorum obitus etiam in duplici maiori contingentes, posse celebrari, et non comprehendi in Decreto ipsius S. C. edito *die 5. Augusti 1662.*, et a SS. D. N. approbato de Missis Defunctorum privatis non celebrandis in festo duplici. Hac die 22. Novembris 1664.

2305. ETRURIAE.

Cum ex privilegio Apostolico Religio Servorum possit, et valeat recitare Officium SS. Sacramenti qualibet feria V., et illud B. V. qualibet die Sabbati sub rit. semidup., dummodo dictae dies non sint impeditae Officio novem Lectionum, et exceptis Adventu, Quadragesima, et Vigiliis; et cum multoties eveniat, quod sit remittendum Officium alicuius Sancti, aliisque de causis translatum: ideoque Rector, et Patres Montis Senarum in Etruria eiusdem Ordinis, ad tollenda multorum dubia, supplicarunt S. R. C.

pro declaratione: an dictis diebus dicendum sit Officium translatum, vel potius SS. Sacramenti, et B. V. ex dicto privilegio, prout hactenus consueverunt?

Et eadem S. R. C. respondit: « Translatum ulterius protrahi, et Officium fieri iuxta privilegium, stante praesertim laudabili consuetudine. » Hac die 22. Novembris. 1664.

2306. CUSENTINA.

Curati Ecclesiarum Civitatis Paulae conquesti sunt de Fratribus Augustinianis Civitatis Paulae, eo quia dicti Fratres deferre praesumunt Stolum in funeribus suae Curae, contra formam Decreti alias editi, etiamsi defunctus sepeliatur in Ecclesia Regularium.

Et S. C. scribi iussit « Archiepiscopo, qui curet omnimodam illius executionem, et observantiam, cum facultatibus necessariis, et opportunis quatenus opus sit. » Die 17. Ian. 1665.

2307. ALBINGANEN.

« Regulares Civitatis Albengae, et praecipue Franciscanos, qui die 24. Novembris proximi, contra solitum, recusaverunt accedere ad Processionem in die Festo S. Verani Episcopi, et Protectoris dictae Civitatis; seque declararunt nolle in posterum neque ad illam, neque ad alias accedere, cogendos esse ad praedictam, et alias Processiones solennes in dicta Civitate tam ex devotione, quam ex voto fieri solitas, » S. C. declaravit, et iussit. Hac die 24. Ianuarii 1665.

2308. AQUINATEN.

Cum ad aures Eñorum S. R. C. praepositorum devenerit, Capitulum, et Canonicos Terrae Roccae Guglielmae permisisse, et consensisse non solum in nobiliori loco Presbyterii collocari sedem cum genuflexorio pro Governatore generali Principis Huburgh Domini, et Patroni dicti loci, sed etiam amoveri sediles fixos pro Canonicis, et asportari ad alium locum: Eadem S. C. declaravit: « Non licuisse, neque licere dicto Governatori habere sedem tam intra, quam extra Presbyterium; ideoque omnia reduci in pristinum, dictamque sedem ab Ecclesia removeri » iussit, et mandavit. Hac die 24. Ianuarii 1665.

2309. CUSENTINA.

S. R. C. propositis Dubiis per Capitulum, et Clerum Cusentinum respondit, ut infra:

1. An ius deferendi Stolum in associandis cadaveribus sepeliendis in Ecclesiis Regularium, spectet ad Curatum cadaveris, vel ad unum ex Regularibus, ad quorum Ecclesiam defertur? Respondit: « Ad Curatum. »

2. An servanda sit consuetudo immemorabilis

elevandi, et deferendi solam Crucem Cathedralis in funeribus, per unum ex Parochis ipsius Cathedralis; etiam Capitulo non interveniente, sed solo eius Parocho? Respondit: « Servandam esse consuetudinem immemorabilem, quatenus adsit. »

3. An delato, et exposito cadavere in Ecclesia Regularium, ipse Parochus possit super eo intonare: *Regem, cui omnia vivunt*, et alia? Respondit: « Negative. »

4. An servanda sit consuetudo immemorabilis intonandi ab ipso Parocho, et facta intonatione recedendi? Respondit: « Affirmative, quatenus adsit, » et ita declaravit. Die 24. Ianuarii 1665.

2310. NUCERINA.

S. R. C., inhaerendo Decretis alias desuper editis, declaravit: « Non posse prohiberi celebrationem Missae in Ecclesia sub titulo S. M. Carminis posita in Villa Tavernarum prope viam Romanam in Territorio Castri Dugnani, et extra moenia dicti castri, ac de iure Patronatus Scipionis, et Fratrum de Iacomis, Angeli Felicis, et Laurae eius Uxor, antequam celebretur Missa in Ecclesia Parochiali dicti castri Dugnani, prout etiam prohiberi non posse, *censuit*, ne in solemnioribus ullo modo celebretur, ideo celebrari posse concessit, Decreto Vicarii in contrarium non obstante. » Die 24. Ianuarii 1665.

2311. PARMEN.

Episcopus Parmae, pro celebrando Festo S. Hilarii Protectoris principalis dictae Civitatis cadente in die Octava Epiphaniae, et recitando illius Officio, prout fiebat anno 1600., supplicavit pro translatione dictae Octavae.

S. R. C. declaravit: « Officium esse faciendum de Octava; Missas vero posse recitari duas, unam de festo, alteram de Octava. » Hac die 24. Ianuarii 1665.

2312. PRAENESTINA.

« Quando cadaver defertur ad Ecclesiam S. Stephani, et Regularium S. Augustini Terrae Cavae, et Collegiata eiusdem loci non accedit uti Capitulum, et capitulariter, tunc ius deferendi Crucem spectare ad ipsos Regulares, » S. R. C. declaravit. Hac die 24. Ianuarii 1665.

2313. VESTANIEN.

Super Dubio: ad quemnam spectet dare signum in Choro pro incipiendo Matutino, et Vespere? ab Archidiacono Vestanen. proposito adversus Vicarium generalem Episcopi, qui etiam est Canonicus, et intervenit actu (*forsan habitu*) canonicali:

S. R. C. respondit: Spectare ad Hebdomadarium, impedito Magistro Caeremoniarum, non

autem ad primam Dignitatem. » Hac die 24. Ianuarii 1665.

2314. CUSENTINA.

Capitulum, et Clerus Civitatis Cusentinae supplicarunt pro declaratione: an servanda sit consuetudo immemorabilis deferendi in functionibus tam Crucem Capituli, quando intervenit, quam Parochorum eiusdem Cathedralis?

Et S. C. respondit: « Servandam esse consuetudinem immemorabilem, quatenus adsit. » Hac die 21. Martii 1665.

2315. LABACENSIS.

S. R. C. declaravit: « Episcopo Labacensi in Pontificalibus celebranti extra Ecclesiam Cathedralis in Civitate tamen, et suburbis, teneri Canonicos eiusdem Cathedralis illi inservire, et ministrare tam in Missa, quam in aliis functionibus Episcopalibus solemnibus. Neenon, cum Canonici dictae Cathedralis non sint nisi quatuor, et duae Dignitates, et multoties accidit, quod unus, vel alter absit, causa infirmitatis, vel alia licita causa, in quo casu repugnant Canonici simul cum aliis Sacerdotibus non Canonicis, qui in supplementum assumuntur, Episcopo Pontificaliter celebranti inservire, et ministrare, praetendentes, quod Episcopus teneatur totum numerum ministrorum necessariorum assumere ex dictis Sacerdotibus non Canonicis, quodque ipsi Canonici assistere tantum debeant penes Episcopum in habitu Canonicali.

Eadem S. C. declaravit: « Dictos Canonicos teneri ad inserviendum, et ministrandum Episcopo Pontificaliter celebranti una cum Sacerdotibus non Canonicis, et Episcopum posse ad id eos compellere. » Hac die 21. Martii 1665.

2316. CIVITATIS MASSAE.

« Ius benedicendi Palmas, exponendi SS. Sacramentum in Coena Domini, et faciendi alias functiones ecclesiasticas in Ecclesia Collegiata S. Petri Civitatis Massae, defuncto, vel absente Abbate, spectare ad Canonicum hebdomadarium, non autem ad Canonicum antiquiorem, et Decanum Capituli, » S. R. C. declaravit, et ita servari mandavit. Hac die 21. Martii 1665.

2317. RAVENNATEN.

Ad relationem Em̃i Pallotti, et partibus hinc inde informantibus, S. R. C. declaravit, « quod accedente Archiepiscopo ad Ecclesiam S. Vitalis una cum Capitulo Metropolitanae, ad exercenda in die festo eiusdem S. Vitalis Pontificalia, debet Abbas dictae Ecclesiae S. Vitalis praebere, tradere, et porrigere aspersionem aquae benedictae immediate Archiepiscopo, non autem Archidiacono di-

ctae Metropolitanae, vel alteri de Capitulo eiusdem, qui illud porrigat dicto Archiepiscopo. » Neenon super alio dubio, scilicet: an tota die festi S. Vitalis possit dictus Archiepiscopus tenere erectum in dicta Ecclesia Baldachinum, quamvis secundis Vesperis ipse non assistat; vel potius post meridiem dicti festi levare, et aliud pro dicto Abbate erigi debeat, prout ipse Abbas usque adhuc servatum fuisse praetendit.

Eadem S. C. respondit: « Quod si ipse Archiepiscopus non sit celebraturus, mandet deponi tempore opportuno. Quo vero ad usum mozzettae melius informari, et doceri de speciali privilegio. » Hac die 21. Martii 1665.

2318. SALERNITANA.

« Lectis Literis Archiepiscopi Salernitani, et visis, et mature perpensis hinc inde deductis super controversia inter Canonicos Cathedralis, et Civitatem, illiusque Magistratum Salerni, scilicet: An ipsa Civitas, et Magistratus thurificandus sit a Diacono Canonico quamvis mitrato, et cum aliis insignibus, ut ipse Magistratus praetendit, vel potius ab Acolyto, prout Canonici usque adhuc servatum fuisse assueverunt? S. R. C. censuit: « Servandum esse solitum a Canonicis deductum, scilicet quod Civitas, et Magistratus thurificentur ab Acolyto; et si Civitas, et Magistratus habeant aliquid in contrarium, deducant in S. R. C. » Hac die 21. Martii 1665.

2319. SENOGALLIEN.

S. R. C. censuit: « Antiphonam in Choro Cathedralis Senogalliae, postquam primo loco data fuit a Celebrante a cornu Epistolae, dandam esse secundo loco primae Dignitati, sive a cornu Evangelii, sive a cornu Epistolae existenti, et sive interveniat, sive non Archipresbyter prima Dignitas, qui sedet a dicta parte Evangelii, non obstante allegata per Archidiaconum tertiam Dignitatem consuetudine dicti Chori, et Cathedralis, illam dandi secunda vice Dignitati, seu Canonico in dicta parte existenti a cornu Evangelii, » et ita servari mandavit, hinc inde plene informantibus tam Archid. tertia Dignitate, et a cornu Evangelii sedente, quam Praeposito secunda Dignitate, et a cornu Epistolae existente. » Hac die 21. Martii 1665.

2320. ALGAREN.

S. R. C. declaravit: « Iuratis Civitatis, eiusque Officialibus laicis non licere, nec licuisse ullo modo habere scamnum intra Presbyterium, ibique sedere, praesertim invito Episcopo, et quando ipse, vel Canonici intra dictum Presbyterium genuflexi orantes existunt; ideoque amoveri omnino, » iussit. Hac die 20. Iunii 1665.

2321. FOROLIVIEN.

S. R. C. audita relatione Vicarii Capitularis, ac etiam Thomae Marsoni Parochi, declaravit: « Non licere hominibus, et Communitati Dवादोलae, seu Confraternitati SS. Rosarii noviter erectae, et institutae in Ecclesia SS. Annunciationis Patrum Dominicanorum, ex voto occasione Terraemotus, extendere Processionem extra ambitum dictae Ecclesiae SS. Annunciationis sine licentia Parochi. » Hac die 20. Iunii 1665.

2322. MARSICANA.

Exponente apud S. R. C. Episcopo Marsicano habere in sua Cathedrali decem Canonicos tantum, et unam Dignitatem, et unum ipsorum Canonorum esse iubilatam, et a servitio exemptum, et hac de causa non posse supplere Choro, quando ipse est solemniter celebraturus, nec habere Beneficiatos, qui supplere possent. Quapropter eadem S. C. declaravit, « et quatenus opus sit eidem Episcopo concessit, ut in casu necessitatis possit assumere, et admittere ad servitium Altaris ministros ordinis inferioris, etiam quod non essent de Capitulo, non obstante Caeremoniali id prohibente. » Hac die 20. Iunii 1665.

2323. MEDIOLANEN.

S. R. C., inhaerendo Decretis alias editis, super declaratione Vicariis Foraneis nullam prorsus praeminentiam in sessionibus, processionibus, praechoro, aut quibuscumque aliis functionibus in Ecclesiis, aut extra, ratione dicti officii Vicariatus, competere: iterum ad petitionem Vicariorum Foraneorum Dioecesis Mediolanen. declaravit: « Praedicta Decreta habere locum tam in actibus sacerdotalibus, quam in iurisdictionalibus, et in quibus assistunt uti Vicarii. » Et ita servari mandavit. Die 20. Iunii 1665.

2324. NULLIUS.

Super Dubio per Petrum Matthaeum Lotrechum proposito in S. R. C. An Sacerdos pro imponendo incenso in thuribulo debeat se cum ministris transferre ad cornu Epistolae, vel stare in medio, et imponere sine benedictione, et osculo manus?

Eadem S. C.: « Servandum esse Caeremoniale, » respondit. Hac die 20. Iunii 1665.

2325. OLMUCENSIS.

Pro parte Episcopi Olmucensis humiliter supplicatur responderi ad infrascripta Dubia:

1. An receptio Bullarum, introductio Caeremoniarum, et omnimoda dispositio Ecclesiae Cathedralis dependeat ab Episcopo, vel Capitulo?

2. Casu, quo Bullae Clementis VIII., et Innocentii X. non fuerint receptae: an non sit penes

Episcopum illas adhuc recipere, et per talem receptionem ad illarum observantiam obligare Capitulum, et Clerum?

3. Cum extet sufficiens Praelatorum, et Canonorum numerus, vel omnia iuxta praescriptum Caeremonialis Episcoporum peragi possint, an, non obstante asserta contraria consuetudine, teneantur Praelati, et Canonici se accomodare in omnibus, et per omnia dicto Caeremoniali Episcoporum?

4. Quamvis, secundum morem hactenus observatum Archidiaconus, qui tertia post Episcopalem Dignitas est, Presbyterum assistentem egerit, Caeremoniale vero Episcoporum primam Dignitatem, quae in hac Cathedrali est Decanatus, ad id designet, an, non obstante contraria observantia, dicta, vel prima Dignitas, iuxta tenorem praefati Caeremonialis, ad id obligetur?

5. An Praelati, et Canonici non teneantur, etiam extra Cathedrali, et sic per totam Dioecesim, vel etiam extra illam, si cum consensu Ordinarii loci perficeret functionem Episcopalem, iuxta praescriptum dicti Caeremonialis ministrare? (aliquid deest)

6. Casu, quo non tot praesentes forent Canonici, quot pro actu celebrando requirerentur, cum in hac Cathedrali quatuor extent Dignitates, an non illae supplere teneantur defectum Canonorum?

7. An, supposito, quod obstaret consuetudo immemorabilis, an de ea constare debeat, coram eodem Episcopo, et interim, antequam de illa constet, servari debeant Bullae Clementis VIII., Innocentii X., et Caeremoniale Episcoporum?

S. R. C. respondit: Quoad 1. et 2. « Non spectare ad ipsam eorum declarationem. »

Quoad 3. « Exprimant praecise, in quo nolint se accomodare. »

Quoad 4. « Servandam esse consuetudinem Cathedralis. »

Quoad 5. « Teneri, quando Episcopus ad aliam Ecclesiam, quam Metropolitanam, sed in eadem Civitate rei divinae peragenda causa, sive ipse, sive alter sit celebraturus. »

Quoad 6. et 7. « Servandam esse consuetudinem Ecclesiae. » Hac die 20. Iunii 1665.

2326. SARNEN.

« Servandum esse Caeremoniale, S. R. C. » audita etiam relatione Episcopi, declaravit, « super thurificatione, et modo thurificandi Dignitates, et Canonicos Cathedralis Sarni, non obstante contraria introductione thurificandi Dignitates triplici ductu. » Hac die 20. Iunii 1665.

2327. S. AGATHAE GOTHORUM.

S. R. C. ad petitionem Parochi S. Laurentii S. Agathae Gothorum censuit: « In die, quo currit Officium alicuius Sancti dup. non de praecepto, dici posse, iuxta Rubricas, Missam de sponso, et sponsa. » Die 20. Iunii 1665.

2328. SURRENTINA.

Exponente Archiepiscopo Surrentino Sindacos, et Electos Civitatis Surrenti recusasse, et recusare intervenire functionibus ecclesiasticis, et concionibus; ideo idem supplicavit S. R. C. pro declaratione; an sedes ipsorum Sindacorum, et Electorum, in quibus sedere solent in praedictis functionibus: et pro audiendis concionibus, amovendae sint ab Ecclesia? « Archiepiscopo pro sua prudentia, et arbitrio. » Hac die 20. Iunii 1665.

2329. TROIANEN..

S. R. C. declaravit: « Vicarium generalem Episcopi Troianen. sedere debere in Choro in loco solito, et sine pulvinari, non obstante acquiescentia Canonicorum, et Dignitatum per mensem, et ultra. »

« Tamquam vero Protonotario licere uti habitu Protonotarii cum omnibus ipsi Protonotario competentibus, sed inter alios Protonotarios, et in loco, qui Protonotario deberetur, et in dicto habitu Protonotarii nullam competere praeminentiam uti Vicario. »

Declaravit etiam: « Servandam esse consuetudinem Ecclesiae circa stallum Canonicorum in Choro cum duobus gradibus. » Die 20 Iunii 1665.

2330. VERCELLEN.

S. R. C., inhaerendo Decretis alias desuper factis, denuo declaravit: « Confraternitates non posse in suis Ecclesiis per suos Cappellanos facere ea, quae ad solum Parochum spectant, absque expressa licentia Ordinarii, et Parochi; ideo servanda esse, *iussit*, in Oratoriis Confraternitatum Civitatis Vercellensis Decretum Concilii Provincialis 7. Mediolani, et Decretum Episcopi ultimo loco factum in visitatione, per quae in iisdem Oratoriis prohibetur celebratio Missarum solemnium de Requiem, Anniversariorum Confratrum defunctorum, pro legatis piis, benedictio candelarum in die Purificationis, Palmarum, Panis, et Cinerum absque consensu Parochi, non obstante, quod antea facere consueverint de licentia Ordinarii. » Die 20. Iunii 1665.

2331. ANCONITANA.

S. R. C. declaravit, « Fratribus Conventualibus S. Francisci Camerani non licuisse associare cum stola, et cotta Confraternitates Villae S. Germani tam accedentes ad dictam terram Camerani,

ad effectum interessendi Processioni Cordonis, seu Portiunculae per ipsos Fratres factae, et ad quam invitatae fuerunt, quam digredientes, et redeuntes. » Necnon declaravit: « Non licuisse, neque licere facere quascumque processiones per dietam terram, et limites Parochiae sine Cruce, aut licentia Parochi, sed tantum intra claustra eorum Conventus, et si claustra non habeant, circummoenia eiusdem Conventus, » prout alias in similibus eadem S. C. declaravit; et ita auditis hinc inde Partibus, et plene informantibus, servari mandavit. Die 31 Iulii 1665.

2332. AESINA.

S. R. C. declaravit, « Per Eñum Ordinarium cogi, et compelli posse omnes Civitatis Aesii Regulares, atque omnibus iuris remediis, ac etiam sub censuris ad observantiam infrascriptarum ordinationum in funeralibus per ipsum Eñum factarum, quacumque consuetudine, et praetenso privilegio in contrarium non obstantibus; » scilicet:

1. « Quod ipsi Regulares non possint, neque debeant deferre propriam Crucem, quando corpora ad Ecclesias Parochiales, vel alio extra eorum Ecclesias deferuntur, aut Capitulum Ecclesiae Cathedralis intervenit. »

2. « Quod teneantur accedere ad Ecclesiam Cathedrallem, seu Parochialem, non autem expectare per vias, aut recto tramite ire ad domum defuncti. »

3. « Quod non possint levare corpora defunctorum in eorum Ecclesiis sepeiorum, Parochia irregulari, et non expectato. » Hac die 31. Iulii 1665.

2333. AQUILANA.

Supplicantibus Capitulo, et Canonicis Collegiatae S. Mariae de Paganica Civitatis Aquilae apud S. R. C. pro declaratione.

1. An licuerit Episcopo in visitatione accedere cum curru sine rocchetto, et non processionaliter usque ad ianuam Ecclesiae, et tali casu: an ipsum Capitulum, et Canonici tenerentur illi obviam ire, recipere, et associare sub baldachino.

2. An idem Episcopus in aliquo praeiudicaverit insignitati dictae eorum Collegiatae, ex quo, pervertendo ordinem visitationis, eadem die accesserit ad alias Ecclesias inferiores?

Eadem S. R. C. declaravit: quoad 1. « Servandum esse Caeremoniale. »

Quoad 2. « Audiendum esse Episcopum. » Hac die 31. Iulii 1665.

2334. CIVITATIS CASTELLANAE.

Ad tollenda absurda, et praeiudicia, quae contra publicam honestatem, et in praeiudicium Parochorum insurgunt in Oratorio S. Sebastiani Ci-

vitatis Castellanae propter magnum concursum mulierum, et angustiam loci, quando officia a Confratribus recitantur, ac etiam propter exercitium plurium foundationum, et eorum, quae ad solum Parochum spectant. S. R. C. ad instantiam Caroli Casari Rectoris Ecclesiae Parochialis S. Gregorii, et relationem Episcopi, decrevit ut infra: atque Episcopo commisit, ut ad observantiam infradicendorum Decretorum omnibus facti, et iuris remediis, etiam sub censuris, pecuniariis, et aliis eius arbitrio poenis, procedat, quaecumque inhibitione A. C., et aliis forsitan exhibendis, caeterisque contrariis non obstantibus, videlicet:

1. Ut ipsi Confratres S. Sebastiani amplius in posterum non recitent Officia, neque faciant alias eorum functiones in Oratorio ultimo loco erecto in via maiori e conspectu publicorum carcerum, sed in eorum primaevio, et antiquo Oratorio, seu Ecclesia, et praedicto novo contiguo, quod novum relinquere debeant mulieribus, adeo ut ab ipsis, et aliis hominibus dividantur.

2. Ne die Iovis Sancti in praedicto Oratorio cantetur Missa, prout non licere, *declaravit*, neve functiones, et ea, quae ad Parochum pertinent, sine illius consensu fiant. Hac die 31. Iulii 1665.

2335. LABACEN.

S. R. C., auditis Capitulo, et Canonicis super resolutis die 21. Mart. prox. praet., ad instantiam Episcopi, censuit: « Standum esse in decisis quoad assumptionem ministrorum, et Sacerdotum non Canonicorum, prout in Decreto dicta die emanato, ad quod etc. Quo vero ad assistentiam extra Cathedrali, stante parvo numero Canonicorum, in casu, de quo agitur, » *declaravit*: « Non licere cogere Canonicos ad assistentiam. » Hac die 31. Iulii 1665.

2336. MARTURANEN.

« Ius porrigendi, et dandi aspersionum Episcopo accedenti ad Cathedrali privative in omnibus functionibus spectare ad digniorem de Capitulo, non autem ad Vicarium, » S. R. C. *declaravit*. Die 31. Iulii 1665.

2337. CIVITATIS LAVELLI.

S. R. C., ad preces Archidiaconi, et Canonicorum Cathedralis Civitatis Lavelli, *declaravit*, « Locum in sedendo Vicarii generalis tam in Choro, quam in circolo, quando Episcopus assistit, esse debere iuxta consuetudinem Ecclesiae. » Hac die 31. Iulii 1665.

2338. REGINATEN. IN CALABRIA.

S. R. C. *declaravit*: « Tam Celebrantem, quam Assistentes in festivitibus SS. Titularium in Ve-

speris, et Missa solemnibus, sedere debere in scamno, et non in sede coracea. » Hac die 31. Iulii 1665.

2339. AQUILANA.

« Servandum esse solitum circa usum baldachini in visitandis Ecclesiis exemptis, et nullius Dioecesis, existentibus in Civitate, et Dioecesi Aquilana per ipsum Episcopum Aquilanum tamquam delegatum Apostolicum, » S. R. C. censuit. Hac die 19. Sept. 1665.

2340. GALLIARUM.

« Litanias, et Processiones S. Marci in futuro anno 1666., quo illius festum cadit in die Paschatis, esse transferendas ad feriam 3., non autem secundam » S. R. C., ad preces Cleri Galliarum, *declaravit*. Die 19. Septembris 1665.

2341. IANUEN.

Servandum esse *declaravit* S. R. C. Decreto ipsius S. C. editum die 5. Augusti 1662. super prohibitione celebrandi Missas de Requiem in duplicibus, non obstante antiqua consuetudine per Confraternitatem SS. Petri, et Pauli adnexam Cathedrali allegiata, scilicet: unam cantandi qualibet die Martis non feriata. » Hac die 19. Septembris 1665.

2342. URBANIAE.

Cum alias S. R. C. *declaraverit*: « Licere parentibus eligere sepulturam impuberum in quacumque Ecclesia Regularium; » hodie eadem S. C., ad petitionem PP. Minorum Conventualium S. Francisci Urbanae, *declaravit*: « Sub dicto nomine parentibus non comprehendi matrem, etiam patre, et viro respective absente, sed intelligi de patre tantum. » Hac die 19. Septembris 1665.

2343. URBIS,

Supplicatum fuit per S. R. C. infrascriptis Dubiis responderi.

1. An consecrari possit Ecclesia, quae non potest circumdari tota ab extra per Episcopum?

2. An consecrari possit, quamvis non consecratur altare maius, et an loco illius possit consecrari aliud?

3. An transferri possit dies Consecrationis propter Anniversarium in aliam diem diversam ab illa, in qua facta fuit Consecratio?

S. eadem R. C. respondit: Ad 1. « Potest consecrari, et circumdari per illas partes, in quibus est aditus. »

Ad 2. « Debet cum ipsa omnino consecrari Altare maius, nam istud est principale, et si hoc tantum sit in Ecclesia, sufficit: alia vero accessoria, pro quibus datur Consecratio distincta, sine Ecclesiae Consecratione. »

Ad 3. « Potest transferri, dummodo sit de-

putatus dies Anniversarii ab Episcopo in actu Consecrationis Ecclesiae. » Hac die 19. Sept. 1665.

2344. OSCEN.

Ex privilegio Apostolico speciali celebratur in Hispania die 18. Decembris festivitas expectationis Dominae Nostrae sub rit. dup., quae semper occurrit tempore Adventus, unde pro parte Ecclesiae Oscen. supplicatum fuit in S. R. C. pro declaratione infrascriptorum Dubiorum.

1. Utrum hymni praedictae Festivitatis tam Matutini, quam reliquarum horarum sint terminandi sub versiculo consueto B. M., vel sub proprio de Adventu, cum festivitas sit de expectatione.

2. An ad Responsorium Primae dicendus sit versus, *Qui natus es de B. V.*, vel potius, *Qui venturus es in mundum*, cum celebretur Dominae Nostrae expectatio?

Et eadem S. C. respondit, et declaravit, ut infra. 1. *Sub vers. Iesu Tibi sit Gloria etc.* « tam ad Matutinum, quam ad reliquas Horas, hymno Vesperarum excepto, scilicet *Ave Maris Stella*, qui habet versum proprium.

2. vero « *Qui natus es de Maria Virgine*, prout in festo Conceptionis, quoad pariter occurrit tempore adventus. » Hac die 19. Sept. 1665.

2345. NULLIUS DIOECESIS,

ET PROVINCIAE TREVIREN.

Una pars Capituli, et Canonicorum Collegiatae S. Diodati Lorenae Provinciae Treviren. exhibuit in S. R. C. supplicem libellum infrascripti tenoris.

Emi e Rmi Sig. « Parte del Capitolo, e Canonici dell' insigne Collegiata di S. Diodato in Lorena *Nullius Dioecesis Provinciae Treviren.*, ed immediatamente soggetta alla S. Sede Apostolica, umilmente espone all' Eminenze VV., come in detta Chiesa si praticano molte ceremonie discordanti dal Rito Romano, come appare dall' inchiuso foglio, onde per evitare l'occasione, che giornalmente nasce di differenza, e discordia nel Capitolo circa l'osservanza delle ceremonie Ecclesiastiche, e desiderando conformarsi a quelle del Rito Romano per essere immediatamente soggetta alla Sede Apostolica; e perchè da 50. anni in quà si recita in detta Chiesa il Breviario Romano; umilmente supplica l' Eminenze Vostre voler' ordinare, che, non ostante qualsivoglia Statuto, e consuetudine in contrario, si debbano per l' avvenire in detta Collegiata osservare le ceremonie, ed altre funzioni Ecclesiastiche uniformi alle Rubriche del Messale, e del Rito Romano: dal che ne risulterà maggior gloria, e decoro del

« culto Divino, ed unione, e concordia in detto « Capitolo. Che il tutto etc. »

« Nell' insigne Collegiata Chiesa di S. Diodato « in Lorena immediatamente soggetta alla S. Sede « Apostolica *Nullius Dioecesis, et Provinciae Treviren.* che da 50. anni in circa ha abbracciato « l' uso del Rito Romano, si praticano alcune ceremonie, le quali una parte dei Canonici di detta « Chiesa pretende potere ritenere, ed osservare « per essere antichissime, ancorchè siano differenti, e ripugnanti al Rito Romano e sono le « seguenti. »

« 1. Incensare alla gran Messa, e alli Vesperti « solenni; oltre l' Altare Maggiore, molti altri « Altari piccoli, dove non vi sono nè Croci, nè « luminari. »

« 2. Di incensare dal Diacono alla Messa, e « nei Vesperti dal Celebrante le reliquie di S. Diodato Patrono della Chiesa, ancorchè le sudette Reliquie non siano collocate, nè esposte « all' Altar Maggiore. »

« 3. Di dare l'acqua benedetta avanti la Messa « nel giorno della Sacra della Chiesa, ed altre « feste solenni, ancorchè non venghino in Domenica, il che si fa anco nelle Processioni delle « Rogazioni, e quando si fa l' assoluzione alla « sepoltura de' morti. »

« 4. Di cantare una Messa de' morti la Vigilia di Natale per un Benefattore ab immemorabili tempore; non osta però, che questo « si faccia per soddisfare all' intenzione del Testatore, e però per gratitudine solo, che molti « presumono, che questo non si faccia senza soggetto, o fondamento. La Messa conventuale « però si dice corrispondente a quel giorno. »

« 5. Di fare servire gl' Anniversari d' obbligo, e di fondazione per la Messa conventuale « nelli giorni feriali. »

« 6. Occorrendo un Anniversario de' morti « in un giorno di festa, ovvero in giorni, che « hanno Messe proprie, come in Quaresima, non « si dice, che una Messa bassa per l' Anniversario, ancorchè si potrebbe cantare, come si « canta la Messa Conventuale. »

« 7. Negli Anniversari de' morti non si fa « l' assoluzione, ma si dice solamente un Miserere, e un De profundis sopra la sepoltura. »

« 8. Nel seppellire i Canonici di detta Chiesa « non si dicono le preci, e collette del Rituale « Romano, nè si osservano le ceremonie del Rito « Romano; poichè s' alluminano solamente quattro picciole candelie intorno al Cadavere, ceremonie del tutto straordinarie, e stravaganti. »

» 9. Nelle Feste, e giorni duplici «infra annum» si dicono Messe private di Requiem, come anco nelle Messe conventuali di un Santo si dicono le collette de' morti per qualche Benefattore particolare, e medesimamente nel giorno della SS^{ma} Trinità, ancorchè questo sia di fondazione.»

» 10. Nelli giorni, e feste più solenni si suole incensare con due incensieri, ed anche vi sono quattro Coristi, due delli quali portano un bastone d'argento, e stanno a sedere in due sedie diverse, gli altri poi stanno a sedere in un banco particolare, e ben lontano dalli primi, e non portano bastoni, benchè siano Canonici, come li primi.»

» 11. Alla Messa cantata vi sono due Coristi, che passeggiano nel Coro con un bastone d'argento in mano, uno de' quali suole annunziare al Celebrante il *Gloria in excelsis*, e non il *Credo*.»

» 12. Li due Coristi, che portano li bastoni, sono incensati prima di tutto il Coro, e del Decano medesimo, che è una Dignità di detta Chiesa, e li due altri Coristi, che non portano bastoni, sono incensati gli ultimi dopo il Coro, ancorchè siano Canonici, come li due primi.»

» 13. Il Diacono, e Subdiacono nelle Domeniche non accompagnano il Celebrante, quando si dà l'acqua benedetta per la Chiesa: usanza contraria alla Rubriche del Messale.»

» 14. Quando si fa l'ufficio in Coro, non si fa genuflessione alle parole seguenti, cioè al *Venite adoremus, et procedamus ante Deum*, al *Te ergo, quaesumus, tuis famulis subveni, nè meno all'Ave maris stella etc.*, al *Veni Creator Spiritus etc.*, al *Tantum ergo Sacramentum etc.* al *O crux ave etc.* ed altri simili.

» 15. Si usa di stare in piedi ad ogni quinto Salmo delle Laudi, e delli Vespri, ed al quarto Salmo di Compieta, come anco quando si canta l'Antifona avanti, e dopo il *Magnificat* nelle Feste doppie.»

» 16. In detta Chiesa si recita in un' Offizio proprio di S. Aidolfo compagno di S. Diodato non approvato dalla Santa Sede composto di tre Lezioni del secondo Notturmo, ed Orazioni proprie, il che viene ad essere contro il decreto della Sacra Congregazione de' Riti, la quale intende, che recitandosi tali Offizi non si satisfaccia all'obbligo di recitare l'Offizio.»

» 17. Si aggiunge alle Litanie de' Santi non solamente S. Diodato, ma ancora S. Aidolfo,

» e si annunciano nel Martirologio le Feste di questi Santi, che non vi sono.»

» 18. Li Canonici vanno all'Offerta nella Messa delle Feste più solenni, e principalmente, quando si celebra per qualche Benefattore notabile defonto.»

Et eadem S. R. C. ad removendos abusos Caeremoniarum contra formam Ritualis Romani, et tollendas controversias, quae inter ipsos Canonicos quotidie oriuntur, utque omnia reducantur ad formam ritus S. Romanae Ecclesiae, declarat, ut infra.

1. «Ad Missam thurificari tantum debet Altare, in quo Cantatur Missa. Ad Vesperas vero Altare, ubi asservatur SS^{mum} Sacramentum; et Altare Chorale, coram quo decantantur Vesperae, nisi esset idem, in quo SS. Sacramentum asservatur, quia in hoc casu unum hoc Altare tantum thurificari debet; in utroque tamen Altari debent esse luminaria, et Crux.»

2. «Reliquiae non expositae neque a Diacono in Missa, neque a celebrante in Vesperis thurificandae sunt. Expositae vero non a Diacono in Missa, sed a solo Celebrante, dummodo sint expositae in Altari, ubi Missa cantatur: in Vesperis vero, dummodo sint expositae in Altari Choralis, vel in Altari Sancto, cuius sunt Reliquiae, dicato, dummodo tamen sint luminibus expositae.»

3. «Ritus aspergendi Aqua benedicta Populum restringitur ad dies Dominicos tantum ante Missam.»

4. «Dies Vigiliae Nativitatis Domini comprehenditur in Decreto S. R. C., quo prohibetur cantari Missas de Requiem diebus festo duplici impeditis.»

5. «Missa, et praecipue conventualis, quoad fieri potest, concordare debet cum Officio, et licet Rubricae aliquando admittant votivas pro Conventuali, ut Tit. de Missis votivis num. 3. in Missali Romano, non tamen admitti debent Anniversaria ex obligatione, sed Canonici eo die tenentur ad duas Missas, Conventualem scilicet ex cap. Creatura de celebrat. Miss., et Anniversarium ex obligatione stipendii.»

6. «In die, quo celebratur Festum duplex etiam translatum, prohibetur Missa de requiem, nisi sit praesens Cadaver. Anniversarium potest anteferri, immo debet, et in feriis maioribus debent omnino cantari duae Missae.»

7. «Non ex obligatione, sed ad arbitrium facienda est absolutio in Anniversariis mortuorum, ad formam Rubricar. Miss. Rom. sub tit. 13. n. 4.»

8. « Servandus est ordo Ritualis Romani quoad preces, et alias caeremonias, etiam quoad luminaria in sepeliendis Canonici. »

9. « In festis, et duplicibus prohibentur Missae de Requiem, nisi cadaver sit praesens, Collectae autem pro defunctis non admittuntur, nisi in Missis Festorum simplicium, et ferialibus. »

10. « Ecclesia regulariter uno tantum utitur Thuribulo: in aliquibus tamen permittuntur duo ad tollendas controversias super praecedentia; Choristas vero non admittit, ut infra. »

11. Declaravit: « Assistentiam duorum Choristarum deambulantium per Chorum cum baculo argenteo, et Caeremoniam annuntiandi per unum eorum hymnum Angelicum Celebranti esse contra usum Ecclesiae Romanae. »

12. « Super praecedentia in thurificandis Choristis nihil decrevit, quia Ecclesia Romana non admittit modo, quo describitur. »

13. « Celebrans aspergens Populum aqua benedicta associari debet a Diacono, et Subdiacono, et Ministris Altaris, et recitare Psalmum Miserere ad formam Rubr. Rit. tit. de Benedict. »

14. « Debent omnes genuflectere in recitando Officio in Choro in verbis: *Venite adoremus, et procidamus ante Deum. Te ergo quaesumus tuis famulis subveni. Ave Maris stella. Veni Creator Spiritus. Tantum ergo Sacramentum. O Cruce ave*, et aliis similibus. »

15. « Non est de usu Ecclesiae Romanae insurgendi in recitatione cuiuslibet quinti Psalmi ad Laudes, et in Vesperis, et in recitatione 4. ad Completorium, prout neque in Antiphona tam ante, quam post *Magnificat*. »

16. « Non sunt admittenda, neque recitanda alia Officia, quam approbata a S. Sede Apostolica, alia omnia sunt reiicienda. »

17. « In Litaniis non possunt, neque debent addi nisi Sancti descripti in Martyrologio. »

18. « Usum oblationum in Missis, nostris temporibus non habet Ecclesia Romana, nisi in consecrationibus Episcoporum, Benedictionibus Abbatum, Ordinationibus, et similibus. » Die 31. Jul. 1665.

2346. LUCANA.

Ioannes Paulus Gillius Decanus Collegiatae Saecularis S. Michaelis de Luca humillimus Orator exponit EE. VV., quod in dictae Ecclesiae utilitatem, et commodum cedet translatio pergami a parte Evangelii, ubi nunc reperitur, ad partem Epistolae. Et quamvis id contrarium non sit ecclesiastico ritui, cum usui multarum Ecclesiarum conformetur: nihilominus supplicat ab hac S. C. declarari, hoc sibi licitum esse. Quam Deus etc.

Et S. eadem R. C., attentis narratis, censuit: « Oratori licitam esse mutationem pergami iuxta petita, quibuscumque non obstantibus. » Die 19. Sept. 1665.

2347. FANEN.

S. R. C. declaravit: « Non licere Canonice Ecclesiae Cathedralis Fani recipere thurificationem capite cooperto pileolo; ideo abusus in contrarium removeri, » iussit. Die 11. Nov. 1665.

2348. MONTIS POLITIANI.

S. R. C. declaravit, « Guardiano Conventus S. Francisci de Observantia Fontis Castellii non licere, invitis Curatis saecularibus, deferre per eorum Parochias superpellicem et stolam: et e converso Parochos saeculares, stante immemorabili consuetudine, posse, invitis Regularibus, in ipsorum Ecclesiis cum superpelliceo, et Stola simpliciter assistere Officio, quod ab iisdem Regularibus decantatur, cadaveribus defunctorum praesentibus. » Die 21. Nov. 1665.

2349. AQUILANA.

S. R. C. declaravit, « Capitulum, et Canonicos Cathedralis Civitatis Aquilae teneri assistere Episcopo pontificaliter celebranti, etiam extra Cathedrali, dummodo numerus sufficiens Canonicorum remaneat in Cathedrali pro servitio dictae Ecclesiae. » Hac die 19. Decembris 1665.

2350. FLORENTINA.

S. R. C., ad preces Laurentii Vanni Praepositi S. Ioannis Florentiarum, declaravit: « Tam actum baptizandi, quam alias functiones praeparatorias pro baptizandis Turcis, et aliis ad fidem venientibus esse faciendas per eundem Sacerdotem baptizantem, et consequenter ipsum Praepositum, prout in Rituali disponitur, et usque adhuc servatum fuit, a quo solito recedendum non esse, » censuit: et ita decrevit, et servari mandavit. Die 19. Dec. 1665.

2351. HISPALEN.

S. R. C., ad preces Populi Civitatis Lerzae Fronterae Hispalen. Dioecesis sub infrascriptis Parochiis existentis, declaravit, « Curatos Ecclesiarum Parochialium SS. Iacobi, et Michaelis dictae Civitatis teneri, et obligatos esse in die Dominico Palmarum canere Passionem Domini, distribuere palmas, et facere omnes alias Ecclesiasticas functiones ab Ecclesia, Rituali, et Rubricis ordinatas, in praedictis eorum Ecclesiis Parochialibus, dictasque functiones omittere non licuisse, neque licere. » Et ita decrevit; et servari mandavit. Die 19. Decembris 1665.

2352. LUCANA.

Cum S. R. C. die 19. Septembris praeteriti,

declaraverit, « Ioanni Paulo de Giliis Decano Collegiatae S. Michaelis de Luca, licitam fuisse translationem pergami a parte Evangelii, ad illam Epistolae ad maiorem dictae Ecclesiae commoditatem, et utilitatem, ut in dicto Decreto, ad quod etc. », et postea Eius Praefectus causam quoad dictum pergamum avocaverit ab A. C., et remiserit ad eandem S. C., non obstante, quod pro parte Capituli, et Canonicorum praetendatur dictam translationem non potuisse fieri, sine ipsorum consensu, tamquam dependentem a gubernio, et ordinatione Ecclesiae ad ipsos spectantibus, et super quo a praedicto A. C. Monitorium super mantentione in pacifica possessione illam gubernandi, et ordinandi obtinuerunt, et praesentaverunt, prout in illius Decreto facto per acta Notarii ipsius S. C. die 9. currentis, seu etc. ad quod etc. Eadem S. C., partibus hinc inde plene, et late informantibus, mandavit: « Quoad pergamum servari Decretum ipsius S. C., et Eius Praefecti. Quo vero ad reliquas praetensiones Canonicorum contra Decanum, remisit ad Iudices suos. » Hac die 19. Decembris 1666.

2353. ANCONITANA.

Sac. Rit. C. censuit, « Non posse prohiberi Parocho Camerani, quin ingrediatur cum Stola, et Cotta in Ecclesia Fratrum S. Francisci eiusdem loci, in associandis cadaveribus ad dictam Ecclesiam; prout etiam in praeteritum servatum fuisse expositum fuit, ipsosque Fratres invitatos, seu accedentes ad funeralia convenire debere in Ecclesia Parochiali, non autem expectare per vias, vel domi defuncti. » Hac die 13. Februarii 1666.

2354. NOLANA.

S. R. C. censuit. « Nihil innovandum esse, et proinde non posse permitti ab Episcopo in futuris funeralibus Regis Catholici sedes Magistratui, sed illum tam in dictis funeralibus, quam aliis functionibus in futurum sedere debere in banco, prout hactenus consuevit, non obstante; quod aliqui Magistratus nonnullarum Civitatum dictis sedibus utantur, ut asseritur. » Hac die 13. Febr. 1666.

2355. NULLIUS.

Patres Capuccini Alexandriae supplicarunt pro declaratione: an per celebrationem Missae ad instar Officii currentis, quando Officium est duplex, in Altaribus, in quibus ex indulto Apostolico celebrandae sunt una, vel duae Missae defunctorum, suffragetur privilegium? S. C. respondit: « Iuxta Decretum alias desuper editum. » Die 13. Febr. 1666.

2356. URBEVETANA,
SEU BALNEOREGIE

S. R. C. declaravit: « Licere Sacerdoti sim-

plici uti Stola in decantandis Litanis in Ecclesia laicali Terrae Sippiciana, seu Arcis Alvetiae, et a Patronis dicti loci constructa, et administrata, et in custodiam dicto Sacerdoti data, etiam concurrente populo, et contradicente Parocho eiusdem loci. » Hac die 13. Februarii 1666.

2357. PLACENTINA.

Episcopus Placentinus supplicavit pro executione sui Decreti super prohibitionem faciendi Processionem cum SSmo extra Ecclesias, non obstante Monitorio A. C. a Parochis eiusdem Civitatis obtento adversus dictum Decretum. « Ad D. Secretarium cum A. C. pro executione Decreti. » Die 13. Februarii 1666.

2358. RAGUSINA.

S. R. C. censuit: « Expositionem SSmi in Ecclesiis Regularium dictae Civitatis Ragusae, ad tollendum in posterum absurda, et scandala, quae propter frequentem illius expositionem oriri expositum fuit, esse faciendam, et regulandam arbitrio Archiepiscopi tam quoad causas exponendi, quam etiam loco, horas, et assistentiam ad illius securitatem, et decentiam. » Die 13. Febr. 1666.

2359. LUCANA.

Canonici Collegiatae Ecclesiae S. Michaelis de Luca dubitantes, ne Decreta S. R. C. edita diebus 19. Septembris, et 19. Decembris proxime praeteritorum circa translationem pergami, sibi praeiudicialia futura sint quoad praetensionem, quam habent, quod gubernium, et administratio Ecclesiae non spectet ad Decanum privative, sed simul cum Capitulo; supplicarunt pro expressa declaratione S. C. per supradicta Decreta non intellexisse approbare dictam translationem pergami, tamquam factam a Decano auctoritate propria, sed tamquam ritui non contrariam. Et cum pro parte Decani multa fuerint deducta circa suam iurisdictionem additumque, quod praedicta Decreta non indigent tali declaratione, cum sufficienter provisum fuerit in ultimo, et propterea eadem S. C. dictae Canonicorum petitioni respondit, « nihil. » Die 13. Februarii 1666.

2360. ROMANA.

Commissarius generalis Minor Observant. Reformat. supplicavit apud S. R. C. pro declaratione infrascriptorum Dubiorum, ad tollendas ultiores controversias eiusdem Ordinis.

1. An in benedictione octavae Lectionis in Matutino Officii Immaculae Conceptionis qualibet die Sabbati non impedita recitari soliti in dicto Ordine, dici debeat, *Cuius Festum*, vel *Cuius commemorationem colimus*?

2. An in illa Sacrorum Stygmatum una tan-

tum vice in quolibet mense per annum dici debeat, *Cuius Festum*, vel *Cuius commemorationem colimus*?

3. An translatione Officii S. Francisci, vel aliis translationibus in dicta benedictione octavae Lectionis dici debeat, *Cuius festum colimus*, vel *Cuius translationem colimus*?

4. An in translatione cum dup. mai. fieri debeat Officium translationis, vel transferri ad diem non impeditam?

Et eadem S. C. censuit. Quoad 1. 2. 3. « Iuxta Rubricas Breviarii Romani. » Quoad 4. « Officium de digniori, translatio de minus digno ad primam diem non impeditam. » Hac die 13. Febr. 1666.

2361. ORDINIS MINORUM.

Quum post Decretum revisionis, et approbationis Rubricarum Fratrum Minorum a Sacra Congregat. Rituum editum die 13. Febr. 1666., ad calcem earundem Rubricarum quaedam sufficientiantur regulae, quae et generales sunt, et exhibent velut compendium plurium Resolutionum dictae S. Congr.; hinc regulae ipsae hic adnotantur prout sub enunciata die in Regesto habentur.

2362. NOTANDA QUaedam

GENERALIA AD MISSALE FRATRUM MINORUM.

1. In Ecclesiis, ubi Titulus est Ecclesiae, vel concursus Populi ad celebrandum Festum, quod transferri debet, possunt cantari duae Missae. Una de die post Tertiam, alia de festo (cum nullam habeat cum Officio connexionem) post Nonam, excepta Dominica Adventus prima, feria 4. Cinerum, Dominica prima Quadragesimae, Palmarum, cum tota hebdomada maiori, Dominica Resurrect., Pentecost. cum duobus sequentibus diebus, die Nativitatis Domini, Epiphaniae, Ascensionis Domini, et festo Corporis Christi, aut saltem commemoratio de Festo fieri. In fine vero praedictarum Missarum legitur Evangelium Sancti Ioannis, et non aliud feriae, vel festi occurrentis, si de eo non debeat celebrari Officium illa die.

2. Si hoc festum accidit in quatuor Temporibus Pentecostes, ambae quidem post Nonam, sed illa prius de die; quae cum Officio concordat, postea de festo, ad cuius Missam Populus eo libentius, quo tardius convenire solet. Et licet in hoc casu nulla hora sit media inter utramque Missam, est casus unicus et privilegiatus ob concursum Populi. Ex Rubrica Missalis Romani, ex Gavanto de translatione Festorum tit. 6.

3. Qualibet V. feria (extra Adventum, et Quadragesimam) non impedita Officio novem lectionum, Missa Conventualis erit de Sacramento,

prout ponitur in Missali Romano post commune Sanctorum, in qua non dicitur *Sequentia* sui propria, neque *Credo*, nec *Alleluja* in Introitu, in fine Offertorii, et Postcommunio (excepto tempore Paschali) secunda Oratio *A cunctis*, vel alia pro diversitate temporis, ut in semidup. ex Decreto supra citato.

4. In Missis votivis de Spiritu Sancto secunda Oratio debet esse illa, de qua factum est Officium, tertia *A cunctis*, et non *Concede*, ut aliqui putant, vel alia, quae in Missa Conventuali esset secunda. Quod si addenda sit quinta, servetur Rubrica de Orationibus in simplicibus.

5. In Missa dicendum est *Confiteor* pure, et simpliciter, prout habetur in Missali Romano, absque additione alicuius Sancti etiam Patroni, qui in sola Oratione *A cunctis*, et Postcommunio *Mundet* addendus est, in quibus est locus vacans pro eo sub signo N.; non autem sic in *Confiteor*, ideo in illo nulla debet fieri additio, praeterquam in Ecclesiis Hispaniarum, quibus a Pio V. hoc expresse concessum est, ex Gavanto part. 1. tit. 3. num. 7.

6. Regulares non tenentur ad plures Missas cantandas, quia non sunt Ecclesiae Collegiatae, sed appellantur proprie Conventuales ab Innocentio IV. in Bulla eiusdem 7. Bullarii, et in Clementina 1. de celebrat. Missar. ex Cone. Viennensi distinguuntur Ecclesiae Regulares a Cathedralibus, et Collegiatis, quibus postremis dumtaxat imponitur onus de duabus Missis istis. Gavanto part. 3. tit. 11. num. 12.

7. Quando exponitur Sacramentum in Altari pro initio 40. horarum, vel spiritualium exercitiorum, cantari debet Missa unica de Sacramento, quae habetur circa finem Missalis, non autem festiva Corporis Christi (nisi infra octavam eiusdem festi casus accideret), et tempore Paschali addendum erit *Alleluja*, ut fit in aliis votivis Missis.

8. Dicitur una tantum Oratio cum *Gloria*, *Credo*, et *Praefatione de Nativitate*, quia solet esse publica causa; non autem privatis Missis haec conveniunt.

9. Si vero accidit in festo primae, vel secundae classis, sive in Dominica Privilegiata primae, vel secundae classis; tunc in Collegiatis vel duae cantentur Missae, una de Festo, seu Dominica post Tertiam; altera votiva de Sacramento post Nonam; vel una cantetur de die cum commemoratione SSmi Sacramenti.

2363. DECRETA S. R. C.

AD MISSALE PERTINENTIA.

1. In Altari privilegiato pro certis tantum die-

bus, si in eis incidat festum duplex de praecepto, non potest dici Missa de requiem.

2. In diebus festis (praesente corpore) celebrari potest Missa solemnis de requiem, non privatae.

3. In festis duplicibus non possunt amplius celebrari Missae privatae pro defunctis.

4. Missae adprobatae pro certis Regularibus non possunt ab aliis dici, nec in eorum Regularium Ecclesiis.

5. Cappellani Monialium possunt celebrare Missam de Sancto, de quo Moniales recitant Officium, sed cum Missali Romano de communi, si intra Missale Romanum non est de eo Missa propria.

6. Hymnus angelicus, Symbolumque non dicuntur in votiva solemni, in qua paramenta violacea adhibentur.

7. In eo Altari, sub quo, vel sub cuius praeda humana sunt corpora defunctorum, non debet celebrari Missa, donec alio transferantur.

8. In Oratione *A Cunctis* nomen S. Michaelis, seu S. Ioannis Baptistae, si ii sunt Patroni, vel Titulares, ponitur ante Apostolos.

9. In fine Missae ad quodcumque Altare celebratae fit reverentia Cruci infra gradus, capite discooperto.

10. *Communicantes de Ascensione* non omititur in festis secundae classis, quae occurrunt *infra octavam Ascensionis*, licet de ea non fiat commemoratio.

11. In Canone nomine Antistitis non sunt nominandi Superiores Regularium.

12. Solis Episcopis licet sumere paramenta de Altari.

13. In Parasceve immittitur particula in Calice sine Crucis signo.

14. Qui benedicit candelas, cineres, ramos, debet etiam cantare Missam sequentem.

15. Celebrans qui distribuit candelas, cineres, et palmas, detecto capite distribuatur.

16. Insignis Reliquia Sancti, ratione cuius dici queat *Credo* in Missa, ea est, ratione cuius duplex Officium recitari potest, scilicet de Sancto, cuius habetur caput, brachium, crus, quibus Sac. R. C. die 8. Apr. 1628. tamquam insignem reliquam addit eam partem Corporis, in qua passus est Martyr, modo sit integra, et non parva. Quod si Corpus habeatur integrum, aut illius magna pars, a fortiori Symbolum in Missa recitari debet; ex eadem die 3. Iul. 1617., et die 8. Apr. 1628.

17. In Missis Beatorum Ordinis Minorum non-

dum canonizatorum quae sub ritu dup. mai. per annum, aut ritu inferiori celebrantur, non dicitur *Credo*.

2364. DECRETA S. R. C. QUAE AD OFFICIUM ATTINENT.

1. Non est relinquendum Officium Breviarii pro Officio devotionis.

2. Non potest fieri Officium de Sancto, eo quod in loco sit eius nomine Ecclesia, vel Reliquia, nisi in proprio titulo Ecclesiae, vel ubi est reliquia.

3. Conceditur Officium dup. min. pro Reliquia insigni, et adprobata. Reliquia insignis est corpus, caput, brachium, crus, et pars, in qua passus est Martyr, dummodo sit integra.

4. Officium, et Missa B. Rochi conceditur tantum in Ecclesiis eius nomini dicatis.

5. Moniales ne dicant in *Confiteor*, ad *Primam*, et *Completorium*: *tibi Mater, vobis Sorores*: sed ut in Breviario.

6. Officium parvum B. M. V. dici debet in choro etiam in Dominicis, si aderat consuetudo.

7. Tempore Paschali non additur *Alleluia* Antiph., et aliis extra Officium de praecepto, v. g. in Antiph. *Tota pulchra es Maria*, quae in Sabato in nostra Religione canitur post Litanias, nec ad Officium parvum B. M. V.

8. Vesperae defunctorum, quae dicuntur extra Officium pro prima die Mensis, dicuntur post Vesperas etiam Dominicis, si adcidat haec ante primam diem etc.

Quae adprobata fuerunt a S. R. C. die 13. Februarii 1666.

2365. MACERATEN.

Cum S. R. C. habita die 13. Februarii proximi praeteriti remiserit Eñõ Facchinetto controversiarum causam inter Episcopum Maceraten. ex una, et Praesidem Provinciae ex altera: super modo locandi sedem eiusdem Praesidis tam in Ecclesia Cathedrali, quam in Ecclesia S. Georgii dictae Civitatis pro concionibus audiendis consuetis temporibus; eadem S. C. ad relationem eiusdem Eñõ, qui, prius auditis ambabus partibus, et bene perpensis hinc inde deductis, decrevit, « Quoad sedes Praesidis in Ecclesia Cathedrali locanda sit ante primam pilam vulgo Pilastro positam prope sedem Episcopali a parte sinistra, et ab eodem Episcopo fiat interpositio tabularum, quae dividat mulieres, et non impediatur dicto Praesidi aspectum Concionatoris. » Quo vero ad sedem locandam pro Praeside in Ecclesia S. Georgii, decrevit, « Quod apponatur in eodem loco assignato eidem ab Episcopo prope Altare maius. » Et quia

adhuc pendet indecisa praecedentiarum causa inter Vicarium Episcopi, et Locumtenentes Praesidis; eadem S. C. censuit, « Quod Vicarius in praesenti anno abstinere debeat ab intervntu in habitu in dicta Ecclesia, et quando intervenire velit, sedere debeat sine suppedaneo, aut pradella in sede solita camerali posita in terra, et hoc sine praeiudicio ambarum partium, et iurium deducendorum in S. R. C., ad hoc, ne in dicta Ecclesia impediatur consueta concio in proximo tempore quadragesimali » Et ita servari mandavit. Hac die 26. Martii 1666.

2366. FULGINATEN.

Ioannes Baptista Benedictus Rector Ecclesiae Parochialis S. Mariae Magdalенаe Fulginei supplicavit pro confirmatione Decreti in visitatione facti *sub die 23. Iunii 1628.*, quo conceditur, ut in dicta Ecclesia celebretur Missa privata in aurora, vel citra in die Sabbati Sancti sine Prophetiis, et sine praeiudicio Missae Conventualis, idque propter concursum piarum foeminarum, quae ante lucem concurrunt ad dictam Ecclesiam servando vestigia S. Mariae Magdalенаe, quae eucurrit ad monumentum. Et S. C. respondit: « Negative, et non potuisse. » Hac die 10. Apr. 1666.

2367. LUCANA.

Ad preces Vicarii Generalis, et Capituli Cathedralis Lucae, S. R. C. censuit: « Per modum provisionis, et sine praeiudicio iurium partium, donec lis terminetur, servandum esse Decretum eiusdem Vicarii, et interioris Sacristae adversus Cappellanos eiusdem Cathedralis, scilicet, quod ipsi Cappellani in iis Ecclesiis, per quas processio Rogationum, et Litaniarum solet pertransire, teneantur intonare, et canere solitas Antiphonas SS. Titularium in libro posito super legile, non autem exhibito, vel substatato per Acolythum, quibuscumque non obstantibus. » Hac die 10. Aprilis 1666.

2368. MELITEN.

S. R. C. censuit: « Servandas esse Rubricas Breviarii Romani de translatione Festorum in translatione Officii S. Pauli Apostoli Tutelarum Ecclesiae Cathedralis Meliten., ac Patroni, et Protectoris, ut asseritur, dictae Insulae; illiusque Octavae in concursu Officiorum SS. Policarpi Ep., et Mart., Martinae Virg., et Mart., et Petri Nolaschi Conf. semidup. » Hac die 10. April. 1666.

2369. ROMANA.

Fratres SS. Apostolorum Minores Conventuales supplicarunt, ut in proximo Sabbato in Albis in dicta Ecclesia celebrari posset Missa SS. Apostolorum Iacobi, et Philippi Titularium dictae

Ecclesiae, quorum Festum praesenti anno cadit dicta die. Et S. C. respondit: « Serventur Rubricae. » Die 10. Aprilis 1666.

2370. VOLTERRANEN.

Institum fuit S. R. C. declarari.

1. An praeposito Ecclesiae Collegiatae S. Geminiani Volterranen. Dioecesis, qui est Protonotarius, liceat praecedere Canonicis paratis, ac etiam Celebranti, interessendo divinis Officiis?

2. An eidem Praeposito liceat sedere in Choro in sede eminenti assignata pro Episcopo?

3. An possit tamquam Protonotarius incedere cum rocchetto detecto cum sola mozzetta ad instar Episcopi?

4. An deceat eidem Praeposito solemniter celebrare cum Assistente Pluviali parato, contra Constitutiones Synodales?

5. An frui possit distributionibus, incedendo cum habitu Protonotarii in Choro?

Et S. R. C. inhaerendo Decretis alias editis, respondit: « In omnibus non licere, dummodo tamen idem Praepositus non doceat de Indulto particulari. » Hac die 10. Aprilis 1666.

2371. TUDERTINA.

S. R. C., referente Emo D. Facchinetto, inhaerendo Decretis, et Declarationibus factis *die 23. Dec. 1662., die 26. Ianuarii 1664., et die 30. Augusti 1664.* in controversiis inter Coadiutorem primae Dignitatis, et Archidiaconum secundam Dignitatem Cathedralis Tuderti, iterum declaravit, atque decrevit: « Quoad locum iuxta Decretum 23. Decembris 1662., quoad functiones spectare ad Coadiutorem private, quoad secundam Dignitatem. Quoad tapete nulli deberi. Quoad habitum Protonotarii, si vult uti in Ecclesia, et Capitulo, non facit fructus suos. » Die 10. Aprilis 1666.

2372. URIEN.

S. R. C., inhaerendo pluribus declarationibus in similibus factis, iterum declaravit, « Non licere laicis sedere, et locum habere in Choro, et presbyterio, ideoque prohibendum, prout prohiberi, » iussit, et mandavit. » Die 10. Apr. 1666.

2373. ACERNINA.

S. R. C. declaravit: « Principi Acaiae non licere erigere, ac retinere in Ecclesia Cathedrali Acerni Baldachinum, eoque uti, non obstante nonnullorum fide, etiam de Capitulo dictae Cathedralis, quod antecessores in dicto principatu retinuerint, et usi fuerint. » Die 26. Iunii 1666.

2374. RAVENNATEN.

Iterum proposita in S. R. C. causa inter Archiepiscopum Ravennaten. et Abbatem S. Vitalis tam super iure porrigendi aspersorium, quam eri-

gendi baldachinum, quam demum super admissione articulorum per Archiepiscopum exhibiturum ad probandum. 1. Solutum porrigendi aspersorium per Monachum primae Dignitati de Capitulo, et per hanc ipsi Archiepiscopo. 2. Recipiendi per Canonicos Magnates accedentes ad Ecclesiam S. Vitalis in die illius Festi. 3. Directum dominium ipsius Archiepiscopi super dicta Ecclesia S. Vitalis.

Et eadem S. R. C., utraque parte plene informante, censuit: « Standum esse in decisis, et articulos non esse admittendos. » Die 26. Iun. 1666.

2375.

URBANIAE.

S. R. C. referente Eñno de Ilcio censuit: « Ius faciendi Officium, et canere Antiphonas in, et super cadaveribus asportatis ad Ecclesiam Fratrum Conventualium S. Francisci Civitatis Urbanae, spectare ad ipsos Fratres in propria ipsorum Ecclesia, non autem ad Parochum, seu Praepositum, vel alios de Capitulo Cathedralis dictae Civitatis. Quo vero ad quartam funeralium, non comprehendi eandem existentes super Altare; et ita in posterum servari, » mandavit. Hac die 26. Iunii 1666.

2376.

URBIS.

S. R. C. declaravit, « Ministros Basilicae S. Petri, et eos, qui a dicta Basilica, et Capitulo ad defunctum cum stola recipiendum, et deducendum transmittuntur, praeferrere, et praecedere debere proprio Parocho defunctorum, ut etiam alias, » et sub die 25. Septembris 1627. eadem S. C. declaravit « pro Basilica S. M. Maioris, et aliis Ecclesiis Parochialibus (legendum Patriarchalibus). » Hac die 26. Iunii 1666.

2377.

URITANA.

Cum alias S. R. C. in controversia inter Archiepiscopum Casalis noni, et Cantorem eiusdem, « diebus 19. Septembris, et 4. Decembris proximi praeteritorum, declaraverit, servandum esse Caeremoniale, et consuetudinem Ecclesiae tam in thurificatione; quam in sedendo, et repetendis Antiphonis; » Hodie proposita causa per Eñnum de Ilcio super declaratione dictae consuetudinis: eadem S. C. declaravit: « Quoad thurificationem omnes Dignitates, et Canonicos esse prius thurificandos ab una parte Chori ordine successivo, et deinde ab alia, ut alias eadem S. C. in similibus declaravit: Quo vero ad locum in sedendo, Archiepiscopum celebrantem in Vesperis, et Laudibus sedere debere in prima sede in Choro, prout constitit usque adhuc servatam fuisse: » et sic in posterum servari iussit. Die 26. Iunii 1666.

Decreta edita diebus 31. Iulii 19. Septembris,

et 4. Decembris omittuntur, quia nil in iisdem occurrit, quod in praesenti non comprehendatur.

2378.

MESSANEN.

S. R. C., referente Eñno D. Card. Brancatio censuit, praecedentiam deberi Ecclesiae, et Clero S. Nicolai tamquam antiquiori erectione in Collegiatam, quamvis ante erectionem fuisset filialis: non autem Ecclesiae, et Clero S. M. Terrae Civitatis nuncupatae Tortoreti pariter erectae in Collegiatam, sed post, non obstante, quod ante erectionem fuisset matrix, et quod, pendente lite inter ipsas super matricitate, erectae fuerint in Collegiatas. » Die 18. Septembris 1666.

2379.

MONTIS POLITIANI.

S. R. C. ad preces Canonicorum, et Capituli Montis Politiani declaravit: « Fratribus Minor. Observant. Reformat. S. Francisci non licere sine licentia Ordinarii portare processionaliter Crucem, illamque benedicere, et plantare extra eorum claustrum, etiam in fundo, et re propria, neque benedicere habitus Sacerdotes Clericorum, et Personarum non subiectarum. » Hac die 18. Septembris 1666.

2380.

ROMANA.

S. R. C., ad preces Fr. Bonaventurae Caballi Commissarii generalis Ordinis Minorum Observantium, et Reformat. S. Francisci, declaravit: « Nullam adesse disparitatem inter translationem Festorum Apostolorum, et illam Evangelistarum, sed occasione dictae translationis esse faciendum Officium, quod prius celebrandum in Calendario proponitur; et quoad assignationem Missae, et Evangeliorum, quae debentur extra tempus Paschale SS. Martyribus Stanislao Pont., et Petro, et SS. Nereo, et Achilleo, servandas esse Rubricas generales. » Hac die 18. Septembris 1666.

2381.

ORESTAN. COTONEN.

Pro parte Archiepiscopi Orestan. Cotonen. pro bono suae Dioecesis gubernio porrecta fuerunt in S. R. C. infrascripta Dubia declaranda, quibus eadem S. C., facta relatione per D. Servantium, respondit, ut infra, videlicet:

1. Benchè nel Ceremoniale *Episcoporum* nel Capitolo de *Missa Pontificali* si faccia solamente menzione dell'Anello Pontificale da imporsi nel dito anulare del Vescovo, se deve portare altri anelli, e di che numero, ed in qual dito deve?

2. Nella lozione delle mani dell'Offertorio deve il Vescovo, proseguendo la Messa, riassumere tutti li detti anelli, ovvero solamente l'anello Pontificale nel dito anulare?

3. Se il Vescovo, celebrando la Messa letta, deve uno delli Cappellani assistenti preparargli il

Calice, ed imporre in esso il Vino, e l'Acqua, ovvero, quando debba farlo da se stesso il Vescovo?

4. Se il Vescovo, celebrando la Messa si pontificalmente, come letta, deve strascinar per terra la coda, ovvero fimbria dalla parte posteriore della veste talare, non alzandogliela nessuno?

5. In conformità della disposizione del Ceremoniale *Episcoporum*, il Vescovo nella sua Diocesi, e l'Arcivescovo nella sua Provincia non deve portare mantelletto, ma la mozzetta con il rocchetto; se nelli tre giorni della Passione essendo giorni di lutto, devono nelle funzioni pubbliche fuori del Coro, e nella Chiesa nelle funzioni Ecclesiastiche, e celebrazione de' Divini Offizii (supplendum *usare*) la cappa concistoriale, se questo s'intende solamente delle funzioni *extra Chorum*, e fuori della celebrazione de' Divini Offizii?

6. Se per la medesima causa di lutto debba ancora il Vescovo portare la mozzetta, col mantelletto nelli funerali, ed essequie d'alcuno gran Principe, come è seguito per la morte del Re Cattolico, e se questo s'intende solamente in quelle funzioni, nelle quali non può, e non deve il Vescovo portare la Cappa Concistoriale, ovvero Corale?

7. Dispone il Ceremoniale *Episcoporum nel lib. 1. cap. 4.*, che, andando, e viaggiando l'Arcivescovo per la sua Diocesi, e Provincia, faccia portare avanti di se la Croce; se questo s'intende solamente, quando va alla Chiesa per assistere ai Divini Uffizii, e quando viaggia per la Diocesi, e Provincia per occasione della visita, ovvero quando ancora camina, e viaggia per la Diocesi, e Provincia a suo arbitrio, e comodo?

8. Disponendo il medesimo Ceremoniale nel *Lib. 2. cap. 26.*, che nell'Uffizio del Venerdi Santo la mattina il Vescovo non deve benedire a nessuno nè con la mano, nè con parole, nè darla a baciare a nessuno; se questo s'intende solamente nel medesimo tempo, che si celebrano gl'Offizii Divini, che si dice in luogo della Messa, ovvero si stende a tutto quel giorno, anche nelle funzioni del Coro, e delli Divini Offizii?

9. Se nelli Matutini, che si celebrano nelli tre giorni della Settimana Santa, deve il Vescovo astenersi di dare le benedizioni private, nè dar da baciare la mano ad alcuno in Coro?

10. Se celebrando il Vescovo fuori della sua Diocesi la Messa letta, e comunicando egli medesimo ad alcuno, debba avanti la comunione dargli da baciare la mano?

11. Se il Vescovo, o Arcivescovo possa, stando in altra Diocesi, farsi portare la coda etc.?

12. Il Vescovo, celebrando nel Sabato Santo l'Ordinazione privata, non è tenuto d'incominciare la Messa dalle Profezie, ma dalla confessione del medesimo modo, in conformità della opinione di molti Teologi, che dovesse incominciare alcuno la Messa privata, se *de licentia* del suo superiore gli fosse concessa, cadendo la festa dell'Annunciazione della Bma Vergine in detto giorno; come si deve intendere quel nome *Ordinationum privatarum* cioè, se sono quelle Ordinazioni, che non si fanno pubbliche, nè solenni, per la celebrazione delle quali non ha preceduto editto pubblico, e generale, in conformità, e disposizione del Sac. Concilio Tridentino per tutti quelli, che vogliono ordinarsi, ma solamente si celebrano nell'Oratorio privato del Vescovo, benchè concorrino molti ad ordinarsi per tutti gli Ordini tanto maggiori, e quanto minori, ovvero che la pluralità dell'Ordinandi, sebbene l'Ordinazione si faccia privatamente nel detto Oratorio del Vescovo, si deve reputare per generale, e solenne, acciocchè il Vescovo cominci la Messa e l'Officio, e prima Profezia; e si supplica s'asegni qual sia quel numero, che obbliga in ciò?

Ad 1. Respondit: « Unus tantum datur Episcopo Anulus in Caeremoniali, et ideo etc. »

Ad 2. « Uno tantum, et Pontificali uti debet; circulus tamen quidam ad sustinendum Pontificalem, admitti potest. »

Ad 3. « Spectat ad Cappellanos. »

Ad 4. « Debet, maxime in Missa Pontificali. »

Ad 5. « In propria Dioecesi Episcopus, seu Archiepiscopus non habet usum mantelletti, nisi in quibusdam casibus in Caeremoniali expressis, et ideo eo uti non debet neque extra, neque intra Chorum in tribus diebus Passionis; in Matutinis Tenebrarum uti debet cappa, ut Caeremonialis ipse disponit in dictis diebus. »

Ad 6. « Mantelletto nunquam in propria Dioecesi, nisi in casibus expressis in Caeremoniali. »

Ad 7. « Ubique, quando Archiepiscopo placebit, dummodo non sit in curru. »

Ad 8. « Per totam diem. »

Ad 9. « In feria 6. in Parasceve tantum. »

Ad 10. « Est conveniens. »

Ad 11. « Extra Dioecesim non debet, nisi forte incederet cum Episcopo loci. »

Ad 12. « Se melius explicet. Die 18. Sept. 1666. »

2382. BITECTEN.

Audita relatione Episcopi, Primicerios, et non Archidiaconum Cathedralis Bitecti consuevisse deputare, et describere in lista ministros pro can-

tando Evangelio Passionis in Hebdomada Sancta, distributionemque Lectionum in Choro a nemine unquam fieri, sed a Canonicis, et Presbyteris Portionariis secundum eorum gradus cantari consuevisse, et Archidiaconos pro tempore numquam ministros, et praecipue Dignitates Episcopo celebranti deputare, vel aliquam listam desuper concessisse: S. R. C. censuit, atque mandavit; « In praefatis omnibus aliis servandum esse solitum; et proinde commisit eidem Episcopo, ut nedum illud servari faciat, sed etiam cogat ipsas dignitates et praecipue Archipresbyterum, non obstante cura animarum per substitutos exerceri solita, atque Primicerios, non obstante opposita assistentia in dirigendo Choro ad sibi assistendum, prout haecenus consueverunt. » Hac die 27. Novembris 1666.

2383.

COLLEN.

Proposita per Eñm Azzolinum in S. R. C. controversiarum causa inter Priorem, et Fratres S. Laurentii de Podio Bonesio Ordinis S. Augustini, et Ven. Societatem S. Stephani dicti loci ex una, et R. D. Leonardum Mutium modernum Praepositum Plebis, seu Praepositurae eiusdem loci: eadem S. C., « Quoad delationem SS. Sacramenti in die festo Corporis Christi, illiusque Octava, ius illud deferendi, et quod Processionem, illiusque tempus, locum, et modum faciendum, censuit servandum esse Laudum inter partes promulgatum die 2. Martii 1589., seu etc. Quo vero ad praecedentiam in praefatis aliisque Ecclesiasticis functionibus quibusvis in locis adversus dictos Fratres intervenientibus, competere Clero saeculari: » prout servari mandavit. Die 27. Novembris 1666.

2384.

PAPIEN.

S. R. C., iterum audito Francisco Spadino Praeposito Collegiatae S. Michaelis maioris Papiensis, censuit: « In distributione candelarum, et palmarum quoad deosculationem manuum servandum esse Caeremoniale c. 17. lib. 2. ad formam Decreti editi die 10. Aprilis praeteriti, tam celebrante Canonico, quam ipso Praeposito. » Hac die 27. Novembris 1666.

2385.

DECRETUM GENERALE.

Super declaratione alterius Decreti generalis editi die 5. Augusti 1662. de non celebrandis Missis de Requiem in duplicibus.

SS. D. N. Dñus Alexander PP. VII., ad tollenda quamplurima Dubia in diversis Mundi partibus orta, et in S. R. C. deducta, occasione Decreti eiusdem S. C. sub die 5. Augusti 1662. editi, et per Sanctitatem Suam approbati, de non cele-

brandis Missis *de Requiem* in duplicibus: approbandis in primis aliud Decretum eiusdem S. C. editum in una Navarien. die 22. Novembris 1664., quo declaratum fuit: « Anniversaria, et Missae cantatas *de Requiem* relictas ex dispositione Testatorum, quotannis in die ipsorum obitus, etiam in duplici maiori contingenti, posse celebrari, et non comprehendi in dicto Decreto. Ulterius quoad Altaria perpetuo privilegiata, et in quibus proinde quotidie, etiam in duplicibus, celebrandae sunt Missae *de Requiem* ex obligatione: declaravit per celebrationem Missarum de festo currenti satisfieri dictis obligationibus, et suffragari cum iisdem Indulgentiis, perinde ac si essent celebratae Missae *de Requie* ad formam Privilegiorum. » Hac die 1. Decembris 1666.

2386.

BONONIEN.

S. R. C., super Dubio: an Cantores Metropolitanae Ecclesiae Bononien. in Processionibus praecedere debeant Clericis, et Cappellanis Beneficiatis dictae Ecclesiae Metropolitanae, an vero e contra ipsi omnes illos antecedere? respondit: « Servandum esse Caeremoniale. » Hac die 15. Ianuarii 1667.

2387.

LAURETANA.

S. R. C., inhaerendo declarationibus in similibus factis, et signanter in *Firmana* die 15. Septembris 1657., iterum declaravit: « Coadiutoribus primarum Dignitatum scilicet, Archipresbyteri, et Primicerii in Ecclesia Lauretana, competere ultimum locum in Choro, nempe post omnes alias Dignitates, et ante reliquos Canonicos, prout in dicto Decreto pro Ecclesia Firmana declaratum fuit, quod etiam in Ecclesia Lauretana servari iussit, et mandavit. » Hac die 15. Ianuarii 1667.

2388.

MANTUANA.

Proposita in S. R. C. controversia inter Patres Coelestinos S. Christophori ex una, et Patres Camandulenses S. Marci civitatis Mantuae partibus ex altera, super praecedentia inter ipsos in Processionibus, et aliis ecclesiasticis functionibus, audita relatione Episcopi, aliisque a partibus hinc inde plene informantibus deductis bene perpensis, Eñm S. C. praepositi iudicarunt: « Praecedentiam deberi Patribus Coelestinis tamquam antiquioribus in loco ad formam Constitutionis Gregorii XIII., non obstante allegata per Camandulenses (sed non bene probata) possessione praecedendi, et quod in Monasterio, seu Hospitio Humilitatorum olim in dicta Civitate degentium dictisque Coelestinis antiquiorum in dicto loco se successive praetenderint. Et proinde dietam Constitutionem Gregorii XIII. ad favorem ipsorum Coelestinorum ser-

vandam esse, » prout servari mandavit. Die 15. Ianuar. 1667.

2389. MELPHITANA.

Introducta in S. R. C. controversia inter Episcopum Melphitanum ex una, et Gubernatorem Civitatis, et Status Melphiae partibus ex altera, ex quo praetendebat retinere sedem in Presbyterio Cathedralis cum genuflexorio, prout etiam in aliis Ecclesiis Regularium: at quia dictus Episcopus post transmissam suam relationem, et non expectata decisione ipsius S. C., mandavit amoveri nedum a dicto Presbyterio, sed etiam ab Ecclesiis Regularium S. Augustini, et Collegii Soma-schi sedem, et genuflexoria dicti Gubernatoris; et ulterius ob non partitionem, dictas Ecclesias Regularium interdixit, dictumque Gubernatorem excommunicavit; ideo pro parte Gubernatoris institutum fuit non solum pro purgatione attentatorum, et reductione omnium in pristinum, sed etiam pro concessione literarum remissorialium ad probandam consuetudinem immemorabilem retinendi dictam sedem in Presbyterio.

Et eadem S. C. respondit: « Non licere Gubernatori habere locum, neque tenere sedem cum genuflexorio in Presbyterio Cathedralis. Quoad Regulares, Episcopus removeat censuras, et interdictum, et utraque pars informet. Quoad Gubernatorem absolvatur per sex menses, cum reincidentia arbitrio S. C. » Et ita servari mandavit. Hac die 15. Ianuar. 1667.

2390. NUSCANA.

S. R. C., audita relatione Episcopi, censuit: « Patres Dominicanos Balneoli manutenendos esse in possessione libertatis de iure competentis in eorum Ecclesiis faciendi super cadaveribus asportandi omnes functiones necessarias; et Archipresbytero S. Mariae eiusdem loci non licere, ut ipse praetendit, accipere aquam benedictam cum aspersorio a Fonte (vel *Fratre*: nam verbum super imposita correctione cum atramento non bene intelligitur) Ecclesiae ipsorum Regularium, et aspergere super dictis cadaveribus, et aliqualem orationem pro salute illorum animae recitare, et quandoque etiam Missam funebrem super eisdem celebrare. Et si dictus Archipresbyter super praedictis, et aliis praetendat possessionem, vel quasi immemorabilem, dandas esse Remissoriales ad probandum formiter, et cum suis requisitis. In associandis vero cadaveribus ipsos Dominicanos, et alios Regulares omnes convenire debere in Ecclesia Parochiali, a qua cadaver desumitur; non autem expectare per vias, et plateas, ad formam aliorum Decretorum ipsius S. C. in similibus edi-

torum. Et demum quoad loca, per quae in eadem Terra Balneoli ducere tenentur Processionem fieri solitam per eandem Terram ab ipsis Patribus Dominicanis infra Octavam SSmi Sacramenti, servandam esse Constitutionem Clementis VIII. ad favorem ipsorum Praedicatorum. » Hac die 15. Ianuarii 1667.

2391. SALERNITANA.

Ius dicendi Orationem: *Respice quaesumus Domine etc.* in functionibus fieri solitis in hebdomada saneta, S. R. C. audita relatione Vicarii, censuit: « Spectare ad primam Dignitatem Ecclesiae Salernitanae ordine successivo, atque intervenientem, absente Archiepiscopo, ut Archidiaconus prima Dignitas declarari petiit, non ad ipsum Vicarium intervenientem loco Archiepiscopi absentis. » Hac die 15. Ianuar. 1667.

2392. ROMANA.

S. R. C. « Servandum esse, censuit, Rituale Romanum pro asportandis cadaveribus a carcibus novis ad Ecclesiam Parochialem S. Basilii, ut dicitur *della Pagnotta*, tam quoad tempus, quam quoad modum, omniaque alia in dicto Rituali disposita. » Hac die 15. Ianuar. 1667.

2393. URBIS, SEU NULLIUS.

Exposito Dubio in S. R. C.: An in illis Ecclesiis quibus ex indulto SSmi celebratur Festum SS. Conceptionis cum octava, diebus, quibus occurrit aliquod festum duplex celebratum ab Ecclesia universali de praecepto, canendum sit in fine *Benedicamus Domino* de S. M., vel potius de festo duplici?

Et eadem S. C. respondit: *Canendum esse de S. Maria.* Hac die 15. Ianuar. 1667.

2394. BAREN.

S. R. C. Inhaerendo pluribus aliis declarationibus in similibus factis, et commissioni manu eiusdem SSmi signatae, et A. C. in criminalibus in causa infradicendi baldachini directae, ac etiam de speciali mandato eiusdem SS. in precibus Sanctitati Suae per Archiepiscopum Baren. porrecti, et eidem S. C. remissis, declaravit: « Non licuisse, neque licere D. Carolo de Mariis moderno Principi Aquaevivae habere, et retinere baldachinum illoque uti neque in Ecclesia ipsius Terrae Aquaevivae, neque in Ecclesia Castellanae: *et proinde commisit* Rmo Nuntio Neapolitano, ut, auctoritate ipsius quoque S. C., remove faciat, et penitus prohibeat, quaecumque praetensa consuetudine, et possessione in contrarium non obstantibus. Hac die 5. Martii 1667.

2395. POLIGNANEN.

S. R. C. iterum declaravit: « Marchioni Po-

lignani non licuisse, neque licere habere, et erigere in Ecclesia Cathedrali baldachinum, et proinde iam erectum bene, et iuste fuisse de ordine Episcopi amotum: *ac etiam commisit*, ut, auctoritate etiam ipsius S. C., in posterum quoque omnino prohibeat, et nullo modo permittat. » Die 5. Martii 1667.

Idipsum in eadem Congregatione iniunctum fuit Episcopo Mileti, qui in Ecclesiis eiusdem Dioecesis baldachinum erigere, eoque uti posse praesumebat.

2396.

CAMERINEN.

S. R. C. ad novas preces Beneficiorum Ecclesiae Collegiatae S. Urbani Apri iterum declaravit: « Omnino servandum esse Caeremoniale in purificatione Magistratus, ad formam Decreti editi die 15. Augusti 1666. » Hac die 5. Martii 1667.

2397.

SENEN.

Exposito in S. R. C.: Ecclesiam Collegiatam Civitatis Senarum habere Chorum adeo subiectum oculis populi, et tali loco positum, ut a Canonicis dicto Choro pro Divinis celebrandis, et praecipue Missae cantatae assistentibus, omnino Altaria eiusdem Collegiatae pernecessario inspiciantur: et exposito quoque tempore, quo Canonici Choro, ut supra, assistunt, consuevisse in dictis Altaribus celebrari Missas privatas, et sine scandalo prohiberi non posse: ideo supplicatum fuit pro declaratione: An ipsi Canonici in elevationibus, quae fiunt in Missis privatis, genuflectere teneantur?

Et S. R. C. declaravit: « Non esse genuflectendum, ne Sacra, quibus assistunt, per actum privatum interrumpantur, sed ad evitandum scandalum, quod in populo, et adstantibus causari posset ob non genuflexionem, esse omittendam pulsationem campanulae in elevatione SS^mi in dictis Missis privatis. » Hac die 5. Martii 1667.

2398.

URBIS.

S. R. C. sollicite animadvertens, quod pia Fidelium consuetudo associandi Processiones, quae fiunt in Urbe infra hebdomadam SS^mi Corporis Christi, per pueros utriusque sexus repraesentantes varia SS. Martyria, et Mystera, non solum Christifidelium non augent pietatem, imo a debita adoratione SS^mi mentes populi distrahant, ideo eidem Emi decreverunt, in posterum prohibendum esse, *ne dicti Pueri, Puellaeque, ut supra, aliquo modo admittantur*: et ita servari mandarunt, et debitam executionem, cui de iure commiserunt. Die 5. Martii 1667.

2399.

SENARUM.

Magistri Caeremoniarum in civitate Senarum

supplicarunt in S. R. C. pro declaratione infra-scriptorum Dubiorum:

1. An Canonicis sacris vestibus, scilicet Planeta Sacerdotali, Pluviali, Tunicellis, et similibus indutis in canendis Missis, et Vesperis, ac Processionibus, aliisque ab eis faciendis, liceat deferre almutiam super dictis vestibus?

2. An Canonici in Processionibus a Sacristia ad Chorum, et aliis, quae tam per Ecclesiam, quam extra fiunt, cedere debeant praecedentiam Cappellanis supradictis vestibus indutis?

3. An Cantores in Processionibus incedere debeant post Cappellanos, seu Beneficiatos, et ante Canonicos, et non immediate post Crucem?

4. An Canonici induti rocchetto, sive aliis sacris vestibus facere debeant confessionem ad formam Caeremonialis stantes, vel genuflexi?

5. An permittendum sit, ut post Tertiam cantentur Missae votivae, vel Anniversariorum pro defunctis, seu Vigiliarum, et non post Primam, et Nonam?

6. An tam in accessu a Sacristia ad Altare, et in cantando Evangelio, ac etiam in Vesperis, intervenire debeant duo caeroferarii, vel potius permittendum, ut multi Acolythi cum facibus accensis adhibeantur?

7. An magistri Caeremoniarum debeant assistere functionibus cum cotta, vel potius cum habitu, quem deferunt alii Cappellani in Choro?

Et S. R. C., referente Em^o, et R^{mo} D. Card. de Ilcio respondit: Quoad 1. « Negative. »

Quoad 2. « Servandum esse Caeremoniale. »

Quoad 3. « Ad formam Caeremonialis. »

Quoad 4. « Stantes debeant facere confessionem. »

Quoad 5. « Ad formam Rubricarum. »

Quoad 6. « Ad formam Caeremonialis. »

Quoad 7. « Pariter ad formam Caeremonialis. »

Hac die 5. Martii 1667.

2400. **VOLTERRAE.**

Exponente Parocho Iusdini Dioecesis Volterrae, Curatos, et alios Presbyteros suae Parochiae subiectos teneri accedere ad dictam eius Parochiam, ibique assistere multis functionibus, et praecipue Benedictioni Fontis, Processionibus, et defunctis associandis, et proinde supplicante pro declaratione: An dicti Curati, et presbyteri teneantur accedere cum cotta? et quando eam non habeant: An permittendum sit, ut interveniant sine, vel potius reiici possint?

Et S. R. C. respondit: « Debere accedere cum cotta. » Die 5. Martii 1667.

2401. SENARUM.

Institutum fuit S. R. C. declarari pro civitate Senarum: An in Octava B. M. V., quando occurrit aliquod Festum sit dicendum *Benedicamus Domino* de B. M. V., vel de Sancto occurrente.

Et eadem S. C. respondit: « Dicendum esse de B. M. » Hac die 6. Martii 1667.

2402. AQUILANA.

S. R. C. declaravit: « Vicarium Generalem semper praecedere debere Archidiacono Cathedralis Aquilae in concionibus, et quibuscumque aliis functionibus publicis, in quibus non luerantur distributiones quotidianae, et in quibus ipse Vicarius intervenit sine habitu Canonicali, et Almutia, sed simpliciter tamquam Vicarius. » Hac die 2. Apr. 1667.

2403. CASTRENSIS.

S. R. C. declaravit: « Non licere Carolo Gavarino ass. Abbati mitrato ass. Abbatiae S. Iuliani habere in Ecclesia maiori, et Parochiali Terrae Poggiardi in cornu Epistolae prope sedem Episcopalem stallum, caeteris eminentius, cum panno viridi a parte humerali, et proinde Decretum Episcopi super praedictorum prohibitione in visitatione factum servandum, et exequendum esse, non obstante citatione cum inhibitione vigore appellationis, vel quacumque alia inhibitione, seu monitorio ab A. C. obtentis. » Die 2. Aprilis 1667.

2404. CASTELLANETEN.

S. R. C., audita quoque relatione Episcopi, declaravit: « Canonicis Cathedralis Castellanae sacris vestibus paratis, non licere usum Almutiae, etiam quod consueverint deferre subtus, nec non declaravit, licere iisdem Canonicis, et toto Clero, et multo magis Episcopo procedere in Processionibus extra Ecclesiam, etiamsi deferantur Reliquiae SSrum, capite cooperto: Illis vero, qui sacras Reliquias deferunt, non licere usum bireti. In Processione autem Corporis Christi, nulli ex Clero licere procedere capite cooperto. Quo vero ad habitum in associando Episcopum, illique assistendum, servandum esse Caeremoniale. » Hac die 2. Aprilis 1667.

2405. CREMONEN.

Cum S. C. R. die 22. Decembris 1664., declaraverit, Archipresbytero, seu Parocho Casalis maioris non licere facere nec Processionem, neque Novenam, nec celebrare Festum S. Antonii de Padua in die illius Festi, sed hoc ius spectare ad PP. Minores Conventuales S. Francisci eiusdem loci ab immemorabili; idem Archipresbyter postea supplicavit pro declaratione:

1. An sibi liceat ad augendam suorum Parochianorum devotionem saltem in aliqua ex diebus

infra Octavam dicti S. Antonii facere Processionem in sua Parochia?

2. An itidem sibi liceat facere Novenam de eodem Sancto, cum ea non peragatur a Conventualibus?

3. An liceat Conventualibus, absque consensu, et licentia Archipresbyteri, facere dictam Processionem extra proprium recinctum, et per Parochiam?

4. An iisdem Conventualibus liceat per Parochiam praefatam quaesturare in Quadragesima, post habitam concionem de animabus Purgatorii, ad celebrandum Officium generale pro eisdem Animabus Purgatorii?

Et eadem S. C., audita relatione Episcopi, et rationibus a Conventualibus deductis bene pensatis, respondit, et iussit: « Ut Archipresbyter ab omnibus, illaque competere Conventualibus, eisque permissa esse respective ex solito, et laudabili consuetudine. » Hac die 2. Apr. 1667.

Omittimus tenorem Decreti die 22. Novembris 1664., quia nihil in eo est, quod in praesenti non comprehendatur.

2406. DERTUSEN.

S. R. C. declaravit: « Non licere Electis, seu Iuratis, ac aliis Officialibus saecularibus Villae Morellae sedere in Presbyterio, in quo Archipresbyter, et Clerus Parochialis, et primae Ecclesiae dictae Terrae sedent, non obstante quacumque possessione, et consuetudine in contrarium, et quod per aliquod lapsum temporis in eodem Presbyterio sederint. » Die 2. Aprilis 1667.

2407. FERETRANA.

S. R. C., inhaerendo simili declarationi factae in Nullius 12. Iunii 1638. iterum declaravit: « Vicario Capitulari deberi praecedentiam supra omnes de Capitulo, excepta prima Dignitate, vel alio representante Capitulum: et proinde Benedictum Fuffum Canonicum, et modernum Vicarium Capitularem Cathedralis Feretranae praecedere non debere Preposito eiusdem primae Dignitati; dietoque Vicario Capitulari incedenti tamquam Vicario, et sine habitu Canonicali, non deberi, neque luerari distributiones quotidianas. » Hac die 2. Apr. 1667.

2408. IANUEN.

Cum S. R. C. die 14. Augusti proximi praeteriti declaraverit: « Io. Baptistae Baractino Coadiutori, in vim litterarum Apostolicarum deputato Io: Thomae Solinerio Canonico Ordinis Presbyteralis, in Cathedrali Ianuensi, deberi locum, et stallum post omnes Canonicos dicti Ordinis Presbyteralis, et praecedentiam supra omnes alios Canonicos Ordinis Diaconalis, et Subdiaconalis, » prout etiam

declaraverat in *Aesina die 4. Martii 1644.*; et deinde Canonici eiusdem Cathedralis supplicaverint a dicta resolutione recedi, praetendentes dicto Coadiutori deberi, et assignandum esse locum, et stallum post omnes Canonicos Ordinis Subdiaconalis, ad formam statuti optionis, et super iure optandi a Capitulo confecti, et auctoritate Apostolica die 2. Iulii 1660. confirmati, ad quod etc.

Et eadem, S. C. hinc inde deductis bene pensis, censuit: « *Dictum Statutum, et confirmationem Apostolicam non disponere in casu provisionis Beneficii per viam Coadiutoriae, et non comprehendere illum, de quo agitur, et propterea iterum declaravit: Ut dictus Coadiutor sedere debeat post omnes sui Ordinis, dicto Statuto, et confirmatione Apostolica non obstantibus. Die 2. Aprilis 1667.*

2409. LAURETANA.

S. R. C. iterum declaravit: Coadiutorem Præbiterii in Cathedrali Lauretana sedere debere in Choro post omnes alias Dignitates; ideoque *Decretum desuper emanatum die 15. Ianuarii præteriti, « servandum, et exequendum esse censuit, non obstante inhibitione A. C., per dictum Coadiutorem super observatione alterius Decreti eiusdem S. C. in Ferrariens. « Die 2. Iunii 1640., in casu diverso disponentis, obtenta. » Hac die 2. Aprilis 1667.*

2410. NERITONEN.

S. R. C. ad preces Archiepiscopi Cathedralis Neritonens. declaravit:

1. « Beneficiatos non teneri quotidie facere commemorationem de Sancto, seu Sanctis Titularibus utriusque Beneficii simplicis. »

2. « Quod, stante titulo Ecclesiae B. M. V. Assumptae, sufficit antiphona. *Sancta Maria succurre miseris, cum commemoratione ibi posita.* »

3. « Quoad insignitatem Reliquiarum Sanctorum, servandum esse Decretum S. C. sub Urbano VIII. impressum in Breviario Romano. » Hac die 2. Aprilis 1667.

2411. PAMPILONEN.

Pro parte Cleri Pampilonens. expositum fuit in S. R. C., quod Festum S. Nicolai Episcopi cadit infra Octavam S. Saturnini eorum Episcopi, et Patroni; et postmodum, superveniente Octava SSmæ Conceptionis, Festum dicti S. Nicolai translatum, non posse remitti, nisi die 16. Decembris non impedita ad formam Rubricarum. Hac autem die in Regnis Hispaniarum inchoari Ferias antecedentes Vigiliam Nativitatis D. N. I. C., attento quod ibidem die 18. eiusdem, celebretur Festum expectationis Partus B. M. V., ex Indulto S. M.

Gregorii XIII. Quocirca quaesitum fuit: An Festum dicti S. Nicolai celebrandum sit infra Octavam SSmæ Conceptionis, vel potius die 16., ommissa Feria?

Et eadem S. C. declaravit: « *Ferias non esse omittendas, sed festum transferri ad primam diem non impeditam. » Hac die 2. Aprilis 1667.*

2412. THELESINA.

S. R. C. ad preces Episcopi Thelesini declaravit:

1. « Parochis, et Archiepiscopis Terrae Solt-pacae, licere deferre Stulam, et praecedere omnibus aliis per proprias Parochias. »

2. « Ius deferendi SSmum in Processione in die illius Festi, impedito, vel absente Archiepiscopo Terrae Cusani, spectare ad Hebdomadarium, aut ad antiquiorem ex Rectoribus Ecclesiae. »

3. « Ad tollendas lites in Terra Cerreti, servandum esse Decretum ipsius Episcopi, alternatim praecedendi inter Confraternitatem erectam in Ecclesia SSmæ Trinitatis, et alteram erectam in Ecclesia Conventualium, dummodo tamen partes acquiescant. » Hac die 2. Aprilis 1667.

2413. LIMANA.

S. R. C. declaravit.

1. Capitulo, et Clero Civitatis Limanae, « *Non licere recitare Officium, et celebrare Missam Sanctorum, quorum Corpora fuerunt sibi ultimo loco donata, nisi ad formam Decretorum desuper editorum. »*

2. « Indultum particulare recitandi Officium alicuius Sancti Cathedrali concessum, non extendi ad Clerum Civitatis. »

3. « Diem Dominicam semel statutum ab Ordinario pro celebranda in Regnis Hispaniarum festivitate Patronatus B. M. V. ad formam Privilegii ultimo loco concessi, variari non posse. Et eadente dicta die Dominica aliquo festo sub ritu duplici, esse transferendum Festum suapte natura transferibile, nempe appositum in Breviario. » Hac die 2. Aprilis 1667.

2414. LIMANA.

S. R. C. declaravit.

1. « Non licere laicis, neque personis ecclesiasticis tum saecularibus, tum regularibus, sedere in Choro inter Canonicos, et Praebendatos Cathedralis. »

2. « Officium, et Missam de SS. Rosario pro Patribus Praedicatoribus privative approbata, non posse concedi aliis extra eorum Ordinem, et proinde a Capitulo, et Clero Limano recitari non posse, etiam quod B. M. V. SSmæ Rosarii sit Patrona totius Regni. » Hac die 2. Aprilis 1667.

2415. CIVITATIS THEATINAE.

S. R. C. declaravit: « Capitulum, Dignitates, et Canonicos Metropolitanæ Theatinæ non teneri, neque cogi, seu compelli posse, recipere ex Palatio Archiepiscopum, eumque comitari, et reducere, nisi in solemnioribus tantum diebus, quando ad Ecclesiam cum cappa ad celebrandum, vel Pontificalia exercenda accedit, ac eidem assistere in concionibus, nisi ipse Archiepiscopus pariter assistat cum eadem cappa. » Hac die 23. Iulii 1667.

2416. NICOTERAE.

S. R. C., inhaerendo Decretis alias editis, declaravit: « Nullam deberi præcedentiam Domino Adilardo Canonico Cathedralis Nicoteræ tamquam Vicario Capitulari, quando vult gerere personam Canonici, et, si velit præcedere tamquam Vicarius, non gaudere distributionibus quotidianis. » Hac die 23 Iulii 1667.

2417. CIVITATIS QUENCHAE.

S. R. C. ad preces Magistri Caeremoniarum Cathedralis Quenchæ declaravit:

1. « Servandas esse Rubricas Missalis Romani circa celebrationem Missarum in feria 2. Rogationum. »

2. « SSmum Sacramentum pro Comunione Fidelium, retinendum esse, etiam durante Processione Corporis Christi, reclusum in suo Tabernaculo. »

3. « Cum cantatur Missa votiva pro re gravi, de aliquo Sancto semper dici debet *Gloria*, et *Credo*, et uti colore, quo utuntur in Festo, cuius Missa cantatur. » Hac die 13. Augusti 1667.

2418. LUCERINA PRAECEDENTIAE.

S. R. C., ad relationem Emi Pallotti, censuit, « Præcedentiam in Processionibus, et aliis ecclesiasticis functionibus deberi Fratribus minoribus observantibus reformatis, degentibus in antiquo conventu SSmi Salvatoris Civitatis Luceræ, non autem Minoribus observantibus de familia, degentibus in conventu Pietatis eiusdem Civitatis, non obstantibus Decretis, et literis eiusdem S. C. favore ipsorum Observantium de familia in contrarium editis, et scriptis. » Die 13. Augusti 1667.

Decretum hoc confirmatum fuit in altera Congregatione die 10. Septembris eiusdem anni.

2419. MAIORICEN.

Capitulum, et Canonici Cathedralis Maioricensis supplicarunt in S. R. C. pro declaratione infrascriptorum Dubiorum.

1. In Ecclesia Cathedrali Maioricen. Matutinum pro die sequenti dicitur die antecedenti, Matutinum per tres horas cum dimidia post meridiem, et pro terminando dicitur una ex Antiphonis de B. V. pro

tempore. Queritur: an quando dicitur Antiphona (*Salve Regina*) in die Dominica, qua recitatur Matutinum, in illo tempore pro feria 2., sit recitanda stando, vel flexis genibus?

2. In Officio S. Theresiae nonnullis Breviariis habetur, quod Lectiones primi nocturni desumantur ex Communi Virginum, in aliis ex Scriptura occurrente. Queritur quae recitandae sint ex praefatis?

3. Quoad Officium expectationis Partus B. Virginis, quod celebratur in partibus Hispaniarum, adsunt differentiae in Breviariis, circa Antiphonas ad *Benedictus*, quae dicuntur in 4., et 5. die. Queritur quae dicenda sit?

4. In diebus, quibus admittuntur Puellae ad habitum Monachalem, et quibus velantur Moniales, Canonici Cathedralis interveniunt dictis functionibus, et celebrant Missam solemnem cum Diacono, et Subdiacono. Queritur: an si huiusmodi functio fiat in Dominica, vel alia Festivitate ritus duplicis, possint praefati Canonici celebrare Missam praedictam solemnem de Spiritu Sancto?

5. In Processionibus generalibus, quae fiunt per Civitatem, cum transitur per viam, quando occurrit aliqua Ecclesia, solet fieri commemoratio Sancti Titularis eiusdem Ecclesiae. Queritur: an huiusmodi commemorations faciendae sint per Clerum, vel stando, vel flexis genibus?

6. Quando fit festum de Patrono Civitatis, Dedicacionis Ecclesiae Maioris, vel de Patrono Regni, recitatur Officium cum Octava. Queritur: An Moniales subiectae Ordinario teneantur recitare dictum Officium, vel recitare Officium tunc tempore occurrens?

7. In Ecclesiis, quarum Dedicatio ignoratur, iuxta doctrinam Gavanti est assignandus dies talis Dedicacionis. Queritur: an talis assignatio spectet ad Episcopum, vel, qui dictas Ecclesias regunt, possint talem diem assignare?

8. In Civitate Maioricen. die 9. Novembris, in qua recitatur Officium Dedicacionis Basilicae Salvatoris, occurrit fieri festum insignis Miraculi facti per SSmum Crucifixum, qui asservatur in quadam Cappella maioris Ecclesiae, quod Miraculum est scriptum in Martyrologio, et ex antiquissima, et laudabili consuetudine, tali die dicitur summo mane de Cruce, et postea altera consueta Missa Dedicacionis. Queritur: an prima huiusmodi Missa possit celebrari cum *Credo*, et in eadem sint faciendae commemorations Dedicacionis, et aliae solitae in Missis votivis?

9. In festo S. Ermenegildi die 13. Aprilis solet dici Evangelium, quod incipit: *Si quis venit ad*

me; et Breviaria noviter edita ponunt, ut si hoc festum venerit tempore Paschali legatur Evangelium: *Ego sum Vitis vera*. Queritur, quod ex praefatis dicendum sit?

Et S. eadem C. respondit: Ad 1. « Videndum prius est, an liceat in Ecclesia Cathedrali recitare Matutinum pro die sequenti sero antecedenti, et deinde resolvetur Dubium. »

Ad 2. « Adest Decretum S. C., recitandas esse Lectiones de communi. »

Ad 3. « Melius se explicet. »

Ad 4. « Si Actio vestiendi Moniales fit in Cathedrali, poterunt cantari duae Missae, altera de Dominica, seu Festo currenti, altera de Spiritu Sancto votiva, tamquam pro re gravi cum *Gloria, Credo*, et Praefatione de Spiritu Sancto, et sine commemoratione Dominicae. Si vero in Ecclesia Monialium, sufficit una de Spiritu Sancto, ut supra celebranda, alias de Dominica; vel in utroque loco de Dominica cum commemoratione de Spiritu Sancto. »

Ad 5. « Stando. »

Ad 6. « Dummodo non habeant ritum proprium, prout Dominicales, et Monasticae, debent concordare cum Ordinario. »

Ad 7. « Ad S. C. R. »

Ad 8. « Primo videndum, ex qua auctoritate celebratur Missa de Cruce, et deinde resolvetur Dubium. »

Ad 9. « Ex Decreto S. C. tam tempore Paschali, quam extra dicendum est Evangelium, *Si quis venit*. » Die 13. Augusti 1667.

2420. MONTIS REGALIS

PROVINCIAE TAURINEN.

Capitulum, et Canonici Collegiatae Ecclesiae Benarum Dioecesis Montis Regalis Provinciae Taurinens., supplicarunt pro declaratione infrascriptorum Dubiorum.

1. An Sacrista, et Cappellani, nec non Clerici actu inservientes praedictae Collegiatae, incedere possint sub Cruce Capituli, tam in Processionibus generalibus, quam in associandis funeribus?

2. An, dum Capitulum invitatum fuerit ad funera, in quibus totus Clerus tam saecularis, quam regularis incedere debet sub unica Cruce, quam regularis incedere debet sub unica Cruce, quae Sacrista, et Cappellani habeant praecedentiam supra Clerum, et Presbyteros Parochiali Ecclesiae adscriptos?

3. An praefati Sacrista, Cappellani, seu Clerici decedentes, non electa sepultura, humari debeant in Ecclesia Collegiata, cui inserviebant, vel potius in Parochiali?

Et S. R. C. respondit: Ad 1. « Membra Capi-

tuli debent incedere cum suo capite, et ideo tam Sacrista, quam Cappellani, et Clerici, dum sunt membra Capituli, non possunt, nec debent disiungi a Capitulo. »

Ad 2. « Dum totus Clerus incedit sub unica Cruce, quisque debet incedere cum suo capite, non ratione praecedentiae, sed ne membra dividantur a suo capite. »

Ad 3. « Non spectat ad ritum. » Hac die 13. Augusti 1667.

2421.

ROMANA.

S. R. C. ad instantiam Monachorum Camaldulensium S. Gregorii de Urbe, declaravit: « Nemini licere facere Octavas pro Defunctis, praesertim intra Octavam omnium Sanctorum, sine speciali indulto S. Sedis Apostolicae; neque intuitu alicuius Altaris privilegiati in aliqua Ecclesia licere exponere tabellam super ianuam ipsius Ecclesiae, cum Inscriptione: *Indulgentia per li morti*, sed tantum super ipso Altari privilegiato, consuetis verbis. *Altare privilegiatum pro defunctis*: Et propterea, *utraque parte bene informante*, non licuisse, neque licere, *censuit*, Canonice S. Mariae supra Rotundam, quaecumque consuetudine in contrarium non obstante. » Die 13. Augusti 1667.

2422.

PHAREN.

S. R. C. declaravit: « Nemini tam saeculari, quam regulari, etiam in eorum propriis Ecclesiis, licere concionare, ipso Episcopo actu concionante. Et quoad praecedentiam in ecclesiasticis functionibus inter Presbyteros simplices, et Canonicos, ratione paramentorum, deberi Paratis. » Et ita servari mandavit. Hac die 10. Septembris 1667.

2423.

MEDIOLANEN.

Ex relatione Ecclesiae Mediolanensis exhibita in S. C. Concilii occasione Visitationis sacrorum liminum, transmissa fuerunt S. R. C. infrascripta Dubia pro declaratione.

1. Quae obsequia Baronibus, Feudatariis, locorum Dominis, Gubernatoribus Castrorum, et aliis huiusmodi personis, Ecclesiasticis functionibus assistentibus, debeantur?

2. An Decreto stabilendum sit, quod in omnibus Ecclesiis Civitatis, et Dioecesis Mediolanens. ante diurnam lucem, et post meridiem non celebretur amplius Missa, sub poenis S. Congregationi benevisis?

3. An Primatibus, Magistratibusque usum baldachini in propriis domibus habentibus, sit prohibenda erectio eiusdem baldachini in Ecclesiis, quando adhibeantur in patris, et matris in administratione Sacramenti Baptismatis, seu aliis huiusmodi functionibus, sive permittentibus,

sive iuvitis Parochis, et Rectoribus dictarum Ecclesiarum: et an aliquibus, quando, et quomodo sit permittendum?

4. An Regulares in executionem Decreti ipsius S. C. emanati die 15. Novembris 1656. teneantur, atque cogi, et compelli possint accedere ad Processiones Corporis Christi, Rogationum, quae vocantur Litaniae Maiores, et ad eas, quae pro serenitate, aut pluvia impetranda fieri solent, nec non ad alias quascumque pro bono publico, aut honore indictas; et demum ad illam, iussu Em̄i Archiepiscopi indictam in expositione, et repositione SS̄mi pro Oratione quadraginta horarum in Ecclesia Metropolitana, pro conservatione Caroli II. Hispaniarum Regis, ad quam Cassinenses accedere consulto recusarunt, allegantes, ne viderentur obedire mandatis Archiepiscopi?

5. An Regularibus, Gubernatorem ad festivitates in eorum Ecclesiis invitantibus, liceat pro eo baldachinum erigere a parte Evangelii, et pro Praelatis sedem a cornu Epistolae; cum extra hanc occasionem, ipsi Praelati baldachinum semper a cornu Evangelii erigant?

6. An Praepositus Schalensis Civitatis Mediolani, et Archiepiscopus Madoetiae Mediolanen. Dioecesis, quibus, ex Summi Pontificis indulto, competit usus Pontificalium, teneantur ad observationem Decretorum a S. R. C. emanatorum die 27. Septembris 1659., contententes ad multa non teneri?

7. An in Processionibus tum SS̄mi Sacramenti in die solemnitatis Corporis Christi, eiusque Octava, tum aliarum Confraternitatum Rosarii, Carminis, Cordigerorum, aliisque huiusmodi, permittendum sit, ut Pueri, Puellaeque, nedum septennio minores, sed Virgines ultra vigesimum annum, magno cum scandalo, Sanctos, Sanctasque, eorumque vitas, miracula, et mortes repraesentantes, cum insigniis eorundem SS̄rum induant, et incedant?

Et eadem S. R. C. respondit, ut infra: Ad 1. « In casibus particularibus providebitur: et interim Em̄us Archiepiscopus curet, ne quidquam omnino innovetur. »

Ad 2. « Arbitrio Em̄i Archiepiscopi. »

Ad 3. « Non licere. »

Ad 4. « Posse compelli ad formam Decreti sub Urbano VIII. emanati, quod dabitur a Domino Secretario. »

Ad 5. « Em̄o Archiepiscopo pro sua prudentia. »

Ad 6. « Fuit commissa causa Em̄o Card. de Ilcio, qui, auditis partibus, referat in S. C. »

Ad 7. « Prohiberi. » Hac die 5. Novembris 1667.

2424. ALBINGANEN.

Supplicantibus Canonicis Collegiatae S. Remi Dioecesis Albinganen. in S. R. C., pro declaratione. An sibi liceat, prout hactenus consueverunt, cantari facere Evangelium per assistentem cum Stola, et Cotta, in forma Diaconi, quando ipsi cantant Missas sine Diacono, et Subdiacono?

Et S. R. C., respondit: « Servandas esse Rubricas. » Die 19. Novembris 1667.

2425. GENEVENSIS.

S. R. C., referente Em̄o de Ilcio, ad infrascripta Dubia exhibita per Episcopum Genevensensem respondit, ut infra.

1. Queritur: Utrum dies B. Francisco Salesio sacra a Clero, et Populis suae Dioecesis, cuius Pastor, et Pater Sanctus ille extitit, sub praeepto coli, et celebrari possit?

S. C. declaravit: « Posse cum consensu Cleri, audito Populo, non obstante, quod summus Pontifex diem illam 29. Ian., quam universae Ecclesiae colendam, mandavit, non iusserit, celebrari de praeepto. »

2. Utrum praedicto die festo, eiusdem Dioecesis Fideles, qui ad horas canonicas tenentur, Officium Sancti Antistitis deinceps recitare debeant, sub ritu expresso in Brevis Beatificationis eiusdem dato 28. Decembris 1661., quo scilicet Brevis cautum est, ut dictum Officium recitetur sub ritu dup. mai. in Cathedrall, ubi sedit Antistes, in Matrice Ecclesia loci de Sales, ubi natus est; In tota vero Dioecesi Genevensi sub ritu dup. min.?

S. C. respondit: « Posse ad formam Brevis Beatificationis, non obstante, quod in alio Brevis sub die 18. Octobris 1666., mandetur, ab omnibus Christifidelibus recitari sub ritu semidup. »

3. Utrum Moniales SS̄mae Visitationis dicto die festo Officium Conf. Pont. recitare teneantur iuxta idem Breve 18. Octobris datum, quo mandat indiscriminatim summus Pontifex omnibus Christifidelibus, qui ad horas canonicas tenentur tum saecularibus, tum regularibus, ut tres Lectiones de S. Antistite a S. C. probatae cum reliquis de com. Conf. Pont. (aliquid deest) S. C. respondit, « dictas Moniales posse uti privilegio Gregorii XV., et Urbani VIII., recitandi Officium parvum B.M.V. cum, vigore dictorum Privilegiorum, non teneantur ad horas canonicas. »

4. Posito, quod aequum visum fuerit, dictas Moniales ad dictum Officium praefata die recitandum teneri: utrum praedictum Breve Moniales aetate provecetas, et infirmas ad huiusmodi recitatio-

nem obliget, vel tantum liget eas, quae sine gravi incommodo Officium in Choro recitare valent, vel liget tantum conventum Monialium, ut recitetur in Choro, nullam tamen in individuo? S. C. respondit, « ut supra. »

5. Utrum, facta Dubii praecedentis suppositione, dictae Moniales cantum Gregorianum, utpote grave, et Divinis laudibus magis accommodatum posse, maior pars tum saecularium, tum regularium uti consuevit in praedicto Officio recitando, adhibere debeant? (sensus confusus est) S. R. C. respondit: « Iuxta regulas, et antiquam consuetudinem. »

6. Utrum liceat dictis Monialibus, in recitando Officio solito, commemorationem S. Antistitis, et Patriarchae facere, iuxta Rubricam 35. de commemorationibus communibus, et suffragiis, illiusque nomen exprimere, quoties *Confiteor* dicent sive privatim, sive in Choro, secundum laudabilem aliorum Ordinum consuetudinem? S. R. C. respondit: « Teneri facere commemorationem, et in *Confiteor* exprimi posse nomen eiusdem Sancti. » Hac die 19. Novembris 1667.

2426. MESSANEN.

S. R. C. declaravit: « Octavio Caprino de Nicotia Coadiutori Dignitatis Cantoris in Collegiata S. Nicolai deberi locum in Choro post omnes Dignitates, si ipsae Dignitates non habeant locum fixum, sed gradatim ascendant: si autem habeant locum perpetuo fixum, deberi proprium ipsius Dignitatis coadiutae, nisi aliter in literis Apostolicis provisum fuerit. » Die 19. Novembris 1667.

2427. POSNANIEN.

S. R. C. declaravit: « Non licuisse, neque licere celebrare Festum Dedicationis Ecclesiae S. Crucis sitae in suburbii Civitatis Varsaviensis Dioecesis Posnanien. Dominica in Albis, prout ex abusu introductum fuit; neque licuisse, et licere Ordinario ad aliam Dominicam transferre, et proinde, auctoritate Apostolica, transferendum esse ad aliam Dominicam proximiorum. » Hac die 19. Novembris 1667.

2428. ROMANA.

Zenobius Massottus Typographarius Cameralis stante Brevi SS^mi D. N. Clementis PP. IX. edito die 21. Octobris 1667. pro immaculata Conceptione B. M. V., ad effectum imprimendi Octavam separatim ab Octavario Romano, prout in dicto Brevi conceditur; petiit declarari a S. R. C. infrascripta Dubia.

1. An festum Immaculatae Conceptionis celebrandum sit sub ritu dup. secundae classis?

2. An, occurrente Festo S. Lucia die Domi-

nica, et proinde translato ad diem Lunae 14. Decembris, Vesperae debeant esse integrae de Conceptione cum commemoratione S. Luciae?

3. An Lectiones primi Nocturni in die Octavae debeant esse de Scriptura currente, vel potius de illis 4. diei Assumptionis B. M. de Canticis Cantorum incipien. *Quam pulchra es amica mea* etc.?

4. An, occurrente Feria 4. quatuor temporum infra Octavam dictae Immaculatae Conceptionis, lectiones primi Nocturni debeant esse de Parabolis Salomonis, ut in festo S. M. ad Nives, incipien. *Ego Sapientia* etc.?

Et S. C. respondit. Ad 1. « Festum Conceptionis servandum esse sub ritu dup. secundae clas. »

Ad 2. « Integras Vesperas recitandas esse de Octava Conceptionis cum commemoratione S. Luciae, et Feriae. Alia vero duo remisit ad SS^mum. Hac die 19. Novembris 1667.

Et facta postmodum de praedictis omnibus SS^mo relatione, Sanctitas Sua, firmis remanentibus aliis, iussit: « Quod, occurrente Feria quatuor temporum diebus 14. vel 15. Decembris, septima scilicet infra Octavam, et die 8. Conceptionis, in 2. Nocturno Officii Octavae, legantur Lectiones de Parabolis Salomonis: *Ego Sapientia habito* etc., quae ponuntur in primo Nocturno Festi S. M. ad Nives, et 9. Lectio de Homilia quatuor temporum, de eaque fiat commemoratio: in reliquis serventur Rubricae. » Hac die 19. Novembris 1667.

2429. AQUIPENDIEN.

S. R. C. declaravit: « Regulares in funeralibus, quando interveniunt Capitulum, et Canonici Cathedralis Aquipendien. se convenire debere in ipsamet Cathedrali, et incedere sub Cruce eiusdem Cathedralis, non obstante quod cadaver esset deferendum ad Ecclesiam ipsorum Regularium: functiones autem super ipso cadavere ad dictam Ecclesiam delato, spectare ad ipsos Regulares. » Hac die 10. Decembris 1667.

2430. CUSENTINA.

Supplicantibus Patribus Dominicis Civitatis Terrae Mendicini Cusentinae Dioecesis declarari a S. R. C.: An possint Dominica infra Octavam Corporis Christi circumeirca eorum Conventum facere Processionem, gestando SS^mum; et an liceat ingredi Mulieres in prima clausura Conventus tempore, quo ipsi Patres faciunt Processionem SS^mi Rosarii?

Et S. C. respondit: Quoad 1. « Servetur solitum. Quoad clausuram, non licere. » Hac die 10. Decembris 1667.

2431. CREMONEN.

Praetendente Paulo Allio Dulcio Praeposito

Collegiatae insignis S. Agathae Civitatis Cremonae libere posse uti Baculo pastorali, Mitra, Anulo, aliisque Pontificalibus Insigniis in Processionibus, nec non diebus solemnibus, et aliis Divinis Officiis ex indulto Apostolico olim concesso Praeposito dictae Ecclesiae tunc Ordinis S. Augustini, et postea, suppresso dicto Ordine, in Praeposituram saecularem cum iisdem privilegiis erectae, et amplius sibi licere usum baldachini. Et referente Episcopo, quod licet Praepositus antecessor reperiretur in possessione illis utendi, tamen fuisset eidem prohibitum dictum baldachinum usque de anno 1632. per Eñum Card. Camporum tunc Episcopum per sequentia verba: « Non audeat excedere solitum, et regulas praescriptas a S. C. in dicta causa Firmana, praesertim utendo baldachino, et alia faciendo, quae per dietam declarationem S. C. sunt prohibita inferioribus ab Episcopo; et quatenus praetendat contrarium sibi licere in vim alienius Privilegii, vel Privilegiorum, etiam extrajudicialiter exhibeat. » Ideo fuerunt concessae dicto Praeposito remissoriales ad probandam consuetudinem immemorabilem super usu baldachini, et postea examinatis Testibus, et facta relatione in S. R. C. per Eñum D. Card. Boncompagnum, cui fuerat commissa causa, eadem S. C. declaravit: « Praeceptum Eñi Card. Campori non afficere. » Die 28. Januarii 1668.

2432. THELESINA.

S. R. C., inhaerendo aliis declarationibus in similibus factis, iterum declaravit: « Non licere Fratribus Regularibus Conventus B. M. V. de monte Carmelo Terrae S. Laurentii M. expectare per vias, vel ante ianuam eorum Ecclesiae, vel in domo defuncti in funeralibus, sed se convenire debere in Ecclesia Parochiali, et inde cum Parocho, et alio Clero discedere ad domum defuncti, quaecumque praetensa consuetudine in contrarium non obstante. » Hac die 10. Martii 1668.

2433. CALAGURITANA PRAEEMINENTIARUM.

Cum in Sac. Rota Romana coram R. P. D. Otalora in causa Calaguritana Praecedentiarum inter Magistratum Oppidi de Loqueitio ex una, et Antonium Adan de Tarza partibus ex altera, emanaverit die 10. Decembris 1664. decisio, eaque confirmata fuerit diebus 6. Februarii, et 27. Novembris 1665., quibus declaratum fuit: constare de bono iure dicti Antonii, et eius uxoris in infradicendis duabus praeeminentibus in Ecclesia dieti Oppidi.

1. « Quoad praecedentiam in Offertorio, eo tamen adhibito moderamine, ut dicta uxor accedat

ad Subdiaconum; » Et deinde in secunda Decisione clarius declaravit: « respectu uxoris tantum; » et in tertia: « in loco congruo arbitrio Ordinarii. »

2. « Ut Sacerdos celebrans Missam conventualem diebus festivis, illa finita, accedat ad sepulchrum antecessorum ipsius Antonii, Responsorium recitaturus pro suffragio defunctorum, ut in prima Decisione §. ad eiusdem quoque. Et respectu habitus censuit, quod Sacerdos accedens ad sepulchrum deberet deponere casulam, et manipulum, quibus usus fuit in celebrando Missam, et accipere Pluviale nigrum, et in eius defectu remanere cum Alba, et Stola, » ut in 3. Decisione §. final.

Et eadem Sac. Rota, iuxta Rescriptum SSmi in plena Signatura Gratiae, consuluit S. R. C. An, commissa inspectione, quid iuris sit iuxta probationes in ipsa Sacra Rota factas, et exhibitas, et secundum quas iudicavit dictae praeminentiae conveniant Ritibus Ecclesiasticis, et tolerandae sint?

Eadem S. C. proponente Eño, et Rmo D. Card. Gualterio, censuit. Quoad 1. « Oblationem esse faciendam in loco Presbyterii, servata eidem Rotae cognitione, quoad praecedentiam. »

Quoad 2. « Non licere dicere, et recitare Responsorium pro defunctis in diebus, in quibus, iuxta Rubricas est prohibitum facere commemorationem mortuorum. » Hac die 21. Aprilis 1668.

2434. CONVERSANA.

S. R. C., inhaerendo declarationibus alias factis, iterum declaravit: « Claves Custodiae SSmi Sacramenti in feria V. hebdomadae Sanctae in Cathedrali Conversanen. retinendas esse per Sacerdotem in crastinum celebraturum, non autem a laico cuiuscumque sit dignitatis, etiam existente consuetudine in contrarium. » Hac die 21. Aprilis 1668.

2435. FANEN.

S. R. C., inhaerendo Decreto sub die 21. Novembris 1665., iterum declaravit: « Non licere Canonicis Ecclesiae Cathedralis Fani recipere thurificationem, capite cooperto pileolo; Episcopo autem non posse prohiberi, quin illam accipiat cum ipso pileolo, quamvis in eodem Decreto, per errorem scriptoris, fuerit comprehensus etiam Episcopus: non licere Episcopo, et Canonicis. » Hac die 21. Aprilis 1668.

2436. TUSCULANA.

S. R. C. referente Eño, et Rmo D. Card. Gualterio loco Eñi D. Card. Ludovisii impediti, censuit: « In Ecclesia S. Petri Civitatis Tusculanae servandum esse Caeremoniale Episcoporum lib. primo cap. 23. scilicet: Magistratum dictae Civitatis esse thurificandum immediate post Di-

gnitates, et Canonicos, et ante Beneficiatos, quacumque praetensa consuetudine in contrarium non obstante. » Hac die 21. Aprilis 1668.

2437. BRUGNATEN.

Supplicante Episcopo Brugnaten. in S. R. C. pro declaratione: An Regulares Sestri loci suae Dioecesis teneantur accedere ad Processiones Iubilaei?

Et eadem S. C. respondit: « Teneri ad Processiones, quae fiunt ob publicam causam. » Hac die 9. Iunii 1668.

2438. CONVERSANA.

S. R. C., ad preces Ecclesiae Cathedralis Conversanae, declaravit: « Sacerdotem Saecularem, sive Cappellanum, sive non, qui recitavit Officium semiduplex, vel simplex, vel feriale, illo die celebrans in aliqua Ecclesia Regularium, in qua recitatum est ab ipsis Regularibus eodem die Officium duplex de non praecepto, prout de Sancto aliquo sui Ordinis, non posse dicere Missam de Requiem. » Hac die 9. Iunii 1668.

2439. CREMONEN.

S. R. C., ad preces Communitatis Oppidi Carravagii Ducatus Mediolanen. Cremonen. Dioecesis, per SSrūm libere remissas, benigne concessit, ut « Ieiunium Vigiliae S. Laurentii Mart. in dicto Oppido Carravagii transferatur in diem antecedentem 8. Augusti ad evitanda peccata, stante quod homines in die 9. Vigiliae, non ieiunent propter festum solemne SSrūm Martyrum Firmi, et Rustici Titularium dicti Oppidi, eadem die celebrari solitum. » Hac die 9. Iunii 1668.

2440. MONOPOLITANA.

S. R. C., ad preces Dignitatum, et Canonicorum Cathedralis Ecclesiae Monopolitanae, inhaerendo aliis Decretis in similibus editis, et praesertim in Ravennaten, die 21. Martii 1665., declaravit: « Porrectionem aspersionis in Ecclesiis Parochialibus, dum contingit ad eas accedere Episcopum, spectare ad primam Dignitatem, vel digniorem Canonicum illius Ecclesiae, ad quam Episcopus accedet. » Hac die 9. Iunii 1668.

2441. ROSSANEN.

UMBRIATICEN.

S. R. C., ad preces Parochi S. Io: Baptistae Terrae Psychii Umbriaticen: Terrae novae Rossanen. Dioecesis, declaravit: « Guardiani Minor. Observant. Reformat. non licere se conferre ad domus habitantium sub eius Parochia, eisque distribuere in iisdem domibus cineres die prima Quadragesimae, prout introduci exposuit. » Hac die 9. Iunii 1668.

SENEN.

2442. S. R. C., ad preces Parochi SSrūm Quiriel Senen., inhaerendo declarationi factae in *Viterbien.* 25. Iunii. 1611. iterum declaravit: « In delatione cadaveris, quotiescumque intervenit Capitulum, et Clerus Ecclesiae Cathedralis, praecedentiam competere Capitulo, et Clero eiusdem Cathedralis; in Ecclesia vero ubi sepelitur corpus defuncti, etiam Canonici ipsius Cathedralis sive habuerit sive elegerit sepulturam, ad Parochum ipsius Ecclesiae pertinere Officium facere. » Hac die 9. Iunii 1668.

URBIS.

2443.

Magister Caeremoniarum Ecclesiae SSrūm Iacobi; et Idelphonsi nationis Hispaniarum de urbe supplicavit a S. R. C. declarari: An de Sanctis ad libitum translatio possit recitari prima die non impedita, sicut fit de aliis Sanctis qui non sunt ad libitum similiter translatis?

Et S. eadem C., ad relationem Em̃i D. Card. Brancatii, censuit: « Officium SSrūm ad libitum, si cadat in aliqua die impedita, non tamen concursu alterius aequae ac magis privilegiati, debere transferri in proximam diem non impeditam, et mutandum versum Hymni, *Iste Confessor etc.* ut in festo S. Philippi Neri mense Maio tunc ad libitum celebrando. In concursu autem alterius aequae ac magis privilegiati V. G. si Officium Stygmatum venerit in Dominica, et sit etiam transferendum Officium SSrūm Eustachii, et sociorum, esse transferendum prius Officium semiduplex de praecepto, quia est positum in Calendario » Hac die 9. Iunii 1668.

2444.

NUSCANA.

S. R. C. in infrascriptis Dubiis declarari petitis per Carolum Gargarium Archipresbyterum S.M. Bagnoli Nuscanae Dioecesis adversus PP. Dominicanos eiusdem loci, referente Em̃o D. Card. Brancatio, respondit, ut infra.

1. An licitum sit Patribus Ordinis Praedicatorum in die Purificationis Candelas, prima die Quadragesimae cineres, palmasque, et olivas in Dominica palmarum benedicere, et populo distribuere?

R. « Spectare ad Parochum, sed non private, et proinde servandam esse consuetudinem contrariam, si adsit; candelas autem non esse transmittendas ad aedes saecularium, sed recipiendas a Populo in Ecclesia? »

2. An liceat Confraternitatibus laicis, erectis tamen in Ecclesiis eorumdem Patrum, associare Processionem, quam ex privilegio Pii V. et Clementis VIII. consueverunt facere Dominica infra Octavam Corporis Christi, prout etiam decrevit

Ordinarius in visitatione ad favorem Confraternitatis S. Bernardini?

R. « Licere associare. »

3. An tam ad praedictam Processionem faciendam, quam aliam SS^mi Rosarii, requiratur licentia Episcopi, vel Parochi, an vero utriusque; et an deneganda sit licentia ex eo, quod aliqui laici induantur vestibus sacris, et pueri muliebrem in modum compti, cultique incedant?

R. « Servandam esse concordiam inter praefatas partes initam, itaut licentia petatur ab Episcopo, hoc autem absente, a Parocho: caeterum spectare ad Episcopum tollere abusum, et scandala. »

4. An liceat PP. praedictis recitare Rosarium in eorum Ecclesia eodem tempore, quo in Parochiali Doctrina Christiana explicatur ex praescripto S. Concilii Tridentini?

R. « Doctrinam Christianam esse explicandam ante Vesperas, ut moris est; Rosarium vero esse recitandum post easdem Vesperas, prout consuetum fuit; dictamque Doctrinam non esse explicandam per Parochum, data opera, et tempore, quo a Patribus recitatur Rosarium »

5. An liceat praedictis Patribus decantare Matutinum, apertis Ecclesiae foribus in Vigilia Epiphaniae circa horam 24., et recitare Rosarium post primam Missam matutinam in Novena ante Christi Nativitatem, et defunctorum commemorationem?

R. « Licere: et spectare ad Episcopum corrigere, et prohibere scandala, et abusus, si interfuerint. »

6. An liceat Parocho cum Cotta, et Stola assistere exequiis defunctorum in Ecclesiis Regularium, et post earum celebrationem, submissa voce, recitare super cadavere Psalmum *Miserere* cum responsorio, et orationem iuxta Rituale?

R. « Parochum teneri funeralia deducere, et prosequi usque ad Ecclesias Regularium, in iisdem autem Ecclesiis ad eosdem Regulares dumtaxat spectare Officium mortuorum, et alia necessaria circa cadaver peragere, nisi contraria adsit consuetudo. » Die 9. Iunii 1668.

2445. ARETINA.

Proposito in S. R. C. per E^mum D. Card. Celsum Dubio: An PP. Dominicani, et alii Regulares Civitatis Aretinae deberent in funere incedere sub Cruce Capituli Sanctae Mariae de Plebe, prout incedere debere declaratum fuit sub illa Capituli Cathedralis Ecclesiae S. Petri eiusdem Civitatis, stante quod dictum Capitulum S. Mariae fuerit unitum anno 1250. per Episcopum Aretinum di-

cto Capitulo Cathedralis cum communicatione omnium honorum, privilegiorum, et praerogativarum?

Et S. eadem C. utraque parte informante, censuit: « Non suffragari privilegium Ecclesiae Cathedralis S. Petri Capitulo Ecclesiae S. Mariae, nisi conjunctim procedant. » Die 21. Iulii 1668.

2446. MATHERANEN.

Dignitates, et Canonici Ecclesiae Metropolitanae Matheranensis supplicarunt in S. R. C. pro declaratione: An Officium ad libitum recitandum, possit ad libitum transferri?

Et eadem S. C. mandavit: « Servari Decretum editum die 9. Iunii 1668., referente E^mo Brancatio in una Urbis. » Hac die 12. Iulii 1668.

2447. CAVEN.

S. R. C., ad preces Archidiaconi Ecclesiae Cathedralis Caven. declaravit: « Dispositionem Caeremonialis Episcoporum Cap. 23. de Ordine dandi pacem » (quod Episcopo solemniter celebrante, si adsunt laici, seu Magistratus, Barones, et Nobiles, detur pax cum instrumento ab ipso Presbytero assistente) « procedere etiam, et eodem modo, et sine ulla differentia, quando ipsemet Archidiaconus, qui est prima Dignitas in eadem Cathedrali fungitur Officio Presbyteri Assistentis: necnon absente Episcopo a Choro, purificationem incipi, et pacem dari debere a Digniori stante in parte digniori a Choro, non autem a parte Throni Episcopi, si non adsit dignior. » Hac die 15. Septembris 1668.

2448. CONVERSANEN.

Primicerius, et Canonici Collegiatae Turis Conversanen. Dioecesis supplicarunt pro observantia infrascriptorum capitulorum per Episcopos Ordinarios pro tempore confirmatorum.

1. L'Arciprete pro tempore di detta Collegiata suole eleggere, a suo arbitrio senza suffragio de' voti un Prete *de gremio* nel Capitolo generale ogni anno alli 15. di Agosto.

2. Li Primiceri sogliono puntare in coro li non interessenti alternativamente, cioè quel, che regge il coro *per hebdomadam*, eziandio presente l'Arciprete, ed in caso di gravame si dà il ricorso al Vicario Foraneo del Vescovo.

8. Il Vicario Foraneo *pro tempore* del Vescovo è solito dar la licenza alli Canonici, e Preti, di uscir dal coro; ed in assenza di esso l'Arciprete. Così successivamente li Primiceri, e Canonici più antichi di grado in grado in assenza de' suddetti.

4. Nella solennità del *Corpus Domini* suole

se n'abbia da fare alli 23., giorno assegnato a S. Marcello P. e M., oppure trasferirlo più oltre, benchè, essendo stato S. Ilario alli 14., e S. Marcello alli 16., paia si dovrebbe dar luogo al primo; e come in altri casi simili s'abbia da governare?

4. Se alli 6. di Marzo, avendo noi nel nostro Martirologio Francescano circa dell' Offizio già più anni fatto della B. Coletta Riformatrice delle Monache di S. Chiara queste formali parole, cioè: « Nonnullis datum est de ea agere per Clementem VIII. anno 1604., Paulum V. anno 1610. Gregorium XV. anno 1622., et Urbanum VIII. anno 1625., qui et anno 1626. ad instantiam Reginae Matris Franc. toto Ordini Minorum, et universo Regno Franciae concessit etc. » se ne possa fare in vigore di detta concessione ultima di Urbano del 1626., oppure se si debba tralasciare?

5. Se alli 21. d' Ottobre, e 16. di Novembre giorni il primo di S. Orsola e compagne, ed il secondo di S. Agnese sorella di S. Chiara d' Assisi, si possa proseguire a fare l' Offizio di loro rispettivamente da Frati nostri per comunicazione del privilegio, che n' ebbero già da Leone X. tutte le Monache nostre « in sua Constitutione IX., quam edidit anno 1515., 29. *Maii* incipien. Cum sicut nobis nuper etc. §. 7. *la quale dice:* et quibusvis aliis Abbatissis, et conventibus Monasteriorum dicti Ordinis S. Clarae hunc ritum observare volentibus quodam modo in antea B. Agnetis, et undecim millium Virginum huiusmodi festa perpetuis temporibus sub dup. mai. celebrare libere, et licite possint, et valeant, concedimus, pariterque indulgemus etc. »

6. Se concorrendo un Santo doppio Diocesano il giorno proprio di semidoppio Francescano, si debba levare da luogo il Francescano, e fare del Diocesano, o pure *e contra*, come accade alli 28. di Settembre giorno assegnato dalla Diocesi a S. Salomone Vescovo di Genova doppio maggiore?

7. Se in concorrenza di più Santi trasferiti dell' Ordine nostro, e della Diocesi simili di rito, s'abbia, nel far l' officio loro, da dare il primo luogo a quelli della Religione, oppure alli Diocesani?

8. Se, nel far noi l' Uffizio de' Santi de' Vescovati permessoci dalle nostre Costituzione confermate dalla Santa Sede Apostolica, dobbiamo recitarne quelle Lezioni proprie, che dicono tutti gli altri della Diocesi, come concesse da codesta Ema e Sagra Congregazione de' Riti in quella

guisa, che diciamo le altre pure dalle VV. EE. concesse negli Offizi della traslazione delle Ceneri, ed ottava della Decollazione di S. Gio: Battista, ovvero diversificare dalle altre Chiese e Religioni con recitarle del comune?

9. Se si debba obbligatoriamente anteporre nei suffragi la commemorazione di S. Francesco a quella Titolare della Chiesa, stantechè alcuni dicono non esser questo Rubrica formale, ma uno di quelli avvertimenti solamente, che, dopo le suddette Rubriche nuovamente concesse, sono posti con questo titolo. *Quaedam monita scitu digna etc.* E stante anco, che altri apportano Autori in contrario; cosa, che fa forse trattener fino ad ora il metter in uso detta anteposizione, per vedere, se viene altr' ordine dall' EE. VV. più espresso?

10. Se occorrendo per ragione di Domenica eccettuata, ed altre solennità maggiori, trasferire qualche Offizio di Santo festeggiato, o altri, per li quali si sogliono suonare le campane a doppio, si debbano piuttosto duplicate suonare nel suo proprio giorno per ragione della Festa, oppure in quello, nel quale se ne farà l' Offizio, mentre da' Sacrestani ora si fa ad un modo, ora ad un' altro con ammirazione di questa diversità?

11. Se (in quanto a Messe) si possano liberamente celebrarne altre private dopo la cantata solenne nella notte del SSmo Natale immediatamente, e se può Sacerdote alcuno celebrare per sua devozione nel Sabato Santo?

12. Se in tempo di Sedia vacante si Romana, come Diocesana si debba nel Canone della Messa dal Sacerdote nominare altri in cambio dei passati Pontefici, o Vescovi, oppure basti tacere quello che vacarà?

S. eadem C. respondit, ut infra. Ad 1. 2. et 3. « Dies assignatus festo habenti Officium novem Lectionum non admittit aliud festum translatum, etiam dup.; occurrentibus tamen eodem die festo dup. et alio semidup., illud est praefendum. De Reliquia autem insigni, et de Sanctis Dioecesanis debet caute reflecti ad Decreta edita a S. C. sub Urbano VIII. impressa in principio Breviarum Romanorum.

Ad 4. « Conformari debent cum Rubricis Religionis revisis, et approbatis a Congregatione. »

Ad 5. « Verba Indulti intelligi, prout iacent, nec ab alio, quam a Sede Apostolica explicari possunt, nec quispiam, nisi eadem Sedes? facultatem habet extendendi Officium concessum de loco ad locum, ut ex d. Decretis Urbani VIII. »

Ad 6. « Duplici cedit Semiduplex, in illis autem festis Dioecesanis consultum eisdem Decretis. »

Ad 6. « Servanda est Rubrica de translatione Festorum num. 7. »

Ad 8. « Eadem, quae recitantur ab aliis, approbatae tamen a Sede Apostolica, dummodo commode haberi poterunt; in istis tamen Sanctis Dioecesanis advertatur, ne obstant Decreta supra dicta. »

Ad 9. « Iuxta Rubric. de Com. num. ultimo circa finem. »

Ad 10. « Solemnitas festi fit die, quo cadit, licet transferatur Officium. »

Ad 11. « Observandae sunt dispositiones sacrorum Canonum, et Rubricarum in utroque casu. »

Ad 12. « In loco defuncti nemo alius nominari debet. » Die 15. Sep. 1668.

2452. MOTULEN.

S. R. C., ad petitionem Episcopi Motulensis declaravit: « Neque Dignitates, neque Canonicos tam paratos, quam non paratos debere genuflectere in benedictione ab ipso Episcopo fieri solita in solemnioribus post Missae Sacrificium, aut Vesperas, quamvis dictus Episcopus praetenderit per Caeremoniale ecclesiasticum excludi ab ipsa genuflectione solas Dignitates et Canonicos sacris vestibus indutos. » Hac die 15. Septembris 1668.

2453. MOTULEN.

S. R. C. ad preces Episcopi Motulensis declaravit: « Functiones Episcopales esse faciendas in Ecclesia Cathedrali, non autem in Collegiata, ubi residet; et in casu non sufficientiae Presbyterorum, esse aliunde conducendos. » Die 15. Septembris 1668.

2454. NUSCANA.

S. R. C., ad relationem Em̃i Brancatii, declaravit: « Non posse, virtute literarum Clementis VIII. variare, vel ampliare viam ab iis semel electam pro processione SS. Sacramenti in Dominica infra Octavam Corporis Christi, sed servanda esse Decreta, seu Declarationes, alias emanata in una Pisaren. 14. Novembris 1615., et in alia Materanen. 20. Iunii 1629., quas refert Barbosa de Potestate Parochi cap. 12. num. 14., et 15. Et ita servari mandavit in Terra Bagnoli Nuscanae Dioecesis, » instante Carolo Gargano Archiep̃sbytero dictae Terrae. Die 15. Septembris 1668.

2455. ROMANA SOLEMNIS
BENEDICTIONIS.

Proposito Dubio: An Cardinales Diaconi pos-

sint in suis Diaconis solemnem benedictionem super populo impertiri, vel in actu visitationis Diaconiae, necnon (videtur deesse particula: *dum*) solemnibus Missae assistunt? S. C. censuit: *posse*. Et facta de praedictis relatione SS̃mo, Sanctitas Sua « annuit; non celebrante tamen Episcopo. » Hac die 15. Sep. 1668.

2456. SYPONTINA.

Archiepiscopus Sypontinus supplicavit in S. R. C. pro declaratione infrascriptorum dubiorum:

1. An Dignitatibus Metropolitanae Ecclesiae Sypontinae habentibus usum Mitrae ex privilegio Apostolico liceat intra, et extra ambitum Ecclesiae, puta in Processionibus maioribus, et minoribus Mitram cum velo appenso penes se praeferi facere?

2. An in Processionibus incipientibus a propria eorum Ecclesia, et longius progrediendo, quam teneat ambitus murorum ipsius Ecclesiae, veniat eis interdicenda Mitra?

3. An in aliis Ecclesiis exemptis, vel non exemptis, sive intra Civitatem, sive intra Dioecesim, licite utantur Mitra?

4. An iure utantur in Officiis, et Missis defunctorum, vel in diebus non festivis, nec ubique de praecepto?

5. Num ad haec, citra veri praedictum, suffragetur consuetudo?

Et S. R. C., ad relationem Em̃i Cardinalis Brancatii, censuit, et declaravit, ut infra. Ad 1. « Non licere. »

Ad 2. « Negative. »

Ad 3. « Invitatis, vel alio modo accedentibus ad aliam Ecclesiam exemptam, sive non, sive capitulariter, sive seiunctim, sive intra Civitatem, sive extra, et in Dioecesi, non posse uti, sed esse interdicendam. »

Ad 4. « Non in Officiis, et Missis defunctorum, nec in diebus feriatis, sed tantum in solemnioribus, et ubique de praecepto. »

Ad 5. « Negative » Hac die 15. Septembris 1668.

2457. NEAPOLITANA.

S. R. C., inhaerendo aliis Decretis desuper editis, declaravit: « Em̃um Archiepiscopum Neapolitanum procedere posse contra inobedientes, et recusantes accedere ad Processiones pro bono publico, et de ordine SS̃mi indictas, non obstantibus quibuscumque inhibitionibus A. C. » Die 24. Novembris 1668.

2458. AVERSANA.

Supplicante Antonio Portello Portionario S. Mariae de Platea Aversanen. in S. R. C. pro declaratione:

An Episcopo ad aliquam Ecclesiam Parochialem eius Civitatis, in qua prius accesserunt Capitulum, et Canonici canonicalibus vestibus induti, cum Cruce pro peragenda Processione a dicta Parochiali Ecclesia ad Cathedralem, Parochus ipsius Ecclesiae Parochialis, vel unus ex Canonici praedictis porrigere debeat aspersorium Episcopo in ingressu ipsius Parochialis Ecclesiae, et in foribus eiusdem?

Et S. eadem C., inhaerendo aliis declarationibus in similibus factis, iterum declaravit: « spectare ad digniorem Ecclesiae, ad quam Episcopus accedit, et sic ad Parochum. » Hac die 12. Ianuarii 1669.

2459. FLORENTINA.

S. R. C. declaravit: « Non licuisse, neque licere celebrare Missam S. Crucis ullo modo in Metropolitana Florentina in die Veneris infra Octavam Nativitatis D. N. Iesu Christi, quacumque praetensa consuetudine dictae Metropolitanae illam celebrandi singulis diebus Veneris infra annum, et signanter infra dictam Octavam non obstante. » Hac die 12. Ian. 1669.

2460. HIERACEN.

S. R. C. ad preces Archipresbyteri Terrae Siderni Hieracen. Dioecesis, inhaerendo aliis declarationibus in similibus factis, iterum declaravit: « Fratres Dominicanos eiusdem loci vocatos ad funeralia, se convenire debere in Ecclesia Parochiali, et inde cum ipso Archipresbytero discedere ad domum defuncti, etiam quod cadaver sit deferendum, et sepeliendum in eorum Ecclesia, quacumque etiam consuetudine in contrarium non obstante. » Hac die 12. Ian. 1669.

2461. NEAPOLITANA.

S. R. C. declaravit: « Non licuisse, neque licere sine Indulto Apostolico celebrare in Ecclesia S. Mariae Constantinopolitanae Civitatis Neapolis Feria 3. Pentecostes Missas B. M. V., prout in die Nativitatis Domini, mutatis etiam mutandis ex voto facto tempore contagii, et propterea in posterum prohibendum, ne cantetur dicta Missa, nisi aliter doceant de Privilegio, sed festum esse solemnizandum cum Missa currentis Feriae. » Die 12. Ianuarii. 1669.

2462. RIPANA.

S. R. C., inhaerendo pluribus aliis declarationibus in similibus factis, iterum declaravit: « Canonicum Sacerdotem antiquiorem in ipso ordine Sacerdotii, et posteriorem in Canonicatu, praecedere debere cuicumque alteri Canonico non Sacerdoti, quamvis anteriori in Canonicatu eiusdem Collegiatae, in qua tamen praebendae non sint distinctae in Praesbyterales, Diaconales, et

subdiaconales, et proinde Melchiorem Romandinum Canonicum Sacerdotem Collegiatae S. Nicolai Montis Grandoni Ripanae Dioecesis praecedere debere cuicumque alteri Canonico non Sacerdoti, quamvis anteriori in canonicatu » Hac die 12. Ianuarii 1669.

2463. TAURINEN.

S. R. C. declaravit: « Canonici S. Mariae Scalae Collegiatae Civitatis Chieri Taurinen. Dioecesis sub invocatione SS. Assumptionis B. M. V. et cuius propterea festum solemne in eadem principaliter celebratur, non licuisse neque licere in suffragiis post laudes, et Vesperas infra annum loco antiphonae *Santa Maria etc.* dicere Antiphonas currentes *ad benedictus* ad Laudes, et *Magnificat* ad Vesperas in die festivitatis eiusdem SS. Assumptionis cum sua Octava, prout introductum fuisse expositum extitit in ipsa S. C.: ideoque non debere mutari Antiphonam communem » *Santa Maria.* » Die 12. Ianuarii 1669.

2464. URBINATEN.

Clerus Urbinas supplicavit in S. R. C. declarari; An Sacerdos in Missae Sacrificio post communionem, reponens calicem in medio Altaris, velum, quo in principio Missae operitur supra bursam, debeat plicare, nec ne?

Et S. eadem C. respondit: « tam in principio Missae, quam post communionem calicem velatum esse debere totum in parte anteriori et ita in posterum tam in Dioecesi Urbinaten., quam ubique servari voluit, et mandavit. » Hac die 12. Ianuarii 1669.

2465. MANFREDONIAE.

S. R. C., inhaerendo aliis declarationibus in similibus factis, iterum declaravit: « Non licere Regularibus in funeralibus erigere propriam Crucem, interveniente Capitulo Cathedralis Manfredoniae; sed incedere debere sub illa Cathedralis: » et ita servari voluit, et mandavit. Die 16. Februarii 1669.

2466. MELITEN.

S. R. C., ad preces Francisci Azzapard. Parochi Civitatis Sanglae Meliten., et audita quoque relatione Vicarii Capitularis, Sede Episcopali vacante, declaravit: « Ius faciendi functiones fieri solitas per Confraternitatem SS. Rosarii erectam in Oratorio sito intra limites suae Parochiae sub invocatione S. Philippi Neri, et erecto de licentia Ordinarii sine praeiudicio ipsius Parochi, spectare ad ipsum Parochum, non autem ad Patres eiusdem Oratorii. » Hac die 16. Februarii 1669.

2467. MELPHITEN.

S. R. C., ad preces Sacerdotum Melphiten., et inhaerendo aliis declarationibus in similibus factis, iterum declaravit: « Sacerdotes simplices de numero non participantes, neque de gremio Capituli, et nullis gaudentes emolumentis, et distributionibus, non posse cogi, et compelli inservire Ecclesiae Episcopo Pontificaliter celebranti, et ad Processiones accedere. » Hac die 16. Februarii 1669.

2468. RAVENNATEN.

Proposito in S. R. C. per Emum D. Card. Gualterium dubio: An, absente Archiepiscopo Civitatis Ravennatensis ex qualibet causa, et accedente Capitulo Cathedralis eiusdem Civitatis ad Ecclesiam S. Vitalis in die illius Festi, liceat Abbati Cassinensi in eadem sua ecclesia S. Vitalis erigere, et retinere Baldachinum, etiam praesente dicto Capitulo, et, seorsim ab eo, canere primas Vesperas, et Missam solemnem cum Pontificalibus?

Et eadem S. C., parte utraque informante, declaravit: « licere, non interveniente tamen dicto Archiepiscopo. » Hac die 16. Februar. 1669.

2469. CORDUBEN.

Circa explicationem Bullae SS. Domini Nostri Clementis PP. IX., qua conceditur, ut in Regnis Hispaniarum omnibus diebus lunae festo dup., aut semidup. non impeditis extra adventus, Quadragesimae, et vigiliarum tempora, possit recitari Officium S. Iacobi Apostoli, et Patroni Hispaniarum sub rit. semidup. Didacus de Escobar Presbyter, et Magister Caeremoniarum Ecclesiae Corduben. supplicavit ad infrascripta Dubia proposita a S. R. C. responderi.

1. An, per festum semiduplex intelligatur etiam infra Octavam?

2. An, per exceptionem Feriarum Adventus, Quadragesimae, et Vigiliarum includatur Feria 2. Rogationum, de qua non fit mentio in dicta Bulla?

3. An, per Festum duplex, aut semiduplex intelligatur etiam quando est translatum?

4. An, concurrente Festo primae classis cum dicto Officio, debeat a secundis Vesperis incipere fieri commemoratio tamquam festi semiduplexis, iuxta tabulam concurrentiae num 4., an incipienda a matutinis diei Lunae tamquam de die infra Octavam?

5. An, Festum semiduplex concessum ad libitum praestet impedimentum; an vero transferri possit?

6. An, si noluerint repetere lectiones secundi,

et tertii Nocturni diei 28. Iulii, poterunt illae per menses variari, vel ex officio approbato, quod est in Breviario Sanctorum Hispaniarum, vel ex Octavario Romano?

7. An preces Dominicales, et suffragia communia Sanctorum sint dicenda?

8. An in Litera N. in oratione (*A cunctis*), ubi specificatur nomen S. Iacobi, poterit loco illius specificari illud alterius Sancti, arbitrio Sacerdotis?

9. An in Missa dicendum sit *Credo*?

10. An commune Apostolorum Officium, aut proprium, quod pro eius festo principali a Sede Apostolica approbatum est, debeat recitari?

Et S. Eadem C. respondit. Ad 1. 2., et 3. « Intelligi. »

Ad 4. « Melius explicet Festum. »

Ad 5. « Impedimentum esse ad libitum; Impedire enim, si amat Officium Festi ad libitum recitare, non impedire, si ab eo abstinendum censet: attamen de festo ad libitum in tali casu non debere fieri translationem. »

Ad 6. Missam debere concordare cum Officio, et ideo tutius esse specificare nomen Sancti Titularis, vel Patroni, de quo in Officio dictum est suffragium, quam pro arbitrio.

Ad 7. 8. 9., et 10. Considerandam esse Bullam concessionis. » Hac die 16. Februarii 1669.

2470. SYPONTINA.

S. R. C. inhaerendo declarationibus in similibus factis, iterum declaravit: « Non licere Regularibus Civitatis Sypontinae in funeralibus erigere Crucem, interveniente illa Cathedralis, et Capituli, sed sub illa incedere debere. » Hac die 16. Februarii 1669.

2471. BRUGNATEN.

S. R. C. benigne concessit, ut Olea Sacra possint ab ipso Episcopo Brugatensi benedici, et consecrari, etiam extra suam Cathedralis, et in Ecclesia Terrae Sestri suae Dioecesis, ubi Episcopi pro tempore, pro meliori aeris temperie, et maiori ipsorum, et cultus divini decore, residere solent. Hac die 23. Martii 1669.

2472. CARPENTORATEN.

S. R. C., inhaerendo declarationi in similibus factae in *Amerinen*. 16. Octobris 1604, iterum declaravit: « Festum Dedicacionis Ecclesiae Parochialis de Caromb celebrandum esse eo die, quo venerit, nec, ob devotionem S. Joannis Baptistae eadem die cadentis, alterandam esse consuetudinem, sed devotioni satis fieri posse, celebrando duas Missas unam de Dedicacione,

alteram S. Ioannis Baptistae. » Hac die 23. Martii 1669.

2473. HIERACEN.

S. R. C., iussit: « Parendum esse Decretis ipsius S. C. per Fratres Dominicanos Siderni Hieracen. Dioecesis, scilicet conveniendi se in Ecclesia Parochiali cum toto Clero, et inde unitim discedendi ad domum defuncti sive in civitate, sive in illius suburbii existentem, non obstante consuetudine per ipsos Fratres allegata expectandi in eorum Ecclesia, et conventu existente in suburbii, quando Parochus, et Clerus ante ipsam Ecclesiam transire debet ad effectum accedendi ad domum ipsius defuncti. » Hac die 23. Martii 1669.

2474. MUTINEN.

Supplicante in S. R. C. Episcopo pro declaratione. An liceat Abbatibus Lateranensibus consecrare lapides, et benedicere campanas, et sacras suppellectiles? Eadem S. C., referente Eñõ Gualterio, *servari iussit omnia disposita in Decreto edito sua die 20. Iulii 1660. tenoris sequentis ad §. 19. quo vetita est Abbatibus benedictio sacrae suppellectilis pro usu alienarum Ecclesiarum.* Asserentibus Monachis etiam pro aliena Ecclesia ex Apostolico indulto eis licitum esse ecclesiasticam suppellectilem benedicere; S. C. mandavit « exhiberi Indultum authenticum ex Archivio Apostolico desumptum, et interim abstineri. » Hac die 23. Martii 1669.

2475. PAPIEN.

Franciscus Spadinus Praepositus S. Michaelis maioris Papiæ supplicavit in S. R. C. pro declaratione infrascriptorum Dubiorum.

1. An ad ipsum Praepositum, vel alium ex Canonicis spectet ius convocandi Capitulum, proponendi in eo negotia resolvenda, dandi primum votum, et suffragia recolligendi?

2. An ad ipsum Praepositum spectet ius cantandi Missas, et Vesperas cum assistentia Diaconi, et Subdiaconi Canonicorum in solemnioribus, benedicendi candelas, cineres, et palmas, deferendi SSmum Sacramentum in Processionibus, et faciendi alias actiones, et functiones Sacerdotales relatas per Barbos. *de Canonicis, et Dignitatibus Cap. 5. num. 43?*

3. An, impedito Praeposito, fieri debeant per Canonicum seniore residentem?

4. An ad ipsum spectet superioritas circa assistentiam Choro, et directionem Divinorum Officiorum?

5. An sit exemptum ab Officio Hebdomadarii per rotam fieri solito a Canonicis, et ab

onere legendi lectiones, martyrologium, et responsoria?

6. An ipse prius sit thurificandus, et eidem danda pax ante Canonicos.

7. An, ipso absente, eius stallum in Choro debeat esse vacuum, neque ab alio ex Canonicis occupari possit?

8. An Canonicis liceat celebrare Missas tempore Divinorum Officiorum, sine licentia ipsius Praepositi; et quod idem concedere non debeat, nisi utile, et necessarium pro Ecclesia iudaverit?

9. An Canonici debeant eidem parere in iis, quae respiciunt Divina Officia?

Et eadem S. C., referente Eñõ D. C. Brancatio, utraque parte informante, respondit. Ad 1. « Spectare ad Praepositum. »

Ad 2. « Spectare ad primam Dignitatem, vel antiquiorem, nec tolerandam consuetudinem assumendi duos presbyteros extra gremium Capituli. »

Ad 3. « Impedito Praeposito, spectare ad Seniore. »

Ad 4. « Ad Praepositum, nisi aliter mandaverit Episcopus »

Ad 5. « Serventur decreta Visitationis. »

Ad 6. « Servetur Caeremoniale. »

Ad 7. « Affirmative. »

Ad 8. « Affirmative. »

Ad 9. « Servari statutum. » Hac die 23. Martii 1669.

2476. REATINA.

Promotor Fiscalis Curiae Reatinae institit in S. R. C. infrascriptum Dubium declarari: An Eñõ Episcopo, quando assistit cum cappa functionibus Ecclesiasticis debeat assistentia Archidiaconi, qui est prima, et unica Dignitas, vel potius illa Canonici antiquioris, non obstante consuetudine contraria?

Et S. eadem C. referente Eñõ D. Card. de Ilcio, respondit: « omnino deberi assistentiam primae Dignitatis, et in eius absentia Canonici antiquioris, non obstante quacumque consuetudine in contrarium, quam abusum *declaravit.* In reliquis servandum esse Caeremoniale. » Hac die 23. Martii 1669.

2477. SENARUM.

Exponente Praeposito prima Dignitate Ecclesiae S. Mariae de Provenzano Senarum, se per spatium vigintiquatuor annorum, et ab initio Collegiatae thurificatum fuisse, et pacem, et omnia habuisse ante omnes Canonicos, etiam Hebdomadarii, et cum in hac possessione reperire-

tur, in praeiudicium suae praeceminentiae per magistrum caeremoniarum de mandato Archiepiscopi introducti, ut prius thurificetur Hebdomadarius, et pacem, et omnia habeat, et successive Canonici ab ea parte, modo a dextera, modo a sinistra Chori, prout sedet Hebdomadarius; S. R. C. censuit, «manutenendum esse Praepositum in sua possessione thurificandi, et omnium ante omnes Canonicos, et Hebdomadariam; et forte privatum, restituendum, donec, et quousque secus iudicetur ab eadem S. C. auditis Canonicis, si quid habeant in contrarium.» Hac die 23. Martii 1669.

2478. URBANIAE.

Supplicante in S. R. C. Clero Terrae Mercatelli Dioecesis Urbanien. pro declaratione: Magistratum dictae Terrae esse thurificandum post omnes de Clero, praeter Acolytos, iuxta antiquam consuetudinem dicti loci, et dispositionem Caeremonialis, quod eadem S. C. servandum esse iussit die 9. Iunii proxime praeteriti in illis verbis: *Magistratus autem Civitatum thurificentur post Canonicos*, intelligi de Magistratu Civitatum, non autem similium Terrarum.

Et S. eadem C. respondit, «servandum esse solitum.» Hac die 23. Martii 1669.

Decretum supra laudatum sequens est.

Urbaniae: S. R. C. audita relatione tam Emi D. Card. Rasponi, quam Episcopi, censuit: servandum esse Caeremoniale in Ecclesia Mercatelli super thurificatione Magistratus, et thurificandum esse, ut in eo disponitur, quacumque praetensa consuetudine in contrarium non obstante.» Die 9. Iun. 1668.

2479. VITERBIEN.

Capitulum, et Canonici Ecclesiae Cathedralis Viterbien. supplicarunt in S. R. C. pro declaratione infrascriptorum Dubiorum.

1. An Canonici associantes Gubernatorem una cum Conservatoribus, debeant incedere immediate ad latera ipsius Gubernatoris, praecedendo ipsis Conservatoribus, stante antiqua consuetudine associandi per ipsos Canonicos Gubernatorem tantum, quando solus accedit, et recedit, Conservatores autem per solum Magistrum caeremoniarum?

2. An pax danda sit Conservatoribus per dictum Magistrum caeremoniarum, vel per Archidiaconum Pluviali indutum?

3. An habere debeant scamnum coopertum tapete cum pulvinaribus intra Presbyterium?

4. An (Canonici) associantes cum cappa, et rocchetto Emum Episcopum pariter cum cappa

magna, et Vicarium generalem cum rocchetto et mantelletta, incedere debeant immediate post Emum Episcopum, ne corpus a capite separetur, stante quod Magistratus praetendat antecedere nedum ipsis Canonicis, sed etiam Vicario Generali?

5. An liceat eodem tempore thurificare Canonicos, et Magistratum duobus thuribulis?

6. An Magistratus ad Confessionem, ad verba *Incaratus est* in Symbolo a Choro cantata, et ad benedictionem in Missa solemnem debeat genuflectere?

7. An, stantibus Vicario, et Canonicis, Conservatores deceat sedere capite tecto coram Emio Episcopo in Presbyterio?

Et eadem S. C., utraque parte informante, ad relationem Emi D. Card. Facchinetti, respondit. Ad 1.; «Dandam esse Remissoriam ad probandam assertam consuetudinem, interim Canonicos esse manutenendos.»

Ad 2. «ad Emum Episcopum praesentem, iuxta mentem.»

Ad 3. «Licere.»

Ad 4. «Pro nunc nihil innovari.»

Ad 5. «Servetur concordia.»

Ad 6. «Nihil innovari.»

Ad 7. «Licere.» Hac die 23. Mart. 1669.

2480. MAIORICEN.

S. R. C., inhaerendo Declarationi alias sub die 16. Februarii proxime praeteriti factae, quoad Fratres Ordinis Minor. Regul. Observant. S. Francisci Provinciae Maioricen., per eos scilicet parendum esse Ordinario circa expositionem SSmi in eorum Ecclesiis, et domibus, illiusque prohibitionem; iterum declaravit, «idem servandum esse per Rectores, et Administratores Hospitalis generalis Maioricen., eiusque non licere dictum SSmum exponere in eorum Ecclesia sine licentia dicti Ordinarii, praetensis eorum privilegiis exemptionis a iurisdictione ipsius Ordinarii non obstantibus quibuscumque.» Hac die 8. Iun. 1669.

Decretum autem, de quo supra sequens est.

Maioricen. S. R. C. declaravit: «per Fratres Ordin. Minor. Observ. S. Francisci Provinciae Maioricen. parendum esse Ordinario circa expositionem SSmi in eorum Ecclesiis, et domibus, illiusque prohibitionem.» Hac die 16. Febr. 1669.

2481. MESSANEN.

S. R. C., ad preces Leonardi Saccone Archiepresbyteri Terrae Montis Albani Messanen. Dioecesis, pro bono pacis declaravit: «Sacerdoti Didaco de Flore Vicario Foraneo, ratione sui Vicariatus, nullam competere praecedentiam, seu

praeminentiam supra Presbyteros, et Sacerdotes antiquiores eiusdem loci tam in Choro, et Processionibus, quam in aliis omnibus Ecclesiasticis functionibus publicis; nec non declaravit, « eadem nullo modo licere, dicta ratione Vicariatus, retinere genuflexorium ante stallum ipsius, et habere thus triplici ductu. » Et ita decrevit, et servari mandavit. Hac die 8. Iun. 1669.

2482. NEAPOLITANA.

S. R. C., referente Eñio Brancatio, decrevit: « Decretum eiusdem S. C. editum die 26. Ianuarii 1641., quo declaratum fuit, Capitulum, et Canonicos Metropolitanae Civitatis Neapolis vocatos ad funus, non posse a Regularibus, et signanter a Monachis Benedictinis, Caelestinis, et Olivetanis, impediri, quin ingrediantur cum propria Cruce in Ecclesia ipsorum Regularium, esse servandum etiam quoad Carmelitas S. M. de Vita eiusdem Civitatis. » Hac die 8. Iun. 1669.

2483. URBIS, ET ORBIS.

Dubium Rubricarum.

S. R. C. ad dubium: An infra Octavam SS. Corporis Christi, quando contingat in Officio fieri debere commemorationem Festi simplicis, sit pariter de eodem Festo recitanda 9. Lectio? Respondit, referente Eñio D. Card. Brancatio, « negative. » Hac die 8. Iun. 1669.

2484. ALESSANEN.

Supplicantibus Parocho, et Presbyteris Ecclesiae Alatriensis Tricasii Dioecesis Alessanae in Sac. R. C. pro licentia continuandi in celebratione Missae Conceptionis B. M. Immaculatae qualibet die Sabbati, ex particulari Populi devotione, et ex quo sit Patrona dicti loci.

Et S. eadem C. respondit; fiat de S. Maria in Sabbato, dummodo non sit impedita ab aliis Festis duplicibus, seu semiduplicibus. » Die 20 Iulii 1669.

2485. PLACENTINA ALMUTIAE.

S. R. C., referente Eñio Gualterio, in causa Placentinae Almutiae inter Presbyteros Civitatis Placentinae ex una et Parocho eiusdem Civitatis partibus ex altera, censuit; « servandum esse ultimum Decretum Synodale Rñi Scappii, quo sancitum fuit, ut Presbyteri Cathedralis, et Collegatae S. Antonini Civitatis Placentiae, quando sub eorum Cruce ad ducenda cum Parochis funeralia conveniunt, suas illi valeant deferre Almutias: secus si tamquam singuli evocati ad exequias accedunt, » non obstantibus declarationibus in contrarium S. Congr. Episcoporum, et Regularium, et praecipue sub diebus 2. Maii 1659., et 10. Novembris 1662. nempe: « licere, quando in-

cedunt collegialiter, et cum Capitulo. » Hac die 20. Iul. 1669.

2486. PAPIEN.

S. R. C., inhaerendo Declarationibus factis die 23. Martii proximi praeteriti, proponente Eñio Brancatio in controversiis inter Praepositum, et Canonicos S. Michaelis Papiiae, iterum declaravit.

1. « Canonicos tam Ordinis Diaconalis, quam Subdiaconalis per turnum teneri ad assistentiam Praeposito tam in solemnioribus; quam in Dominicis, quando ipsemet celebrat.

2. Servandum esse Statutum Ecclesiae cap. 6. scilicet, quod Praepositus debeat celebrare Missam cum cantu omnibus diebus Dominicis, et omnibus festis principalibus, nisi occupatus fuerit per Episcopum Papiensem: aliis vero diebus celebretur huiusmodi Missa per Canonicos residentes, et, ipsis deficientibus, per Cappellanos, ut consuetum est. »

3. Non teneri Canonicos ad assistentiam Vesperarum cum Pluvialibus. Hac die 20. Iul. 1669.

2487. S. MARCI.

S. R. C. declaravit: « Non licuisse, neque licere porrigere Baroni de Malvito, Dioecesis Sancti Marci, Missale ad osculandum in Missis cantatis per Subdiaconum, neque dare pacem, neque thurificari, quacumque praetensa consuetudine in contrarium non obstante. » Hac die 20. Iul. 1669.

2488. DECRETUM GENERALE.

Cum S. M. Alexander VII. dubia in diversis Mundi partibus occasione Decreti S. R. C. die 5. Augusti 1662. emanati, et a Sanctitate Sua approbati, de non celebrandi Missis defunctorum in festis ritus duplicis exorta dirimere cupiens, aliud eiusdem S. C. Decretum in una Novarien. die 22. Novembris 1664. editum approbaverit, quo declaratum fuerat: « Anniversaria et Missas defunctorum causa, ex dispositione Testatorum quotannis recurrente ipsorum obitus die, celebrandas, tametsi dies obitus huiusmodi in festum rit. dup. maioris incideret, non comprehendi in dicto primo Decreto. Ac ulterius, quod Altaria privilegio Apostolico pro animabus Fidelium defunctorum in perpetuum decorata, et in quibus quotidie proinde, etiam in festis rit. dup. celebrandae essent Missae defunctorum ex obligatione declaraverit, per celebrationem Missarum de Festo currenti satisfieri iniunctis obligationibus, et indulgentias pro huiusmodi privilegia Apostolica concessas Animabus Fidelium defunctorum in Purgatorio existentibus suffragari, perinde ac si ee-

lebratae fuissent Missae defunctorum ad formam dictorum privilegiorum, prout in Brevis Apostolico desuper die 22. Ianuar. 1667. expedito continetur.» Eadem S. C. intellectu, quod etiam dubitaretur, utrum praedicti Brevis dispositio, quoad Altaria pariter quidem privilegiata, sed non in perpetuum, nec pro omnibus hebdomadae diebus, et ad quae Missae, non ex obligatione, sed ex sola Fidelium devotione celebrarentur, locum haberet; re mature perpensa, censuit; « declarationem a memorato S. M. Alexandro VII., sicut praemittitur, editam, extendendam esse ad Altaria, ut praefertur non in perpetuum, sed ad septennium, vel aliud brevius, vel longius tempus, ac non pro omnibus, sed aliquo, vel aliquibus tantum hebdomadae diebus nunc, et in futurum quandocumque privilegiata. *Et proinde si Sanctissimo D. N. placuerit, indulgendum fore*, ut Missae, quae ibidem de Festo currenti, in quo Missae defunctorum celebrari non possint sive ex obligatione, sive ex sola Fidelium devotione celebratae fuerint, indulgentias per privilegia huiusmodi concessas consequantur in omnibus, et per omnia, perinde ac si Missae defunctorum ad formam eorumdem privilegiorum celebratae fuissent. Die 20. Iulii 1669.

Et facta relatione SSmo D. N. Clementi PP. IX., Sanctitas Sua sententiam S. C. approbavit, et Breve desuper expediri mandavit.» Hac die 13. Augusti 1669.

2489. BONONIEN.

S. R. C., referente Eno D. Card. Celso, et partibus hinc inde plene informantibus, censuit: « Magistratum Saecularem Terrae Plebis prope Centum Bononien. Dioecesis, removendum esse, ut removeri *voluit, et mandavit* a Presbyterio Ecclesiae Collegiatae eiusdem loci, non obstante allegata consuetudine in eo sedendi post Cappellanos; quo vero ad thurificationem ante, vel post dictos Cappellanos hodie Mansionarios, quo ductu, et praecedentia in aliis functionibus, fuit dilata resolutio. Hac die 31. Augusti 1669.

2490. CONVERSANEN.

Capitulum Collegiatae Rosigliani Dioecesis Conversanen. exposuit in S. R. C., Nicolaum Francesium in eius, sub quo decessit Testamento, reliquisse eius Bona dicto Capitulo, cum onere celebrandi Missam quotidianam, et singulis diebus Veneris de Passione, et cum onere, terminata Missa post Evangelium *In principio erat Verbum etc.*, recitandi ipsam *Passionem secundum Joannem*. Et proinde, cum dicta dispositio sit contra Ritus Ecclesiasticos, supplicavit pro de-

claratione: An dicta Passio recitanda sit post dictum Evangelium alibi per celebrantem?

Et S. eadem C. censuit: « Recitandam esse post finem Missae, exutis vestibus sacerdotalibus, et cum sola cotta in Altari, vel in Sacristia.»

2491. LAUDEN.

S. R. C. ad relationem Emi D. Card. Gualterii, declaravit, et decrevit: « oblationem Crucis ad osculandum Rmo Episcopo, vel alicui Principi, spectare ad digniorem e Dignitatibus: impedito vel absente Praeposito prima Dignitate, spectare ad Archidiaconum secundam Dignitatem, dictumque Archidiaconum manutendum esse in quasi possessione praecedendi Archipresbytero quartae Dignitati in canendo in processionibus Rogationum in secunda Ecclesia Orationem Sancti Titularis eiusdem Ecclesiae, nec non in canendo Antiphonam: *O Adonai*, absolutionem *Libera me Domine*, et in imponendo cineres Celebranti, atque in aspergendo aqua benedicta Capitulum; canere autem Missas, et Vesperas solemnes, caeteraque omnia Divina Officia, quae spectarent ad Praepositum, exceptis praedictis, in quibus data est manutentio Archidiacono, spectare, et pertinere ad Archipresbyterum, iuxta formam Statuti sub titulo de Archipresbytero.» Hac die 31. Aug. 1669.

2492. TORNACEN.

S. R. C. declaravit: « Missam B. M. V. sub invocatione septem dolorum celebrari debere cum *Gloria Patri* ad Introitum, scilicet, Feria 6. infra hebdomadam Passionis ab iis, qui gaudent huiusmodi Indulto, ac propterea cum psalmo *Iudica me Deus* ad confessionem, sed sine *Gloria in Excelsis*.» Hac die 31. Augusti 1669.

2493. PAPIEN.

Cum S. R. C. in controversiis inter Franciscum Spadium Praepositum ex una, et Canonicos Ecclesiae S. Michaelis maioris Papien. partibus ex altera, ad secundum dubium: An ad ipsum Praepositum spectet ius cantandi Missam, et Vesperas cum assistentia Diaconi, et Subdiaconi Canonicorum in solemnioribus; benedicendi candelas, cineres, et palmas, deferendi SSnum in Processionibus, responderit die 23. Martii praeteriti, spectare ad primam Dignitatem, vel antiquiorem, nec tollerandam consuetudinem assumendi duos Presbyteros extra gremium Capituli? Hodie S. C., ad tollendas ultteriores controversias, declaravit: « Huiusmodi Canonicorum assistentiam deberi, nedum in celebratione Missae, sed etiam in omnibus aliis supradictis functionibus. » Ac ulterius cum sub die 20. Iul. declaraverit Canonicos non teneri ad assistentiam Vesperarum cum Plu-

vialibus, hodie pariter declaravit: « ad id compelli posse duos Capellanos de praesenti in dicta Ecclesia existentes. » Hac die 31. Aug. 1669.

2494. TUSCULANA.

Cum S. R. G. die 21. Aprilis 1668. declaraverit, « Magistratum Civitatis Tusculanae esse thurificandum immediate post Dignitates, et Canonicos, et ante Beneficiatos, iuxta dispositionem Caeremonialis Episcoporum cap. 23. Lib. 1.; » hodie Capitulum, et Magistratus supplicarunt pro declaratione.

1. An dictus Magistratus thurificandus sit ante, vel post Subdiaconum paratum?

2. An Locumtenens thurificari debeat triplici ductu?

3. An Syndacus mercenarius cum Salario, et Procurator Pauperum sedens cum proprio habitu in ultimo loco post Vice-Gubernatorem in habitu talari, et tres Priores in habitu Senatorio, thurificari debeat iisdem ductibus, et ab eodem thurificante ipsorum Vice-Gubernatoris, et Priorum, vel per Acolythum, et unico ductu?

4. Quando dictus Syndacus thurificandus sit ab alia persona, et diversimode: an thurificari debeat post Beneficiatos?

Et eadem S. C. respondit: Ad 1. « Post Subdiaconum? »

Ad 2. « Duplici ductu. »

Ad 3. « Negative, hoc est nullo modo. »

Ad 4. « Negative, ut supra. » Hac die 31. Augusti 1669.

2495. VIGEVANEN.

Cum Episcopus Vigevanen. accedere debeat ad civitatem Papiensem, ad effectum visitandi Hospitalis S. Matthaei, ex delegatione particulari S. C. Concilii Tridentini, quae declaravit, dictum Hospitalis non esse sub iurisdictione dicti Ordinarii Papiensis, sed immediate sub Sede Apostolica: ideo, ad tollendas controversias, quae in dicta civitate, et cum illius Episcopo oriri possent S. R. Congr., referente Eño Brancatio, ad preces eiusdem Episcopi Vigevanensis, declaravit infrascripta.

1. « Quod dictus Episcopus Vigevanensis nullo modo poterit uti rochetto discooperto in via, nec dare benedictionem; cum eius auctoritas, et delegatio sit restricta in Hospitalis tantum; non debet tamen ferre mozzettam, sed tantum mantellectum, quod Episcopus Dioecesanus denegare non potest. »

2. « Quod in loco tertio debet praecedere Episcopus Dioecesanus, cum delegatus non sit universalis in tota Dioecesi, ex urbanitate tamen potest Episcopus cedere. »

3. « In ianua Hospitalis dictum Episcopum Vigevanensem posse exercere omnia illa munia, quae debentur Episcopis in actu Visitationis, nimirum osculatio Crucis, thurificatio, habitus pontificalis, et alia huiusmodi, non tamen esse permittendum umbellam erigi in Ecclesia Hospitalis, cum ibidem non debeat neque Missas, neque Vesperas celebrare, sed tantummodo visitare, et rationes exigere. Caeterum standum esse clausulis in literis Apostolicis contentis. » Hac die 5. Octobris 1669.

2496. AESINA.

Quum sub die 5. Martii 1644. quaesitum fuerit: an Coadiutori Canonici Presbyteri Ecclesiae in qua Praebendae sunt distinctae, debeatur praecedentia super Canonicos Diaconos, dum pro suo Coadiuto Divinis interest: et quum S. R. C. responderit, in casu proposito praecedentiam Coadiutori deberi: hinc est, quod ortis dubiis infrascriptis, modo Canonici Ordinis Diaconalis, et Subdiaconalis eiusdem Ecclesiae Cathedralis Aesinae supplicarunt denuo declarari.

1. An dicta declaratio procedat, etiamsi Coadiutores Canonice Ordinis Presbyteralis non sint Sacerdotes, sed in minoribus Ordinibus tantum constituti?

2. An Canonici Ordinis Diaconalis in minoribus Ordinibus, vel in sacro Diaconatus Ordine tantum constituti, debeant praecedere Canonicis Presbyteris Ordinis Subdiaconalis, seu in Presbyteratus Ordine constitutis?

Et S. eadem C. respondit tam ad primum, quam ad secundum, « Affirmative. » Die 31. Maii 1670.

2497. BITUNTINA.

Exponente Episcopo Bituntino abusum in eius Cathedrali introductum in Matutinis Tenebrarum cantari solitis tribus ultimis diebus Hebdomadae Sanctae, nempe ut primae duae lamentationes cantentur per dignitates, tertia vero per Episcopum.

Eadem S. C., « servandum esse Caeremoniale, quacumque praetensa consuetudine in contrarium non obstante. » Hac die 31. Maii 1670.

2498. MONOPOLITANA.

Supplicantibus Archipresbytero, et secundo Primicerio Cathedralis Monopolitanae pro declaratione: An, thurificato Archidiacono prima Dignitate, qui sedet ab una parte Chori, thurificandus sit ipse Archipresbyter secunda Dignitas, et qui sedet ab alia parte, et deinde thurificandus sit primus Primicerius tertia Dignitas, sedens a prima dicta parte Chori immediate post Archidiaconum, et postea tandem thurificandus sit ipse

secundus Primicerius quarta Dignitas sedens immediate post Archipresbyterum, et thurificatis sic prius Dignitatibus, sint postea thurificandi Canonici, vel potius thurificandus sit ipse Archidiaconus, et ordine successivo tam primus Primicerius; quam omnes Canonici, immediate post ipsos in eadem parte Chori sedentes, et deinde thurificandus sit Archipresbyter, secundus Primicerius, et Canonici in sua parte sedentes, prout haecenus servatum fuisse exposuerunt. S. R. C. censuit: «servandam esse consuetudinem Ecclesiae.» Hac die 31. Maii 1670.

2499. NOVARIEN.

Exponentibus Parochis Novariae in eorum praefudicium introduci, quod cadavera defunctorum familiarum nobiliorum dictae Civitatis, sepelienda in Ecclesiis Regularium, deferantur ad illam noctis tempore, et privatim, et successive tumulentur, diebus vero sequentibus, sepultura iam data, Nocturna cum Laudibus, et Missae de Requiem celebrentur. Idcirco supplicarunt pro declaratione: An de his secundis funeralibus debeat quarta ipsis Parochis?

Et S. R. C. declaravit: «deberi.» Hac die 31. Maii 1670.

2500. PANORMITANA.

Cum in S. R. C. expositum fuerit, Pro-Vicarium Generalem Archiepiscopi Panormitani uti in Missis privatis in Cathedrali, aliisque Ecclesiis non uno, sed altero Ministro Sacerdote, contra formam Decretorum ipsius S. C.; Eadem mandavit, «illa servari.» Hac die 31. Maii 1670.

2501. RAGUSINA.

S. R. C. ad preces Guardiani Conventus Min. Obser. Ordinis S. Francisci Ragusae, declaravit: «Servandum esse Breve S. M. Alexandri VII. de non celebrandis Missis de requiem in duplicibus, non obstante, quod ex consuetudine quasi immemorabili consueverit in Ecclesia dicti Conventus cantari, et dici submissa voce respective d. Missas de requiem in praefatis diebus, tam ex dispositione defunctorum, quam ex voluntate sanguineorum defunctorum pro illarum suffragio; et nihil concedendum esse, censuit, ut Missa votiva S. Francisci, et SS. Conceptionis, ibidem ab antiquo cantari solita qualibet penultima, vel ultima Dominica cuiuslibet mensis, in posterum cantetur etiam, quod dictae Dominicae essent impeditae duplicibus, seu essent privilegiatae.» Hac die 31. Maii 1670.

2502. CURZULEN.

Supplicavit S. R. C. Episcopus Curzulen. in Dalmatia pro declaratione infrascriptorum Dubiorum.

1. An, celebrante pontificaliter Episcopo, praeter duos Canonicos, et Presbyterum Assistentes, teneantur alii duo Canonici iuniores inservire cum pluviali pro praecentoribus, iuxta ritum praescriptum in Caeremoniali Episcoporum nuper Romae edito, cum in secundis Vesperis uni ex Dignitatibus assistant duo Canonici?

2. An existente Episcopo private in Choro ad matutinum, vel completorium, teneatur saltem ad beneplacitum Episcopi eidem assistere unus ex Canonici?

3. An, interveniente Episcopo ad concionem tempore Quadragesimae, vel Adventus cum cappa, seu mozzetta super sedili in medio Chori, teneantur duo ex Canonici senioribus, vel iunioribus assistere Episcopo, cum talis consuetudo servetur in tota provincia Dalmatiae?

4. An Episcopus tempore circuli possit relinquere in Choro duas Dignitates, et unum Canonicum seniore pro sustentatione cantus, iuniores vero Canonicos cogere ad circulum?

5. An in Sabbato Sancto Benedictio Fontis facienda sit per Sacerdotem celebrantem, iuxta Rubricam Missalis: an vero, existente eodem ad Altare, possit fieri per iuniorem Canonicum cum Pluviali, cum ad hunc spectet exercitium Curae Animarum Civitatis, et Suburbii, stante usu eiusdem Ecclesiae?

Et S. C., referente Eño Gualterio, respondit.

Ad 1. «Servetur Caeremoniale.»

Ad 2. «Negative.»

Ad 3. «Attendenda esset consuetudo, si legitime probaretur.»

Ad 4. «Posse, deficientibus Cantoribus.»

Ad 5. «Facienda est per Celebrantem.» Hac die 31. Maii 1670.

2503. PHAREN.

Episcopus Pharen. humiliter supplicavit per S. R. C. declarari super infrascriptis.

1. Utrum Canonicus, seu Dignitas Hebdomadarius paratus cum Pluviali, seu Planeta, ac Diaconus, et Subdiaconus illi assistentes itidem parati transeuntes ante Episcopum, dum ei faciunt reverentiam, illam debeant facere cooperto, vel defecto capite?

2. Utrum Vicarius Generalis Episcopi in habitu vicariali incedens in associatione eiusdem Episcopi, dum a Palatio ad Ecclesiam a Canonici dictus Episcopus cappa indutus associatur, praecedat omnibus Canonici, et Dignitatibus, nec ne?

3. Utrum Primicerius, qui est unus ex tribus Dignitatibus, quae omnes ex una cum Canonicatu

obtinentur in Ecclesia Cathedrali Pharen., in qua praebendae Canonicorum non sunt distinctae, teneantur, in absentia Archidiaconi, et Archipresbyteri loco Presbyteri assistentis, assistere Episcopo in cappa diversis Officiis interessenti, nec ne?

4. Utrum Archidiaconus, Archipresbyter, et Primicerius Ecclesiae Cathedralis Pharen., qui obtinent etiam Canonicatum, quorum praebendae non sunt distinctae, teneantur assistere Episcopo Missae solenni, Vesperis etc. in diebus festivis cum cappa interessenti, nec ne?

5. Utrum Presbyter assistens, quicumque ille sit, Episcopo solemniter celebrante, et intonante Antiphonam, Hymnum, *Gloriam*, *Credo*, et cantante Orationem, debeat ipsemet actualiter, et physice sustinere librum supra caput: an vero aliquis alius id praestare debeat actualiter, et ipse Presbyter Assistens tantummodo moraliter, nempe leviter tangendo?

Et S. R. C., referente Eñno D. Card. Gualtierio, respondit. Ad 1.: « Debet, detecto capite. »

Ad 2. « Si est Protonotarius, praecedit, secus sin minus, et tunc absteat ab incedendo in associatione. »

Ad 3. « Servetur Caeremoniale. »

Ad 4. « Servetur Caeremoniale. »

Ad 5. « Ipsemet Presbyter actualiter debet tenere supra suum caput. » Hac die 31. Maii 1670.

2504. ORITANA.

S. C. censuit « servandum esse Decretum Vicarii in Ecclesia Cathedrali ne in posterum celebrentur Missae defunctorum nisi cum colore nigro, vel saltem violaceo. Quo vero ad alias Ecclesias, planetas huiusmodi facere non valentes, et proinde quolibet colore uti solitas, audiendum esse eundem Vicarium. » Hac die 21. Iunii 1670.

2505. DECRETUM GENERALE.

Eñni S. R. C. praepositi, ob summam, ac debitam venerationem, qua Augustissimum Eucharistiae Sacramentum prosequuntur, et ad augendum eius cultum in toto terrarum Orbe, censuerunt: « prohibendum esse, ne in posterum infra Octavam SS. Corporis Christi Missae votivae quaecumque, vel pro defunctis celebrentur, si SSmo placuerit. » Hac die 21. Iul. 1670.

Et facta de praedictis SSmo relatione per me Secretarium, « Sanctitas sua sensum eiusdem S. C. approbavit, et praedictum Decretum edi » mandavit. Eadem die eiusdem mensis, et anni 1670.

2506. OSCEN.

S. R. C. ad preces Ecclesiae Cathedralis Oscen., referente Eñno D. Card. Bona declaravit.

1. « Hymnos tam in Matutino, quam in omnibus horis canonicis in festivitate Expectationis Partus B. M. V. sub ritu dup. celebrari solita in Hispaniis, esse terminandos cum versiculo: *Virtus, laus, et gloria*, non autem sub versiculo: *Iesu tibi sit gloria, qui natus es de Virgine.* »

2. « In Responsorio primae dicendum esse, *qui venturus es in Mundum*: non autem: *qui natus es de Virgine.* »

3. « Tempore Passionis in fine Psalmi: *Venite exultemus*, esse omittendum *Gloria Patri*, et repetendum Invitatorium integrum: *Hodie si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra*. Et propterea servandas esse Rubricas, non autem disposita in Codice Sanctorum Hispaniarum quoad supradicta. » Et ita in praefata Ecclesia Cathedrali Oscen. servari voluit, et mandavit. Hac die 21. Iunii 1670.

2507. ASSISIEN.

S. R. C. declaravit: « abusum quod Laici Minorum Conventualium, et Observantium Ordinis S. Francisci in Civitate Assisiensi incedant in Processionibus ibidem fieri solitis, et praecipue in solemnitate Corporis Christi induti vestibus Sacro Ordini competentibus: ideo non licuisse, neque licere » pariter declaravit. Hac die 19. Iulii 1670.

2508. BONONIEN.

S. R. C. audita relatione Vicarii Generalis Eñni Archiepiscopi Bononiensis, censuit: « Non licere celebrare Missas in Altari Cappellae maioris Ecclesiae Confratrum Societatis Boni Iesu Bononiae, exposito in eodem SS. Sacramento, stante praesertim, quod adsint alia Altaria, in quibus celebrari possint. » Hac die 9. Augusti 1670.

2509. MONTIS REGALIS.

Exponente in S. R. C. Vicario Generali Eñni D. Archiepiscopi Civitatis Montis Regalis.

1. Quod cum in Metropolitana Ecclesia dictae Civitatis habeatur una ex Spinis Sac. Coronae D. N. I. C., de qua quotannis prima Dominica mensis Maii, ultra Processionem solemnem, quae fit per totam civitatem praedictam, ob eius devotionem recitatur quoque Officium cum Missa ab eadem Congregatione recognitum, et a S. M. Clemente VIII. sub ritu dup. approbatum, eidemque Dominicae assignatum: at quia evenit aliquando, ut in eadem prima Dominica Maii occurrant Festa SSrum Philippi, et Iacobi Apostolorum, aut S. Crucis sub ritu dup. secundae class.; quare idem Orator supplicavit per eandem S. C. declarari: An transferendum sit Officium cum Missa Sacrae Spinae, et persolvendum Officium SSrum Philippi, et Iacobi, aut S. Crucis?

2. Quod cum in Regno Siciliae, sicut in dicta Civitate, ex pervetusta consuetudine soleant recitari sub ritu duplici, vel semiduplici Officia aliquorum SS., quae alias communiter sub ritu simplici ordinantur, et in dicta Civitate sunt quinque, nempe Officium S. Blasii, S. Apolloniae, S. Barbarae sub ritu dup.; sub rit. semidup. SSrum Viti, et Modesti, et S. Ursulae. Ideoque supplicavit pro approbatione huiusmodi consuetudinis.

Et S. eadem C. respondit: Quoad 1. « Transferendum esse Officium Sacrae Spinae.

Quo vero ad 2. « Quod doceat de consuetudine. » Hac die 9. Augusti 1670.

2510.

NICIEN.

Propositis per Eñum D. Card. Brancatium in S. R. C. infrascriptis Dubiis declarari petitis per Capitulum, et Canonicos Cathedralis Nicien. contra Patres Praedicatores eiusdem loci.

1. An Decretum Episcopi defuncti, quod ad tollendam indecentiam mandavit, omnes Regulares ad mortuorum cadavera, etiam in propriis eorum Ecclesiis sepelienda vocatos, prius convenire debere ad Ecclesiam Parochialem defuncti, et inde cum Clero eiusdem Parochiae se conferre ad levandum cadaver; nullo vero modo expectare per vias, vel ire directe ad domum defuncti, servandum sit, non obstante contraria consuetudine etiam immemorabili favore Regularium eundi directe ad domum, et ibidem in via Parochum, et alios vocatos expectare?

2. An accessus huiusmodi fieri debeat per Regulares ad Ecclesiam Cathedralis, si Cathedralis vocata capitulariter intervenerit, etiamsi Cadaver assumendum sit ex alia Parochia?

3. An possint Regulares etiam exempti compelli ab Ordinario ad observantiam huiusmodi accessus, sub poenis, et censuris, illorum privilegiis, et consuetudine minime obstantibus?

Et eadem S. C. respondit, ut infra. Ad 1. « Regulares vocatos ad funus associandum nullo modo expectare debere per vias, aut in domo defuncti, sed prius convenire debere ad Ecclesiam Parochialem defuncti, et inde cum Clero dictae Parochiae se conferre ad levandum cadaver, non obstante contrario usu, etiam immemorabili, ut etiam resolutum fuit in Fossen. 21. Iulii 1645. »

Ad 2. « Quod si ad funus vocatum fuerit Capitulum Cathedralis, et capitulariter interveniat, ad hanc Ecclesiam debeant omnes convenire, et inde incipiendam esse Processionem, prout resolutum quoque fuit in dicta Fossanen. »

Ad 3. « Quod non possint Regulares exempti, et in hoc privilegiati ab Ordinario excommunicari,

sed bene declarari incursos in Canones, vel Bullas censuras imponentes ipso facto incurrendas, ut alias resolutum fuit per S. C. Concilii in Esteren. 28. Aug. 1649., in Neapolitana 26. Iulii 1656., et in Vulturarien. 7. Septembr. 1630. » Hac die 9. Aug. 1670.

2511.

ORITANA.

S. R. C., referente Eñmo D. Card. Sygismundo Chisio, declaravit: « Donato Sanctoro Canonico Collegiatae Terrae Ceglieae Oritanae Dioecesis, in qua Praebendae non sunt distinctae, antiquiori receptione, sed posteriori Sacerdotio non competere praecedentiam, seu reintegrationem adversus alios Canonicos posteriores respective, sed antiquiores Sacerdotio, postquam ipse antiquior fuit effectus Sacerdos, quia posteriores ius semel adeptum ex Sacerdotio numquam amittunt, ut saepe, ac pluries declaravit eadem S. C., et praecipue in una Urbis S. Mariae ad Martyres de Rotunda sub diebus 29. Martii, et 27. Septembr. 1659., et in Farfen. 15. Septembr., et 24. Novembr. 1668. » Hac die 9. Aug. 1670.

Idem resolutum fuit in eadem Congregatione in Ripana.

2512.

ALBANEN.

Cum prior, et Fratres B. M. de Carmine Civitatis Albani obtinuerint ab Eñmo Episcopo licentiam faciendi, seu extendendi per vias dictae Civitatis, et limites Parochiae Processionem per ipsos fieri solitam quotannis die 16. Iul. in omnibus Civitatibus, et locis, ubi sunt Conventus eorum Ordinis, et in qua die celebratur solemnitas eiusdem B. M. de Monte Carmelo; et Parochus, praetendens non licere per limites suae Parochiae sine ipsius consensu, se opposuerit: Ideo S. R. C., ad evitandas in posterum dissensiones, et lites, inhaerendo declarationibus in similibus, et praecipue in Asculana die 2. Septembr. 1662. declaravit: Episcopum in universa Dioecesi absque Parochi licentia posse facultatem tribuere processiones peragendi per vias, et plateas publicas, prout sibi benevisum fuerit, eas ducendi: Ideoque Fratibus praedictis licuisse, et licere praefatam Processionem peragere, eamque ducere etiam per vias, et plateas intra limites dicti Parochi cum sola licentia dicti Eñmi Ordinarii, et absque ullo ipsius Parochi consensu, seu licentia, et ita in posterum servari, et amplius non molestari, seu impediri, voluit, et mandavit. » Hac die 9. Augusti 1670.

2513.

COLLEN.

Proposita per Eñum D. Cardinalem Vidonum, in S. R. C. controversia inter moderum Archipresbyterum Cathedralis Collen. ex una, et

Capitulum, et Canonicos hebdomadarios eiusdem partibus ex altera, de, et super iure faciendi functiones Episcopales, absente, vel impedito Episcopo, scilicet: an spectet ad Archipresbyterum, prout iura communia disponunt, vel ad Canonicum hebdomadariam, prout conventum fuit inter Archipresbyterum antecessorem, et ipsum Capitulum, et Canonicos, mediante Laudo prolato ab Episcopo, et ab ipsis partibus omologato, et acceptato.

Et S. eadem C., partibus hinc inde informantibus, respondit et declaravit: «Supplere vices Episcopi spectare ad primam Dignitatem, ipso absente, vel impedito, in casu de quo agitur, et Amplitudini Tue scribendum pro huiusmodi Decreti executione. Ea igitur qua decet sollicitudine exequi, et servari curet, et dum ipse meo munere fungor, diu vivat incolumis.» Romae hac die 13. Sept. 1670.

2514. BENEVENTANA.

Emi, e Rmi Signori: Per gli abusi introdotti dai Canonici della Cattedrale di Benevento, contro i Decreti di questa Sacra Congregazione, causa che ordinariamente vi nascono dei disordini, ritrovandosi per tal causa in continue discordie, ed altercazioni in pregiudizio grande del servizio di Dio: onde per sedarli, e rimover la causa de' disturbi, affinché si abbia per l'avvenire a vivere con quiete, l'Arcivescovo di detta Città supplica l'Eminenze Vostre, a far grazia di dichiarare quello avrà da osservarsi negl' infrascritti Dubbii, non ostante qualsivoglia pretesa immemorabile, ed usi in contrario, che avendo da provarsi concludentemente, e non per fede dei particolari, ed intanto abbia inviolabilmente da osservarsi ciò, che sarà dall'Eminenze Vostre deciso, che il tutto etc.

1. Se in presenza dell'Arcivescovo, o in assenza, abbia l'Arcidiacono, o le altre Dignità il cuscino di corame, giacchè l'Arcidiacono pretende di tenerlo non solo di seta, ma anche con argento, e d'oro, non essendo nobile?

2. Se le Dignità, e Canonici possono portar l'anello con gioie, giacchè lo portano anche quando celebrano, ed assistono alle funzioni Ecclesiastiche?

3. Se, celebrando l'Arcivescovo, o assistendo pontificalmente, sia obbligata la prima Dignità, che si trova in Coro, a sostenere il Bacolo pastorale, mentre va l'Arcivescovo verso l'Altare vestito pontificalmente a incominciar la Messa, ed incensare, come anche quando va ad incensare il SSmo al *Magnificat*?

4. Se la prima Dignità trovandosi in Coro,

mentre celebra l'Arcivescovo, e dopo l'Offertorio incensa l'Altare, abbia a tenere il cuscino col Messale, giacchè il Suddiacono si trova impedito colla Patena, e il Diacono a levare, e porre il Calice sull'Altare, mentre si incensa?

5. Celebrando l'Arcivescovo, se sia tenuta la prima Dignità nel cominciar le segrete, di tener la bugia, mentre si tiene dal Diacono il canone, e talvolta viene impedito l'Altare con far venire un Prete a tener la bugia.

6. Se, quando celebra l'Arcivescovo, o assiste alla Messa cantata, siano obbligate le Dignità, e Canonici d'assistere nel Coro sino al fine della Messa, giacchè quando parte dalla Sede, e va all'Altare, i Canonici se ne vanno, e nel ritorno che fa l'Arcivescovo al suo luogo, resta solo con quattro Canonici?

S. R. C., ad preces Archiepiscopi Beneventani, referente Emò D. Card. Sygismundo Chisio, respondit singulis Dubiis, ut infra, videlicet.

Ad 1. «Non licere Archidiacono uti pulvinari serico, sed corio tantum.»

Ad 2. «Negative.»

Ad 3. «Teneri primam Dignitatem tradere, et reassumere e manibus Archiepiscopi.»

Ad 4. «Teneri.»

Ad 5. «Teneri.»

Ad 6. «Teneri.» Et ita declaravit, et servari mandavit. Hac die 13. Septembris 1670.

2515. BENEVENTANA.

Emi, e Rmi Signori: Le Dignità e Canonici della Cattedrale di Benevento umilmente espongono alle Eminenze Vostre, come dal Vicario Generale di detta Città sono stati promulgati più editti sotto pene di sospensione *ipso facto incurrens* sopra alcune cose, alle quali o per laudabile consuetudine di detta Chiesa, o per altre ragioni non possono essere astretti, e perchè desiderano soddisfare al loro debito, ed obbedire in tutto quello sono obbligati, per ovviare gl'inconvenienti, che per interrompere il servizio di Dio sogliono occorrere, supplicano risolvere, e determinare gli infrascritti Dubbii.

1. Se, mentre si recita l'uffizio in Coro, celebrando alcun Canonico la Messa, debba questo esser puntato secondo la consuetudine, o pure sospeso *ipso facto a Divinis*?

2. Se il Canonico, che viene in Coro, cominciato l'Uffizio, dopo aver orato la prima volta, e salutato l'Altare, e Coro, dovendo uscire per alcun suo bisogno, e ritornando, debba di nuovo orare, o fare solamente profondo inchino all'Altare, e Prelato, essendo presente?

3. Se nel celebrarsi le Messe, quando sono Canonicali, gli assistenti Diacono, e Suddiacono nell'Altare, ove sta il SSmo Sacramento, debbano inginocchiarsi nel passare per mezzo detto Altare, o pure fare profonda riverenza, mentre essi assistenti sono anche Canonici conforme il Ceremoniale?

4. Se li Canonici, i quali non hanno obbligo di celebrare nella loro Chiesa, possono essere astretti a ciò con pena di sospensione *ipso facto incurrenda*?

5. Se il Vicario generale *pro tempore*, che sempre ha avuto il solo cuscino nell'inginocchiatoio, lo possa pretendere anche nel sedile?

6. Se possa il Vicario, che non è Vescovo, farsi preparare le vesti per la Messa sopra l'Altare, e vestirsi a piedi di esso, come fanno i Vescovi?

7. Sono nella Cattedrale sei Dignità distinte con Prebende, e ventuno Canonici, però quando Monsignor Arcivescovo celebra pontificalmente, per Prete assistente serve l'Archidiacono, quale è prima Dignità, e per due Diaconi l'Arciprete, e Primicerio maggiore, o altre Dignità susseguenti in caso d'impedimento; quando poi il medesimo Arcivescovo assiste con cappa, se debbano essere assistenti le medesime Dignità, oppure li primi Canonici dopo esse Dignità in vigore del Ceremoniale?

8. Quando Monsig. Arcivescovo non stà pontificalmente vestito, o pure senza essere apparato con Mitra, ma nella Messa assiste solo con cappa, se debba essere incensato due volte, una dopo l'Evangelio, e l'altra dopo l'Oblata, o pure se debba incensarsi solamente dopo l'Oblata, servata la forma del Ceremoniale?

9. Gli assistenti di Monsignor Arcivescovo, che pontificalmente celebra li Vespri, e li Canonici anco parati, quando dicono l'Antifone, se debbano, dopo aver detto l'Antifone, scendere dal Trono, ove siedono, e li Canonici uscire dal loro stallo in mezzo del Coro, e far riverenza all'Altare, e Prelato, o pure debbano fare detta riverenza nel loro luogo, ove siedono?

10. Per evitare le interruzioni, e tralasciamento de' Divini Uffizii, come il più delle volte siegue, se il Prelato, che vorrà calare, ed assistere nelle Feste solenni, debba premonire l'ora particolarmente, e si possa far dare il segno delle campane, dirsi l'Officio nella forma, che ricerca la qualità della Festa, che ricorrerà, e con più decoro poi servirsi il medesimo Prelato, come più volte questa S. C. ha determinato, e non aver motivo, venendo il Prelato improvvisamente, di

lasciar in mezzo l'Officio per incontrarlo con scandalo, etc.

11. Se nel celebrarsi la Messa conventuale, nella quale si deve dire il Simbolo, si possa far proseguire la Messa dal Celebrante, mentre dal Coro si canta detto Simbolo?

12. Nella detta Cattedrale le Feste più solenni, nelle quali o non può, o non vuole, o è assente Monsig. Arcivescovo, sono divise alle Dignità, e le meno solenni a Canonici per turno, come per tabella. È stato antico solito in detta Chiesa, che nelle dette Feste l'Antifone nelli Vespri, Matutino, e Laudi si preintonino dal Ceremoniaro, o pure da alcuno assistente apparato; la prima alla Dignità, o Canonico, che celebra, e l'altra alla Dignità, o Canonico, che per grado di elezione siede nello stallo dopo di detto Celebrante, acciò ogni Canonico goda l'onore di dir l'Antifone, servato l'ordine suddetto, e per la medema ragione le Lezioni si cominciano a dire dall'ottavo Canonico dopo la Dignità, o Canonico celebrante, acciò la nona Lezione termini in ordine al medesimo Celebrante. E così è stato solito, e si è osservato inconcussamente. Si cerca, se debba osservarsi detta consuetudine?

13. Se il Maestro delle ceremonie, quale deve esser *de gremio Ecclesiae, non Capituli*, possa essere un Canonico, e con abito canonico servire il Prelato, fuori anche della Cattedrale, di Cappellano nelle Messe private con tenergli la bugia, sostener il bacolo, ed alzar le vesti avanti li piedi, quali ministeri spettano ai servienti del Prelato medesimo, secondo la disposizione del Ceremoniale?

14. Se li Canonici colla cappa canonica possono andar servendo di Cappellani il Prelato, tanto nella propria Cappella, quanto in altre Chiese?

15. Se nelle benedizioni delle Candele, Palme, e Ceneri, facendosi dall'Arcivescovo pontificalmente vestito, debba sostenersi il libro dall'Archidiacono, o altra dignità, che farà l'ufficio di Prete assistente, oppure dal Cappellano, che serve del libro in conformità del Ceremoniale etc.?

S. R. C., ad relationem Emi D. Card. Sygismundi Chisii, respondit ad supradicta dubia, prout infra videlicet. Ad 1. « Negative quoad suspensionem, et servetur consuetudo. »

Ad 2. « Semel prima vice. »

Ad 3. « Non teneri, iuxta dispositionem Ceremonialis. »

Ad 4. « Negative. »

Ad 5. « Negative, et servetur consuetudo. »

Ad 6. « Negative. »

Ad 7. « Servetur Caeremoniale, nisi adsit consuetudo in contrarium. »

Ad 8. « Servetur Caeremoniale. »

Ad 9. « Servetur Caeremoniale, nisi adsit consuetudo in contrarium. »

Ad 10. « Intimandam esse horam certam Officii, et dato signo, et, Episcopo non veniente, Officium inchoari posse. »

Ad 11. « Non posse. »

Ad 12. « Servetur solitum. »

Ad 13. « Servetur Caeremoniale. »

Ad 14. « Audiatur Archiepiscopus. »

Ad 15. « Servetur Caeremoniale. »

Hac die 13. Sept. 1670. 2516. CAIETANA.

Proposita per Em̄m D. Card. Gualterium infrascripta Dubia declarari petita ab Archipresbytero S. Angeli Terrae Itri Caietanae Diocesis contra Presbyteros SS̄mae Annunciationis eiusdem loci, S. R. C., audita prius relatione Vicarii, et partibus hinc inde informantibus, declaravit, et respondit, ut infra.

1. An ad Archipresbyterum Collegiatae, et Matricis Ecclesiae, qui est Parochus, vel ad digniorem ex dicta Collegiata, si Capitulum intervenit, seu potius ad Sacristam, aut alium Cappellanum Ecclesiae SS̄mae Annunciationis sitae intra fines dictae Parochiae, spectet agere Officium super cadaveribus sepeliendis in dicta Ecclesia, et ibi ea occasione canere Missam?

R. « Utrumque spectare ad Parochum, vel, eo absente, ad Rectorem Ecclesiae praedictae, aut istius digniorem Cappellanum. »

2. An in dicta Ecclesia SS̄mae Annunciationis liceat retineri SS̄mum Eucharistiae Sacramentum sine licentia dicti Archipresbyteri?

R. « Nolente Parocho, non posse retineri; dum tamen, si in Hospitali adnexo Ecclesiae cessavit hospitalitas pro infirmis, ut supponitur. »

3. An ab Archipresbytero vel alio digniore dictae Collegiatae, vel potius ab aliquo ex dictis Cappellanis, ut hactenus servatum fuit, sit canenda Missa in dicta Ecclesia SS̄mae Annunciationis, quae ibi cani debet occasione unius ex Processionibus Rogationum, quae in eadem Ecclesia terminat?

R. « Servandam esse consuetudinem eiusdem Ecclesiae. »

4. An toleranda sit consuetudo ut in Processione SS̄mi Corporis Christi, Canonici incedant cum superpelliceis tantum, Presbyteri vero dictae Ecclesiae SS̄mae Annunciationis cum Planetis etiam, et aliis indumentis sacris?

R. « Vestimenta sacra non posse deferri a dictis Cappellanis, nisi deferant etiam Canonici. »

5. An in omnibus Processionibus Cappellani dictae Ecclesiae possint deferre Crucem eiusdem Ecclesiae, vel teneantur incedere sub illa Capituli?

R. « Posse deferre propriam Crucem. »

6. An, invito Archipresbytero, liceat Cappellanis praedictis per vias Parochiae agere Processiones duarum Confraternitatum Charitatis, et SS. Rosarii existentium in eadem Ecclesia?

R. « Licere ex privilegio, et consuetudine dictarum Confraternitatum. »

7. An occasione Processionis, quae ab Ecclesia SS̄mae Annunciationis tendit ad aliam B. M. de Civita, in qua Archipresbyter procedit cum Pluviali, spectet canere Missam ad ipsum, vel ad alium Sacerdotem dictae Ecclesiae SS̄mae Annunciationis?

R. « Spectare ad Archipresbyterum. »

8. Quomodo facienda sit divisio inter Archipresbyterum, et dictos Cappellanos quindecim carolenorum, et aliorum pro sonu campanae, et funere, debitorum ab haeredibus defuncti?

R. « Cognitionem huius controversiae spectare ad S. C. Concilii Tridentini. » Hac die 13. Septembris 1670.

2517. BOIANEN.

S. R. C., inhaerendo Decretis in similibus editis, iterum declaravit: « Non licuisse Baroni Terrae Mirabellae Boianen. Diocesis, neque Archipresbytero iam defuncto de familia eiusdem Baronis, introducere, et retinere sedes fixas cum inscriptione utriusque, et genuflexoria intra Presbyterium Altaris maioris Ecclesiae Archipresbyteralis dictae Terrae, prout Episcopus, in visitatione repertiisse exposuit. Idcirco eadem S. C. censuit: Praedictorum usum omnino fuisse, et esse prohibendum, prout prohibuit, et removeri voluit, et mandavit. » Hac die 29. Nov. 1670.

2518. MURANA.

Ad preces Capituli, Archipresbyteri, et Parochorum Ecclesiae Cathedralis Civitatis Muri in Regno, a quibus supplicatum fuit in S. R. C. ad removenda iurgia, et contentiones, quae saepe oriuntur inter ipsos Oratores, et Fratres Conventuales S. Francisci eiusdem Civitatis, in tumulandis defunctorum cadaveribus, pro declaratione infrascriptorum Dubiorum.

1. An Fratres praedicti Conventuales S. Francisci eiusdem Civitatis Muranae, vocati ad funus etiam illorum, qui sunt in eorum propria Ecclesia sepeliendi, debeant convenire primo ad Parochia-

lem defuncti, et exinde cum Parocho ad domum ipsius, vel licere dictis Fratribus expectare pervias, vel ad domum defuncti?

2. An dicti Conventuales S. Francisci possint cum Cruce intrare Parochias alienas, ad levanda defunctorum corpora apud suas Ecclesias sepelienda; vel accedere sub Cruce Parochi?

3. An dicti Regulares accedentes ad funus, possint, praesente Capitulo Ecclesiae Cathedralis, gestare Crucem?

Et S. R. C. respondit. Ad 1. « Ad parochialem. »

Ad 2. « Sub Cruce Parochi. »

Ad 3. « Esse erigendam Crucem Cathedrali. »

Hac die 29. Nov. 1670.

2519. RHEGINEN.
Exposuit Marchio Terrae Potidaectili, consuevisse in Ecclesia matrice dictae Terrae Rheginen. Dioecesis adhibere sedem coraminis super simplici pradella absque baldachino, quod sibi competere non praesumit.

Et S. R. C. censuit: « Marchioni Oratori Domino loci, simplicem sedem coraminis super pradellam sine baldachino extra Presbyterium licere. »

Hac die 29. Nov. 1670.

2520. SENARUM.
S. R. C., ad tollendas dissensiones, et pro quiete, et bono pacis Ecclesiae Cathedralis Civitatis Senarum, inhaerendo Decretis alias in similibus factis, iterum declaravit: « Missas solemnes, Processiones, Officia Divina, et alias similes functiones, quas faceret Archiepiscopus dictae Civitatis, si praesens esset, et ad ipsum pertinent, Archiepiscopo praedicto absente, vel impedito, non ad Canonicum Hebdomadarii dictae Cathedralis, sed ad Dignitates, et Canonicos eiusdem pertinere successive, et non alternatim, idest, si Archiepiscopus impeditus, vel praesens non erit, prima Dignitas celebret, vel Officium faciat, quod ad Archiepiscopum praesentem pertineret, et ea impedita, vel absente, succedat secunda Dignitas, et secunda impedita, tertia; et omnibus Dignitatibus impeditis, vel absentibus, primus Canonicus id exequatur, et sic per ordinem successive faciendum esse, declaravit; et ita in Ecclesia praedicta, servari mandavit, donec dictus Hebdomadarius legitime probaverit praetensam, et ab ipso allegatam in contrarium consuetudinem. »

Hac die 29. Nov. 1670.

2521. MONOPOLITANA.

Ad Dubium: An Antiphona *Exultabunt Domino, etc.* intonanda in funeribus, spectet ad Parochum, praesente Capitulo, iuxta Rituale Ro-

manum, vel ad dictum Capitulum ob praecedentiam, quam habet supra Parochos? S. R. C. respondit: « Servetur Rituale Romanum. » Hac die 29. Novembris 1670.

2522. BENEVENTANA.

S. R. C. declaravit: « Archidiaconum Beneventanum, ex consuetudine Cathedralis per Archiepiscopum probata, post aliud Decretum ipsius S. C. sub die 18. Sept. praeteriti, et in executionem illius, teneri assistere ipsi Archiepiscopo intervenienti cum sola eappa. » Hac die 24. Ianuarii 1671.

2523. BRIXIEN.

Quamvis in Rubricis generalibus prohibeatur, ne in prima Dominica Quadragesimae fiat Officium de quolibet Sancto, sed tantum de Dominica; nihilominus S. R. C., ad preces Execm D. Antonii de Grimani Serenissimae Reipublicae Venetiarum Oratoris, annuit, ut in proxima Dominica Quadragesimae anni 1671. in Cathedrali Civitatis Brixiae possit cantari Missa solemnis de SS. Faustino, et Iovita Mart., et Patronis dictae Civitatis, non omissa alia de die Dominico. Hac die 24. Ian. 1671.

2524. CONVERSANA.

S. R. C. declaravit: « Canonicos Cathedralis Conversanae teneri insurgere, detecto capite, quando alius Canonicus intonat aliquam Antiphonam, prout insurgunt Presbyteri Portionarii. »

Hac die 24. Ian. 1671.

2525. AESINA.

Cum alias S. R. C. in Aesina die 31 Iul. 1665. declaraverit: Regulares omnes Civitatis pro associandis cadaveribus defunctorum, teneri accedere ad Ecclesiam Cathedralis, sive Parochialem; pro parte Capituli eiusdem Cathedralis supplicatum fuit pro declaratione aliorum infrascriptorum dubiorum.

1. An iidem Regulares teneantur accedere ad Ecclesiam Cathedralis ad levandum Capitulum pro associando cadavere defuncti, sepeliendi etiam in Ecclesiam Regularium, licet defunctus non sit de Parochia Cathedralis?

2. An Plebanus, seu Curatus S. Nicolai d. Civitatis, pro associando cadavere sui proprii Parochiani defuncti, in alia tamen Ecclesia etiam Regularium sepeliendi, teneatur pariter accedere ad Ecclesiam Cathedralis, quando intervenit Capitulum eiusdem; et idem servandum sit, si praedictum cadaver per modum depositi existat in sua propria Ecclesia Parochiali, vel in alia sita intus, vel extra Parochialem?

3. An dicti Curati teneantur accedere ad di-

etiam Cathedrali quando Capitulum intervenit, si praefatum cadaver sit sepeliendum in aliqua ex dictis Parochialibus S. Petri, et S. Nicolai?

Quibus omnibus eadem S. C. *Affirmative*, respondit: « Ex declaratione in similibus facta, proponente Eñõ Brancatio, in Nicien. die 9. Aug. praeteriti, quando Cathedralis capitulariter intervenit, et ab ipsa incipiendam esse Processionem in praefatis omnibus casibus. » Hac die 24. Jan. 1671.

2526. MAIORICEN.

S. R. C., inhaerendo declarationibus *sub die 6. Decem. 1653.*, ad tollendas ultiores controversias pariter declaravit: « Canonico celebranti, etiam sola cappa canonicali induto, in Completorio, ac etiam in triduo Hebdomadae Maioris deberi praecedentiam supra Dignitates Cathedralis Maioricen.; Sacristam vero secundam Dignitatem celebrantem, prout etiam Canonicum non Dignitatem pariter, sed celebrantem transire debere ad partem Chori, a qua inchoatur officium, in eaque praecedentiam habere supra omnes alias Dignitates. » Hac die 24. Ianuarii 1671.

2527. ANDRIEN.

Iterum proposita per Eñum D. Cardinalem Gualterium in S. R. C. causa Andrien. Functionum inter Antonium del Cantore Archipresbyterum secundam Dignitatem ex una, et Carolum Cappellanum Archidiaconum primam Dignitatem partibus ex altera; eadem S. C. censuit: « Non constare de consuetudine immemorabili probandam per ipsum Archipresbyterum, ad formam Decretorum sub diebus 20. Iulii 1669., et 21. Iunii 1670. » (quibus S. C. iusserat, ut formiter probaretur consuetudo immemorabilis, qua Archipresbyter se tuebatur adversus primam Dignitatem, cui pertinet, absente Episcopo, functiones peragerè ab ipso Episcopo, si praesens esset, peragi solitas, veluti pluries ab eadem S. C. declaratum fuit); Ideo « stetit in Deeretis, » et iterum declaravit: « Omnes functiones, et ius praecipue cantandi Missas, et Vesperas in solemnioribus, impedito, vel absente Episcopo, spectare ad ipsum Archidiaconum. » Die 28. Febr. 1671.

2528. BONONIEN.

PRAEEMINENTIARUM.

Iterum proposita per Eñum D. Cardinalem Celsum in S. R. C. causa Bononien. Praeeminentiarum inter Canonicos, et Mansionarios Terrae Plebis prope Centum ex una, et Consules, et Gubernatorem eiusdem loci; eadem S. C. censuit, « dictos Consules, et Gubernatorem esse thurificandos post omnes Presbyteros Chori per eundem Diaconum. » Hac die 28. Febr. 1671.

2529. GRANATEN.

S. R. C., ad preces Archiepiscopi Granaten. censuit: « Servandum esse Decretum ipsius S. C. sub die 17. Nov. 1657. et approbatum a S. M. Alexandro PP. VII. per suas Literas in forma Brevis die 25. Febr. 1658. super delatione, et positione sellae pontificalis inter ipsum Archiepiscopum, et Magistratum in Processione SS. Corporis Christi, » prout omnino servari voluit, et mandavit. Die 28. Febr. 1671.

2530. MURANA.

S. R. C. declaravit: « Archidiaconum Cathedralis Muri assistentem Episcopo habenti Ordinationem generalem, ministrare debere, capite detecto, praecipue quando suas facit instantias, recitando illa verba iuxta Pontificale Romanum, videlicet: Rñe Pater, postulat S. Mater Ecclesia, non autem cum bireto. » Hac die 28. Februarii 1671.

2531. RAGUSINA.

S. R. C. censuit, « Servanda esse Decreta S. M. Alexandri PP. VII. super usu Pontificalium a Praelatis inferioribus in controversia nuper orta inter Archiepiscopum Ragusinum, et Abbatem Benedictinos in Processionibus circa Mitras pretiosas, et earum usu, et modo ponendi, et levandi per eorum Clericos. » Hac die 28. Februarii 1671.

2532. AQUIPENDIEN.

S. R. C., inhaerendo aliis declarationibus in similibus factis, iterum declaravit: « Fratres Augustinianos Civitatis Aquipendien. non posse erigere propriam Crucem in funeralibus, etiam quod cadaver sit deferendum ad eorum Ecclesiam, sed incedere debere sub illa Cathedralis, quando capitulariter intervenit. » Hac die 21. Martii 1671.

2533. BENEVENTANA.

S. R. C., referente Eñõ D. Cardinali Sygismundo Chisio, stante quod per Archiepiscopum Beneventanum non fuerit legitime, et plene probata consuetudo sibi assistendi per Archidiaconum, et Dignitates eiusdem Cathedralis contra formam Caeremonialis, recessit a decisis die 24. Ian. praeteriti, et servari mandavit alia Decreta ipsius S. C. sub diebus 10. Sept. 1648., et 13. Septembris 1670., scilicet « Assistentiam praedictam esse praestandam, iuxta formam Caeremonialis Episcoporum ». Hac die 21. Mart. 1671.

2534. BENEVENTANA.

S. R. C., iterum referente Eñõ D. Cardinali Sygismundo Chisio controversiam pulvinaris inter Vicarium Generalem Archiepiscopi, et Archidiaconum Cathedralis Beneventanae, super illius usu,

et diversitate speciei, et qualitatis uniuscuiusque ad distinguendam maiorem, vel minorem dignitatem, et praecedentiam inter ipsos, declaravit: « Standum esse in decisis die 24. Jan. praeteriti ». Hac die 21. Mart. 1671.

Decretum autem, cuius fit mentio, sequens est.
BENEVENTANA. S. R. C. ad tollendas ultiores controversias inter Archidiaconum Cathedralis Beneventi, et Vicarium generalem Archiepiscopi, declaravit, « tam ipsum Archidiaconum, quam Vicarium uti debere pulvinari ex corio, » et ita in posterum servari mandavit. Hac die 24. Ianuarii 1671.

2535. **BONONIEN.**
 S. R. C. declarando reservata referente Eñõ D. Cardinali Celso, censuit: « Servandum esse Caeremoniale Episcoporum in distribuendis cineribus, palmis, et candelis Consulibus, et Magistratibus Plebis prope Centum Bononien. Dioecesis. Et quoad thurificationem esse thurificandos post Canonicos, et Mansionarios per eandem personam, quae thurificat Mansionarios. » Hac die 21. Martii 1671.

2536. **CASTELLANETEN.**
 S. R. C. declaravit: « Servitium Chori non esse omittendum per Canonicos recitare debentes Completorium immediate post Vesperas, sed Episcopum esse associandum per solos Canonicos assistentes, quando ipse Episcopus, post dictas Vesperas per ipsum in solemnioribus celebratas, discedit ab Ecclesia, et Completorio assistere non vult. » Hac die 21. Martii 1671.

2537. **IADREN.**
 Supplicante Ecclesia Iadrensi pro declaratione: an festum S. Zoili Confessoris, ibi celebrari solitum die 23. dec. sub rit. dup. min., sit transferendum ad primam diem non impeditam propter Antiphonas generales incoeptas die 17. eiusdem, prout Archiepiscopus defunctus transferri iussit; vel potius celebrandum sit die 23., ut modernus decrevit; et an idem Archiepiscopus statuere, vel immutare possit ritum divinatorum officiorum, vel alias sacras functiones sine causae cognitione, inconsulto Capitulo?

Et S. R. C. declaravit: « Nullum faciendum esse Officium de S. Zoilo Confessore, cum nec in Martyrologio Romano, nec in Martyrologio vetustiori agatur de S. Zoilo Confessore, sed tantum de S. Zoilo Martyre, cuius natalis celebratur die 27. Iunii; » et quoad 2., « negative. » Hac die 21. Mart. 1671.

2538. **MONOPOLITANA.**
 S. R. C., auditis Capitulo, et Canonicis Cathedralis Monopoli, ac etiam Parochis Civitatis,

stetit in decisis sub die 29. Nov. Praeteriti, et declaravit: « Ius intonandi Antiphonam, *Exultabunt etc.* in funeralibus, iuxta Rituale Romanum, spectare ad Parochum, non autem ad primam Dignitatem Capituli Cathedralis, quando capitulariter intervenit, et non obstante, quod ipsa Cathedralis in dicta Processione praecedere debeat ipsis Parochis, et quod dictum Rituale non disponit in casu, quo Cathedralis interveniat, sed Parochus cum suo Clero. » Hac die 21. Mart. 1671.

2539. **MURANA.**
 S. R. C., referente Eñõ Cardinali Raspono, et auditis Fratribus Conventualibus S. Francisci eivitatis Muri, censuit: « in omnibus standum esse in decisis die 29. Nov. praeteriti, in controversiis cum Parochis eiusdem eivitatis in funeralibus ». Hac die 21. Mart. 1671.

2540. **PISANA.**
 S. R. C. declaravit: « Non licere Petro Matthaeo Casaperio Archipresbytero, et primae Dignitati Ecclesiae Primatialis, et Cathedralis Civitatis Pisae, continuare in celebratione Missae cum quatuor candelis, et assistente ultra clericum, contra formam Decretorum S. M. Alexandri VII. de anno 1660., et sub praetextu, quod non comprehendat Dignitates, neque deroget consuetudini, ut ipse Archipresbyter praetendit. » Hac die 21. Mart. 1671.

2541. **REGIEN. IN LOMBARDIA.**
 Occurrente Dedicatione Cathedralis Regien. die 18. Nov., qua etiam cadit illa Basilicae Sancti Petri, et Pauli Urbis, et proinde haec sit transferenda ad diem 19., qua cadit festum S. Elisabeth viduae ad libitum: S. R. C. declaravit: « Quod si agatur de publica recitatione in Choro, dicta die 19. faciendum sit Officium Dedicationis Basilicae Vaticanae; de S. vero Elisabeth nihil; quia de Officio ad libitum in Choro nulla habenda est ratio, cum Officia de die non sint omittenda propter haec ad libitum, et votiva. Si vero agatur de recitatione privata, Officium Dedicationis eiusdem Basilicae esse transferendum ad diem 20., ne a die 19. tamquam a sua sede, moveatur [festum S. Elisabeth]. » Hac die 21. Mart. 1671.

2542. **ANGELOPOLITANA.**
 Clerus Civitatis Angelopolitanae a S. R. C. infrascripta dubia circa Officium, et Missam enixe supplicavit declarari, videlicet.

Et 1. dubitatur. Dies 2. Augusti apud Hispanos est festum S. Petri ad Vincula, nam dies prima, quae antea erat dictum Festum, nunc est octava S. Iacobi Apostoli concessa ipsis Hi-

spanis, ut refertur a fel. rec. Sixto PP. V., qui et transferri iussit Vinculorum festum ad diem 2. Augusti, quamvis sit Dominica; et hoc non obstante, nec obstante Rubrica posita in die octava S. Iacobi, quae satis aperte indicat, ut videri potest in Proprio Sanctorum Hispanorum in fine Breviarii; multi dictum transferunt usque ad feriam 6. sequentem. Quid ergo erit faciendum in hac 2. die, quando est Dominica? est recitandum de ea? an de festo Vinculorum, cum commemoratione, et 9. Lectione Dominicae?

S. eadem C. respondit: « Si festum S. Petri ad Vincula, quod ab universali Ecclesia celebrari solet Calendis Aug., ex auctoritate Apostolica apud Hispanos fixum est diei sequenti 2. scilicet Aug., ex quo dicta dies impeditur ab octava S. Iacobi, sine ulla dubitatione Officium erit de festo, etiamsi dicta 2. dies Aug. esset Dominica, cum commemoratione tamen, et 9. Lectione Homiliae eiusdem Dominicae, ac etiam Festi simplicis occurrentis, iuxta regulas Rubricarum: sin autem nullum sit privilegium, et festum praedictam non sit fixum auctoritate Apostolica ad dictam diem 2. Aug., eo anno, quo cadit in Dominica, Officium Festi erit ultro transferendum ad primam diem non impeditam Officio novem Lectionum, et dandus locus Dominicae, de qua fieri debet Officium cum commemoratione, et 9. Lectione Festi simplicis ea die occurrentis ».

2. Dubitatur: Quando dicitur Missa in Dominica de aliquo Sancto simplici in ea occurrente, eo quod maxima devotio penes populum apud eum habeatur, et similiter aliqua Feria Quadragesimae, est ne dicendum in dicta Missa Sancti simplicis ultimum Evangelium S. Ioannis? an Evangelium Dominicae, aut feriae, quamvis in Officio non sint dicta duo Evangelia?

S. eadem C. respondit: « In diebus Dominicis non possunt dici duae Missae de festo simplici in ea occurrente, sed de eo fieri tantum commemoratio in Missis Dominicae. Ratione tamen confluentiae potest in eodem festo simplici cantari Missa solemniter votiva cum *Gloria*, et *Credo*, sine tamen Evangelio, et commemoratione Dominicae, dummodo tamen alia Conventualis de Dominica non omittatur, in qua in tali casu nulla debet fieri Commemoratio eiusdem Festi simplicis. Similiter in feriis, quod Missae de Festo simplici occurrenti non possunt dici nisi votivae, et tunc privatae in gratiam festivitatis currentis erunt cum *Gloria*, et commemoratione Feriae, de qua tamen in fine non est legendum Evangelium, sed Evangelium S. Ioannis, quod

semper est legendum in Missis votivis; in feriis praedictis ratione concursus poterit etiam cantari de eodem Festo simplici Missa sollemnis, quae similiter erit votiva, et in ea ob solemnitatem dici etiam *Credo*, sine tamen Evangelio, et commemoratione Feriae, de qua erit cantanda alia Missa Conventualis sine commemoratione Festi simplicis. In Missis vero de Feria est facienda commemoratio Festi simplicis occurrentis. »

3. Dubitatur. Insignioribus Regularium Ecclesiis conceduntur Planetae ante pectus plicatae a S. R. C. in Adventu, et Quadragesima; potest ne uti dictis Planetis in Ecclesiis Monialium?

S. eadem C. respondit: « Rubrica concedit usum Planetarum complicatarum ante pectus Diaconis, et Subdiaconis ministrantibus in Missa sollemni in Cathedralibus, et praecipuis Ecclesiis in diebus ieiuniorum cum limitatione, ut ibi: in minoribus vero Ecclesiis Ministris praedictis tantum usum Albae cum Manipulo Subdiacono, et cum Stola, et Manipulo Diacono. »

4. Dubitatur. In Missa sollemni cum cantatur a Choro articulus ille: *Et incarnatus est*: usque ad: *Homo factus est*: inclusive, omnes, qui sunt in Ecclesia (ea valde laudabili consuetudine) genuflectunt. Quid ergo debet facere Sacerdos, qui tunc temporis processit e Sacristia ad celebrandam Missam planam, aut, finita Missa, redit ad Sacristiam? Debet ne ipse genua flectere in Ecclesia? An redire sine advertentia ad illa verba, de quo nihil in Rubricis?

S. eadem C. respondit: « Hi tantum de Choro, qui stant, tenentur ad genuflexionem, non alii extra Chorum: diebus tamen Nativitatis Domini, et Annunciationis B. M. V. omnes de Choro, etiam Celebrans, et Ministri. »

5. Dubitatur. Festum SS. Corporis Christi non celebratur in Ecclesiis Monialium, ac etiam in aliis in tota eiusdem octava, sed semper illud transferunt in aliquem diem Dominicum, aut festivum, ut maiori cum solemnitate celebretur. Quomodo ergo erit cantanda haec Missa votiva de Sacramento? An sub ritu duplici primae classis sine aliqua commemoratione Dominicae, et alterius Sancti, si aliquis incidat in talem diem Dominicum? Praeterea in Processione ad versiculum; *Panem de coelo etc.* est addendum, *Alleluia*, neque?

S. eadem C. respondit: « Haec translatio sine privilegio fieri non debet; quando adsit privilegium in diebus illis, quibus a Rubrica permittuntur cantari Missae votivae, ratione concursus iuxta titulum 6. de Translatione Festorum post

recognitionem Missalis sub Urbano VIII., poterunt cantari duae Missae, una de SS. Sacramento sine commemoratione Dominicæ, aut Sancti occurrentis; et ad vers. *Panem de coelo etc.* addi *Alleluia*: et aliae cum reliquis privatis de Dominicæ, aut Festo currenti. In prima dicetur *Gloria*, et *Credo*, et nulla fiet commemoratio Dominicæ, aut festi. Si vero translatio caderet in Dominicæ, aut Festo, in quibus Missae votivæ non admittuntur, Missa erit de Festo, aut Dominicæ currenti cum commemoratione de SS. Sacramento. »

6. Dubitatur. Quando ob aliquam causam est expositum SS. Sacramentum in Altari, dum cantatur Missa sollemnis: postquam mox recedendum est sine Processione: an debeat Populus cum eo benedici, necne?

S. eadem C. respondit: « Non debet celebrari Missa in Altari, ubi est expositum SS. Sacramentum, nisi sit pro eo reponendo; et si ex necessitate fieri opus esset, populus est benedicendus more consueto, et non cum SS. Sacramento. » Hac die 13. Iunii 1671.

2543. FARAONEN.

S. R. C. declaravit: « Non licere Clero, et Sacerdotibus nonnullarum Ecclesiarum civitatis de Logos eiusdem Dioecesis in Regno Algarbiorum addere in Missarum collecta verba: *Gubernationem nostram*: licet sit Gubernator eiusdem Regni, quocumque abusu in contrarium non obstante. » Hac die 13. Iunii 1671.

2544. GERUNDEN.

S. R. C. declaravit: « Regulares Ecclesiae Gerundensis compelli posse per Episcopum ad accedendum, et interessendum Processionibus publicis, et aliis in dicta Dioecesi fieri solitis. » Hac die 13. Iunii 1671.

2545. GERUNDEN.

S. R. C. censuit: « Servandum esse Decretum S. M. Alexandri VII. super usu Pontificalium a Praelatis inferioribus editum die 27. Sept. 1659. in controversiis ortis inter Episcopum Gerundensem, et Abbatem Iosephum Magarolam Ordinis S. Benedicti tam in cantanda pontificaliter Missa, quam danda Benedictione, et aliis faciendis, contra formam dicti Decreti servandam in omnibus ab ipso quoque Abbate. » Hac die 13. Iunii 1671.

2546. LUCERINA.

S. R. C., inhaerendo declarationibus factis in Nicien. 9. Aug. 1670., iterum declaravit: « Ius faciendi functiones in parochiali super cadaveribus, spectare ad Parochum, non autem ad Capitulum Cathedralis invitatum dictumque Capitulum,

ut supra invitatum, ac etiam Parochum convenire debere in ipsa Cathedrali, etiam quod cadaver sit in Parochiali. » Hac die 13. Iunii 1671.

2547. NUSCANA.

S. R. C. declaravit: « Fratres Dominicanos Balneoli in Processionibus funeralium teneri se convenire in Ecclesia Parochiali, sive cadaver sit sepeliendum in ipsa Parochiali, sive in Ecclesia ipsorum Regularium. »

Quo vero ad Matutinum de sero, ianuis apertis, in Vigilia Epiphaniae, agendum cum Rño Generali, qui prohibeat, non obstante Decreto sub die 9. Iulii 1668. » Et ita voluit, et servari mandavit. Hac die 13. Iunii 1671.

2548. ORDINIS MINIMORUM.

S. R. C. benigne concessit Ordini Minimorum, « ut quando propter Hebdomadam sanctam, et Paschatem Resurrectionis transferri contigerit ad primam diem non impeditam tam Officium SS. Annunciationis, quam illud S. Francisci de Paula eorum Fundatoris, ab ipsis recitetur dicta prima die illud SS. Annunciationis, prout recitatur ab Ecclesia universali, et die sequenti illud S. Francisci, non obstante dispositione Rubricæ in contrarium. » Hac die 13. Iunii 1671.

2549. PAPIEN.

S. R. C. declaravit: « Functionem benedicendi Naves non esse parochialem, ideoque licere Canonice S. Michaelis Maioris illas benedicere intra limites Parochiae cum cotta, stola, ministro, vase aquae sanctae, et Rituali sine licentia Praepositi, cui, et non Capitulo curam adnexam esse expositum fuit. » Hac die 13. Iunii 1671.

2550. PATAVIEN.

S. R. C. declaravit: « Non licuisse, neque licere Canonice Cathedralis Pataviensis accipere sacra paramenta de, neque in altari, non obstante quacumque praetensa consuetudine in contrarium, et contraria interpretatione Rubricæ Missalis » Ritus servan. in celebratione Missae cap. 1. num. 1., et cap. 2. num. 2.: « Ideoque omnino prohibendum per Eñum Episcopum. » Hac die 13. Iunii 1671.

2551. THEATINA.

S. R. C. censuit: « Non esse praebendum Praesidi Missale ad osculandum post Evangelium in Missa; ideo talem abusum in Ecclesiis Dioecesis Theatinae esse prohibendum, et prohibuit. » Hac die 13. Iunii 1671.

2552. TORTONEN.

S. R. C. ad preces Marchionis Blasii Spinulae Equitis Hierosolymitani Feudatarii Cassani, Spinoli, et Marchionis Villaverniae sub Dioecesi Tor-

tonen., inhaerendo simili declarationi factae die 12. Ianuarii 1661. in una *Mediolanen.* pro parte Comitum Ferrantis Cavenachi, iterum declaravit: « Permitti posse dicto Marchioni, et eius successoribus in praefatis suis locis sedem cum genuflexorio, et tapete, non tamen gradatam, neque fixam, sed amovibilem, et extra Presbyterium, eidemque, et successoribus pacem cum instrumento, et thurificatione duobus ictibus post Rectorem Ecclesiae etiam simplicis Parochialis per Cappellanum cotta indutum, non tamen per Ministros Sacrificii sacris amictos praestari debere. » Hac die 13. Iunii 1671.

2553. **FIRMANA.**

Conquerentibus Prioribus Magistratus Oppidi S. Victoriae Firmanae Dioecesis desuper eo, quod Archiepiscopus Firmanus nolit in actu visitationis dicti Oppidi admittere eorum comitatum immediate post sua terga, sed velit eos incedere ante eius Crucem. Et S. C. declaravit: « Dictos Priores debere incedere ante Crucem, ut praescribit Caeremoniale. » Hac die 18. Iulii 1671.

2554. **TUSCULANA.**

Proposito dubio in S. R. C. orto inter Canonicos, et Archipresbyterum Cathedralis Ecclesiae Tusculanae: an delatio SS. Sacramenti in Processione secundae Dominicae cuiuslibet mensis, iuxta dispositionem constitutionum eiusdem Ecclesiae, post Missam cantatam auctoritate Em̄i D. Cardinalis Brancatii tunc Episcopi introducta, spectet ad Archipresbyterum, an vero ad Canonicum hebdomadarium celebrantem?

Et S. eadem C., inhaerendo dictis constitutionibus cap. 5. de Missa Conventuali celebranda, et cap. 10. de Processionibus obeundis, et illarum observantia, declaravit: « Spectare ad Celebrantem, et si Archipresbyter velit celebrare, non possit impediri. » Et ita decrevit, et servari mandavit. Hac die 18. Iulii 1671.

2555. **URBIS.**

Clerici Congregationis Doctrinae Christianae in Ecclesia S. Agathae Transtyberim Urbis exponentes in S. R. C., sibi relictum fuisse annum legatum cum onere unius Missae S. Rochi dicendae in die suae festivitatis 16. Aug. impedito officio duplici S. Hyacinthi, ultra quod illius Missa reperitur prohibita extra ipsius Ecclesiam: et propterea supplicant declarari dictum onus adimplere, et satisfacere posse voluntati Legantis Missa dicti S. Hyacinthi. Eadem S. C. habita die 18. Iulii 1671. respondit: *ad SSmum.*

Et facto de praemissis verbo cum SSmo per me Secretarium, Sanctitas Sua annuendo gratiam

petitam benigne concessit. Hac die 24. Iulii 1671.

2556. **ARIMINEN.**

S. R. C. ad dubium declarari petitum per Clerum Dioecesis Ariminen. respondit: « Quod si occurrat eodem die 19. Ianuarii festum S. Canuti sub ritu semidup. ad libitum, et festum S. Silvestri Papae, quod in Ecclesia Ariminensi fit, ut asseritur, sub ritu dup. min., stante quod dies 31. Dec., qua celebratur in Ecclesia universali, sit impedita festo S. Columbae Virg., et Mart. Titularis eiusdem Cathedralis Ariminen., fiat de dicto S. Silvestro, et transferatur illud S. Canuti ad primam diem non impeditam, iuxta Decretum eiusdem S. R. C. alias in una Urbis sub die 9. Iulii 1668. editum super translatione Officiorum Sanctorum ad libitum. » Hac die 12. Septembris 1671.

2557. **AVENIONEN.**

Cum pro parte Canonicorum hebdomadariorum Cathedralis Avenionen. expositum fuerit in S. R. C. quod in dicta Cathedrali inter alios Canonicos, qui dicuntur capitulares, sunt alii quatuor Canonici, qui dicuntur hebdomadarii, sic nominati ex Bulla eorum erectionis, et Statuto dictae Ecclesiae, qui quidem quatuor Canonici continuo debent assistere Choro, et deservire Ecclesiae, habent massam communem cum aliis Canonicis Capitularibus, fruuntur iisdem honoribus, privilegiis, et distributionibus, et emolumentis aequalibus, incedunt cum aliis in omnibus functionibus, habent eandem sedem, et stallum aequale in Choro; cum clausula tamen, quod duo ex Canonicis hebdomadariis sedere debeant ex una parte Chori, et alii duo ex alia immediate post Canonicos capitulares in sedibus ulterioribus; at etiam non habent onus interessendi, et habendi vocem in Capitulo; forsitan propter eorum officium semper assistendi Choro: modo vero, cum orta sit controversia inter eosdem; ideo praefati Oratores supplicarunt per eandem S. R. C. declarari: an dicti Canonici hebdomadarii, cum sint de corpore Capituli, et aequales aliis Canonicis capitularibus, debeant thurificari, pacem habere, et lustralem aquam accipere post omnes alios Canonicos capitulares; an vero immediate postquam fuerint thurificati alii Canonici ex una parte?

Et eadem S. C. respondit: « Quod thurificentur omnes Canonici etiam Supranumerarii hebdomadarii nuncupati eodem tempore ab una parte Chori, antequam thurificentur ex altera, et idem observetur in osculo pacis, et in dando aspersione, iuxta dispositionem Caeremonialis Romani. » Et

ita declaravit, et in praedicta Ecclesia Avenionen. servari voluit, et mandavit. Hac die 12. Septembris 1671. Decretum confirmatum fuit die 21. Novembris dicti anni.

2558. BARCHINONEN.

Pro parte Rm̄i D. Episcopi Barchinonensis propositum fuit in S. R. C. sequens Dubium, videlicet: In Hispania celebratur festum Patrocinii B. M. semper Virginis in Dominica 2. Novembris sub ritu dup. mai., attamen in dicta Dominica aliquibus annis, et in praesenti (deest verbum occurrit) Octava dies festivitatis omnium Sanctorum; et dubitatur: an Officium recitari debeat vel de festo Patrocinii cum commemoratione Octavae, vel de Octava, et festum Patrocinii transferatur in sequentem Dominicam non impeditam? Ideo supplicatum fuit pro huiusmodi declaratione.

Et S. eadem C. respondit: « Fiat Officium de Bm̄a Virgine Maria Patrona cum commemoratione Octavae. » Hac die 12. Septembris 1671.

2559. IANUEN.

Capitulum, et Canonici Ecclesiae Metropolitanae Ianuensis supplicarunt in S. R. C. pro resolutione infrascriptorum Dubiorum.

1. An facientibus Capitulo, et Canoniciis funeralia occasione mortis Summi Pontificis, Archiepiscopi, vel alterius Principis, possint Cappellani de massa eiusdem Ecclesiae renovare eadem funeralia, seu alias functiones publicas gerere contra voluntatem dicti Capituli?

2. An in functionibus canonicalibus, quando Canonicus ex aliquo emergenti non facit officium, possit Archiepiscopus ordinare, ut officietur a Cappellano de massa cum iisdem solemnitatibus, Cappellano de massa cum iisdem solemnitatibus, et associatione Cappellanorum, quibus officiat Canonicus, vel absque dictis solemnitatibus, et solum, ut est de stylo, quando officiat Cappellanus?

3. An Caeremoniale disponens, quod Cappellani transeuntes ante Altare maius genuflectant, servari debeat a Cappellanis de massa?

4. An in officiatione Canonici, in qua spectat ad Canonicos praecinere Antiphonas Matutini, Laudum, et Vesperarum, (supplendum: *debeat id fieri*) cum praecinatione Cappellani, aut dictae Antiphonae intonari debeant a solis Canoniciis, ut est de stylo?

Et S. eadem C. respondit. Ad 1. « Non licere. »

Ad 2. « Negative. »

Ad 3. « Genuflectant. »

Ad 4. « Servetur consuetudo Ecclesiae. » Et ita declaravit, et in praedicta Ecclesia Ianuensi servari mandavit. Hac die 12. Sept. 1671.

GARDELLINI. DECR. S. RIT. C. TOM. I.

2560. IMOLEN.

Porrecta in S. R. C. per Petrum Aloysium Mirrum Canonicum iam coadiutorem civitatis Imolae particula Bullae sui Canonicatus, ubi legitur, quod uti debeat omnibus praerogativis etc. concessis suo Coadiuto, nempe praecedentia in Choro, et Capitulo supra Canonicos post ipsum provisuros. Verum, quia post obitum praedicti sui Coadiuti in adipiscenda possessione dicti sui Canonicatus fuit assignatus locus non in prima sede, sed in illa, in qua reperiebatur: ideo supplicavit pro declaratione loci.

Et S. eadem C., referente Eñõ D. Cardinali Celso, respondit: « In ultimo loco. » Hac die 12. Septembris 1671.

2561. NUSCANA.

Dignitates, et Canonici Collegiatae Terrae Montellae Nuscanae Dioecesis supplicarunt in S. R. C. pro declaratione infrascriptorum Dubiorum.

1. Quum ad maiorem solemnitatem per eandem S. C. nuper decisum fuerit, non debere legi nonam Lectionem de Festo simplici, quando occurrit de eo fieri commemorationem infra octavam SS. Corporis Christi, supplicatur; an debeat legi, si dictum Festum simplex concurrat cum duplici, infra eandem Octavam?

2. An liceat decantari Anniversaria infra praedictam Octavam, sicut servatur in Festis duplicibus, non obstante prohibitione circa Missas de Requiem?

Et S. eadem C. respondit. Ad 1. « Est dicenda nona Lectio. »

Ad 2. « Non sunt facienda, nisi praesente corpore. » Hac die 12. Septembris 1671.

2562. TORTONEN.

S. R. C., audita relatione Episcopi Tortonen. quod, non obstante Decreto huius S. R. C. iussu S. M. Alexandri VII. die 27. Nov. 1659. emanati, super usu Pontificalium a Praelatis inferioribus etc.; Abbas Monasterii S. Ioannis Baptistae Ordinis Cistercensium loci Volghera de facto retinuit, prout retinet Cathedram fixam in sua Ecclesia, benedicendo Campanas, et abutendo usu Pontificalium in alienis Ecclesiis. Et propterea, supplicante eodem Episcopo pro praemissorum decisione; S. eadem C. rescripsit: « Servetur Decretum Alexandri VII. » Hac die 12. Sept. 1671.

2563. VENAFRI.

Ad dubium pro parte primae, et secundae Dignitatis Civitatis Venafri S. R. C. declarari porrectum: An Archidiaconus debeat incensari triplici ductu, ut praetendit, vel duplici ictu, iuxta dispositionem Caeremonialis cap. 23. in fin. lib. 1.?

S. eadem C. respondit: « Servetur Caeremoniale. » Hac die 12. Septembris 1671.

2564. UMBRIATICEN.

Supplicante in S. R. C. Episcopo Umbriaticen. pro confirmatione sui Decreti, quo exposuit, prohibuisse nonnullis Parochis Terrae Cirae suae Dioecesis celebrationem Festi S. Bartholomaei Apostoli die 25. mensis Aug., uti celebratur Romae, et alibi; et mandasse celebrari die 24. eiusdem mensis, iuxta dispositionem Rubricarum Missalis, et Breviarii Romani, non obstante quacumque in contrarium consuetudine.

Et eadem S. C. respondit: « Servandam esse consuetudinem » Hac die 12. Sept. 1671.

2565. URBIS, ET ORBIS.

Decretum Generale.

Super translatione de Sanctis ad libitum.

Proposito Dubio in S. R. C. habita die 18. Iulii prox. praet.; An de Sanctis ad libitum fieri possit translatio, sicut fit de aliis Sanctis, qui non sunt ad libitum similiter translatis?

Et eadem S. C. respondit: « Affirmative, si SSmo visum fuerit. » Et facta de praedictis relatione per me Secretarium, Sanctitas Sua « Sensum eiusdem S. C. approbavit, et in posterum transferri posse permisit, atque concessit. » Die 16. Septembris 1671.

2566. LAUDEN.

Reproposita Causa per Emum D. Card. Gualterium in S. R. C., eadem declaravit: « Decretum factum 31. Aug. 1669. scilicet, manutationem concessam Archidiacono in quasi possessione praecedendi Archipresbytero in canendo absolutionem, *Libera me Domine*, intelligendam esse quoad funera Episcopi, seu alicuius Principis: non autem in aliis funeribus, in quibus eadem S. C. concessit manutationem Archipresbytero canendi dictam absolutionem. » Item declaravit, « quod quid resolutum fuit spectare ad Archidiaconum, vel eum esse manutenendum, uti digniorem Archipresbytero, absente, vel impedito Praeposito, idem intelligendum sit de Cantore, absente, vel impedito Archidiacono. » Die 12. Septembris 1671.

2567. CUSENTINA.

Supplicatum fuit in S. R. C. pro parte Parochi Ecclesiae sub invocatione S. Petri loci Pedaci Dioecesis Cusentinae declarari: An liceat in Missis diebus festivis celebrari solitis a Parocho dicti loci, alteri Sacerdoti cum stola canere Evangelium?

Et eadem S. C. respondit: « Non licere, » et declaravit esse « abusum. » Hac die 21. Novembris 1671.

2568. CREMONEN.

Pro parte Parochi, et populi loci de Ghiara Pizzigliono Dioecesis Cremonen. supplicatum fuit declarari a S. R. C.: an Praepositus, et Capitulum Ecclesiae Collegiatae Matricis, et maioris, prohibere possit Ecclesiae Parochiali S. Rochi inferioris, et membro eiusdem, sublevationem baldachini in solitis Processionibus SSmi cum sex hastis, stante quod cum totidem ab ipsa digniori elevetur.

Et S. eadem C. respondit: « Non posse prohiberi. » Hac die 21. Novembris 1671.

2569. MESSANEN.

S. R. C. iterum declaravit: « Non posse per Episcopum Ordinarium prohiberi, quin Fratres Minores Conventuales S. Francisci civitatis Tortoricis Dioecesis Messanen. pulsant campanas eorum Conventus, et praecipue ad meridiem, et ad *Ave Maria*, antequam pulsatae fuerint illae S. Mariae Maioris, quacumque consuetudinae in contrarium non obstante. » Hac die 21. Novembris 1671.

2570. BENEVENTANA.

In Causa Beneventana Assistentiae, pro Archiepiscopo Beneventano contra Archidiaconum, et alias Dignitates Cathedralis eiusdem, iterum reproposito in S. R. C. per Emum D. Card. Sigismundum Chisium dubio: an Archidiaconus prima Dignitas, et aliae Dignitates sibi Archiepiscopo tam solemniter celebranti, quam Divinis interessenti tantum cum cappa, assistere teneantur?

Et eadem S. C., utraque parte informante, respondit: « In Decisis, *videlicet*: ex quo non adsit distinctio Praebendarum assistentiam spectare ad tres digniores in ordine. » Hac die 19. Dec. 1671.

2571. EUGUBINA.

S. R. C., inhaerendo pluribus aliis declarationibus in similibus editis, iterum declaravit: « Praecedentiam in Choro, et aliis Ecclesiasticis functionibus debere Ioanni Baptistae Ciuccioli Canonico Sacerdoti in Collegiata S. Christinae Eugubii, licet posteriori receptione, adversus quemcumque alium Canonicum non Sacerdotem, licet anteriorem dicta receptione, et postea effectus quoque esset Sacerdos, stante quod Praebendae in dicta Collegiata non sunt distinctae in Presbyteralem, Diaconalem, et Subdiaconalem, sed sunt omnes de numero Presbyterali. » Hac die 19. Dec. 1671.

2572. MAIORICEN.

S. R. C., referente Emum D. Card. Portocarrero, in causa controversiarum inter Dignitates ex una, et Canonicos Cathedralis Maioricen. partibus ex altera, censuit: « Non esse locum mutationi Chori, sed quod Celebrans sedere debeat prope Altare in

cornu Epistolae cum scamno tapete parato, tam in Vesperis, quam in Missis, prout in posterum servari *mandavit*. » Die 19. Dec. 1671.

2573. ORDINIS MIN. OBSERVANT.

S. FRANCISCI.

S. R. C., inhaerendo declarationi hac eadem die facta in Savonen.; et aliis, iterum declaravit: « Defunctorum corpora in Ecclesiis Regularium tumulanda, esse deferenda recto tramite, et per viam a Parocho declarandam ad Ecclesias ipsorum Regularium, non autem prius ad Parochialem. » Declaravit ulterius: « Servandum esse, etiam haeredibus defunctorum contradicentibus, et ad Parochialem prius deferri volentibus. » Hac die 19. Decembris 1671.

2574.

SAVONEN.

S. R. C. in controversia Savonen. Dubiorum relata per Eñm D. Card. de Maximis inter Praepositum Collegiatae, et Parochialis Ecclesiae S. Blasii Finalis ex una, et Fratres Ordinis Praedicatorum eiusdem loci partibus ex altera, censuit.

Ad 1. « Servandum esse Decretum Congregationis Eñmorum DD. Cardinalium Mellini, Ubaldini, et Ginnetti, et RR. PP. Palutii Secretarii Sacri Concilii, et Benigni Secretarii S. R., specialiter deputatae a S. M. Urbano VIII. editum die 27. Iulii 1628., et servandum de ordine eiusdem SSñi ab omnibus Sacris Congregationibus in casibus contingentibus; tenoris sequentis: Regularibus, et Confraternitatibus in Regularium Ecclesiis esse permissum, in eorum Ecclesia, et claustro tantum Processiones facere, et non extra; si vero Ecclesia claustro careat, eisdem Regularibus, et Confraternitatibus licere Processiones facere intra ambitum dumtaxat earumdem Ecclesiarum, hoc est prope muros Ecclesiae, sive exeundo ab una ianua, et intrando per aliam, sive per eandem, et semper prope muros Ecclesiae, et non extra dictum ambitum, nisi de licentia, et consensu Ordinarii, aut cum Cruce Parochi, non obstantibus quibuscumque consuetudinibus, et praescriptionibus etiam immemorabilibus. Privilegiis tamen Apostolicis per hoc Decretum minime derogatum censeatur. » Et proinde dictis Fratribus Praedicatoribus denegandas esse Remissoriales ad probandam dictam assertam eorum consuetudinem immemorabilem, illudque servari *mandavit*, non obstantibus quibuscumque interpretationibus per eos factis, dictumque Decretum intelligi de consuetudinibus praeteritis ante dictum annum 1628., non autem postea legitime quaesitis, et quibuscumque aliis Decretis aliarum Congregationum postea editis, ut praetendebant. »

Ad 2. « Regularibus, obtenta supradicta li-

centia ingrediendi limites Parochiae, non licere facere eorum Processiones eadem fere hora, eadem die, eodem in loco, et per easdem vias, in quibus Clerus Parochialis ad Processiones procedit, sed semper esse praefendum ipsum Clerum: quo vero ad Confraternitates esse praefendam illam, quae prius facere consuevit, et in concursu cum Parochiali, ipsam esse praefendam ad formam aliorum Decretorum in similibus editorum. »

Ad 3. « Regulares invitatos ad funera debere se convenire in Parochiali, non autem expectare Parochum per vias; vel in domo defuncti, quaecumque praetensa consuetudine etiam immemorabili in contrarium non obstante, et servanda esse decreta eiusdem S. C. in similibus saepe edita. »

Ad 4. « Defunctorum cadavera in Regularium Ecclesiis tumulanda, esse deferenda recto tramite ad Ecclesias Regularium: non autem prius ad Parochialem, ut ibi dictus Parochus det ultimum vale. »

Ad 5. « Spectare ad Parochum declarare, per quam viam exportandus sit defunctus, et reliqua alia omnia disponere usque ad ianuam Ecclesiae, quando illius cadaver est sepeliendum in dicta Ecclesia Regularium. »

Ad 6. « Non licere Regularibus pulsare eorum campanas die Iovis Sancti post silentium illarum Parochialis, et die Sabbati Sancti ante earumdem pulsationem. »

Quas omnes declarationes in posterum servari *mandavit*. Hac die 19. Dec. 1671.

2575.

AQUILANA.

S. R. C., referente Eñm D. Card. Sigismundo Chisio, censuit: « Canonicos Cathedralis Aquilae posse cogi sub poena amissionis distributionis illius diei ad assistendum concionibus tempore quadragesimali: nec non eosdem Canonicos teneri, et cogi posse sociare Episcopum accedentem ad Ecclesiam, et ab eadem redeuntem cum cappa magna, sub poenis pecuniariis, et in subsidium sub censuris, diebus tamen praescriptis a Caeremoniali. » Hac die 26. Martii 1672.

2576.

AVERSANA.

S. R. C., inhaerendo Decreto alias, et sub die 15. Septembris 1640. edito in eadem Aversana, iterum ad dubia exhibita pro parte Parochorum Civitatis Aversanae, sic respondendum censuit:

Ad 1. « Vocato ad funus Capitulo Cathedralis, non aliam Crucem, quam Crucem ipsius Capituli deferendam esse. »

Ad 2. « Capitulo interveniente, ut supra, Parochum defuncti, etiam quod sit stola indutus, incedere debere ante Canonicos Cathedralis. »

Ad 3: « Ad solum Parochum spectare aspergere aqua benedicta cadaver antequam levetur de domo, et ad eundem pertinere intonare Antiphonam: *Si iniquitates* etc.; ac Officium super cadaver in sua Ecclesia facere. » Die 26. Martii 1672.

2577. BENEVENTANA.

Iterum proposita pro parte Capituli Beneventani per Em̄m D. Cardinalem Sigismundum Chisium controversia assistentiae; S. R. C. respondit: « Spectare ad digniores, et detur Decretum in Monopolitana edito die 15. Sept., quod est tenoris sequentis » (omittitur tenor, quia Decretum legitur suo loco scilicet num. 973.)

Et idem Decretum eadem S. C. servari iussit in praedicta Cathedrali Beneventana. Hac die 26. Martii 1672.

2578. BONONIEN.

S. R. C. censuit: « Non licere Magistratui Terrae Centi Bononien. Dioecesis Status Ferrariae locum occupare in Presbyterio Collegiatae dicti loci, neque in thurificatione, aliisque functionibus Capitulum, aut Sacerdotes praecedere, sed in dicta Collegiata, et loco servandum esse Decretum editum diebus 28. Februarii, et 21. Martii 1671. pro Capitulo, et Canonicis Terrae Plebis eiusdem Dioecesis. » Hac die 26. Martii 1672.

2579. CAMERINEN.

S. R. C., inhaerendo declarationibus in similibus, et praecipue in una Eugubina hodierna die factis, declaravit: « Carolo Antonio Vallemanni de Fabriano Priori, et primae Dignitati Matricis Ecclesiae S. Venantii eiusdem loci, et Protonotario Apostolico, licere assistere divinis Officiis, et aliis Ecclesiasticis functionibus cum habitu Protonotarii, iuxta formam sui privilegii, sed non gaudere distributionibus quotidianis. » Hac die 26. Martii 1672.

2580. EUGUBINA.

S. R. C., inhaerendo aliis declarationibus in similibus factis, declaravit: « Vincentio Ghirello Praeposito, et primae Dignitati Cathedralis Eugubinae, et Protonotario Apostolico, licere assistere divinis Officiis, et Ecclesiasticis functionibus cum habitu Protonotarii, sed non gaudere distributionibus quotidianis. » Hac die 26. Martii 1672.

Eadem est resolutio in *Narnien. sub hac die.*

2581. NICIEN.

S. R. C. declaravit, in Cathedrali Nicien. Servandum esse Decretum in Monopolitana 15. Decembris 1632. quoad assistentiam Episcopo, quod etiam servandum esse *censuit* hodierna die in Cathedrali Beneventana. (Vide supra num. 2577.) Hac die 26. Martii 1672.

2582. SEGOBRICEN.

Pro sedandis controversiis ab antiquo tempore ortis, et adhuc vigentibus inter Em̄m D. Ducem Segobricae ex una, et Capitulum, et Canonicos Ecclesiae Cathedralis eiusdem civitatis partibus ex altera, super pluribus praecipientiis ab eodem D. Duce praetensis in ipsa Cathedrali, S. R. C. censuit: approbandas esse, prout approbavit, infra-scriptas conventiones inter ipsos cum approbatione Rm̄i D. Episcopi, et praevia renunciatione litibus, illarum occasione, ubique introductis, ac etiam Decreto ipsius S. C. super eisdem edito die 16. Februarii 1630., seu etc. legitime initas, tenoris sequentis videlicet:

1. Quod Illm̄m Capitulum, illiusque Dignitates, et Canonicos, sive eorum aliquis, seu aliqui, praefato Excm̄o D. Duci, et suis in dicto Ducatu pro tempore successoribus, ingredientibus in Ecclesiam Cathedralem Civitatis Segobricae ad audiendam Missam, et alia Divina Officia, seu alias, non teneatur, seu teneantur occurrere, seu obviam ire, nec comitari, aut associare praedictos Excm̄os DD. Duces usque ad eorum sedem, seu alium quemlibet locum, imo a praedictae associationis occursum, seu comitatus obligatione quomodocumque, et qualitercumque, etiamsi per Canonicos faciendus, seu facienda esset, perpetuis futuris temporibus idem Capitulum, et Canonici liberi, atque exempti omnino sint, et esse censeantur.

2. Quod praefati Excm̄i DD. Duces, si in dicta Ecclesia Cathedrali Missarum solemnibus interfuerint, tempore Offertorii thurificentur, et thurificari debeant tribus ictibus, seu ductibus, immediate post Rm̄m D. Episcopum, et ante Dignitates, et Canonicos Ecclesiae praedictae, et eodem modo, et ordine thurificentur in Vesperis, et in Matutinis ad *Benedictus*; thurificatio ministretur, et ministrari debeat ipsi D. Duci non per Dignitates, aut Canonicos, per quos thurificatur Episcopus, sed per Presbyterum insignitum, seu indutum iis Insignibus, quibus induuntur in Choro Presbyteri laurea Doctoratus insigniti, vel illis Insignibus, quae post Canonicalia in praedicta Ecclesia praestruuntur, et honorabiliora habentur, et existimantur, sive in posterum haberi, et existimari poterunt, et tam Dignitates, quam Canonici praedictae Ecclesiae, praedictam thurificationem per se ipsos ministrare nullo umquam tempore teneantur.

3. Quod dictis Dominis Ducibus transmittatur, et transmitti debeat osculum pacis cum instrumento immediate post Rm̄m D. Episcopum, et ante Dignitates, et Canonicos, per eum Presbyterum praedictis Insignibus indutum, per quem ministretur

thurificatio, servata tamen, quoad osculum pacis ad chorum transmittendae, praedictae Ecclesiae consuetudine, in qua per Subdiaconum Rño D. Episcopo praesente, vel absente transmittitur, et sic ab Altari pacis osculum transmittatur, ut praedictus Presbyter insignitus praedictis Excm̄s DD. Ducibus pacis instrumentum osculandum porrigat, et Subdiaconus, prout moris est, ad chorum pergat, ita tamen, ut nec praedictis Excm̄s DD. Ducibus ante Rñum D. Episcopum pax porrigatur, nec eam, ante praedictos Excm̄s DD. Duces, Dignitates, et Canonici accipiant, et similiter, prout de thurificatione dictum est, Dignitates, et Canonici praedictum osculum pacis praefatis Excm̄s DD. Ducibus per se ipsos nullo umquam tempore ministrare, aut transmittere teneantur, cum ad huiusmodi munia obeunda. Presbyter, ut supra, indutus, a praememorato illustri Capitulo, illiusque Dignitatibus, et Canonicis nominari, assignari, et deputari debeat.

4. Quod Sacerdos Missam celebraturus, dum ad Sacrificium offerendum sacerdotalibus vestibus indutus et Sacratio, sive Sacristia egreditur, vel ad eam, peracta Missa, regreditur, praedictis Excm̄s DD. Ducibus nullam salutationem, aut reverentiam facere teneatur.

5. Quod pro observantia Rubricarum praedicti Missalis Romani, debeat Subdiaconus cum Celebrante facere confessionem in Missa, neque ab eius latere sinistro discedere, ad eam faciendam cum praedictis DD. Ducibus. Hac die 26. Martii 1672.

2583.

TRANEN.

S. R. C. declaravit: « Archiepiscopo Nazarenno debent in Ecclesiis Regularium Dioecesis Tranen. genuflexorium cum strato, et pulvinari, non obstante alio Decreto eiusdem S. C., quacumque remissione causae ad Rotam super usu eorundem in aliis Ecclesiis non Regularibus, et Archiepiscopo Tranen., ratione Dioecesis, subiectis. » Hac die 26. Martii 1672.

2584.

URBINATEN.

Supplicatum fuit in S. C. declarari: an Saeculares, in vero Cappellani Societatum, seu Confraternitatum SSmi Sacramenti, et aliorum etc. Dioecesis Urbinatensis in Processionibus fieri solitis teneantur cotta induti assistere Celebranti, eique thuribulum, et incensum ministrare?

Et eadem S. C. respondit: « teneri Cappellanos dummodo adsint. » Et ita declaravit, et in praedicta Dioecesi Urbinaten. servari mandavit. Hac die 26. Martii 1672.

2585.

HISPALEN.

Propositis Dubiis in Sac. Rit. Congr. ab Eñno

D. Card. Brancatio pro parte Archiepiscopi Hispalen.

1. An ordinare, et gubernare publicas, et solennes Processiones, ad ipsum spectet privative quoad Capitulum, et alios, etiamsi Capitulum per longum tempus esset in quasi possessione gubernandi, et ordinandi, imo, si quasi possessio esset immemorabilis?

2. An Provisor Vicarius Generalis possit per se, et eius ministros dictas Processiones ordinare, et gubernare, etiam in ea parte, quae ipsum subsequitur, in qua incedunt Beneficiati cum toto Capitulo Cathedralis, non obstante, quod eius Antecessores eam partem non ordinarint?

Et eadem S. C. respondit: « Ordinationes publicarum, et solemnium Processionum spectare ad Archiepiscopum, et illo absente, ad eius Vicarium. » Et ita servari mandavit. Hac die 14. Maii 1672.

2586.

MELPHITEN.

Proposito Dubio in S. R. C. per Iacobum Sanctorum Archidiaconum Melphiten. ad praesens Vicarium Generalem Licien.: An recitare debeat Divinum Officium secundum Rubricas Dioecesis Licien., ubi residet, vel Melphitensis, ubi oriundus?

Et eadem S. C. respondit: « Teneri recitare iuxta ritum Ecclesiae Lic. » Hac die 14. Maii 1672.

2587.

TARBIEŒ.

Incolae Parochialis Ecclesiae S. Saturnini de Domex Tarbien. Dioecesis, celebrantes diem solemnem dicti Sancti, quae occurrit in vigilia S. Andreae Apostoli, supplicarunt S. C., pro securitate eorum conscientiae dictam vigiliam S. Andreae Apostoli anticipari posse ad antecedentem diem Festivitatis S. Saturnini.

Et eadem S. C. « petitis benigne annuens, facultatem indulxit. » Hac die 14. Maii 1672.

2588.

AESINA.

S. R. C. censuit: « Servandam esse dispositionem Caeremonialis Romani, et consuetudinem (observatam toto tempore Episcopi praedecessoris) accedendi per Priores, et Magistratum Civitatis Aesinae ad Cathedralem die 1. Quadragesimae pro accipiendis cineribus, et fer. 6. in hebdomada sancta pro adoranda Cruce post Clerum, et ad eam servandam cogendos esse. » Hac die 16. Iulii 1672.

2589.

MARIANEN.

S. R. C. declaravit: « Non licere retinere in Presbyterio genuflexorium, et proinde servandum, et exequendum esse Decretum Episcopi Marianen. in visitatione factum, de illo amovendo, et removendo ex Presbyterio Ecclesiae Parochialis Ter-

rae Sisci, non obstante, quod destinatum dicatur pro habente ius domini in dicta Terra, et quod ab eius antecessoribus retentum fuerit, cuius executionem eidem Episcopo remisit, etiam auctoritate ipsius S. C.» Hac die 16. Iulii 1672.

2590. MELEVITANA.

Supplicante Episcopo Melevitano: An olea consecrari possint sine sacrificio Missae? et quatenus Missa requiratur: an celebrari possit per Canonicum, seu dignitatem, et Consecratio fieri valeat per ipsum Episcopum assistentem, stante quod propter eius infirmitatem celebrare, seu alteri Episcopo viciniore, propter difficultates itineris, committere non possit.

Et S. R. C. respondit: « Servetur Pontificale. » Hac die 16. Iulii 1672.

2591. NARNIEN.

S. R. C., ad instantiam Episcopi Narnien. contra Gubernatorem eiusdem Civitatis, inhaerendo Decreto alias in eadem Causa edito die 22. Novembris 1659., iterum declaravit: « Non licere ipsum Episcopum cappa pontificali suffultum, dexteram deferre in propriis aedibus Gubernatori eiusdem civitatis Narnien.; neque ad sinistram eundem admittere ad genuflectendum in eodemmet genuflexorio, in quo pariter cappa indutus ipse Ordinarius genuflectit, et contrariam consuetudinem esse abusum, respondit. Ulterius declaravit, quoad thurificationem triplici ductu, non competere dicto Gubernatori, sed duplici ductu, iuxta dispositionem Caeremonialis Romani. » Hac die 16. Iulii 1672.

2592. POSNANIEN.

S. R. C., ad removendam aemulationem Regularium, circa expositiones, et Processiones cum Sanctissimo in Civitate, et Dioecesi Posnaniensi, minuentem eiusdem SSm̄i decentiam, cum saepissime una eadem die simul in quatuor, quinque, et sex Ecclesiis dictae expositiones, et processiones peragantur, itaut vix aliquot personae assistentes in Ecclesia reperiantur; declaravit inhaerendo aliis declarationibus in similibus factis: « Non licere Regularibus praedicta agere, nisi de licentia Episcopi, et proinde esse permittenda, et prohibenda eius arbitrio, et prudentia. » Hac die 16. Iulii 1672.

2593. THELESINA.

S. R. C. declaravit: « Die Veneris Sancti spectare ad Hebdomadarium celebrare Missam, etiam praesente, et assistente Episcopo, qui solum defert SSm̄um de Sepulcro ad Altare, non autem ad primam Dignitatem, non obstante, quod eadem S. C. alias declaraverit, prout etiam con-

firmavit, functiones Episcopales, impedito, vel absente Episcopo, spectare ad ipsam primam Dignitatem, et ita in Cathedrali Thelesina servari mandavit. Die 16. Iulii 1672.

2594. CORDUBEN. RUBRICARUM.

Supplicatum fuit, pro parte Didaci Diez de Escobar Ecclesiae Corduben. Caeremoniarum Magistri, S. R. C. pro resolutione sequentium dubitationum, quae ei in celebratione Festi septem Dolorum B. M. V. occurrunt, nempe.

1. An Festum septem Dolorum debeat sub ritu dup. mai. vel minoris, aut classici celebrari?

2. An occurrens praenarratum Festum, cum sit mobile, in aliquo Festo Calendarii forte classico, Festum classicum sit transferendum?

3. An casu, quo dictum Festum ad tempus Paschale transferatur, pro nona lectione recitari possit tertia lectio Homiliae, quae praedicto Officio assignata fuit?

4. Si Festum concurrat in primis, et secundis Vesperis cum Festo Annunciationis B. M. V., an de eo facienda sit commemoratio?

5. Quando in Festo Annunciationis occurrit Festum Dolorum; an transferendum sit ad Sabbatum sequens?

6. Cum Oratio, quae habetur in Officio sit diversa ab illa, quae legitur in Missa: quaeritur: quanam istarum duarum Orationum sit dicenda?

7. An in Missa Dolorum recitandus sit Hymnus, Gloria in excelsis?

8. In Missali in Rubrica Benedictionis pro aspersione Aquae benedictae, quae fit singulis Dominicis, dicitur, quod Sacerdos celebraturus debeat ter aspergere Altare, deinde se: et in Caeremoniali Episcoporum lib. 2. cap. 31. habetur, quod sacerdos debeat aspergere Altare, nihil dicens de celebrante: Quaeritur: quanam istarum duarum Regularum servanda sit?

Eadem S. R. C. respondit. Ad 1. « Festum Dolorum celebrandum esse sub ritu dup. mai. »

Ad 2. « Non esse transferendum Festum classicum. »

Ad 3. « Quando festum Dolorum celebrari non potest in feria VI. post Dominicam Passionis, vel in sabbato sequenti, illo anno esse omittendum, et non transferendum ad tempus Paschale. »

Ad 4. « Non faciendam esse commemorationem de Festo Dolorum. »

Ad 5. « Transferendum esse ad Sabbatum sequens. »

Ad 6. « Producendas esse ambas Orationes, ut a S. C. videantur. »

Ad 7. « Non recitandum esse Hymnum, Glo-

ria in excelsis, neque in Officio Te Deum, sed eius loco nonum Responsorium.»

Ad 8. « Sequendam esse Rubricam Missalis, et secundam partem cap. 31. Caeremonialis, ubi agitur de aspersione Aquae benedictae, qua fit absente Episcopo. » Hac die 3. Septembris 1672.

2595. NEAPOLITANA.

S. R. C. ad preces P. Caroli Lombardi Congregationis Oratorii Neapolis declaravit, ut infra, videlicet.

1. « In Regno Neapolis, et aliis Maiestati Catholicae subiectis die 18. Septembris esse recitandum Officium Impressionis sacrorum Stygmatum in corpore S. Francisci de praecepto, et translatum ad dictam diem, stante quod die 17. eiusdem propria sit impedita Officio Nominis B. M. V. a SS. D. N. Clemente X. in dictis Regnis hac die recitari concessio sub ritu dup. mai., non autem illud S. Thomae de Villanova ad libitum cadens eadem die 18.

2. « Feria 6. hebdomadae Passionis, qua Officium de Septem Doloribus B. M. V. sub ritu dup. mai. recitari in iisdem Regnis concessum fuit; uti debere colore violaceo, ita ut omittatur in Officio Hymnus, *Te Deum etc.* et eius loco dicatur nonum Responsorium, et in Missa non dicatur, *Gloria etc.* Ac etiam eadem feria 6. hebdomadae Passionis esse faciendum Officium SS. Annuntiationis B. M., vel S. Ioseph sub ritu dup. 2. clas., si illorum Festum occurrat eadem feria 6., non autem supradictum de Septem Doloribus dup. mai. quod transferatur ad Sabbatum sequens, et non ulterius.

3. In duplicibus non posse celebrari nisi Missas festi duplicis, non autem votivas, et defunctorum iuxta Rubricas Missalis; et occurrente eadem die duplici festo alicuius simplicis, servandas esse Rubricas. » Hac die 3. Septembris 1672.

2596. NULLIUS.

Sacerdotes, et Clerici ex obligatione in maiori hebdomada in choro recitantes Officium in triduo Passionis D. N. I. C. tenentur in principio, et fine eiusdem Officii, recitare Orationem Dominicalem, salutationem angelicam, et symbolum Apostolorum. Accidit, quod, terminato Officio, recitatur Matutinum pro sequenti die: quaeritur, prout supplicatur, praecise respondere. An in inchoatione dicti Matutini teneantur dicti Oratores ad iterum replicandas dictam Orationem dominicalem, salutationem angelicam, et symbolum Apostolorum, vel sufficiant pro utroque Officio iam recitata in fine Officii?

S. vero R. C. respondit: « teneri ad replicationem. » Hac die 3. Septembris 1672.

2597. RAVENNATEN.

S. R. C. declaravit: « non licuisse, neque licere, nisi ad praescriptum Decreti generalis Abbati Canonorum Regularium Lateranensium in Ecclesia S. Mariae in Porto Ravennaten. Dioecesis, occasione festi S. Laurentii, assistere vesperis solemnibus sub baldachino cum suo habitu abbatiali, nempe cum rochetto, et mantelletta, et cum assistentia aliorum trium Parochorum in ipsorum habitu ordinario. » Hac die 3. Septembris 1672.

2598. SABINEN.

Commissarius, Magistratus, et aliae Dignitates loci Stronconi Sabinen. Dioecesis supplicarunt per S. R. C. declarari: An Canonicus Protonotarius de numero non participantium in Processionibus possit, non dimisso habitu Canonicali, induere habitum Protonotarii, ad effectum praecedendi Magistratui saeculari, et Dignitatibus de populo etc.?

Et eadem S. C. respondit: « Canonicus Protonotarius interveniat uti Canonicus, et non uti Protonotarius. » Et ita declaravit, et servari mandavit per Demofontem Malvetanum Canonicum Collegiatae Ecclesiae dicti loci Stronconi, et Protonotarium Apostolicum de numero non participantium. Hac die 3. Septemb. 1672.

2599. TRAGURIEN.

Vicarius Generalis Tragurien. supplicavit declarari: utrum Decretum, in quo declaratum fuit, Canonicos paratos praecedere, et thurificari debere ante Vicarium generalem, intelligendum sit, quando omnes Canonici, aut saltem sex, aut octo ex illis parati reperiantur, ac etiam quando soli duo Canonici parantur in Ecclesia, seu Processionibus, uti Praecentores?

Et S. R. C. respondit: « Canonici parati semper praecedere debent ratione Paramentorum. » Hac die 3. Sept. 1672.

2600. FRISINGEN.

Praepositus Monasterii Inderstorffensis Canonorum Regularium S. Augustini Dioecesis Frisingen. supplicavit in Sac. Rit. C. declarari: [An verbum *Benedicere* contentum in indulto sibi concessio per fel. rec. Urbanum VIII., circa potestatem benedicendi Altaria etc., idem importet, quam consecrare, et, an virtute dicti privilegii, possit consecrare Altaria aqua tamen benedicta ab Antistite?

Et eadem S. C., referente Eñõ D. Card. Brancatio, respondit: « Indultum benedicendi non com-

prehendere consecrationem. » Hac die 3. Septembris 1672.

2601.

ARIMINEN.

Exponentibus in S. R. C. Parochis foraneis Montis Florum Ariminen. Diocesis, quod Vicarius Foraneus eiusdem loci praetendit in Processionibus, sessionibus in Choro, et aliis functionibus Ecclesiasticis praecedentiam supra praedictos Parochos foraneos antianos quoscumque, nulla ab ipso allegata ratione, quam antiquo Synodali Decreto.

Et eadem S. C., inhaerendo pluribus declarationibus alias in similibus factis, iterum declaravit: « nullam competere praecedentiam Vicariis Foraneis ratione vicariatus supra antiquiores Presbyteros, non obstantibus quibuscumque Decretis Synodalibus. » Et ita decrevit, et servari mandavit. Hac die 3. Sept. 1672.

2602.

CONCHEN.

S. R. C., ad preces Magistri Caeremoniarum Ecclesiae Cathedralis Conchen. declaravit, ut infra, videlicet.

1. « Transferendae sunt festivitates Patrocinii, et Rosarii ad primam diem non impeditam Officio novem Lectionum, quando in 2. Dominica Novembris, et 1. Dominica Octobris occurrunt Octavae Sanctorum, et dedicationis Ecclesiae Cathedralis Conchen. »

2 « Adhibendus est color vialaceus in festo Septem Dolorum B. V. M., et omittendus est in Missa Hymnus, *Gloria in excelsis*, et pariter in Officio Hymnus, *Te Deum laudamus*, cuius loco recitandum est nonum Responsorium.

3. « In renovatione, quae quolibet octavo die fieri debet de Augustissimo Eucharistiae Sacramento, consumi debet tum Hostia, tum etiam Particulae, quae existunt in Tabernaculo post sumpcionem Sanguinis ante Purificationem; illa vero verba, quae habentur in Missali cap. 10. num. 5. nempe: *Si vero adsint hostiae consecratae etc.* possunt intelligi de hac renovatione aequae, ac de nova confectione Sacramenti reservandi pro alia die. » Et ita censuit. Hac die 3. Septemb. 1672.

2603.

ANDRIEN.

Proposita per Eñum D. Cardinalem Gualterium in S. R. C. habita die 28. Februarii 1671. controversia inter Carolum Cappellanum Archidiaconum primam Dignitatem, et Antonium del Cantore Archipresbyterum secundam Dignitatem Andrien. super eo, ad quem spectent, absente, vel impedito Episcopo, functiones pontificales facere, et celebrare, ac Vesperas decantare? et

resoluta ad favorem dicti Archidiaconi; modo eadem S. C., ad tollendas differentias, et ad conservandam pacem, referente eodem Eño D. Gualterio, declaravit: « Functiones pontificales esse festum Nativitatis Domini, Epiphaniae, Ascensionis, Pentecostes, Apostolorum Petri, et Pauli, Assumptionis B. M. V., omnium Sanctorum, Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, Titulum eiusdem Ecclesiae, Patroni Civitatis, nec non commemorationem omnium Defunctorum, distributionem candelarum, cinerum, palmarum, celebrationem Officii feria V. in Coena Domini, feriae VI. in Parasceve, festum Paschatis Resurrectionis D. N. I. C., diem solemnem Corporis Christi cum Processione. » Hac die 3. Decemb. 1672.

2604. BAREN.

Archiepiscopus Baren. supplicavit a S. R. C. declarari: An toleranda sit antiqua consuetudo Civitatis Baren., recitandi Officia sub ritu duplici, et festa tamquam de praecepto SS. Rochi, Eligii, Leonardi, Viti, Donati, Blasii, B. M. de carmine, et S. Mariae de vita.

Et eadem S. C. respondit: « Quoad Officium servandam esse consuetudinem: Quo vero ad festum servandam esse constitutionem S. M. Urbani VIII. » Hac die 3. Dec. 1672.

2605.

MEDIOLANEN.

S. R. C. ad preces Eñi D. Card. Littae Archiepiscopi Mediolanen. benigne concessit, ut ieiunium Vigiliae S. Laurentii Martyris in Terra S. Agatae Plebis Gorgonzolae Mediolanen. Diocesis transferatur in diem antecedentem octavam Augusti, ad evitandam transgressionem dicti Ieiunii ex praecepto Ecclesiae die 9. Aug. servandi, dum eadem die propter Festum solemne S. Firmi, incolae dictae Terrae ieiunium non servant. Hac die 3. Dec. 1672.

2606.

MONOPOLITANA.

Iterum proposita controversia in S. R. C., per Eñum D. Card. Sigismundum Chisium orta inter Dignitates, et Canonicos Cathedralis Ecclesiae Civitatis Monopoli, et Parochos eiusdem Civitatis, super thurificatione.

Eadem S. C., utraque parte informante, declaravit: « debere Parochos sedentes a dexteris Chori thurificari immediate post Dignitates, et Canonicos eiusdem partis, et sedentes a sinistris immediate post Canonicos istius partis. » Et ita decrevit, et servari mandavit. Hac die 3. Decembris 1672.

2607.

MONOPOLITANA.

Orta controversia excitata per Capitulum Ecclesiae Cathedralis Civitatis Monopolis, contra Pa-

rochos eiusdem Civitatis, circa modum assistendi in functionibus, praetendente dicto Capitulo, quod Parochi non possint assistere cum Stolis functionibus, ad quas sunt invitati, vel in quibus tenentur assistere: ideo, proposito Dubio per Em̄m D. Card. Sigismundum Chisium in S. R. C.: An liceat Parochis extra proprium Sacerdotale Officium deferre Stolum?

Et eadem S. C., utraque parte informante, declaravit: « non licere Parochis deferre Stolum. » Hac die 3. Decembr. 1672.

2608. NEAPOLITANA.

S. R. C. declaravit: « quod eisdem praerogativis gaudere debet Canonicus Neapolitanus Episcopus Titularis, quibus gaudent Canonici, qui sunt Episcopi tam in Basilica S. Petri, quam in caeteris Basilicis de Urbe, qui praesunt caeteris Canonici, etiam antiquioribus; et fruuntur quavis maiori praeeminentia, non solum in Choro, recipiendo primas Antiphonas, sed in Capitulo, et quovis alio loco, ubi convenire contingit. » Hac die 3. Dec. 1672.

2609. NULLIUS BAREN.

Exponentibus in S. R. C. Capitulo, et Dignitate Alteturae Nullius Baren., quod Archipresbyter eorum Ordinarius, compellit eos, etiam sub censuris, ire processionaliter, detecto capite ad capiendum illum ante eius antecameram toties, quoties vult celebrare, vel assistere, et supplicantiibus pro declaratione: an teneantur?

Eadem S. C. respondit: « non teneri. » Hac die 3. Dec. 1672.

2610. NUSCANA.

Episcopus Nuscanus supplicavit a S. R. C. sibi praescribi modum, quo tractare debet Marchionem Patronum Balneoli sub sua Dioecesi, praetendentem habere pallium, associationem a Canonici cum habitu canonicali, et baldachinum, sicut praedicta omnia praetendisse asseritur tempore sui praedecessoris.

Et eadem S. C., inhaerendo aliis Decretis in similibus editis, respondit: « Non licere. » Hac die 3. Dec. 1672.

2611. OPPIDEN.

Episcopus Oppiden. supplicavit S. R. C. responderi infrascripto Dubio: an Archiepiscopus transiens per Dioeceses Suffraganeorum, causa visitandi loca propria Dioecesis, possit deferre mozettam, quae est Insigne plenariae iurisdictionis, et erigere Crucem, et dare benedictionem praesente Episcopo suffraganeo?

Et eadem S. C. respondit: « Licere ad praescriptum Caereimonialis. » Hac die 3. Dec. 1672.

GADELLINI. DECR. S. RIT. C. TOM. I.

2612.

RUBEN.

Horatius Rocca Cathedralis Ecclesiae Ruben. Sacerdos, supplicavit a S. R. C. declarari: An pro Reliquia insigni possit fieri Officium duplex iuxta huius S. C. Decretum, quando scilicet Caput, Brachium, aut Crus non sunt integra, sed mutilata, et partes demptae non adsunt, ut conglutinari possint: et si pro Reliquia mutilata fieri possit Officium duplex?

Et S. eadem C. respondit: « servandum esse Decretum huius S. C. ad unguem, emanatum sub die 8. Apr. 1628. » Hac die 3. Dec. 1672.

2613.

AVENIONEN.

Iterum exponentes in S. R. C. Canonici supranumerarii, nuncupati Hebdomadarii Metropolitanae Ecclesiae Avenionen., quod Praepositus, et Canonici numerarii eiusdem Ecclesiae, non solum recusarunt obedire Decretis istius S. C. editis de mense Sept. 1671., et mense Mart. 1672. (nil aliud legitur in Regestis sub mense Martio 1672. nisi sequentia verba: « Canonicorum Hebdomadariorum. Quatenus verum sit expositum, Episcopus provideat) ad favorem dictorum Oratorum: immo vero hodie, maximo cum scandalo permanentes in eadem contumacia, deseruerunt penitus servare caeremonias Ecclesiae, quia in Missis, et in Vesperis solemnioribus praetermittunt thurificationem, et osculum pacis, et aspersionem aquae benedictae, quae Caeremoniae ab omni tempore in dicta Ecclesia fuerunt servatae iuxta praescriptum Caereimonialis Romani. Ideoque supplicarunt provideri.

Et eadem S. C. respondit: « servanda esse supradicta Decreta. » Hac die 21. Ian. 1673.

2614.

NARNIEN.

S. R. C. iterum declaravit: « Gubernatorem Narnien. intervenientem Functionibus Ecclesiasticis, non debere se genuflectere in genuflexorio Episcopi, quando est cappa indutus, sed locum habere debere primum supra Magistratum. » Hac die 21. Ian. 1673.

2615.

ROSSANEN.

S. R. C., ad preces Parochorum Civitatis Rossanen. declaravit: « Non licere Haeredibus defuncti vocare aliquam Dignitatem, vel Canonicum, aut Presbyterum sibi visos, ad peragendas functiones cum stola super cadaveribus, invitis, et contradicentibus dictis Parochis. » Hac die 21. Ianuarii. 1673.

2616.

VELITERNA.

S. R. C., ad relationem Em̄i D. Card. Vidoni declaravit: « Canonicum Poenitentiarium Ecclesiae Cathedralis Civitatis Veliternae, ultimo loco

provisum, non posse cogi ad inserviendum Missis cantatis pro Diacono, et Subdiacono, constitutione, seu consuetudine dictae Ecclesiae in contrarium non obstante. » Hac die 21. Ian. 1673. 2617. **ANDRIEN.**

Carolus Cappellanus prima Dignitas Ecclesiae Cathedralis Andriae supplicavit declarari a S.R.C.: An hebdomada, quae tam per ipsam, quam per alias Dignitates, et Canonicos dictae Cathedralis fieri solet per turnum quolibet anno, peragi facere possit per alterum Canonicum eiusdem, vel fieri debeat per semetipsum?

Et eadem S. C. respondit; « servandam esse consuetudinem Ecclesiae. » Hac die 4. Mart. 1673. 2618. **AVENIONEN.**

Reclamantibus Canonicis numerariis Metropolitanae Ecclesiae Civitatis Avenionensis, et instantibus pro recessu a resolutis in Decretis per hanc S. C. R. habitam die 21. Ian. proxim. praet. emanatis ad favorem Canonicorum supranumerariorum nuncupatorum Hebdomadariorum, et Beneficiorum eiusdem Ecclesiae, ubi resolutum fuit: « Servanda Decreta alias facta super observatione Caeremonialis Romani, circa thurificationem Canonicorum in Metropolitana Ecclesia Avenionen., adeo ut omnes Canonici, etiam Supranumerarii Hebdomadarii nuncupati thurificentur ex una parte Chori, antequam thurificentur ex altera, et idem observari mandavit in osculo pacis, et in dando aspersionis. » Quo vero ad habitum canonicalem immutatum a b. m. Areosto dictae Civitatis Archiepiscopo, censuit « illum, etiam quoad colorem, reducendum esse in pristinum statum, ad formam Statuti dictae Ecclesiae. »

Et eadem S. R. C.; utraque parte plene informante: « Stetit in decisio. » Hac die 4. Mart. 1673. 2619. **MONOPOLITANA.**

S. R. C. ad instantiam Fratrum Minorum Conventualium Ord. S. Francisci, ac Fratrum Praedicatorum Ordinis S. Dominici Civitatis Monopoli, inhaerendo Decretis alias in similibus editis, et praecipue in una *Savonen., seu Finarien. die 19. Dec. 1671.* iterum declaravit: Cadavera defunctorum in Regularium Ecclesiis tumulanda esse deferenda recto tramite ad Ecclesias Regularium, non autem prius ad Parochialem, ut ibi det Parochus ultimum vale. » Et ita a Parochis dictae Civitatis Monopoli in posterum servari voluit, et mandavit. Hac die 4. Mart. 1673.

2620. **ORDINIS EREMITARUM
S. AUGUSTINI DISCALCEATORUM.**

S. R. C., ad preces Procuratoris Generalis Fratrum Ordinis Eremitarum S. Augustini Discal-

ceatorum nuncupat. eiusdem Ordinis nomine censuit: « servandum esse Breve S. M. Urbani VIII. emanatum ad favorem dictorum Fratrum die 24. Iul. 1641.; ubi cavetur, corpora defunctorum, qui in Ecclesiis Regularium sepulturam sibi elegerunt, non esse prius ad Ecclesiam parochialem deferenda, sed Parochos teneri cadavera suorum parochianorum levare e loco, ubi asservantur, et associare usque ad portam Ecclesiae Regularium, etiam ipsis Regularibus non associantibus, nec Parochos se ingerere posse in faciendo super iisdem cadaveribus officium in Ecclesiis Regularium, sed ad ipsos Regulares in propria Ecclesia spectare, et pertinere. Et ita ubique, et praecipue in Aquaviva Dioecesis Ripae Transonae, et in Triora Dioecesis Albinganen. servari mandavit, quibuscumque aliis Decretis eiusdem S. C. in similibus editis in contrarium non obstantibus. » Hac die 4. Martii 1673.

2621. **URBIS.**

Dubitatum fuit; si hoc anno transferatur solemnitas equitatio die Festo SS^{mae} Annunciationis fieri solita per Emos DD. Cardinales ad Ecclesiam S. M. supra Minervam de Urbe, praesente SS^{mo} D. N. Papa, quo habitu uti debeant dicti Emi die Festivitatis eiusdem?

Et S. R. C. habita die 4. Martii currentis censuit: « si SS. Domino N. placuerit: quod si solemnitas transferatur, utantur habitu violaceo, secus rubeo. Et facto de praedictis verbo cum Sanctissimo, Sanctitas Sua, benigne annuendo, sensum eiusdem S. C. approbavit, et laudavit. » Hac die 4. Mart. 1673.

2622. **ORBIS.**

S. R. C. censuit: « recedendum esse a primo Decreto ab eadem edito in una Corduben., et Neapolitana sub die 3. Sept. 1672. super Officio, et Missa Septem Dolorum B. M. V., et in posterum adhibendum esse colorem album; et in Officio dicendum esse Hymnum, *Te Deum etc.* et nonam Lectionem de Homilia Feriae; et in Missa, *Gloria in excelsis*, et in fine Missae Evangelium eiusdem Feriae. » Hac die 4. Mart. 1673.

2623. **ASCULANA.**

Iterum pro parte Capituli, et Canonicorum Cathedralis Civitatis Asculi, contra Episcopum eiusdem Civitatis propositis in S. R. C. infrascriptis Dubiis, videlicet.

1. An liceat erigere Baldachinum super sede Episcopali, in qua Episcopus, pontificaliter celebraturus, recitat horam tertiam, et sacris paramentis induitur, ex consuetudine Civitatis Asculanae, in Presbyterio in cornu Epistolae e

conspectu throni apponi consueta? Et quatenus negative.

2. An liceat Episcopo pontificaliter celebrato, eadem sede postposita, in alia sede in Sacrario, vel in altera parte Ecclesiae praesertim ad audiendam concionem cum Baldachino praeparata Horam Tertiam recitare, et sacris paramentis, ut supra indui? Et quatenus negative.

3. An saltem hoc liceat in alia sede, seu baldachino extra dictum Presbyterium, et praesertim in aliquo Sacello Ecclesiae, a quo deinde processionaliter accedatur ad ipsum Presbyterium, et in eo ad Altare maius ibidem existen. celebretur?

Et eadem S. C. respondit: « licere Episcopo erigere Baldachinum in Cappella, ubi sumit paramenta sacra, quando pontificaliter est celebraturus. » Et ita declaravit. Die 6. Maii 1673.

2624. AVENIONEN.

Quatuor Canonici Supranumerarii Hebdomadarii nuncupati, et Beneficiati Ecclesiae Metropolitanae Avenionen. supplicarunt a S. C. declarari: An Archiepiscopus Avenionen. in primo accessu ad suam Ecclesiam Metropolitanam Avenionen., quae constat certis Dignitatibus, et Personatibus Canonicis, quindecim numerariis, sive capitularibus, quatuor vero Canonicis supranumerariis Hebdomadariis nuncupatis, Beneficiatis duodecim, debeat omnes praedictos, nullo excepto, excipere ad osculum manus?

Et eadem S. C. respondit: « esse admittendos. » Et ita declaravit. » Hac die 6. Maii 1673.

2625. CUSENTINA.

S. R. C. censuit; « non licuisse, neque licere Acolythis, capite cooperto pileolo, assistere cum candelabris tempore, quo canitur Evangelium. Et ita in Metropolitana Cusentina servari mandavit, non obstante contraria consuetudine, quam absum esse, » declaravit. Hac die 6. Maii 1673.

2626. FROSEMPRONIEN.

S. R. C., non acquiescentibus Fratribus Augustinianis Frosempronien. Decreto per eandem die 10. Mart. prox. praet. pro parte illius Episcopi emanato, iterum declaravit, « nullo modo licere Regularibus, et praecipue dictis Fratribus Augustinianis Frosempronien. in eorum propriis Ecclesiis SS. Eucharistiae Sacramentum publice adorandum exponere, nisi de licentia Ordinarii, quacumque consuetudine in contrarium non obstante. » Hac die die 6. Maii 1673.

2627. LESINEN., SEU PHAREN.

Cum in S. R. C. pro parte Episcopi Pharen., seu Lesinen. die 31. Maii 1670., referente bo. mem. Card. Gualterio, super Dubio: Utrum Presbyter

Assistens, quicumque ille sit, Episcopo solemniter celebranti, et intonanti *Antiphonam*, *Hymnum*, *Gloria*, *Credo*, et cantanti *Orationem*, debeat ipsemet actualiter, et physice sustinere librum supra caput, an vero aliquis alius id praestare debeat actualiter, et physice, et ipse Presbyter assistens tantummodo moraliter, nempe leviter tangendo? Responsum fuit; « ipsemet Presbyter actualiter debet tenere Librum supra suum caput. » Cui Decreto, cum noluerit acquiescere Archidiaconus, et Capitulum Pharen., coram Apostolica Nuntiatura Venetiarum fuit contestatum iudicium, proposita immemorabili consuetudine in contrarium, et nullatenus probata dicta immemorabili, lata fuit sententia ad favorem dicti Episcopi, ut in actis ad hanc S. C. per dictum Episcopum transmissis, ad quae etc. Post haec, recurrente dicto Capitulo ad hanc S. C. habitam die 16. Jul. 1672. (Ibi legitur tantum; « Capitulum Pharen. adversus Episcopum circa librum supra caput cotta indutum: posse tollerari etc. » Et scriptum fuit Episcopo Pharen.,) et nulla facta mentione de praedictis, supplicante pro observatione dicti allegati soliti antiqui, et immemorabilis retinendi, per Clericum cotta indutum, supra caput librum, pontificaliter dicto Episcopo celebrante, a qua dictum Capitulum extorsit Decretum « tolerari posse dictam consuetudinem. » Hodie vero eum non subsistant, quae allegata fuerunt pro parte dicti Capituli; ideo idem Episcopus supplicavit pro confirmatione praedicti Decreti ad sui favorem emanati.

Et S. eadem C., recedendo a Decreto pro parte dicti Capituli emanato die 16. Jul. 1672. censuit: « Confirmandum, et servandum esse dictum primum Decretum ad favorem Episcopi editum die 31. Maii 1670., » prout confirmavit, et servari mandavit. Hac die 6. Maii 1673.

2628. MEDIOLANEN.

S. R. C., donec aliter ipsa decreverit in causa Praecedentiarum verten. inter Monachos Benedictinos ex una, et Cistercienses partibus ex altera, in Processionibus fieri solitis infra annum in civitate Mediolanen., censuit: « Servandum esse Decretum provisionale illius Emi Archiepiscopi editum die 15. Jun. 1672. tenoris ut infra videlicet.

1. « Crux Monachorum Cisterciensium S. Ambrosii de more praeferatur, sub qua Monachi Casinenses procedant. »

2. « Sequantur Crucem immediate Laici Sancti Ambrosii. »

3. « Conveniant numero aequali Monachi Casinenses, et Cistercienses utrinque seorsim uni ab

aliis alternatim progrediantur, incipiendo a Ci-sterciensibus, donec utrorumque numerus impleatur.»

4. Postremo loco procedat dignior Monasterii S. Ambrosii medius inter duos Cassinenses digniores.

Et ita iussit, et servari mandavit. « Die 6. Maii 1673.

2629. NEAPOLITANA.

Cum S. R. C. declaraverit die 3. Decembris praeteriti, quod eisdem praerogativis gaudere debeat Rm̄us D. Paulus Garbinatus Canonicus Ecclesiae Cathedralis Neapolitanae, et Episcopus Titularis Nabucen., quibus gaudent Canonici, qui sunt Episcopi tam in Basilica S. Petri, quam in ceteris Basilicis de Urbe, qui praesunt ceteris Canonici etiam antiquioribus, et fruuntur quavis maiori praeceminentia, non solum in choro recipiendo primam Antiphonam, sed in capitulo, et in quovis alio loco, ubi convenire contingit; fuit pro parte D. Francisci de Ianuario Primicerii eiusdem Cathedralis oppositum, sibi competere praefatas praerogativas, et praeceminentias supra dictum Canonieum Episcopum Titularem. Et, proposita causa per Rm̄um D. Cardinalem Sfortiam, eadem S. C. utraque parte informante, declaravit: « competere praenarratas praerogativas, et praeceminentias dicto Canonico Episcopo Titulari in omnibus actibus, ubicumque convenire contingerit, etiam supra praefatum Primicerium eiusdem Cathedralis. Die 6. Martii 1673.

2630. NULLIUS DIOECESIS
PISCEN.

Cappellani Ecclesiae SSr̄m̄ Jacobi, et Martini de Uzzano Piscen. Nullius Dioecesis Provinciae Florentiarum, supplicarunt in S. R. C. pro resolutione infrascriptorum Dubiorum.

1. An Plebano dictae Ecclesiae, dum canit Missam, liceat uti assistente pluviali induto?

2. An uni ex praedictis Cappellanis dum canit Missam in 2., et 3. Festis Paschatis, et in aliis diebus festivis solemnibus vel non solemnibus, liceat celebrare cum tot candelis accensis, sicut celebrat dictus Parochus?

Et eadem S. C., audita relatione Ordinarii, respondit: Quoad 1. « licere attentata consuetudine. »

Quoad 2. vero respondit pariter, *licere*. Et ita declaravit, et servari mandavit. Die 6. Maii 1673.

2631. PLACENTINA.

Pro parte Ecclesiae Castri Arpini Placentinae Dioecesis, supplicatum fuit in S. R. C. decla-

rari: An Missionarii, seu Praebendarii dictae Ecclesiae induti pluviali, dum ab Archipresbytero, seu eius Locumtenente canuntur Vesperae solennes, teneantur canere Versiculos, et *Benedicamus Domino*, iuxta praescriptum Caeremonialis, non obstante consuetudine in contrarium?

Et S. C. respondit: « Affirmative. » Hac die 6. Maii 1673.

2632. SENOGALLIEN.

S. R. C., ad relationem D. Card. Facchinetti in Causa Senogallien. Terrae Corinaldi, super controversiis occasione infrascriptarum Processionum excitatis inter Capitulum, Archipresbyterum, et Canonicos ex una, et Fratres Augustinianos eiusdem Terrae partibus ex altera, censuit, ut infra, videlicet.

1. « Processiones fieri solitas per Fratres Augustinianos, et signanter in 1. et 4. Dominica cuiuslibet mensis per vias, ut dicitur *la Morata*, et *il Terreno* extra claustra, posse fieri de consensu Parochi. »

2. « Circa alias trinas Processiones, scilicet in festivitate S. Antonii Abbatis, SS. Rosarii 1. Dominica Oct., ac feria 2. Pentecostes, Decretum eiusdem S. C. editum die 15. Sept. 1657. non afficere. »

3. Processionem ex voto de S. Nicolao de Tolentino in Protectorem electo in eius festivitate per dictam Terram fieri solitam, non esse impediendam, cum interventu Parochi. » Et ita declaravit, et servari mandavit. Die 6. Maii 1673.

2633. ASCULANA

In praeterita C. S. R., super Dubiis pro parte Capituli, et Canonicorum Cathedralis Asculanae propositis, declarandis ad occurrendum praetensis novitatibus eorum Episcopi, eidem placuit respondere: « Licere Episcopo erigere baldachinum in Cappella, ubi sumit paramenta sacra, quando pontificaliter celebraturus est. » Verum quia, cum visum fuerit huiusmodi responsionem non percutere casus superius expressos, ideoque iidem iterum supplicarunt pro praecisa singulorum resolutione.

Et eadem S. C. respondit: « Satis provisum. » Hac die 17. Iun. 1673.

2634. DUBIUM.

Supplicatum fuit in S. R. C. pro declaratione infrascripti Dubii: Utrum, si in choro, vel privatim omissum est per oblivionem, aut inadvertentiam fieri Officium duplex, vel semiduplex alicuius Sancti eodem die, quo debebat secundum Rubricas, debeat illud fieri in aliquo alio

die, vel eiusdem mensis, vel alterius sequentis, non impedito Officio novem lectionum?

Et eadem S. C. referente Eñõ D. Card. Bona respondit: « Negative. » Hac die 17. Iunii 1673.

2635. FLORENTINA

Pro parte Canonicorum Ecclesiae Collegiatae S. Laurentii Florentiarum expositum fuit in S. R. C., quod in dicta eorum Collegiata adest consuetudo, ut Canonici qui ex concessione Apostolica habent usum Rocchetti, in administrando SSmõ Eucharistiae Sacramento in Paschate Resurrectionis D. N. I. C. utantur albâ cum stola: ideoque supplicatum fuit pro declaratione: An haec consuetudo servanda sit, vel potius inducendus sit usus Rocchetti?

Et eadem S. C. respondit: « Utantur Rocchetto, et Stola. » Hac die 17. Iun. 1673.

2636. GERUNDEN.

S. R. C., audita relatione Vicarii Capitularis Ecclesiae Gerunden., ad preces Sacristae, Hebdomadarii, Curatorum, Operariorum, ac Iuratorum loci S. Christinae de Arò Dioecesis Gerunden. benigne concessit, « ut quando Festum S. Christinae Virg. et Mart. Titularis Ecclesiae Parochialis, ac Patronae ac Protectricis loci eiusdem S. Christinae de Arò, incidit in vigiliam S. Iacobi Apostoli totius Hispaniae Patroni, dicta vigilia S. Iacobi transferatur in vigiliam eiusdem S. Christinae, ita ut tam incolae, quam advenae (adimpleto, et servato, ut praedicitur ieiunio) die, seu festo ipsius S. Christinae, vesci carnibus non prohibeantur. » Hac die 17. Iun. 1673.

2637. MAIORICEN.

Pro parte Rm̃i D. Episcopi Maioricens. supplicatum fuit in S. R. C. declarari infrascripta Dubia.

1. « Caeremoniale Episcoporum Lib. 2. cap. 8. agens de Missa Pontificali ait: Cum canitur in choro versus Symboli: *Et incarnatus est: Canonici non genuflectunt, sed sedentes caput inclinant, et alii genuflectunt.* Super quo quaeruntur duo. I. An *Canonici non genuflectere*, sit intelligendum, quando sunt parati sacris paramentis, prout supponit Caeremoniale tales esse in Missis de pontificali, vel solum intelligatur, quando sunt induti vestibus, quibus in choro utuntur? II. An verba illa: *alii genuflectunt*, intelligantur de caeteris Beneficiatis, et Clericis, ita ut omnes debeant genuflectere praeter Canonicos?

2. An, exposito super Altari SSmõ Eucharistiae Sacramento, debeant genuflectere Episcopus et Canonici, quando canitur praedictus versus:

Et incarnatus est: vel an sufficiat, ut caput inclinent sedentes?

3. An Episcopus assistens alicui Missae solemni extra Cathedralē indutus mozzeta, et rochetto, seu cotta, debeat genuflectere, cum in choro canitur dictus versus: *Et incarnatus est*, quo casu Celebrantes non genuflectunt, sed caput inclinant sedentes?

4. An canonici induti sottana, et pallio, et bireto assistentes cum Episcopo dictae Missae solemni extra Cathedralē, servaturi sint idem, quod Episcopus, genuflectendo, vel caput inclinando, eum canitur dictus versus: *Et incarnatus est.*

5. An Magistratus saecularis assistens in Missa solemni debeat genuflectere cum canitur dictus versus: *Et incarnatus est*; quamvis Episcopus, et Canonici, et Ministri Altaris non genuflectant?

6. An Magistratus saecularis quando accipit candelam, cinerem, et palmam debeat genuflectere, nec non quando datur solemniter Benedictio Episcopalis?

7. An Episcopus assistens in Missa lecturus sit Evangelium capite aperto, vel cooperto, et antequam illud legat, debeat dicere: *Munda cor meum: Iube Domine benedicere: et Dominus vobiscum?*

8. An Dignitas seu Canonicus qui in choro assistit ad latus Episcopi, debeat esse apertè capite, dum Episcopus legit *Epistolam, Graduale, Offertorium, et Post-communio?*

9. An Episcopus in Processionibus, quae fiunt per ambitum Ecclesiae diebus solemnibus ante Missam maiorem, prout moris est in multis Ecclesiis in Hispania, debeat esse capite cooperto, tam eum Processio incedit, quam cum sistit, dum canitur aliquod Responsorium, et an idem observaturi sint Celebrans, et eius Ministri; nam supponitur Canonicos debere incidere capite aperto, quodque idem facere debet Magistratus saecularis?

10. An Magistratus saecularis debeat esse capite cooperto, quamvis sedeat, dum canuntur *Kyrie, Gloria, Epistola, Graduale, et Credo?*

11. An ad Vesperas, et ad Matutinum, et Laudes assurgens Episcopus ad *Gloria Patri* in fine Psalmorum, vel pro devotione, vel ut se conformet aliis assistentibus in choro, quamvis iuxta Caeremoniale ad id non teneatur, possit iterum sedere antequam canatur versus; *Sicut erat in principio etc.*, quamvis Canonici, et caeteri in choro residentes persistant stantes, et quod ali-

quis Canonicus debeat intonare sequentem Antiphonam; nam, iuxta Caeremoniale, Episcopus non debet stare, quando Canonici intonant Antiphonam, postquam est inceptus primus Psalmus?

Et eadem S. C. respondit. Ad 1. 2. 3. 4. et 5. « Quod omnes de choro stantes dum canuntur illa verba; *Et incarnatus est*: genuflectere debent: sedentes vero genuflectere non debent, praeterquam in Nativitate Domini, et in festo Annuntiationis B. M. V., quibus diebus etiam sedentes genuflectere debent. »

Ad 6. « Magistratus saecularis tum in accipiendo candelas, cineres, et palmas, tum etiam dum per Episcopum sollemnis datur benedictio, genuflectere debet. »

Ad 7. « Capite cooperto legere debet Evangelium, et ante illud dicere: » Munda cor meum etc.; Iube Domine benedicere etc.: et Dominus vobiscum. »

Ad 8. « Capite detecto debet esse Canonicus assistens Episcopo, dum legit Epistolam, Graduale et Evangelium. »

Ad 9. « Si Episcopus est paratus, mitra indutus incedere debet; sin minus detecto capite, quia processiones fiunt ad implorandam divinam clementiam. »

Ad 10. « Servandam esse consuetudinem. »

Ad 11. « Servandam esse pariter laudabilem consuetudinem, et tunc Episcopus non sedere debet, antequam versiculum. » *Sicut erat etc.* incipiatur. Hac die 17. Iunii 1673.

2638. MEDIOLANEN.

S. R. C. audita relatione Emi D. Cardinalis Archiepiscopi, benigne concessit Comiti de Tretio, et eius successoribus, « ut suam sedem, et genuflexorium cum tapete, quorum retentio concessa fuit in Decreto sub die 15 Ian. 1661., retinere possit, et valeat in Praepositorali Ecclesia dicti eius loci nempe inter clatrem ferream, et cancellos lapideos, in Altari maiori apponendos aere proprio ipsius Comitum, ne mulieres mixtae viris, Sacram Synaxim sumpturae accedant ad dictos Altaris gradus, contra Constitutiones Ecclesiae Mediolanen., qui situs per dictos cancellos apponendos a Presbyterio separabitur. » Hac die 17. Iun. 1673.

2639. MONOPOLITANA.

Confraternitatibus SS. Sacramenti, et Suffragii civitatis Monopolitanae supplicantes in S. R. C. pro declaratione: an Parochi dictae Civitatis prohibere possint haeredibus defunctorum, ne ipsas Confraternitates invitent ad associanda cadavera,

quae in eorum Ecclesiis Parochialibus deferuntur?

Et S. eadem C. declaravit: « Non posse prohiberi. » Hac die 17. Iunii 1673.

2640. PAPIEN.

Pro parte Vicarii capitularis Cathedralis Papien., ad tollendam ambiguitatem, supplicatum fuit in S. R. C. pro declaratione: an inter dies solemniter celebrandos cum pontificalibus, comprehendi debeat dies S. Stephani Protomartyris Titularis eiusdem Cathedralis, non obstante quod in quadam Tabella antiqua apposita in Sacristia, ubi adnotati sunt dies celebrandi cum pontificalibus, non adest descriptus dies S. Stephani?

Et eadem S. C. respondit: « Esse celebrandum cum pontificalibus, cum sit de prima classe. » Hac die 17. Iun. 1673.

2641. PATAVIEN.

Praetendentibus nonnullis Canonicis Cathedralis Patavinae Missam privatam celebraturis, quod sibi liceat non sumere paramenta in Sacristia, sed ea collocare facere super Altari in cornu Evangelii, ubi accedentes, ipsa paramenta sumere, et iisdem se vestire stantes super gradibus, et prope idem cornu Altaris, clerico uno, vel duobus adiuvantibus, idque vigore memorabilis consuetudinis, quae dat privilegium, et habet vim tituli: et hanc eorum consuetudinem permitti in *Rubricis Missalis*, de ritibus servandis in celebratione Missarum cap. 1. num. 1. ibi: *Deinde accedat ad locum in Sacristia, vel alibi praeparatum, ubi paramenta, aliisque ad celebrationem necessaria habentur. Et cap. 2. num. 2. ibi: Si in Altari paramenta accepit.* Et replicantibus nonnullis aliis praedicta prohiberi, tam ex Decreto S. C. in principio Missalis inserto, ibi: *Non obstante quocumque praetextu, et contraria consuetudine, quam abusum declaravit; quam ex alio sub die 27. Sept. 1659. prohibente omnibus, et singulis, etiam usum pontificalium habentibus, in Missis privatis sumere dicta paramenta ex Altari, et praecipiente, ut ea in Sacristia sumantur, idque servari per duos Canonicos seniores, et servatum fuisse a quibusdam aliis Canonicis nunc defunctis qui sumunt, et sumpserunt dicta paramenta in Sacristia.*

Sacr. Rit. Congr., quidquid sit de iustificatione praefatae consuetudinis immemorabilis in facto, cum non ab omnibus servatam fuisse, et servari supponitur, ut supra, et non obstante etiam, quod praetendatur dicta Decreta non fuisse usu recepta in dicta Ecclesia Patavina, et non comprehendere casum ipsorum Canonicorum de Pa-

dua, cum ipsi non praetendant sumere dicta paramenta de Altari, idest stando in gradus Altaris, ut faciunt Episcopi, sed accedunt ad Altare, et sumunt in ipso Altari, et non in medio illius, sed in cornu: declaravit, inhaerendo aliis declarationibus: « Non licuisse, neque licere Canonicis Cathedralis Pataviensis assumere sacra paramenta neque de, neque in Altari, non obstante quacumque praetensa consuetudine etiam immemorabili in contrarium, quam abusum impraescriptibilem *declaravit*, et contraria interpretatione, seu distinctione dictarum Rubricarum, Missalis, et Decretorum. » Et ita omnino servari, et exequi voluit, et mandavit. Hac die 17. Iunii 1673.

2642. RAVENNATEN.

S. R. C., audita Epistola scripta Eñio D. Card. Alterio, et per eumdem ad eandem S. C. remissa, declaravit: « Non licuisse, neque licere Canonico Praeposito Cathedralis Ravennae usum vestis talaris cum cauda, ad instar Praelatorum Romanae Curiae etc.; ideoque usum praedictum eidem prohibendum esse, *consuit*, prout prohibuit. » Hac die 17. Iun. 1673.

2643. VENUSINA.

Cum in S. R. C. expositum fuerit pro parte Dignitatum Cathedralis Venusinae, quod omnes praedictae Dignitates semper ab immemorabili in Vesperis, et in Missis, tam in eorum Ecclesia Cathedrali, quam in aliis, primo loco consecutive thurificatae fuerunt ante omnes reliquos Canonicos eiusdem Cathedralis; sed quia modo iidem Canonici praetendunt, quod in primis thurificentur Dignitates, et postea immediate Canonici manentes in cornu Evangelii, et postea immediate Dignitates et Canonici alterius partis chori; ideo Dignitates praedictae supplicarunt pro observatione dicti antiqui soliti.

Et eadem S. C., inhaerendo Decreto alias edito in « Avenionen. die 12. Septemb. 1671., *iterum declaravit*. Quod si Dignitates sunt distributae in utraque parte chori, primo loco thurificari debent Dignitates et immediate Canonici existentes in parte dextera chori a cornu Evangelii, et postea Dignitates, et Canonici existentes in altera parte chori a cornu Epistolae, iuxta dispositionem Caeremonialis Romani. » Et ita in praedicta Cathedrali Venusina servari mandavit, consuetudine in contrarium, per praefatas Dignitates allegata, non obstante. » Hac die 17. Iunii 1673.

2644. VERULANA.

Exponente in S. R. C. Iosepho Quattordici

Sacerdote, et Beneficiato simplici Cappellae SSmi Sacramenti, Crucifixi in Ecclesia S. Mariae Angelorum extra Civitatem Veruli, et Eremita dictae Ecclesiae, quod illius Episcopus eidem prohibuit deferre in Processionibus defunctorum quamdam Crucem super hastam, contra antiquum solitum illius Dioecesis, ideo idem supplicavit pro observatione dicti antiqui soliti.

Et eadem S. C. respondit, « quod paret Episcopo. » Hac die 17. Iun. 1673.

2645. URBIS, ET ORBIS.

Cum dubitatum fuerit, stante diversitate Rubricarum Breviarii, et Missalis Romani, an in Festo S. Hermenegildi Mart. celebrato die 13. Mensis Apr. huius anni, tempore Paschali legi debeat Evangelium: *Si quis venit ad me etc.*, an vero Evangelium positum tempore Paschali: *Ego sum vitis vera?*

Et eadem S. C. declaravit: « semper in posterum dicendum esse Evangelium: *Si quis venit ad me etc.*, et publicandum praedictum Decretum pro Ecclesia universali. » Hac die 17. Iunii 1673.

2646. ASCULANA.

Supplicante Episcopo Asculano pro observantia Decretorum ipsius S. C. novissime ad eius favorem emanatorum de, et super iure sumendi sacra paramenta in uno ex Sacellis, et erigendi in eo baldachinum, non obstante inhibitione Rotali coram R. P. D. Albergato pro parte Canonicorum Cathedralis Asculanae obtenta, eique praesentata, prohibendo, quod non possit illa sumere, nisi in Presbyterio; et viceversa replicantibus dictis Canonicis, Episcopum tam controvenisse dictae inhibitioni, quam excessisse fines dictorum Decretorum, sumendo dicta paramenta, et erigendo baldachinum intra sacellum, et columnam dicti Presbyterii, et propterea supplicantibus omnia remitti ad Rotam.

Et S. eadem C. respondit: « Episcopum manutenendum esse in possessione, non obstante inhibitione Rotali. » Hac die 12. Aug. 1673.

2647. CAVALLICEN.

PRAEEMINENTIARUM.

Proposita in S. R. C., per Eñm D. Cardinalem Bonam, loco Eñi D. Cardinalis Rospigliosi, causa Cavallicen. Praeeminentiarum vertente inter Canonicos Ecclesiae Collegiatae Villae Insulae Cavallicen. Dioecesis ex una, et Sacristam, et Praecantorem dictae Ecclesiae partibus ex altera, de, et super iure faciendi functiones in solemnioribus Festivitatibus, absente, vel impedito Praeposito dictae Ecclesiae.

Eadem S. C. audita relatione Episcopi Ordinarii, et utraque parte informante censuit, « absente, impedito, vel nolente Praeposito, functiones ecclesiasticas spectare ad Canonicos digniores ordine successivo. » Hac die 12. Aug. 1673.

2648. NEAPOLITANA.

Cum inter D. Primicerium Metropolitanae Ecclesiae Neapolitanae, et Rmum D. Paulum Garbinatum eiusdem Ecclesiae Canonicum, et Episcopum Titularem Nabucen., fuerit in S. R. C. discussum dubium: an eidem Episcopo Titulari debeat praecedentia supra Primicerium? et *sub diebus 3. Sept. 1672., et 6. Maii. prox. praet. fuerit resolutum deberi.* Et quia ex resolutione praefata insurgunt infrascripta dubia, ideo tam Primicerius, quam Canonici supplicarunt pro illorum resolutione. Et S. R. C. declaravit ut infra, videlicet.

1. « Episcopo titulari Canonico praedicto sedenti supra omnes, etiam supra Primicerium, non debetur aliqua thurificatio differentialis dignior illa, quae praestatur Primicerio, et aliis Dignitatibus, et Canonicis, sed venit thurificandus sicut ipsemet Primicerius, et caeteri Canonici thurificantur, nempe pari ietu thuribuli.

2. « Eidem Episcopo in stallo supra omnes Dignitates, et Canonicos in choro sedenti non debetur pulvinar, sed illo se abstinere debet, sicut abstinent Episcopi Canonici Basilicarum Urbis, ad quorum exemplar procedit Decretum eiusdem S. C. superius citatum.

3. « Ad dictum Episcopum per praeminentiam in sedendo non spectat peragere functiones proprias Primicerii, quas prius agebat, ut primus in choro, sed hoc munus explendi spectat ad eundem Primicerium.»

4. « Per praeminentiam in sedendo debitam eidem Episcopo, non est in sedendo praeiudicatum Primicerio in recipiendo vota Canonicorum capitulariter congregatorum quoad capitulares resolutiones, iura convocandi, et similia, quae pertinent ad Primicerium.»

5. Idem Episcopus Titularis Canonicus facit fructus suos, quando in solemnioribus functionibus Archiepiscopi non sedet in loco canonicali primus super caeteris, sed relicto suo stallo canonicali, transit ad locum separatum, sedens inter alios Episcopos Neapoli perfunctorie existentes, solitos interesse in dictis solemnioribus functionibus.»

6. « Cum Capitulum congregatur in peragendis capitularibus negotiis sedentibus Dignitatibus, et Canonicis in suis stallis, expleta propositione,

elevantur quatuor de Capitulo, capita ordinum nuncupati, quorum primus est Primicerius, et Secretarius Capituli elevatur, consistunt in medio cum sedibus coramine coopertis: Primicerius legit vota, Secretarius scribit. Et praetendente dicto Episcopo Titulari, ut supra, intervenire, ac sedere in prima sede ex illis positus in medio; idem Episcopus Canonicus hoc facere non potest, neque debet.»

Et ita declaravit. Hac die 12. Aug. 1673.

2649. NULLIUS PROVINCIAE BAREN.

Exponente Clero Terrae Putignani Nullius Provinciae Baren. in S. R. C., quod Vicarius generalis pro tempore dictae Terrae praetendit assistentiam Cleri cottis induti ad ianuas Ecclesiae eodem modo, quo debetur Episcopo, quando accedit ad Ecclesiam pontificaliter paratus; supplicante propterea pro opportuno remedio huiusmodi abusui.

Et eadem S. C. respondit: « servetur solitum, prout de iure. » Hac die 12. Aug. 1673.

2650. NULLIUS DIOECESIS PROVINCIAE TARRACONEN.

Iosephus Villadot Abbas Monasterii S. Michaelis de Coccian Ordinis S. Benedicti Nullius Provinciae Tarraconen., qui habet particulare, et separatum Territorium, Iurisdictionem quasi Episcopalem, facultatem convocandi Synodos, et faciendi concursum in Parochialibus Ecclesiis tempore vacationis, supplicavit in S. R. C. pro resolutione infrascripti dubii: an possit etiam consecrare, seu benedicere Calices, saxum Altaris, et alia solita ornamenta, ut alii Abbates illarum partium?

Et eadem S. C. respondit: « Non posse sine indulto speciali. » Hac die 12. Aug. 1673.

2651. PHAREN, SEU LESINEN.

S. R. C., audita relatione Episcopi Pharen., cui scriptum fuit pro informatione *die 3. Sept. 1672.,* pro parte Capituli etc. declaravit: « Canonicos Cathedralis Pharen. debere praestare debita obsequia Episcopo, eumque, iuxta ritum omnium Ecclesiarum, educere ab aede episcopali, sive eo celebrante, sive aliquo alio, etiamsi distaret ab Ecclesia passibus 160. iuxta dispositionem Caeremonialis Romani Episcoporum lib. 1. cap. 15. et aliorum Decretorum eiusdem S. C., quaecumque consuetudine in contrarium etiam immemorabili non obstante, donec per dictos Canonicos, servatis servandis, ac formiter talis asserta immemorabilis fuerit probata.» Et ita declaravit, et servari mandavit. Hac die 12. Aug. 1673.

2652. SENOGALLIEN.

Iterum pro parte, et ad instantiam Archipresbyteri, et Canonorum Collegiatae Parochialis Ecclesiae Terrae Corinaldi Dioecesis Senogallien. proposita in S. R. C. causa controversiarum verten. inter praefatos Oratores, et Priores, et Fratres Augustinianos Conventus S. Nicolai eiusdem loci; eadem S. C.: inhaerendo Decretis ipsius S. C. alias datis in *Summario sub die 6. Maii prox. praet.*, referente Eñño D. Cardinali Facchinetto, et praecipue *Decreto generali super Regularibus, edito die 27. Iul. 1628.* denuo declaravit, ut infra, videlicet.

1. «Regularibus, et praecipue dictis Fratribus Augustinianis S. Nicolai Corinaldi esse permissum intra eorum Ecclesiam, et claustrum tantum, et non extra, facere omnes, et singulas Processiones per eosdem fieri solitas, et signanter illas SS. Rosarii, et S. Monachae: si vero eorum Ecclesia claustro careat, eisdem licere dictas Processiones facere intra ambitum dumtaxat eorundem Ecclesiae: hoc est prope muros Ecclesiae, sive exeundo a ianua Ecclesiae, et intrando per aliam, sive per eandem ianuam, et semper prope muros Ecclesiae, et non extra dictum ambitum, nisi de licentia, et consensu proprii Ordinarii, aut cum Cruce capituli Parochialis Ecclesiae dictae Collegiatae, quibuscumque in contrarium non obstantibus.»

2. «Processionem ex voto S. Nicolai de Tolentino uti asserti Patroni dictae Terrae esse faciendam, et praecipue die festo illius extra ambitum eorum Ecclesiae de licentia, et consensu Ordinarii, vel cum Cruce dicti Capituli, dummodo tamen dicti Fratres doceant, talem Processionem fieri ex voto.»

3. «Dictos Fratres vocatos ad funus, occasione sepeliendi mortuos etiam in eorum propria Ecclesia, convenire debere ad Parochialem Ecclesiam dictae Collegiatae, et exinde cum Archipresbytero, seu Capitulo dictae Collegiatae, ad domum defuncti accedere, et nullo modo eis permittendum expectare praedictos per vias, vel ad domum defuncti.»

4. «Fratres praedictos non debere aspergere aquam benedictam supra cadavera defunctorum sepelienda in ipsorum Ecclesia, et intonare Psalmum, *Exultabunt Domino etc.* extra eorum Ecclesiam, sed id spectare ad Archipresbyterum dictae Collegiatae.»

5. «Praedictis Fratribus non licere in eorum Ecclesia exponere SS. Eucharistiae Sacramentum publice adorandum in Altari sub quovis praetextu,

et causa, et cum illo benedicere populum diebus Dominicis, et aliis diebus festivis de praeccepto, nisi de licentia proprii Ordinarii, quacumque consuetudine in contrarium non obstante.» Et ita declaravit, et praedicta omnia in dicta Terra Corinaldi servari mandavit. Hac die 12. Augusti 1673.

2653. TARRACONEN.

Pro parte Capituli, et Canonorum Ecclesiae Metropolitanae Tarraconen. supplicatum fuit in S. R. C. pro declaratione: utrum Archiepiscopo Tarraconen. Religioso Professo Ordinis S. Benedicti liceat gestare habitum Cardinalitium sericum ad instar aliorum Archiepiscoporum saecularium?

Et eadem S. C. respondit: «Non licere, sed servandum esse Caeremoniale.» Hac die 12. Augusti 1673. Hoc Decretum confirmatum fuit in alia Congregatione die 16. Iunii 1674.

2654. BRUGNATEN.

Exponente Clero Civitatis, et Dioecesis Brugnaten., non habere Ordinarium proprium Officii, supplicavit propterea pro concessione, ut possit se conformare cum illo Civitatis Ianuen. Metropolitanae.

Et S. R. C. respondit; «Utantur Ordinario Romano.» Hac die 16. Septembris 1673.

2655. CESENATEN. PRAECEDENTIAE.

Iterum per Eñm D. Cardinalem Rasponum, pro parte Capituli Cesenae proposito dubio in S. R. C. excitato, super praecedentia verten. inter dictum Capitulum ex una, et Conservatores eiusdem Civitatis partibus ex altera: An Canonici uti singuli praecedere debeant Conservatoribus pariter uti singulis?

Et S. C. respondit: «In Decisis, et ad Eñm Legatum,» ut in praecedenti Congregatione rescriptum fuit. Hac die 16. Septembris 1673. (in Regestis Congregationis habitae die 12. Augusti eiusdem anni 1673. sequens legitur Rescriptum. Cesenaten. inter Canonicos Cathedralis, et Conservatores Civitatis, super praecedentia, referente Eñno Raspono. *Ad Eñm Legatum*).

2656. CORDUBEN.

Pro parte Didaci Escobar Magistri Caeremoniarum Ecclesiae Cathedralis Corduben. supplicatum fuit in S. R. C. pro declaratione infrascriptorum Dubiorum. Et eadem S. C. declaravit, ut infra, videlicet:

1. «In Officio B. M. septem Dolorum legenda est nona lectio de Homilia Ferae, et dicendus est Hymnus *Te Deum laudamus etc.*, et in Missa Hymnus *Gloria in excelsis*, recitandus est, et in ea adhibendus est color albus.»

2. « Sequentia Missae septem Dolorum dicenda est in eius solemnitate; in Missis votivis autem omittenda est. »

3. « Introitus, et versus sequens Missae septem Dolorum dicendus est eodem modo, quod iam a S. R. C. approbatus fuit. »

4. « Oratio, quae habetur in huiusmodi Missa septem Dolorum, recitanda est etiam in eius Officio, et altera, quae in dicto Officio habetur, deleatur. »

5. « Corrigenda est conclusio Orationis, quae legitur in festo S. Ludovici Regis, et eius loco dicendum est: *Qui tecum vivit, et regnat etc.* »

6. « Ultra Archiepiscopum, et Episcopum, necnon Regem in Hispania, nullus alius Princeps nominandus est in Missa. »

7. « Moniales in recitatione Lectionis brevis ad Completorium dicere debent: *Iube Domine benedicere, et Fratres sobrii estote etc.*, contrarium tamquam abusum omnino abolendum est. »

8. « In Dominica 3. Adventus, et 4. Quadragesimae pulsanda sunt organa in Missa, et utrisque Vesperis. »

Et ita declaravit, et in posterum servari mandavit, quibuscumque Decretis in contrarium alias desuper emanatis non obstantibus. Hac die 16. Septembris 1673.

2657. RAVENNATEN.

S. R. C. facultatem indulisit Parochis Civitatis Ravennae communiter nuncupatis « (la Congregazione, o Convento de' Parochi) celebrandi singulis annis in perpetuum centum septuaginta tria Anniversaria pro Animabus Fidelium defunctorum descriptorum, et in posterum describendorum in dicto Conventu, etiam in diebus festis duplicibus Sanctorum non de praecepto, non omissa tamen Missa Conventuali. » Hac die 16. Septembris 1673.

2658. URBIS.

Cum in Basilica Vaticana Urbis festum S. Thelesphori Mart., quod cadit die vigiliae Epiphaniae Domini, et celebratur sub rit. dup. in praeteritum per longum temporis spatium translatum sit ad primam diem non impeditam, et Officium factum sit de vigilia Epiphaniae; dubitatum fuit a nonnullis ex Canonicis dicti Capituli, occasione novae impressionis Breviarii Romani ad usum Cleri Vaticani: an persistendum esset in dicta consuetudine transferendi dictum Festum, vel potius servandae essent Rubricae Generales Breviarii Romani, quibus non consideratur dicta vigilia Epiphaniae ex privilegiatis? ideo institutum fuit S. R. C. pro declaratione dicti Dubii, nempe:

An in posterum servanda sit dicta consuetudo transferendi dictum Officium, et celebrari debeat Officium de vigilia Epiphaniae, vel potius ad formam Rubricarum celebrandum sit festum dicti S. Thelesphori eodem die vigiliae, quo cadit?

Et eadem S. R. C. respondit: « Servandas esse Rubricas, et celebrandum Festum S. Thelesphori cum nona Lectione vigiliae Epiphaniae, quaecumque consuetudine non obstante. Hac die 16. Septembris 1673. »

2659. MANFREDONIAE.

S. R. C., inhaerendo Decretis alias in similibus editis, iterum declaravit, quod « Vicarius Foraneus, ratione sui officii, non debet praecedere Archipresbyterum, et alios Presbyteros ipso antiquiores, et digniores, non obstante quacumque ordinatione Episcopi, nec cum cotta, nec sine cotta, nec in choro, nec in processionibus, et debet in choro uti cotta, sicut alii Presbyteri, nec ratione sui officii, debet ante alios habere thuris, et pacis honorem. » Et ita in Terra S. Iohannis Rotundo Dioecesis Manfredoniae ad instantiam Ioannis Coccomelli Archipresbyteri, et Capituli dictae Terrae servari mandavit. Hac die 11. Novembris 1673.

2660. AGRIGENTINA.

S. R. C., inhaerendo Decreto alias, et sub die 20. Decem. 1603. in una Sutrina edito, iterum ad instantiam Abbatis Antonii Ioalongo Archipresbyteri Castrinovi in Sicilia Agrigentinae Dioecesis declaravit: « Quod Canonici Cathedralis Agrigentinae, qui sine Cruce suae Ecclesiae, et sine consensu Capituli tamquam singuli incedunt, non habent praecedentiam supra Curatos. » Et ita censuit, et servari mandavit. Hac die 2. Decembris 1673.

2661. AQUILANA.

Pro parte Episcopi Aquilani supplicatum fuit apud S. R. C. pro declaratione infrascriptorum Dubiorum:

1. An Abbates Ordinis Monachorum Caelestiorum, qui fuerunt benedicti, possint, dum dicunt Missam privatam, habere assistentes, vel plures personas pro ipsorum servitio, apponere quatuor candelas accensas super Altari, et ab eodem sumere paramenta sacra, parare abacum, seu mensam cum pelvi, et urceolo argenteis, et adhibere quidquid permittitur Episcopis, quando private celebrant?

2. An praedicatores in Ecclesiis dictorum Monachorum, antequam ascendunt ad concionandum, debeant accipere benedictionem ab Abbate praesenti, tam si assistat celebrando pontificaliter

diebus permissis, quam alio tempore assistendo, seu celebrando sine habitibus pontificalibus.

Et eadem S. C. utrique respondit: « Non licere. » Hac die 2. Decembris 1673.

2662. ASCULANA.

Propositis Dubiis infrascriptis per Eñum D. Card. Vidonum in S. R. C. exhibitis pro parte Canonicorum Cathedralis Asculanae adversus illius Episcopum, videlicet:

1. An baldachinus, de quo agitur, erigi poterit super sede posita in facie basis, seu, ut dicitur, pilastri Presbyterii prope Altare B. M. S. Lucae depictae, quod non est situm in aliqua Cappella, sed immediate positum post basem praedictam, ut in planeta iurata, quae exhibetur?

2. An amotio dicti baldachini, seu quodecumque aliud impedimentum circa illud, prohiberi poterit sub poena privationis Canonicatum, aliorumque Beneficiorum, et sc. 500. auri de camera, ultra poenam excommunicationis ipso facto incurrendae huic S. C. reservatae?

3. An recitatio Horae Tertiae poterit a Choro intermitti, et eius loco, contra solitum dictae Ecclesiae, ac aliarum Cathedralium de mandato Episcopi, a musicis cum organi pulsatione, et in cantu figurato decantari?

4. An poterit remove sedilia pro Diaconis assistentibus circa sedem, ubi Episcopus recipit paramenta sacra apponi consueta?

5. An poterit singulis Canonicis sub poena, excommunicationis ipso facto incurrendae sc. 500., et aliis arbitrio Episcopi, ultra punctaturam, quae in solemnioribus ex consuetudine dictae Ecclesiae (est) in quadruplicata, prohiberi discessus a civitate a die affixionis edicti usque, et per totam octavam S. Emigdii?

Et eadem S. C., utraque parte informante respondit: « Pareant in omnibus. » Hac die 2. Decembris 1673.

2663. BENEVENTANA.

Eñi, e Rñi Signori. Altre volte ha codesta Sacra Congregazione dichiarato, che ricusando il Governatore, e Magistrato contro il solito di andare alla Chiesa a prestare il dovuto ossequio al Vescovo, e particolarmente quando celebra, ed assiste pontificalmente, possa astringerli ad andarvi, come si vede in una Narnien. 16. Iulii 1605., et Fanen. 1. Septembris 1607., et Civitatis Castellii 29. Novembris 1618. Che perciò, non avendo da alcuni anni in quà voluto i Consoli di Benevento intervenire alle Cappelle fatte dall' Arcivescovo, e di vantaggio per maggior dispregio, dovendo nella Festa di S. Bartolomeo Apostolo Protettore

della Città far l' offerta delle torcie, le ha mandate alle volte per il trombetta, ed altre volte per il sindaco in tempo, che in Roma vi va il Senatore con tutti li Conservatori: pertanto per parte del Promotor Fiscale della Curia Archiepiscopale di Benevento si supplica l' Eminenze VV. a far grazia dichiarare, se mancando i suddetti Consoli d' andarvi, o conforme al solito tanto nelle Cappelle, come nell' offerta delle torcie ai Santi Protettori, possa astringerli colle censure, ed altre pene, che pareranno all' Eminenze Vostre? Che il tutto etc.

Eadem S. R. C. declaravit: « Esse cogendum Magistratum ad praestanda solita obsequia. » Hac die 2. Decembris 1673.

2664. HISPALEN.

Pro parte Iohannis Quesada, et Possessario Presbyteri, et Magistri Caeremoniarum Cathedralis Hispalen. supplicatum fuit in S. R. C. pro declaratione infrascriptorum Dubiorum, videlicet:

1. Cum in Officio proprio septem Dolorum B. V. non legatur assignatum nonum Responsorium; quaeritur: Quid agendum?

2. Cum Festum septem Dolorum translatum sit immediate ad Sabbatum sequentem Feriae sextae post Dominicam Passionis, dubitatur: an praedicto Sabbato impedito aliquo Festo novem Lectionum duplici, vel semiduplici, quamvis dictum Festum novem Lectionum praetermittendum sit, vel transferendum ex dicto Sabbato, in quo recitandum sit de Festo septem Dolorum?

3. Supposito, quod Festum Septem Dolorum celebretur in tempore Paschali: an utendum sit colore albo?

Et eadem S. C., inhaerendo Decreto sub die 16. Septembris prox. praet. ab eadem emanato. Ad 1. respondit: « Quod in festo septem Dolorum Beatae M. V. in Officio Hymnus *Te Deum laudamus*, et in Missa Hymnus *Gloria in excelsis etc.* dicatur. Oratio vero legatur ea, quae habetur in Missali, expuncta altera, quae habetur in Breviario, et quod color albus adhibendus sit.

Quo vero ad 2., et 3. dubium, respondit: « Quod idem Festum non transferatur ad tempus Paschale, sed eo anno omittatur, quando feria VI., et Sabbatum post Dominicam Passionis sunt dies impediti ab altero Officio novem Lectionum. » Et ita declaravit. Hac die 2. Decembris 1673.

2665. PAPIEN.

S. R. C., inhaerendo Decretis alias in similibus editis, iterum pro parte Bartholomaci Ratta del Castelletto Dioecesis Papien. Beneficiati in Ecclesia Parochiali dicti loci, declaravit: « Quod Sa-

cerdos Beneficiatus, uti Beneficiatus in Ecclesia, in qua nulla adest Collegiata, habere debet praecedentiam in functionibus Ecclesiasticis tam in sessione, quam in incesso supra alios Sacerdotes non Beneficiatos, sed simplices Presbyteros, etiam primo ordinatos in Ordine Sacerdotali, et antianos. » Hac die 2. Decembris 1673.

2666. RAVENNATEN.

S. R. C., inhaerendo Decreto die 17. Iunii prox. praet. in eadem Ravennaten. emanato, iterum declaravit: « Neutri licuisse, neque licere, nempe Archidiacono, et Praeposito Ecclesiae Metropolitanae Ravennaten. usum vestis talaris cum cauda ad instar Praelatorum Romanae Curiae; ideoque abusum praedictum omnino eisdem prohibendum esse, » censuit, prout prohibuit. Hac die 2. Decembris 1673.

2667. RECINATEN.

Eni, è Rm̄i Signori. Nella Cattedrale di Recanati è un'abuso, che il Cantore, a cui spetta di preintonare l'Antifona nei Vesperi, fa questa funzione senza partirsi dal luogo, ove siede, levandosi solamente in piedi, e voltandosi verso il Canonico, che deve intonare l'Antifona, il che è contro l'uso universale, e contro la disposizione del Ceremoniale, che vuole, che il medesimo Cantore, prima di preintonare, si parti dal suo luogo, faccia in mezzo la genuflessione all'Altare, e poi vada avanti al Canonico, a cui si deve preintonare. Il Preposito della Cattedrale, che è prima Dignità, e Prefetto del Coro, supplica l'Eminenze Vostre a degnarsi con loro Decreto speciale ordinare, che il medesimo Cantore vada a fare detta preintonazione, dopo le dovute riverenze all'Altare, avanti al Canonico, che deve intonare. Che etc.

Et eadem S. R. C. respondit: « Servetur Ceremoniale ad instar Ecclesiarum Urbis Romae. » Hac die 2. Decembris 1673.

2668. RIPANA.

Cum S. R. C. habita die 12. Iun. 1660., referente En̄o D. Card. Aldobrandino, in causa praecedentiae inter Parochum Ecclesiae S. Ioannis Baptistae, et Cappellanos, Canonicos nuncupatos, S. Luciae Criptarum ad Mare Ripanae Dioecesis, censuerit manutendum esse Parochum in quasi possessione praecedendi: verum quia, non acquiescentibus modernis Praeposito, et Cappellanis dictae Ecclesiae S. Luciae, denuo iidem super dicta causa praecedentiae coeperunt molestare coram A. C. Vincentium de Octavianis modernum Plebanum dictae Ecclesiae S. Ioannis Baptistae, ad eius instantiam Causa reassumpta fuit ab eadem S. C., in qua, deducuntur Praeposito, et Cap-

pellanis praefatis, eorum Ecclesiam esse Collegiatam ex Bulla erectionis S. M. Clementis VIII., ipsisque propterea praecedentiam in omnibus debitam esse supra Plebanum.

Et eadem S. C., referente En̄o D. Card. Casanatta, partibus hinc inde informantibus, iuribusque omnibus mature perpensis, atque discussis, censuit: « Standum esse in decisio de anno 1660. ut supra. » Die 2. Decembris 1673.

2669. URBIS.

Iterum proposito Dubio in S. R. C. per En̄um D. Card. Brancatium: An festum S. Thelesphori Martyris, quod incidit in vigilia Epiphaniae Domini, et celebratur in Basilica Vaticana sub ritu duplici ratione Reliquiae insignis, transferendum sit ad primam diem non impeditam, ut in praeteritum ibi translatum fuit per longum temporis spatium, et usque ad praesens factum est Officium de dicta vigilia: vel potius, ad formam Rubricarum generalium Breviarii Romani, celebrandum sit festum dicti Sancti eodem die vigiliae, quo cadit cum commemoratione dictae vigiliae?

Et eadem S. C., visis iuribus hinc inde deductis, illisque mature perpensis, atque discussis, unanimi Eminentissimorum voto, censuit: « Servandam esse consuetudinem dictae Ecclesiae, non obstante Decreto ultimo loco facto super eodem dubio ab eadem S. C. die 16. Septembris prox. praet. » Hac die 2. Decembris 1673.

2670. TOLETANA.

Pro parte Capituli Metropolitanae Toletanae supplicatum fuit apud S. R. C. pro declaratione infrascriptorum Dubiorum.

1. Quodnam ex duobus Festis Sanctorum Angelorum Custodum celebrari debeat in Archiepiscopatu Toletano; an illud, quod cadit die prima Martii vigore consuetudinis, et concessionis Apostolicae, vel potius illud Festum assignatum die 2. Octobris ex Bulla fel. rec. Clementis XI., quae est posterior?

2. An in Ecclesiis, ubi erit altare S. Rochi una cum Confraternitate valde numerosa, quae celebrat festum dicti Sancti, magno cum cultu, possit ibi fieri Officium duplex secundae classis, sicut S. M. Alexander VII. concessit quod dictum Officium sub eodem ritu possit recitari in omnibus locis, ubi sunt Ecclesiae, seu Oratoria sub invocatione dicti Sancti?

Et eadem S. C. respondit: « Servetur consuetudo in utroque casu, facto verbo cum SSmo, et Officium SSrum Angelorum Custodum fiat una vice tantum. » Hac die 2. Decem. 1673.

Et facto de praedictis verbo cum SSmo per

me Secretarium, Sanctitas Sua, benigne annuendo, sensum eiusdem S. C. approbavit, et confirmavit. Die 20. Decembris 1673.

2671. URBIS, ET ORBIS.

DECRETUM GENERALE.

Super Officiis Sanctorum ad libitum non transferendis.

Quamvis S. R. C. die 18. Iulii 1671., annuente etiam SSmo, die 15. Septembris eiusdem Anni, ad dubium: An de Sanctis ad libitum fieri posset translatio, sicut fit de aliis Sanctis, qui non sunt ad libitum similiter translatis? Respondit; *affirmative*: nihilominus eadem S. C. habita die 2. Mensis Decembris currentis, censuit: « Praedicto Decreto non obstante in futurum Officia SSrum ad libitum non esse transferenda, quando dies eorum festivitatum sunt impediti die Dominico, aut aliquo alio die Festorum mobilium, si SSmo Domino Nostro visum fuerit.

Et facto de praedictis verbo cum SSmo per me Secretarium, Sanctitas Sua sensum S. C. approbavit, et confirmavit, et in posterum ita iussit, et servari mandavit, quibuscumque in contrarium non obstantibus. Hac die 20. eiusdem mensis Decembris, et anni 1673.

2672. PANORMITANA.

S. R. C., inhaerendo Decretis alias in similibus emanatis, iterum declaravit: « Non licuisse, neque licere Vicario Generali Archiepiscopi Panormitani in Missis privatis uti duobus ministris. » Et ita iussit, et servari mandavit. Hac die 13. Ian. 1674.

2673. RAVENNATEN.

Cum S. R. C. habita die 2. Decembris 1673., inhaerendo Decreto die 17. Iunii eiusdem anni, in eadem *Ravennaten.* emanato, iterum declaraverit: « Neutri licuisse, neque licere, nempe Archidiacono, et Praeposito Ecclesiae Metropolitanae Ravennaten. usum vestis talaris cum cauda ad instar Praelatorum Romanae Curiae: » Hodie vero ad instantiam Vincentii Gaballi moderni Archidiaconi eiusdem Ecclesiae Ravennaten., eadem S. C., viso indulto Apostolico per ipsum exhibitum, iuribusque omnibus per eundem allegatis, illisque mature perpensis, atque discussis, referente *Emo D. Card. Casanatta*, censuit, firmo remanente Decreto contra praenominatum Praepositum edito die 17. Iunii 1673.: « Manutendum esse praefatum Archidiaconum in possessione deferendi caudam, non obstante Decreto die praedicta 2. Decembris prox. praet. lato. » Et ita decrevit, et servari mandavit. Hac die 13. Ian. 1674.

2674. LAURETANA.

Cum, ut asseritur, in alma Domo Lauretana

ex S. R. C. privilegio Missae votivae de B. M. in Dominicis, nec non in festis Apostolorum, ac aliis duplicibus celebrari possint; hinc est, quod, ortis dubiis infrascriptis, supplicatum fuit apud eandem S. C. pro eorumdem declaratione.

1. Quando celebrantur Missae votivae de B. M. in praenarratis festivis diebus, ac etiam infra Octavas: an, ratione praedictarum Festivitatum, in eis *Credo* recitari debeat?

2. An in dictis Missis, loco *Evangelii S. Ioannis*, recitandum sit in fine Evangelium eius, de quo factum fuit Officium?

3. An infra octavas Festivitatum B. M. V. Missae votivae eiusdem celebrari possint?

Et eadem S. R. C. respondit. Ad 1. « Negative, nisi in illis Missis votivis tantum, quae solemniter pro re gravi, et publica Ecclesiae causa celebrantur. »

Ad 2. respondit: « In Missis votivis numquam legitur in fine aliud Evangelium, nisi S. Ioannis, iuxta Rubricas in cap. 13. in fine.

Ad 3. respondit pariter: « Negative, » et ita declaravit.

Ac insuper iussit: « Quod si praedictum asseritum privilegium, quod nempe Missae votivae de B. M. V. in eadem alma Domo celebrari possint in Dominicis, et in aliis praenominatis duplicibus, non reperitur; ad observandam Rubricam Missalis in cap. 4. num. 3. cogantur Sacerdotes in praedicta alma Domo celebrantes. » Hac die 13. Ianuarii 1674.

2675. ANDEGAVEN. in GALLIA.

Pro parte Henrici moderni Episcopi Andegaven. in Gallia expositum fuit in S. R. C., quod in suis Civitate, et Dioecesi plurimae adsunt Ecclesiae, quarum Dedications cadunt in dies Festorum etiam duplicium, quae ideo non sine incommodo transferre necesse est; cumque eiusmodi inconveniens vitari possit, commodiusque foret, si Dedications praedictae in alios dies remitterentur: supplicatum fuit propterea, quatenus praedicto Oratori Episcopo Dedications Ecclesiarum huiusmodi, quas in dies festorum cadere contingerit, in Dominicos, seu alios dies, prout consultius iudicaverit, remittendi licentiam, et facultatem benigne concedere, et indulgere dignaretur.

Et eadem S. C. respondit: « Non esse ordinem hactenus servatum mutandum, sed festum Dedications Ecclesiae, cum sit ex solemnioribus, celebrandum esse eadem die, qua venerit. Posse tamen Episcopum Ordinarium eidem diem assignare suo arbitrio, si diem certam non habuerit, qua semel

electa, huiusmodi festum amplius non esse variandum. » Et ita declaravit. Hac die 3. Mart. 1674.

2676. BAREN.

Supplicantes apud S. R. C. Petro Pesulae Sacerdote, ac Protonotario Apostolico Dioecesis Baren. pro declaratione: an liceat eidem, ratione talis gradus Protonotariatus, inter celebrandum deferre anulum in digito?

Et eadem S. C. respondit: *Non licere.* Hac die 3. Mart. 1674.

2677. CIVITATIS AUDOMAREN.

IN FLANDRIA.

S. R. C. declaravit: « Non licuisse, neque licere Coadiutori cuiusdam Abbatiae dictae Civitatis Audomaren. in Ecclesia, quamvis exempta a iurisdictione Episcopi Ordinarii, benedicere thus, praesente ipso Episcopo. » Hac die 3. Mart. 1674.

2678. GEBENNEN. IN SABAUDIA.

S. R. C., ad instantiam Universitatis, et Hominum infrascriptae Civitatis, et locorum Dioecesis Gebennen. in Sabaudia facultatem indulsit « Parocho primario Civitatis Salanchiae, ut ipse, toties quoties opus fuerit, possit maledicere, scilicet, ut vulgo dicitur, *Grilli, Sorci, Scarabei,* et *Uvare*, ita denominata in illis partibus, et alia similia animalia noxia: necnon et benedicere territoria, et possessiones cuiuscumque ex infradendis, nempe Civitatis Salanchiae, et locorum S. Gervasi, S. Nicolai de Verossè, Ducordons, Comblonz, de Pessis, Demensier, Sensor, Scamonnii, et S. Martini. » Hac die 3. Mart. 1674.

2679. MAIORIGEN.

S. R. C., ad dirimendas controversias exortas inter Dignitates, et Canonicos Cathedralis Maiorigen. super sede debita Canonico celebranti in Vesperis sacris vestibus induto, *sub die 5. Decembris 1653.*, utraque parte informante, declaravit: « Canonico celebranti, vel facienti Officium sacris vestibus induto deberi praecedentiam, etiam supra Dignitates tam in sessionibus, quam in aliis praedictis actibus; » dictumque Decretum fuit etiam confirmatum ab eadem *sub die 24. Ian. 1671.*, quae, inhaerendo praedictis Resolutionibus, declaravit: « Canonico celebranti, etiam sola cappa canonicali induto, in Completorio, ac etiam in Triduo Hebdomadae maioris, deberi praecedentiam supra Dignitates Cathedralis; Sacristam vero secundam Dignitatem celebrantem, prout etiam Canonicum non Dignitatem, sed pariter celebrantem transire debere ad partem Chori, a qua inchoatur Officium, in eoque praecedentiam habere debere supra omnes alias Dignitates. » Post haec propositis per praedictas Dignitates eidem S. C. habitae *die 19.*

Dec. 1671. nonnullis absurdis, quae ex praedictis Decretis derivari possent, eadem declaravit, quod *Celebrans in Vesperis et Missis sedeat prope Altare in cornu Epistolae scamno oblongo tapete ornato:* Hinc est, quod Canonici praedicti agnoscens in praxi praedictum Decretum executioni demandari non posse in dicta Ecclesia, cum supposita desuper ex adverso allegata nullo modo subsistant; advertendo in primis, quod controversia numquam fuit in Missis, ut supponit Decretum, quia in illis sine dubio Celebrans habet sedem prope Altare, sed tantum in Vesperis; ideoque, obtenta nova audientia, iterum iidem supplicarunt pro illius recessu.

Et eadem S. C., referente Eñno D. Card. Portocarrero, audita relatione Episcopi, et visis iuribus hinc inde deductis, atque allegatis, censuit: « Recedendo a praedicto Decreto ultimo loco die 19. Decembris 1671. edito, standum esse in primo loco decisis die 6. Decembris 1653., et 24. Ian. 1671. » Et mandavit, quod amplius dicta Causa non proponatur. Hac die 3. Martii 1674.

2680. NEAPOLITANA.

Cum inter Rñum D. Paulum Garbinatum Canonicum Metropolitanae Ecclesiae Neapolitanae, et Episcopum Titularem Nabucen., et secundum Primicerium eiusdem Ecclesiae fuerit in S. R. C. discussum Dubium: An eidem Canonico Episcopo Titulari debeat praecedentia supra Primicerium, *et sub die 6. Maii prox. praet.*, referente Eñno D. Card. Sforzia, resolutum fuerit, utraque parte informante, *deberi in omnibus actibus, ubicumque convenire contigerit.* Et quia ex parte Domini Primicerii fuit iterum habitus recursus ad S. C., instando, tam nomine proprio, quam Canonicorum eiusdem Cathedralis, pro declaratione sex Dubiorum, quae supponebantur insurrexisse ex praefata resolutione; eadem S. C. *sub die 12. Aug. praet.* dicta Dubia declaravit. Verum quia ex parte Canonicorum, et Capituli eiusdem Cathedralis expositum fuit, quod praefatam instantiam nunquam fecerunt, quinimo dictae Resolutiones sunt Capitulo praefudiciales, instando pro earum revocatione: et cum ex parte Primicerii supplicaretur pro dilatione causae; proposita causa per Eñnum D. Card. Sfortiam, eadem S. C. declaravit, quod « Resolutio causae differatur ad primam proximam Congregationem, suspensis tamen praefatis Resolutionibus emanatis sub die 12. Aug. praet. usque ad meliorem resolutionem. » Et ita declaravit. Hac die 3. Mart. 1674.

2681. NEAPOLITANA.

Pro parte, et ad instantiam nonnullorum Pre-

sbyterorum Cleri Civitatis Neapolis supplicatum fuit a S. R. C. declarari: An liceat in quodam Oratorio publico decantare Litanias non integras, sed abbreviatas, et diminutas invocando aliquos ex Apostolis, nonnullos ex Martyribus, et ita de Confessoribus, et Virginibus, relinquendo prorsus alias preces, nempe *Propitius esto* cum sequentibus etc.

Et eadem S. C. respondit; « Non licere. » Hac die 3. Mart. 1674.

2682. PRAGEN.

Pro parte Archiepiscopi Pragen. ad praecavendas controversias, et diversitatem per Archidioecesim Officii Divini recitandi, supplicatum fuit a S. R. C. declarari infrascripta Dubia.

1. An stante Bulla Pii V. in Bullario n. 64., et receptione novi Breviarii per totam Archidioecesim Pragen., possit sola Ecclesia Metropolitana uti antiquo Breviario sine consensu Sedis Apostolicae, et an Archiepiscopi licite hoc potuerint tolerare, vel permittere?

2. Posito, et non concesso, quod dicta Metropolitana possit uti Breviario antiquo: An Archiepiscopo pontificaliter Vesperas peragente, Antiphonae secundum antiquum Breviarium, Psalmi vero secundum novum cantentur; item Hymni secundum antiquum, Oratio, et reliqua secundum novum, cum sint valde diversa?

3. An ubi receptum est novum Breviarium, et aboletum antiquum, festa ex antiquo Breviario celebrata sub ritu duplici, simiduplici, et simplicis quae in moderno Breviario Romano, vel sub tali ritu non celebrantur, vel pene non inveniuntur, observari, et celebrari valeant sub ritu antiquo, et Archiepiscopus hoc permittere debeat?

4. An Capitulum sine consensu Ordinarii contradicentis, propria auctoritate festa illa ex antiquo ritu celebrata promulgare in contemptum Ordinarii, typis edere, publice affigere (possit) cum ordinatione, quod dicta festa in Metropolitana Ecclesia observari debeant?

5. An Suffraganeus Episcopus possit per Decretum publicare, ut non observetur Directorium pro recitando Officio, quod est conforme Breviario Romano; ac etiam maiori ex parte antecessoris Episcopi absque consensu, et licentia Metropolitanani, vel privilegio Sedis Apostolicae?

6. An Suffraganeus Episcopus teneatur se conformare Metropolitanae Ecclesiae in Officio Divino recitando, caeterisque Ecclesiae caeremoniis, aliud privilegio, vel consuetudine biscentum annorum in contrarium non existente?

7. An consuetudo in praedictarum observa-

tione vim habeat, vel quia et antecessor Ordinarius permiserit, vel non adverterit; modernus vero talem errorem, et abusum inveniens licite corrigere possit?

Et eadem S. C., referente Eñõ D. Card. Raponno, cui praedicta dubia fuerunt commissa, respondendo, declaravit, ut infra, videlicet.

Ad 1. « Non licere, nisi servata Bulla Pii V. »

Ad 2. « Aut totum antiquum, aut totum novum. »

Ad 3. « Mandet servari in totum Breviarium modernum, eiusque Rubricas. »

Ad 4. « Negative. »

Ad 5. « Negative. »

Ad 6. « Affirmative. »

Ad 7. « Si abusus adsint, licere. » Hac die 3. Mart. 1674.

2683. S. MINIATI.

S. R. C., audita relatione Episcopi, declaravit: « In functionibus, quae celebrantur in prima nocte et festo Nativitatis Domini, absente Episcopo, vel praesente, et nolente eisdem assistere, spectare ad Praepositum primam Dignitatem Cathedralis cantato per ipsum in prima nocte Matutino, die mane festo Nativitatis celebrare Missam solemnem; et ad eundem spectare pariter in defectum Episcopi cantare Missas, et deferre SSmum in festo solemnitate Corporis Christi, non autem ad Canonicum hebdomadarium. » Hac die 3. Mart. 1674.

2684. VESTANA.

Pro parte Episcopi Vestani supplicatum fuit pro declaratione infrascripti dubii: Posito, quod Regulares levare possunt cadavera de domo, vel Ecclesia parochiali in eorum Ecclesiis sepelienda, si Parochus venire recuset, vel licentiam deneget, an hoc casu teneantur petere licentiam ab Episcopo, qui in illa Civitate reperitur: an vero ea possint absque Episcopi propria auctoritate levare, et deferre in eorum Ecclesia, ubi sepeliri debent?

Et S. R. C. respondit: « Non teneri. » Hac die 3. Mart. 1674.

2685. ASCULANA IN APULIA.

Supplicatum fuit in S. R. C. pro resolutione infrascriptorum dubiorum excitatorum inter Episcopum, et Capitulum Cathedralis Asculanae in Apulia.

1. An, Episcopo solemniter celebrante, Archidiaconus assistens in Collectis teneatur solus, et nemine adiuvante, substinere Librum?

2. An, Episcopo assistente cum cappa magna, Canonico celebrante, teneatur unus ex Canonicis substinere Librum, seu Missale ipsi Episcopo Epistolam, Evangelium, Offertorium, et Communio-

nem legenti, vel potius hoc munus spectet ad alios ministros?

Et eadem S. C., referente Eñō D. Card. Raponno, auditis hinc inde deductis, respondit tam ad 1., quam ad 2. dubium: *Affirmative*. Et ita declaravit. Hac die 3. Mart. 1674.

2686. AUDOMAREN. IN FLANDRIA.

Pro parte Episcopi Audomaren. in Flandria expositum fuit, quod in dicta Civitate Audomaren. spatio 50. annorum circiter Ecclesia PP. Societatis Iesu fuit aedificata, et adhuc non consecrata, stante, quod Abbas Monasterii S. Bertini Ordinis S. Benedicti praetendat illam consecrare, ut eiusdem Fundator.

Et S. R. C. respondit: « Consecrationem dictae Ecclesiae spectare ad Episcopum Dioecesanum, nisi Abbas praedictus habeat specialem privilegium S. Sedis Apostolicae, quod Episcopo praefato tenetur exhibere. » Et ita declaravit. Hac die 14. Apr. 1674.

2687. IMOLEN. ASPERSORII.

In causa Imolen. Aspersorii verten. inter Capitulum, et Canonicos Cathedralis Imolen. ex una, et Fratres Minores Observantes Reformatos strictioris Ordinis S. Francisci eiusdem Civitatis partibus ex altera, referente Eñō D. Cardinali Casanatta, utraque parte informante.

S. R. C. respondit: Serventur Decreta eiusdem S. C. emanata in causa Ravennaten. die 21. Maii 1665., et 6. Iun. 1666., nempe tradere aspersorium aquae benedictae immediate Episcopo spectare ad digniorem illius Ecclesiae, ad quam Episcopus cum Capitulo praedictae Cathedralis accedit. Et si Canonici velint contrariam probare consuetudinem praetensam, dentur eisdem Remissoriales ad probandam. » Et ita declaravit. Hac die 14. Apr. 1674.

2688. MONTIS FALISCI.

Supplicante Clero Terrae Criptarum Dioecesis Montis Falisci apud S. R. C., ut mandare dignaretur, quod in eorum Ecclesia servetur solitum, sicut servatur in tota illa Dioecesi, nempe quod Sacerdotes antiquiores praecedant, sicut praecesserunt modernioribus, licet Beneficiatis, qui non habent onus residendi, non obstantibus Decretis eiusdem S. C. in contrarium emanatis in una *Aquipendien. die 13. Iunii 1671., et in Papien. die 2. Dec. 1673.*

Et eadem S. C. respondit: « Serventur praedictae Decreta. » Et ita declaravit. Hac die 14. Apr. 1674.

2689. NEAPOLITANA PRAEEMINENTIARUM.

S. R. C. habita die 16. Maii 1673. in causa

praeeminentiarum verten. inter Rñm Paulum Garminatam Canonicum Cathedralis Ecclesiae Neapolitanae, et Episcopum Titularem Nabucen. ex una, et D. Primicerium eiusdem, partibus ex altera, per Eñm D. Card. Sfortiam proposito, et discusso dubio: An eidem Canonico Episcopo Titulari debeatur praecedentia supra Primicerium? declaravit, utraque Parte informante. « Deberi in omnibus actibus, ubicumque convenire contigerit. » Et die 12. Augusti prox. praet. declaraverit sex dubia eidem porrecta ex parte praedicti Primicerii, non citato praedicto Canonico Episcopo Titulari, instando tam nomine proprio, quam Canonicorum eiusdem Cathedralis, quae dubia supponebantur insurrexisse ex praedicta resolutione. *Die vero 3. Martii proximi elapsi* pro parte praedictorum Canonicorum exponentium, quod dictam instantiam nunquam fecerunt, quinimo supplicantium pro illorum revocatione tamquam ipsis praedictis, referente eodem Eñō Sfortia, cui haec causa denuo fuit commissa, respondit: « Dilata ad primam proximam Congregationem, suspensis tamen praedictis Resolutionibus emanatis sub dicta die 12. Augusti usque ad meliorem illorum discussionem, et resolutionem. » Hodie demum iterum proposita per eundem Eñm causa inter Rñm Capitulum praedictae Cathedralis ex una, et D. Primicerium eiusdem, partibus ex altera, supplicante Capitulo pro reformatione, et revocatione respective praedictorum sex Dubiorum; et Primicerio viceversa, non esse recedendum a praedictis Resolutionibus ad eius favorem captis.

Et eadem S. C., utraque parte plene informante, respondit: « In Decisis sine praeiudicio litis pendentis in Rota, quoad articulum primae Dignitatis. » Et quoad 5. « Praedictum Canonicum Episcopum Titularem non luerari distributiones, nisi assistat in stallo Canonicali. » Et ita declaravit. Hac die 14. Aprilis 1674.

Die vero 21. Aprilis 1674. pro parte praedictorum Canonicorum mandatum fuit supersederi usque ad primam proximam Congregationem pro declaratione praefati Rescripti.

2690. PLACENTINA.

S. R. C. in controversiarum causa delationis Reliquiarum verten. inter Capitulum Cathedralis, et Capitulum Collegiatae S. Antonini Civitatis Placentinae, referente Eñō D. Card. Casanatta, utraque parte informante, declaravit: « Quod tegumentum Reliquiarum sit idem, et eiusdem coloris, valoris, et pretiositatis in tribus diebus Rogationum, a quocumque deferantur Reliquiae, sive per

Canonicos Cathedralis, sive per Canonicos Collegiatae, et Episcopus omnino exequatur. » Hac die 14. Apr. 1674.

2691. RIPANA PRAECEDENTIAE.

Eni PP. S. R. C. praepositi habitae die 2. Septemb. 1673., referente Eni D. Card. Casanatta causam Praecedentiae inter Vincentium de Octavianis modernum Parochum, seu Plebanum Ecclesiae S. Ioannis Baptistae ex una, et Cappellanos Canonicos nuncupatos S. Luciae Terrae Criptarum ad mare Ripanae Dioecesis partibus ex altera, utraque parte informante, censuerunt: *Standum esse in decisio anno 1660. die 12. Iunii*, confirmando manutationem dicto Parocho in possessione praecedendi: hodie vero pro parte Praepositi, et Cappellanorum Canonicorum nuncupatorum, ut supra, omisso iudicio possessorio, iterum reposita fuit Causa in petitorio per eundem Eni D. Card. Casanatta, in quo institum fuit pro recessu a resolutis, et declarandum, nempe ipsis competere praecedentiam supra praedictum Parochum, seu Plebanum ex iuribus tam in praeterita, quam ex noviter deductis.

Et iidem Eminentissimi PP., utraque parte plene informante, visis, et auditis iuribus, et rationibus hinc inde allegatis, illisque omnibus mature perpensis, atque discussis, nedum steterunt *in decisio sub praedictis diebus 12. Iunii 1660. et 2. Decembris 1673.*; verum etiam censuerunt: « ad praefatum Parochum spectare, iuxta solitam, et antiquam observantiam, thurificare SS. Eucharistiae Sacramentum, vel sacras Imagines per ipsum delatas, quando processionaliter ingreditur Ecclesiam ipsorum Cappellanorum S. Luciae; ac ulterius in Processionibus non licere dictis Cappellanis erigere propriam Crucem separatam ab illa Parochi intra limites propriae Parochiae, sed ipsos incedere, et intervenire debere sub Cruce dicti Parochi, iuxta alias resolutum ab eadem S. C. in una Urbis die 12. Mart. 1616.

Et ita declararunt, et in dicta Terra Criptarum ad mare, omnino servari mandarunt. Hac die 14. April. 1674.

2692. SAVONEN.

Exponentibus Canonicis, et Capitulo Savonen., quod ipsi sint subiecti Metropolitanae Mediolanensi in eorum Archiepiscopo, supplicantibus propterea pro declaratione: an ipsi, ratione dictae subiectionis, possint recitare Officia, et celebrare Festa Sanctorum, quae recitat, et celebrat ipsa Ecclesia Metropolitana Mediolani?

Et S. R. C. respondit: « Negative. » Hac die 14. Apr. 1674.

URBANEN.

2693.

Cum S. R. C. habita die 22. Mart. 1669. declaraverit: « Magistratum Terrae Mercatelli Dioecesis Urbanen. esse thurificandum post omnes de Clero praeter Acolythos iuxta antiquam consuetudinem, et solitum; « iterum idem Magistratus supplicavit, ut dignaretur concedere, et declarare ut ipse thurificetur saltem immediate post Canonicos, et Sacerdotes Beneficiatos.

Et S. eadem C., audito etiam Episcopo, respondit: « In decisio, et Episcopus compellat Magistratum auctoritate ipsius S. C. ad interessendum functionibus Ecclesiasticis. » Et ita declaravit. Hac die 14. Apr. 1674.

2694. FUNDANA DUBIORUM.

In Causa Fundana fuerunt per Eni D. Card. Casanatta in S. R. C., proposita infrascripta dubia excitata inter Capitulum, et Canonicos Cathedralis Civitatis Fundanae ex una, et Capitulum, et Canonicos Collegiatae S. Mariae eiusdem Civitatis partibus ex altera. Et sunt, ut infra videlicet.

1. An Archipresbyter, et Canonici dictae Collegiatae teneantur remove sedem magnam coramine ornatam positam pro celebrante, et sediles positos pro assistentibus loco scamni oblongi adhiberi soliti, quando faciunt solemnia in eorum Ecclesia?

2. An ipsi Archipresbyter, et Canonici Collegiatae assistentes in Cathedrali Divinis Officiis sint uno, vel duobus ductibus thurificandi?

3. An ipsi Archipresbyter, et Canonici assistentes Episcopo solemniter celebranti, debeant sedere in loco depressiori, et scamno nudo ad differentiam Dignitatum, et Canonicorum Cathedralis sedentium in altiori scamno panno ornato?

4. An ipsi Archipresbyter, et Canonici Collegiatae in Festivitatibus SSum Petri, et Pauli, et S. Honorati Protectoris teneantur assistere in Ecclesia Cathedrali in primis, et secundis Vesperis?

5. An ipsi Archipresbyter, et Canonici tempore, quo assistunt in Choro Cathedralis Ecclesiae, debeant sedere in loco depressiori, scilicet in scabellis, et sedilibus, ut sedent Clerici, et caeteri de Clero, ad differentiam Dignitatum, et Canonicorum Cathedralis sedentium altiori?

6. An ipsi Canonici, et Archipresbyter Collegiatae Sabbato Sancto in celebratione Missae teneantur expectare, ut prius celebretur ab Episcopo, sive Dignitatibus, et Canonicis Cathedralis cum solita pulsatione campanae?

7. An ipsi Archipresbyter, et Canonici Collegiatae possint eodem die Festivitatis B. M. V.

Carmelitanae, quo solemniter celebratur in Ecclesia Cathedrali, illam etiam solemnizare in eorum Ecclesia Collegiata?

8. An ipsi Archipresbyter, et Canonici assistentes Episcopo solemniter celebranti, et transeuntes coram illo sedente in Throno, et tempore Benedictionis, teneantur genuflectere, ut caeteri alii de Clero faciunt, ad differentiam Dignitatum, et Canonice Cathedralis sola inclinatione Episcopum salutantium?

9. An eidem Archipresbytero, et Canonice Collegiatae sit interdiciendus usus Pelliceae signum speciale Dignitatum, et Canonice Cathedralis?

10. An Archipresbyter praedictus, posita obligatione inserviendi Episcopo celebranti in Cathedrali, possit, et valeat tale servitium per substitutum praestare?

11. An Dignitatibus, et Canonice Cathedralis sit restituendus usus panni, seu tapeti super illorum scamno, maxime tempore, quo Episcopus solemniter celebrat in ipsa Cathedrali, stante quod ab ipso Episcopo absque ulla prorsus causa fuit prohibitus?

Et eadem S. R. C., utraque parte plene informante, ad praedicta Dubia sic respondit, nempe.

Ad 1. « Servetur Caeremoniale. »

Ad 2. « Canonicos Collegiatae esse thurificandos duplici ductu. »

Ad 3. « Canonicos Collegiatae debere sedere in loco aequali, et scamno parato, ut Canonice Cathedralis. »

Ad 4. « Servetur Decretum C. S. R. scilicet: Non esse compellendos Canonicos Collegiatae ad interessendum secundis Vesperis. »

Ad 5. « Manutenendos esse Canonicos Collegiatae in possessione sedendi in loco aequali cum Canonice Cathedralis. »

Ad 6. « Servetur Decretum Episcopi. »

Ad 7. « Canonicos Collegiatae posse celebrare festum, de quo agitur, eodem die. »

Ad 8. « Canonicos Collegiatae debere se tantum profunde inclinare. »

Ad 9. « Manutenendos esse Canonicos Collegiatae in delatione Insignium, quibus utuntur Canonice Cathedralis. »

Ad 10. « Provisum per Sacram Congregationem Episcoporum, et Regularium die 18. Maii 1674. »

Ad 11. « Servata aequalitate inter Canonicos utriusque Capituli, restituendum esse Canonice Cathedralis usum panni in scamno. »

Et ita declaravit, et servari mandavit. Hac die 16. Iun. 1674.

2695.

FERENTINA.

S. R. C., ad preces Emi D. Card. de Maximis, benigne indulgit: « Ut Canonice Ecclesiae Cathedralis Civitatis Ferentinae canere possint Missam solemnem S. Ambrosii Mart. Protectoris dictae Civitatis die 1. Maii quolibet anno in honorem inventionis sui corporis, non omitta Missa SS. Apostolorum Philippi, et Iacobi. » Hac die 16. Iun. 1674.

2696.

CREMONEN.

S. R. C. certiorata de expositis in literis Episcopi *sub dat. 5. Apr. prox. praet.* super omissionibus studiose factis per vice-Gubernatorem illius Civitatis Cremonen. adversus Sacros Ritus, Dignitatem Episcopalem, et Capitulum Cathedralis huiusmodi, occasione Cappellae etc., eidem Episcopo scribi mandavit: « Non licere habere locum in Presbyterio Gubernatorem illius Civitatis, sed hoc permissum, ex speciali indulto SSmi, Governatori Mediolani. » Hac die 16. Iun. 1674.

2697.

CAESARAUGUSTANA.

Cum in aliquibus Ecclesiis Hispaniarum extet abusus, dum occurrente Festo particularis eardem Ecclesiarum Patroni eodem die, quo illud, quod est dignius, celebratur S. Ioannis Baptistae, (aliquid deest) sicut exponit Ecclesia, sunt qui auferunt eidem S. Ioanni Baptistae secundas Vesperas, et concedunt omnes Vesperas suo Patrono; et postea per totam Octavam recitant Officium sui Patroni, et tantum faciunt commemorationem S. Ioannis contra doctrinam, et declarationem *Gavanti etc.* Quocirca cupiens Capitulum Collegiatae Ecclesiae Civitatis de Daroco Caesaraugustanae Dioecesis dictos abusus evitari, et deleri; supplicavit propterea apud S. R. C. quatenus dignaretur praecipere: ne audeant in posterum auferre eidem S. Io: Baptistae integras Vesperas, sed ut hae gaudeant antelatione inter duas Octavas, quia secundum hoc exemplar sunt quamplurimae Ecclesiae, quae recitant Officium S. Rochi, et tantum faciunt commemorationem Assumptionis B. M. V., et in aliis relinquitur illud S. Apostoli Iacobi, et recitant Octavam S. Annae.

Et eadem S. C. respondit: « Serventur Rubricae. » Et ita censuit. Hac die 16. Iun. 1674.

2698.

LAURETANA.

S. R. C., inhaerendo Decretis alias in similibus resolutis, et praecipue in una *Aquipendien. die 13. Iul. 1671., Papien. 2. Dec. 1673., et Montis Falisci die 14. Apr. proxime praet.*, iterum declaravit, quod Nicolaus Cruciani Sacerdos Beneficiatus, uti Beneficiatus in Ecclesia Parochiali Montis Cassiani Dioecesis Lauretanae, et in quacumque alia dicti loci, in qua nulla adest Colle-

giata, habere debet praecedentiam in functionibus Ecclesiasticis tam in sessionibus, quam in incessu supra omnes alios Sacerdotes de Clero dicti loci non Beneficiatos, sed simplices Presbyteros, etiam primo ordinatos in Ordine Sacerdotali, et antianos. Et ita censuit, et servari mandavit. Hac die 16. Iun. 1674.

2699. MAIORICEN.

Pro parte Canonicorum Cathedralis Maioricen. expositum fuit in S. R. C., quod in Cathedrali Maioricen. adsunt viginti tres Canonici, et quinque Dignitates, qui uti habentes Praebendas, et redditus separatos, non interveniunt, nec vocem habent in capitulo; sed quia aliquando contingit dubitari circa praerogativas praecedentiae in aula capituli; ideo supplicatum fuit, ut dignarentur respondere Dubio: An Dignitas habens Canoniatum debeat occupare sedem iuxta ordinem, et antianitatem canonicalem, vel potius habere primam sedem supra Canonicos antiquiores?

Et eadem S. C. respondit: « Non competere eidem praecedentiam, sed ipsum debere occupare sedem iuxta ordinem, et antianitatem canonicalem. » Et ita declaravit. Hac die 16. Iun. 1674.

2700. NEAPOLITANA.

In Causa verten. inter Episcopum Nabucen., et Canonicum Cathedralis Ecclesiae Neapolitanae, caeterosque Canonicos, et Capitulum eiusdem Ecclesiae ex una, et Primicerium eiusdem partibus ex altera S. R. C., partibus hinc inde informantibus, referente Eñno D. Card. Azzolino pro Eñno D. Card. Sfortia, declaravit: *Resolutionem in decisum factam sub die 14. Apr. 1674. intelligi de Decreto sub die 12. Aug. 1673.* Hac die 16. Iun. 1674.

2701. PASSAVIEN.

Episcopus Passaviensis exposuit in S. R. C.; Antonium comitem de Lossessem Ecclesiae eiusdem Praepositum impetrasse a paucis mensibus gratiam Mitrae, et Baculi in forma ordinaria a S. Sede Apostolica concedi solita, et exinde uti Cruce pectorali non tantum in functionibus Ecclesiae, ad quas se privilegium extendit, sed etiam extra Ecclesiam, et ubivis, ac in praesentia eiusdem Episcopi, quod in Germania novum plane, et insolitum, cum gestatio Crucis pectoralis pro signo in partibus illis habeatur Iurisdictionis. Ideoque supplicavit pro declaratione: An dicto Praeposito competat hoc ius?

Et eadem S. C. respondit: « Non licere extra functiones sacras, nisi doceat de speciali indulto. » Et ita declaravit. Hac die 16. Iun. 1674.

2702. ULYSBONEN.

Patres Congregationis Oratorii Assumptae sub

Instituto S. Philippi Nerii Ulysbonen. Dioecesis supplicarunt apud S. R. C., quatenus eisdem concedere dignaretur, ut possent continuare, et dicere, addendo in *Confiteor*, et *Litaniis Sanctorum*, nomen S. Philippi eorum Patriarchae, sicut haecenus consueverunt, ut moris est apud omnes Religiosos in Regno Portugalliae addendi in *Confiteor*, et *Litaniis nomen Sancti sui Patriarchae*.

Et eadem S. C. respondit: « Posse tolerari. » Et ita censuit. Hac die 16. Iunii 1674.

2703. URBANIEN.

Pro parte Cleri Mercatelli Urbanien. Dioecesis expositum fuit in S. R. C. quod Canonici illius Collegiatae, agnoscentes se obstrictos a Decretis eiusdem S. C. sub die 12. Mart. et 14. Apr. prox. praet. ad favorem Oratoris emanatis ad thurificandos in primis Sacerdotes Beneficiatos, et simplices, et postea Magistratum eiusdem loci; hodie praetendunt, quod, quando Diaconus, et Canonicus, nempe in Festis mobilibus, et principalibus per annum, post incensatos Canonicos, non debeat prosequi, et thurificare Sacerdotes Beneficiatos, et simplices, sed tradere thuribulum ad Acolythum, ad hoc, ut ille thurificet Beneficiatos, et simplices Sacerdotes, et postea idem Diaconus intendit reassumere illud de manibus praedicti Acolythi, et thurificare Magistratum, quod est contra antiquum solitum, et consuetum dictae Ecclesiae Collegiatae.

Et eadem S. C., auditis relationibus deductis, et allegatis pro parte praedictorum Canonicorum, etiam per literas Episcopi Ordinarii, censuit: « Nihil esse innovandum. » Et ita declaravit. Hac die 16. Iun. 1674.

2704. URBIS.

Cum in Congregatione Indulgentiarum, sacramque Reliquiarum propositum fuerit dubium: num expediat permittere sacra numismata cum Beatorum imaginibus, sive aliorum Sanctorum in Romano Martyrologio minime descriptorum, quibus Indulgentiae applicari possint; cumque eadem S. C. censuerit, de hac re consulendam esse S. R. C.; ideoque, proposito praefato dubio in eadem, Eñni PP. eidem S. C. praepositi censuerunt: « Indulgentias non esse concedendas in posterum, nisi Sanctis descriptis in Martyrologio, et Canonizatis. » Hac die 16. Iun. 1674.

2705. CIVITATIS CASTELLI.

S. R. C. super Controversiis ortis inter Episcopum, et Canonicos Cathedralis Civitatis Castellae circa associationem eidem Episcopo debitam in solemnitatibus Cinerum, Candelarum, et Palmarum, audita relatione Episcopi, censuit: « Ser-

vandum esse Caeremoniale Lib. 2. 16. 18. et 21. quacumque asserta capitulatione in contrarium, per Canonicos praefatos allegata, non obstante.» Hac die 4. Aug. 1674.

2706. FIRMANA.

S. R. C. ad instantiam Canoniorum, et Capituli Collegiatae S. Pauli Parochialis Civitatis Novae Dioecesis Firmanae, inhaerendo Decretis alias in similibus emanatis, et praecipue sub die 15. Dec. 1632., et 12. Febr. 1633. et in una Firmana die 14. Maii 1664., iterum declaravit: «Regulares, et signanter Ordinis S. Augustini, et S. Francisci Minorum Observantium dictae Civitatis, vocatos ad sepeliendos mortuos, etiam in eorum propria Ecclesia, convenire debere ad praedictam Ecclesiam Parochialem, in cuius limites existit, et inde una cum Parocho ad domum defuncti, et nullo modo permittendum esse expectare Parochum per viam, vel ad domum defuncti, non obstante contraria consuetudine.» Hac die 4. Augusti 1674.

2707. LAUDEN.

Pro parte Ecclesiae Lauden. supplicatum fuit apud S. R. C. pro declaratione infrascriptorum Dubiorum.

1. Se dopo l'Evangelio si debba incensare solo il Celebrante, oppure anche il Vescovo, che assiste alla Messa cantata?

2. Se nel tempo che s'incensa la Croce, Altare, ed Oblata, il Vescovo debba stare in piedi, o sedere coperto?

3. Se nella pubblicazione delle Indulgenze; dopo la Benedizione del Vescovo, Egli debba sedere coperto, o no?

4. Se il Vescovo, che assiste alle funzioni debba da sè cavarsi la berretta, o tocchi agli assistenti?

Et eadem S. C. respondit, ut infra, videlicet:

Ad 1. «Aut Episcopus Pluviali indutus, et Mitra redimitus Missae per alium celebratae assistit, et eo casu solus Episcopus post Evangelium thurificari debet, ut in Caeremoniali Episcoporum lib. 1. cap. 23.; vel eidem Missae assistit cum cappa, et eo casu Episcopus una vice tantum thurificari debet, ad incensationem videlicet, quae fit post Offertorium, ut in eodem Caeremoniali lib. 2. cap. 9. in fin.»

Ad 2. «Episcopus sedere debet quoties incenso adoleatur Altare quia quoad sessiones diversimode se habent Altari ministrantes, et assistentes in solio Episcopi, ut idem Caeremoniale in lib. 1. cap. 18. fere per totum.»

Ad 3. «Aut ipsemet Episcopus celebrat solemniter; et tunc, quia est apud Altare, stare de-

bet cum Mitra, dum per Presbyterum assistentem in eodem loco Indulgentia publicatur, ut in Caeremoniali Episcoporum lib. 1. cap. 25. vers. *Reliquum est etc.*, vel assistit Missae per alium celebratae, et tunc sedere debet cum Mitra, dum aut per Sermocinatorem, vel Celebrantem in fine Missae publicatur Indulgentia, ut in eodem Caeremoniali loc. proxime citato vers. *Publicata Indulgentia.*»

Ad 4. «Episcopus sacris functionibus assistens sine vestibus sacris, propriis manibus sibi extrahere debet biretum, et hoc non possunt, neque debent facere assistentes, quia, quando Episcopus est cum cappa, nullus ei assistere debet, ut decernit idem Caeremoniale in lib. 2. cap. 10. et 22.» Et ita declaravit, et servari mandavit. Hac die 4. Aug. 1674.

2708. LUCERINA PRAEEMINENT.

Enño D. Card. Azzolino proponente in S. R. C. infrascripta tria Dubia pro parte, et ad instantiam Capituli, et Canoniorum Cathedralis Lucerinae contra Monachos Coelestinos dictae Civitatis.

1. An Monachi renuentes accedere ad Processiones consuetas possint ab Episcopo compelli?

2. An in transferendis funeribus ad eorum Ecclesiam adire debeant Cathedralem, et associare usque ad domum defuncti?

3. An liceat Capitulo ingredi Ecclesiam Monachorum cum Cruce, et Officia supra cadavera, et alia munia peragere?

Et eadem S. R. C., partibus hinc inde plene informantibus, respondit, ut infra, videlicet.

Ad 1. «Non posse praedictos Monachos compelli accedere ad Processiones Rogationum, et alias huiusmodi, exceptis tamen Processionibus SSñi, et aliis expressis in Decreto generali.»

Ad 2. «Non posse cogi Monachos ad associationem cadaverum, et quatenus interesse debeant, debere accedere ad Cathedralem, et sub eius Cruce procedere.»

Ad 3. «Non licere Capitulo.» Et ita declaravit, et servari mandavit. Hac die 4. Augusti 1674.

2709. PISAUREN.

Cum S. R. C. die 6. Aug. 1662., annuente etiam S. M. Alexandro VII., inhaerendo Rubricis Missalis Romani, districte praeceperit, ne ullus Sacerdos Missas privatas pro defunctis, seu de Requiem in festis duplicibus celebrare in posterum auderet, si quae ex Benefactorum praescripto Missae huiusmodi celebrandae incidere in festum duplex, tunc minime transferri in aliam diem non impeditam, sed de festo currenti cum applicatione Sacrificii iuxta mentem eorumdem Benefactorum

dici voluit, ne dilatio Animabus suffragia expectantibus detrimentum ferat. Cumque vero, antequam prodiret dictum Decretum, in Civitate Pisauri penes Societatem, quam nuncupant: *Del Nome di Dio*: adesset legatum tenoris: «Che ogni giorno, che si possa celebrare Messe per defonti, faccia la Confraternita nella sua Chiesa celebrare una Messa per l'Anima di lui in perpetuo, si tenga un Cappellano apposta, e si salarii etc.» Ideoque supplicatum fuit in eadem S. R. C. pro declaratione: Utrum oneri huiusmodi Missarum, quibus certa statuta non est dies, satisfactum in posterum dicatur, si illae celebrentur diebus tantum, quibus de Requiem ad praescriptum eiusdem Decreti id fieri potest; An vero Cappellanus illius occasione teneatur celebrare de currenti etiam in duplicibus cum applicatione Sacrificii?

Et eadem S. C., mature perpensis rationibus deductis, atque allegatis, referente E^mo D. Card. Bona, censuit: «Teneri celebrare de currenti.» Et ita declaravit. Hac die 4. Augusti 1674.

2710. S. MINIATI.

S. R. C., audita relatione Episcopi Ordinarii, censuit: «Ad Praepositum primam Dignitatem S. Miniati, et non ad Hebdomadarium eiusdem spectare nocte Nativitatis D. N. I. C., in defectu Episcopi, peragere functiones Matutini, et celebrare Missam.» Et ita declaravit. Hac die 4. Augusti 1674.

2711. VERULANA.

S. R. C., inhaerendo Decreto sub die 2. Martii 1641. emanato ad favorem Curati Parochialis Ecclesiae S. Petri Terrae Bauchi, adversus Archipresbyterum S. Angeli eiusdem loci Dioecesis Verulanae, qui praetendebat facere functiones in propria Ecclesia Oratoris: et ipsa S. C. declaravit: «Eidem non licere, sed ad proprium Parochum functiones omnes ecclesiasticas spectare, in propria Ecclesia, non obstante quacumque contraria consuetudine: iterum mandavit, praedictum Decretum etiam in Processionibus, praecipue in illis, ad quas intervenire solet totus Clerus dietae Terrae, ingrediendo omnes, et singulas Ecclesias eiusdem loci, nempe ad Curatum propriae Ecclesiae spectare canere Antiphonas, et Orationem Sancti suae Ecclesiae, non autem ad praedictum Archipresbyterum etiam pluviali indutum.» Et ita declaravit, et servari mandavit. Hac die 4. Augusti 1674.

FARFEN.

Supplicatum fuit apud S. R. C. pro declaratione infrascripti Dubii: An Gubernator, seu Praetor, Commissarius, vel alio quolibet vocabulo

nuncupetur, qui est simplex Doctor, imo et uxoratus, debeat thurificari triplici ductu in functionibus ecclesiasticis, et an sit thurificandus ante, vel post Vicarium Generalem?

Et eadem S. C., inhaerendo Decreto Narnien. die 16. Iulii 1672. censuit: «thurificandum esse duplici ductu, et post Vicarium Generalem.» Et ita declaravit. Hac die 5. Septembris 1674.

2713. LUCERINA IN APULIA.

Ex parte Parochorum Civitatis Lucerinae in Apulia expositum fuit in S. R. C., adesse consuetudinem in dicta Civitate, quod quando Parochiani defuncti sibi elegerunt sepulturas aliarum Ecclesiarum, transierunt associati a Parocho per vicos et plateas aliarum Ecclesiarum Parochialium, et Ecclesiae Cathedralis absque ulla contradictione, et solutione alicuius rei Capitulo praedictae Cathedralis.

Et eadem S. C., audita relatione Episcopi Ordinarii, visisque iuribus hinc inde deductis, censuit: «Parochos per Capitulum praefatae Cathedralis non esse molestandos.» Et ita declaravit. Hac die 17. Novembris 1674.

2714. MONOPOLITANA.

Pro parte Hiacynti Venetiani Canonici Sacerdotis Cathedralis Monopoli adversus Canonicum Antonium Sforza Clericum eiusdem Cathedralis applicatum fuit apud S. R. C. pro resolutione infrascripti dubii: An supraferente dictus Canonicus Clericus sedere debeat tum in Choro, tum in Capitulo, et stare in loco suae receptionis: an vero post omnes Canonicos Sacerdotes, etiam postquam fuerit effectus Sacerdos, in loco tamen ex tunc sibi tangente?

Et eadem S. C., inhaerendo aliis Resolutionibus emanatis, et praecipue in una *Urbis S. Mariae ad Martyres de Rotunda, sub diebus 29. Martii et 27. Sept. 1659.*, iterum declaravit: «Quod Canonici Clerici, ubi Praebendae non sunt distinctae in Presbyterales, Diaconales, et Subdiaconales, quamvis antiquiores receptione, non sunt praefereendi Canonicis Presbyteris, etiam postquam Canonici Clerici fuerint effecti Sacerdotes, et tunc nec ipsis competere reintegrationem, seu praecedentiam adversus Canonicos Sacerdotes posteriores receptione; cum ius semel adeptum ex Sacerdotio numquam amittatur, non obstante immemorabili in contrarium consuetudine, quam absum impraescriptibilem declaravit.» Et ita censuit, et servari mandavit in praedicta Ecclesia Cathedrali Monopolitana, «dummodo tamen in eadem Praebendae sint solummodo Presbyterales.» Hac die 17. Novembris 1674.

2715. NEAPOLITANA PRAEEMIN.

Cum in S. R. C. habita die 12. Aug. 1673., ad instantiam Primicerii Cathedralis Neapolitanae in causa Praeeminentiarum verten. inter ipsum, et Canonicum Episcopum Titularem Nabucen. eiusdem Cathedralis, fuerint resoluta nonnulla Dubia, et praecipue tertium, in quo habetur. « Ad dictum Episcopum per praeeminentiam in sedendo non spectat peragere functiones proprias Primicerii, quas prius agebat uti primus in Choro, sed hoc munus explendi spectat ad eundem Primicerium. » Nunc vero non acquiescente dicto Episcopo resolutioni in 3. Dubio factae, iterum supplicavit, declarari, ad ipsum sedente in primo stallo spectare recipere primas Antiphonas, et invocare Spiritum Sanctum in Capitulo, non autem ad Primicerium.

Et eadem S. C., utraque parte informante, referente Eñño D. Card. Sfortia, censuit: « Spectare ad Episcopum praefatum, in casu, de quo agitur. » Et ita declaravit. Hac die 17. Nov. 1674.

2716. NOLANA.

Episcopus Nolanus supplicavit in S. R. C. pro resolutione infrascriptorum Dubiorum.

1. An negligente, vel nolente, sine aliqua rationabili causa, aliquo ex Canonicis Cathedralis accedere ad Palatium Episcopale adiunctum eidem Ecclesiae Cathedrali, ex quo, iuxta dispositionem Caeremonialis solitum fuit Episcopum Oratorem solemniter celebraturum, aut alias eum cappa Missae cantandae interfuturum, Canonicos excipere, possit ipse Orator cogere eundem Canonicum ad accedendum sub aliqua poena EE. VV. bene visa?

2. An, et in quibus casibus possit idem Orator cogere Canonicos ad interessendum in Choro; et an ipse, in casu affirmativo, possit augere, loco poenae, punctaturas, stante quod in praedicta Ecclesia puncturae sint valde tenues?

Et eadem S. C. respondit, Quoad 1. « Inhaerendo Decretis alias in similibus editis, et signanter in una Ripana die 24. Oct. 1609., posse a praedicto Episcopo cogi, et compelli Canonicos in solemnioribus tantum diebus, quando idem Episcopus ad Ecclesiam eum cappa ad celebrandum, vel Pontificalia exereenda accedit, quo casu Dignitates, et Canonici eum ex suo palatio excipere, comitari, et reducere tenentur. »

Quo vero ad 2. « remisit ad C. Sacri Concilii. » Hac die 17. Nov. 1674.

2717. VERULANA.

S. R. C., inhaerendo Decretis alias in similibus resolutis, iterum declaravit: « Sacerdotes, qui sunt

affictuarii, seu substituti tam in processionibus, quam sessionibus, et in celebratione divinorum Officiorum, praecedere debere supra Clericos Beneficiatos ex beneficio simplici. » Et ita censuit, et servari mandavit in Terra Frusinionis Dioecesis Verulanae. Hac die 17. Nov. 1674.

2718. URBIS.

Pro parte Parochi SS. XII. Apostolorum de Urbe supplicatum fuit pro declaratione infrascripti dubii: An Parochi in administratione Sacramentorum, quando sunt Protonotarii Apostolici, vel alii Sacerdotes de licentia Parochi etiam Protonotarii Apostolici, possint supra mantelletum ponere stolam, sicut de facto ponitur supra superpelliceum, et albam, ac etiam super rochetum solum?

Et eadem S. R. C. respondit: « Non licere. » Et ita declaravit. Hac die 17. Nov. 1674.

2719. VERONEN.

Pro parte Ecclesiae Veronen. expositum fuit in S. R. C., quod die 19. Ian., in qua ex praescripto SS. D. N. Clementis X. celebrandum est Officium S. Canuti, celebratur in dicta Ecclesia Veronensi sub ritu dup. Officium S. Senatoris Episcopi. Item in eadem Ecclesia die 7. Aug., in qua de praecepto eiusdem SS. celebrandum est Officium S. Caietani, celebratur de S. Agabio Episcopo sub ritu dup.; non quod iis diebus occurrerent Festivitates dierum SS. Episcoporum, sed quia eum eae incidant in dies impeditos, per longam consuetudinem translatae sunt ad supra dictos dies 19. Ian., et 7. Aug., ita ut videantur illos acquisivisse uti proprios, licet revera ad illos sint translati. Supplicatum fuit pro declaratione: An praedicta Officia SS. Episcoporum Senatoris, et Agabii transferenda sint in alios dies, itaut 19. Ianuarii, et 7. Aug. celebrentur Officia de Sanctis Canuto, et Caietano, et quod sint dies proprii eorum Festivitatum; vel propter supradictam consuetudinem celebrandum sit iis diebus de Sanctis Senatore, et Agabio, transferendo Officia SS. Canuti, et Caietani?

Et eadem S. C. censuit: « Servandas esse Rubricas de Translatione Festorum. » Hac die 17. Novembris 1674.

2720. CESENATEN.

S. R. C. declaravit: « Non licere Illrñis DD. Referendariis utriusque Signaturae D. Papae, ac Protonotariis Apostolicis honorariis Missam celebrantibus in Civitatibus, quarum regimini praeficiuntur, uti ritibus, qui proprii EE. Cardinalium, et Episcoporum videntur, sed lidem rem sacram facere tenentur more coeterorum Sacerdotum, prout

in privatis Missis praescriptum fuit Abbatibus in Decreto circa usum Pontificalium Praelatis Episcopo inferioribus concessorum emanato ab eadem S. C. habita coram fel. rec. Alexandro VII. die 27. Septembris 1659. »

Et ita servari mandavit ab Illmo Governatore Civitatis Cesenae. Die 9. Febr. 1675.

2721. MILITEN. PRAECEDENTIAE.

Pro parte Capituli Seminariae proposita causa Militen. Praecedentiae in S. R. C. per Emum D. Cardinalem Carpineum Pro-Datarium vertente inter praedictum Capitulum Seminariae ex una, et Capitulum Sinopuli parte ex altera Militen. Dioecesis, eadem S. C. declaravit: « Praecedentiam spectare ad Capitulum Seminariae antiquiorem, uti Collegiatam insignem supra Capitulum Sinopuli occasione Synodi Dioecesanae, Sessionum, et Processionum, aliarumque functionum causa illius celebrandarum sub quovis praetextu. » Hac die 9. Februarii 1675.

2722. OSTUNEN.

Capitulo, et Clero Civitatis Ostuni supplicanti pro concessione facultatis continuandi in celebrando festum S. Orontii cum octava, non obstante, quod in dicta Civitate sit alius Sanctus Patronus; S. R. C. respondit: « Nihil, et in posterum absteineant. » Die 9. Februarii 1675.

2723. PISAUREN.

S. R. C., audita relatione Episcopi Ordinarii super suspensione Altaris maioris Societatis SS. Sacramenti Pisauri facta in visitatione *die ultima Febr. praeteriti*, in qua habetur, quod, cum inventum fuisset dictum Altare vacuum, fuit illud vigore Decretorum prohibentium celebrationem Missarum ad Altaria vacua, suspensum, donec fuisset repletum; censuit: « Iis non obstantibus in casu, de quo agitur, ex speciali gratia, posse tolerari. » Hac die 9. Febr. 1675.

2724. TROIANEN.

Pro parte Capituli Cathedralis Troiae expositum fuit in S. R. C., quod eorum chorus non habet stalla fixa, sed duo scamna sita in terra absque divisione sedillit; pulpitem vero manet in modum, quod ab una parte tantum dicti chori potest videri Concionator. Supplicatum fuit propterea pro declaratione: An, transeuntibus Dignitatibus, ac Canonicis ad aliam partem chori, pro inspicendo dicto Concionatore, illi Canonici (supplendum *qui ibi sedent*) quem locum dare debent?

Et eadem S. C. respondit: « Tenentur dare locum digniorem Dignitatibus. » Die 9. Februarii 1675.

2725. ORDINIS CONGREGATIONIS COELESTINORUM.

Exponentibus in S. R. C. Coabbatibus Coelestinis benedictis, quod videtur ipsis convenire, ut in Missis privatis adhibeant duos ministros inservientes cum cottis, et apponantur quatuor candelae in Altari, nedum ex privilegiis, et consuetudine, verum etiam quia participant ex communicatione privilegiorum Abbatum Cassinensium, ideoque iidem Oratores supplicarunt pro dicta concessione.

Et S. eadem C., ad relationem Emi D. Cardinalis Casanatta, censuit: « Docto de privilegio Apostolico concessio Cassinensibus; posse concedi. » Die 30. Martii 1675.

2726. RAVENNATEN.

Proposita per Emum D. Card. Casanatta in S. R. C. causa super reintegracione usus vestis caudatae ad instantiam Praepositi Metropolitanae Civitatis Ravennae; eadem S. C. censuit: « Posse restitui, prout restituit, praedicto Praeposito usum vestis caudatae, non obstante prohibitione ipsius S. C., sine praeiudicio tamen iurium, et praerogativarum Archidiaconi eiusdem Ecclesiae Metropolitanae. » Die 30. Martii 1675.

2727. NEAPOLITANA.

S. R. C., ad relationem Emi D. Card. Columna, declaravit: « Non licere pluribus Episcopis in eadem Ecclesia, et eodem tempore Ordines conferre, et abusum praedictum eliminari mandavit. » Hac die 30. Martii 1675.

2728. BARCHINONEN.

Pro parte Abbatissae, et Monialium Monasterii S. Petri Puellarum Civitatis Barchinonen. S. Sedi Apostolicae immediate subiecti expositum fuit in S. R. C., quod, occasione communicandi per Viaticum unum ex Beneficiatis residentibus in dicta Ecclesia, Hebdomadarius, qui curam animarum in ea exercere solet, sub praetextu, quod *Rituale Romanum Parochorum* disponebat, quod campanae magnae Ecclesiae continue pulsari deberent, donec SS. Eucharistiae Sacramentum ad Ecclesiam rediret, ordinavit, ut, populo iam convocato ad associandum SS. Sacramentum, dictae campanae continuo pulsarentur. Sed quia hoc non solum est contra consuetudinem dictae Ecclesiae, et earum iurisdictionem ordinariam, sed etiam contra *Rituale Romanum, ut in dicto Rituali tit. de Communionem Infirmorum*, ideoque praefatae Oratrices supplicarunt declarari; an liceat dicto Hebdomadario similia ordinare?

Et eadem S. C. declaravit: « Non licere; et mandavit servari consuetudinem dictae Ecclesiae,

et Rituale Romanum, ut in dicto Rituali tit. de Communione Infirmorum. » Die 18. Maii 1675. 2729. **BONONIEN.**

Expositum fuit in S. R. C., quod in Civitate Bononiae inolevit abusus, quem consuetudinem appellant, ut vocata aliqua Confraternitate cum suo vexillo praecedat, sed nonnulli ex illis inde recedunt cum intortitiis accedentes ad feretrum, illiusque partem anteriorem occupantes, usurpantes locum Parocho designatum, ut in *Rituali Romano de exequiis vers. Constituto tempore*, quod ex incuria nonnullorum Parochorum toleratum fuit; aliis tamen reclamantibus in casibus contingentiae. Ideoque supplicatum fuit declarari: an liceat Confratribus recedere a loco ipsis in Rituali assignato, et occupare locum Parochi?

Et eadem S. C. declaravit: « Non licere, et servandum esse Rituale Romanum vers. Constituto tempore, etc. » Die 18. Maii 1675.

2730. **CONGR. CISTERCENTIUM.**

Supplicante Procuratore generali Congregationis Cistercentium pro approbatione infrascripti Decreti facti a Capitulo generali dictae Congregationis Italiae, cuius tenor est: Consueverunt Patres Definitores Officium Defunctorum recitandum esse omnibus diebus, quibus fit de feria etiam toto tempore Paschali, excepta Octava Paschae, sicut etiam fer. 2. 3. et 4. hebdomadae poenosae, et hoc, ut servetur uniformitas in officiendo.

Et S. R. C. respondit: « Lectum. » Die 18. Maii 1675.

2731. **IMOLEN.**

Propositis per Eñm D. Cardinalem Albitium in S. R. C. praetensionibus Rñi Episcopi Imolen. contra Magistratum eiusdem Civitatis, quae sunt tres, ut infra videlicet.

1. Quod Magistratus in diebus solemnibus debeat accedere ad palatium Episcopale, ipsumque comitari ad Cathedralem, et post functionem de novo associare ad palatium.

2. Quod Magistratus non debeat accedere ad alias Ecclesias Civitatis tempore functionum earundem, assistere eisdem Ecclesiis Missis, et Vesperis cantatis, recipiendo incensum, et pacem.

3. Quod non debet removeri sedile ipsiusmet Episcopi locatum in Ecclesiis pro audiendis concionibus de loco praetenso a Magistratu.

Et eadem S. C., visis iuribus ab utraque parte plene informantibus allegatis, et deductis, aliisque discussis, censuit.

Quoad 1. « Circa associationem ex deductis servandum esse solitum tempore Rñorum Mellini, et Coccini. »

Quoad 2. « Non posse prohiberi Magistratui accessum ad Ecclesias, sed thurificari debere duplici ductu. »

Quoad 3. « Circa locum pro audiendis concionibus, scribendum esse Eñm, et Rñm D. Cardinali Rossetto, qui, auditis partibus, assignet locum congruum Magistratui pro audiendis dictis concionibus. »

Et ita declaravit. Die 18. Maii 1675.

2732. **IADREN.**

Pro parte Rñi Archiepiscopi Iadren. supplicatum fuit apud S. R. C. pro declaratione infrascriptorum dubiorum.

1. An Fratribus Dominicanis (prout moderni in Civitate Iadren. praetendunt) dum Crucem in processionibus deferunt, liceat id agere Crucifixi Imagine ad sese versa?

2. An, dum idem orator in Ecclesiis eorumdem Dominicanorum in sua Dioecesi existentibus, Missae solemnibus, et Vesperis ex thronali loco de more assistit, confessionem cum Celebrante facere, thuribulo thus imponere, Evangeliorum textum osculari, atque populo solemniter benedicere, caeteraque similia de more ab assistentibus Episcopis adimpleri consueta sibi fieri, et exequi liceat?

Et S. C., referente Eñm D. Cardinali Vidono, respondit:

Ad 1. « Non licere. »

Ad 2. « Licere, et spectare ad ipsum Archiepiscopum. » Et ita declaravit. Die 18. Maii 1675.

2733. **SENOGALLIEN.**

In C. S. R. in causa Funerum, et Processionum vertente inter Archipresbyterum, Canonicos, et Curatos Parochialis, et Collegiatae Ecclesiae S. Petri Corinaldi Senogallien. Dioecesis ex una, et Conventum, et Fratres S. Nicolai Ordinis Eremitarum S. Augustini, necnon Fratres Minores Conventuales S. Francisci dictae Terrae Corinaldi ex altera partibus, eisdem partibus auditis, Eñm et Rñm D. Cardinali Casanatta referente, proposita fuerunt infrascripta dubia, ad quorum singula S. C. respondit, ut infra.

1. An haeredes defunctorum sint cogendi ad retinendum domi cadavera usque ad tempus illa sepeliendi? an vero iisdem haeredibus liceat pro libitu asportare dicta cadavera e propriis domibus ad quaecumque aliam Ecclesiam per modum depositi usque ad horam illa tumulandi, etiamsi sepelienda essent in Ecclesiis Regularium, non obstante dissensu Parochi, seu prohibitione ab eodem facta uti Vicario Foraneo?

2. An illatis cadaveribus private ab haeredibus ad aliquam tertiam Ecclesiam per modum

depositi, Regulares convenire, et congregari debeant in dicta tertia Ecclesia, aut in Parochiali, ad effectum illa associandi ad Ecclesiam, ubi sunt tumulanda?

3. An cadavera sepelienda in Ecclesiis Regularium, antequam ad eorum Ecclesiam deferantur, debeant prius asportari ad Parochialem, et in ea permanere per aliquod tempus?

4. An Regulares possint cogi ad associanda cadavera in eorum Ecclesiis tumulanda; an vero possint expectare in dictis propriis eorum Ecclesiis? et an in casu, quo Regulares non accedant ad associanda dicta cadavera, amittere debeant intortitia, ut Parochus praetendit?

5. An Parochus teneatur associare cadavera in Ecclesiis Regularium sepelienda usque ad ianuam eiusdem Ecclesiae, etiam ipsis Regularibus non associantibus? Et, an Parochus associanti liceat ingredi Ecclesias Regularium cum Stola, et Cruce?

6. An, si Parochus requisitus intervenire recuset funeralibus defunctorum in Ecclesiis Regularium sepeliendorum, possint haeredes, imo et ipsi Regulares asportare cadavera ad Ecclesiam sepulturae electae, Parochus non interveniente, ac praedicti Regulares eadem sepulturae tradere? Et, an Parochus in funeribus dictorum defunctorum maiorem eleemosynam solito praetendere possit?

7. An in Processionibus menstruis S. Monicae, et Rosarii, quae a Fratribus Augustinianis fiunt, iuxta praescriptum huius S. C. sub die 4. Augusti 1675., liceat Sacerdoti eiusdem Ordinis deferenti Crucem cum sacris Reliquiis incedere indutus Stola, et Pluviali?

8. An Processiones generales, quae quotannis fieri solent ex antiqua consuetudine, et populi devotione cum interventu Cleri Regularium, Confraternitatum laicorum, et Magistratus (nempe SS. Rosarii dicta della Vittoria 1. Dominica Octobris, S. Antonii Abbatis in honorem eiusdem Sancti die 17. Ianuarii, et Saerarum Reliquiarum vulgo delle Reliquie fer. 2. Pentecostes) quae Processiones fiunt per totam Terram Corinaldi incipientes ab Ecclesia S. Nicolai, et ad eandem terminantes, et in qua est erecta Confraternitas Rosarii, asservantur sacrae Reliquiae, et adest altare S. Antonii, possint impediri, etiam indirecte a Parochus renuente iisdem interesse? Et, an ipso non interessente, liceat dictis Fratribus Augustinianis eas iuxta solitum facere?

9. An liceat dictis Fratribus Augustinianis singulis Dominicis, diebus festivis de praecepto hora 10. circiter exponere in maiori Altare eorum Ec-

clesiae SS. Eucharistiae Sacramentum, et cum eo benedicere populo dummodo talis expositio fiat debita decenti veneratione, et luminum apparatu, sicuti hactenus practicum fuit de licentia Ordinariorum pro tempore; non obstante quod post mortam litem Archipresbyter, et Canonici eadem hora facere coeperint dictam expositionem in Ecclesia Collegiata, in qua tamen dicta expositio reiteratur hora 23., sicuti unica tantum vice hactenus singulis diebus Dominicis fieri consueverat?

10. An in Processionibus generalibus; quae fiunt in vigiliis Pentecostes, et S. Ubaldi, servari debeat solitum circa intonationem hymni, quae prius fiebat per Regulares tantum, et deinde per conventionem provisionalem, per alterum Presbyterum, et alterum Regularem, et modo praetenditur fieri debere per solos Presbyteros; et an pariter servari debeat solitum circa Processiones Rogationum, quae incipiunt ab Ecclesia Collegiata, et terminant prima die in Ecclesia S. Mariae de Mercato; secunda die in Ecclesia S. Nicolai; et tertia die in Ecclesia S. Francisci: non obstante innovatione postremo facta per Parochum, et Canonicos, illas terminando singulis diebus in propria Ecclesia Collegiata?

Ad 1. S. C. respondit: « Quoad tempus humationum cadaverum servandam esse Synodum; et in reliquis, petita, et etiam non obtenta licentia, posse cadavera deponi arbitrio haeredum in qualibet Ecclesia usque ad tempus illa processionaliter deferendi ad Ecclesiam sepulturae. »

Ad 2. S. C., inhaerendo aliis Decretis, respondit: « Regulares debere congregari in illa Ecclesia tertia, ubi cadaver fuit depositum, ut supra. »

Ad 3. S. C. respondit: « Negative. »

Ad 4. S. C. respondit: « Regulares non posse cogi ad exeundum a propriis Ecclesiis, ad effectum associandi cadavera in iisdem sepelienda, sed sufficere, quod illa expectent ad ianuas; quo vero ad intortitia, remisit causam ad iudices suos. »

Ad 5. S. C. respondit: « Parochum teneri associare cadavera in Ecclesiis Regularium sepelienda. Quo vero ad ingressum Parochi cum Stola, et Cruce, distulit resolutionem. »

Ad 6. S. C. respondit: « Vocato Parochus, et ipso renuente intervenire, vel alterum mittere, tunc Regularibus licere absque Parochus deferre cadavera in eorum Ecclesiis sepelienda. Quo vero ad emolumenta per Parochum praetensa, nihil dandum ultra solitum. »

Ad 7. S. C. respondit: « Licere Sacerdoti Au-

gustiniano deferenti Reliquias in omnibus Processionibus, in quibus non intervenit Clerus saecularis, incedere cum Stola, et Pluviali, non autem cum Stola tantum. »

Ad 8. S. C. respondit: « Licere Augustinianis facere supradictas Processiones generales per Terram Corinaldi de licentia Ordinarii. »

Ad 9. S. C. « Remisit partes ad Ordinarium. »

Ad 10. S. C. respondit: « Ut Episcopus mandet servari solitum. » Et ita declaravit, et servari mandavit. Die 22. Iunii 1675.

2734. ARIMINEN.

Magistratus Ariminensis exposuit S. R. C., Rmum Episcopum eiusdem Civitatis in nova Cathedralis Ecclesiae constructione, suam sedem Episcopalem pro audiendis concionibus erexisse ad tertium gradum, ubi antea erant duo tantum: ideo supplicavit servari solitum, vel potius, si sedes Episcopi debet esse in loco eminentiori, et ad illam ascendi mediantibus tribus gradibus, scamnum Magistratus debeat habere duos gradus, ut scamnus sit depressior sede Episcopi uno tantum gradu. Et eadem S. C., re mature perpensa, ad petitionem praedictam respondit: « Lectum, » et mandavit, « quod Episcopus euret reduci in pristinum scamnum Magistratus. » Hac die 22. Iunii 1675.

2735. ORBIS.

S. R. C. censuit: « Prohibendum esse, prout prohibuit, Regularibus, ne audeant in posterum cum SS. Eucharistiae Sacramento populo benedicere cum trina, sed tantum unica benedictione. » Hac die 22. Iunii 1675.

2736. AQUILANA.

Pro parte Capituli, et Canonicorum Cathedralis Aquilae supplicatum fuit apud S. R. C. pro declaratione infrascripti dubii: Utrum Canonici Cathedralis Ecclesiae Aquilanae habentes suppositam iurisdictionem spiritualem, et temporalem in Ecclesia, et Monasterio Monialium S. Crucis dictae Civitatis, et cum Canonici ipsi eligant duos ex Canonicis cum titulo Superioris ad regimen etc., possint postea in functionibus faciendis in Ecclesia praedicta omnes assistere cum cappa, et bireto tamquam Superiores, et Ordinarii, et sedere, eodem modo denegare possint Cappellanis, cum Cappellani sint de corpore Capituli, et participantes? An duo tantum Canonici, qui retinent titulum Superioris, possint sedere, ut supra, et non alii Canonici, neque Cappellani? An vero, cum omnes Canonici sedeant, ut supra, possint etiam Cappellani participantes, et de corpore Capituli, sedere eodem modo, cum Cappellani ipsi in aliis functio-

nibus incedunt cum cotta, et pelle, sicuti et Canonici incedunt, cum ab immemorabili tam ipsi Canonici, quam Cappellani consueverint assistere in praed. Ecclesia, et sedere cum cappa, et pileo?

Et eadem S. C. censuit: « Servandum esse consuetudinem immemorabilem. » Die 13. Iulii 1675.

2737. ARIMINEN.

Praetendente Antonio Margaroni loci Sogliani Dioecesis Ariminen. uti Rectore Beneficii simplicis Abbatiae nuncupat. existen. in Dioecesi Caesentaten., ac uti Protonotario Apostolico honorario de numero non participantium praecedere supra Petrum Antonium Cavarini Archipresbyterum, et Vicarium Foraneum S. Ioannis in Galilea loci eiusdem Dioecesis Ariminen., qui exposuit, quod tam ipse Archipresbyter, quam Rectores Ecclesiarum Curatarum illius Plebanatus nunquam aliquem admiserunt intra illud corpus Cleri in quolibet functione, et operatione ecclesiastica officiorum, et processionum cum aliqua praecedentia supra ipsos, vel supra dictos suos collegatos.

Et S. R. C., audita relatione Episcopi, et utraque parte informante, censuit: « Praecedentiam deberi Parochis » Die 13. Iulii 1675.

2738. CAVEN.

Iterum, pro parte Cappellani, et Magistrorum Confraternitatis S. Mariae Pietatis Cavae, proposita causa controversiarum verten. inter praedictos, et Parochos Ecclesiae S. Michaelis Archangeli dictae Civitatis. S. R. C. respondit: « Adeant Ordinarium pro declaratione Festorum solemnium: In Reliquis vero servetur Decretum eiusdem S. C. in eadem causa emanatum de anno 1664. » Et ita declaravit, die 13. Iul. 1675.

2739. CIVITATIS CASTELLI.

Pro parte Capituli, et Canonicorum Cathedralis Ecclesiae Civitatis Castelli adversus illum Episcopum supplicatum fuit per S. R. C. declarari infrascripta dubia.

1. Quod ipsi Canonici teneantur in solemnioribus tantum diebus accedere ad domum Episcopi, illumque ad Ecclesiam venientem associare, et finitis Vesperis, seu Missa Pontificali debeant eundem comitari dumtaxat ad ostium dictae Ecclesiae ad effectum, ut comode redire possint in eorum pro recitandis horis canonicis, et respective Completorium, iuxta dispositionem Caeremonialis Episcoporum lib. 2. cap. 1. in fin., stante distantia palatii episcopalis ab Ecclesia passus fere centum.

2. Quod sub nomine Festorum solemnium veniant solummodo ea, quae numerantur in Caere-

moniali Episcoporum lib. 2. c. 2., et 34. et in aliis festis per annum, ut in diebus cinerum, candelarum, et palmarum, Canonici ipsi non teneantur associare, et reassociare Episcopum, prout in solemnioribus, etiamsi cum cappa accedat ad Ecclesiam.

3. Quod in aliis diebus infra annum, in quibus vellet Episcopus private ad Ecclesiam accedere, duo Canonici tantum occurrere debeant praedicto Episcopo venienti, inchoatis officiis, ad ostium Ecclesiae, et abeuntem, eisdem non adhuc absolutis, comitari ad dictum ostium, ne diminuat divinus cultus.

Et eadem S. C., utraque parte informante, respondit: Ad 1. « Servandum esse Decretum Tifernaten. editum die 5. Julii de anno 1603. ad favorem Episcopi, in quo iniungitur Canonicis associatio in accessu, et recessu dicti Episcopi. »

Ad 2. « Servandum esse Decretum Civitatis Castellii emanatum de anno 1674. die vero 4. Augusti ad favorem pariter Episcopi, in quo declaratum fuit, quod associatio debeat Episcopo, etiam in diebus candelarum, cinerum, et palmarum. »

Ad 3. « Servandum esse Caeremoniale. » Et ita declaravit. Die 13. Julii 1675.

2740. CUSENTINA.

Pro parte Rm̄i Archiepiscopi Cusentini expositum fuit apud S. R. C., quod Canonici Cathedralis Ecclesiae Cusentinae in choro, et in publicis supplicationibus induunt Cappa magna; in deducendis vero defunctorum exequiis, si minor tribuatur merces, Almutium vice Cappae magnae super sinistro brachio gerunt, ideoque idem supplicavit, pro declaratione infrascriptorum dubiorum.

1. An Canonicis Cappa magna, et rochetto ius habentibus, liceat ad illorum libitum Almutium pro Cappa magna usurpare, maioremque sibi facisci mercedem, si cum Cappa magna, quam si cum Almutio funeris supplicationibus interfuerint?

2. An liceat eisdem Almutium, quod non nisi eum superpelliceo convenire videtur, ferre etiam supra rochetum?

3. An huiusmodi consuetudo toleranda sit, cum ob maiorem Cathedralis Ecclesiae, Capituli decorem, tum etiam ad evitandam omnem avaritiae suspicionem?

Et S. eadem C., referente Em̄o, et Rm̄o D. Cardinali Albitio, et utraque parte informante, censuit: Quoad 1. « Habentibus usum Cappae non licere uti Almutio. »

Quo vero ad 2. et 3., « Remisit ad suos iudices. » Et ita declaravit. Die 13. Julii 1675.

2741. FOROSEMPRONIEN.

S. R. C., ad instantiam Confraternitatis SS. Rosarii Civitatis Forosempronien. censuit: « Esse tolerandum sum recitandi S. Rosarium cum Litanis B. M. V., nempe si in dicendo *Ave Maria*, per modum continuationis replicetur Iesus *Sancta Maria*. Et si in fine litaniarum dicatur *Regina Sacratissimi Rosarii*, ideoque non posse prohiberi, » declaravit. Die 13. Julii 1675.

2742. TIBURTINA.

Expositum fuit in S. R. C., quod, ob ingravescentem aetatem cuidam Canonico Ecclesiae Cathedralis Tiburtinae, fuit a S. Sede Apostolica cum futura successione datus coadiutor, qui, vigore literarum Apostolicarum, pro eodem ad praesens inservit in functionibus Chori, et Ecclesiae. Nunc vero occasione huiusmodi coadiutoriae insurgit dubium: an coadiutor praedictus in choro, capitulo, processionibus, et sessionibus praecedere valeat Canonicum post ipsius admissionem receptum, et ingressum?

Et eadem S. C. respondit: « Negative, et coadiutorem cedere debere locum omnibus Canonicis. » Et ita declaravit. Die 13. Julii 1675.

2743. ALBINGANEN.

S. R. C., inhaerendo aliis Decretis in similibus resolutis, censuit: « Functiones principales spectantes ad Praepositum Ecclesiae Collegiatae SS. Philippi, et Iacobi loci de Taggia Dioecesis Albinganen., ipso absente, impedito vel nolente peragere, illas gradatim ordine successivo peragere debere Canonicum digniorem, et hoc impedito, ut supra, digniorem Cappellanum nuncupatum de massa eiusdem Collegiatae, et non posse praedictum Praepositum pro se substituere aliquem Presbyterum sibi benevisum pro exercendis dictis functionibus. »

Et ita declaravit, et in praed. Ecclesia servari mandavit. Die 13. Julii 1675.

2744. IMOLEN.

Em̄i, e Rm̄i Signori; Il Vescovo d'Imola con quella riverenza, che è sempre dovuta alla suprema autorità, e singolar prudenza dell'EE. VV. ha ricevuta la risoluzione intrapresa nella causa col Magistrato d'Imola in ordine all'andare il medesimo ad assistere alle Chiese della Città, e allo stare alle funzioni della Cattedrale. Ma circa all'accompagnare il proprio Vescovo, avendo l'EE. VV. ordinato, che si osservi ciò, che si costumava al tempo di Monsignor Mellini, e Coccini, si fa umilmente lecito di rappresentare, che ne-

cessariamente insorgeranno tutte le medesime differenze, e difficoltà, che vertevano in quel tempo, e che furono poi dal sig. Cardinal Donghi risolte, e concordate, ogni qual volta per occorrenza di Processioni del Corpus Domini, del Voto, di prender la cenere, e candele, ed altre della Settimana Santa, debbono il Capitolo, e Magistrato essere insieme col Vescovo, sopra del quale non è facile sapersi, come si praticassero al sudetto tempo di Mellini, e Coccini, nè si può provarlo, stante che li testimoni addotti dalla parte non depongono, che il solo accompagnamento, che faceva il Magistrato dalla Chiesa al palazzo senza li Canonici, quali testimoni essendo morti, non è facile indagare il resto delle funzioni da altri, come si praticassero, attesa la differenza del modo di procedere tra li Canonici, e il Magistrato. Ora, avendo l'EE. VV. ordinato, che si osservi ciò, che si costumava al tempo di Monsignor Mellini e Coccini, si propongono le seguenti difficoltà.

1. Che tra i Canonici, e Magistrato si riassumeranno le difficoltà, e differenze della precedenza, che vertevano al tempo di Monsignor Mellini, e Coccini, e le difficoltà circa al modo di procedere nelle Processioni, ed altre Funzioni, dove va ricevuto, ed accompagnato il Vescovo.

2. Essendo uso continuo dei Canonici andare a pigliare, ed accompagnare il proprio Vescovo alle stanze, dovendosi il Vescovo privare di questo consueto ossequio per ammettere il detto Magistrato al breve accompagnamento dalla Chiesa alla porta del palazzo, tale onore verrebbe a privare il Vescovo del maggiore decoro, che riceve dal solito accompagnamento dei Canonici alle stanze; onde al medesimo Vescovo comple piuttosto permettere al Magistrato, che siccome non viene a levarlo di casa, non venga meno ad accompagnarlo, che ricevere il loro ossequio col privarsi del consueto decoro dell' accompagnamento dei Canonici.

3. Si supplica riflettere, che il temperamento volontariamente preso da Monsig. Mellini non può, nè deve pregiudicare ai Vescovi successori, mentre questo fu un provisionale, che sono anni 25. che più non ha effetto, ed in questo tempo sono state sedate, e concordate tutte le differenze, e praticate quietamente tra li Canonici, e Magistrato, conforme al concordato; quali aggiustamenti affatto svaniscono, mentre per ordine dell'EE. VV. havvi a sussistere, e risorgere lo stato delle cose, conforme si trovavano al sudetto tempo di Monsig. Mellini, e Coccini.

E perchè l'EE. VV. venghino in chiaro, che

di quel tempo non ebbe il Magistrato ripugnanza alcuna a levare, ed accompagnare il proprio Vescovo alla casa, e che gli antecedenti Vescovi Pallotti, e Musotti fossero non solo accompagnati, ma anco levati dalla propria casa, si supplica umilmente ad ordinare; che sia dato il libro del campione in mano dell' Eño sig. Card. Rossetti, acciò possa riferire quello in esso trovi doversi costumare dal Magistrato, conforme alla testimonianza della lettera prodotta dal sig. Co. Paolo Machirelli, dalla quale si deduce l'obbligo, ed il praticato dal suddetto Magistrato, ed intanto ordinare, che si sopraseda in dar fuori il suddetto Decreto sino che siano concordate le suddette difficoltà, e considerate le medesime ragioni del Vescovo. Che del tutto etc.

Eadem S. R. C., praedictis omnibus mature perpensis; atque discussis, respondit: « Lectum, et serventur Decreta in Congregatione prox. praet. emanata sub die 18. Maii. » Et ita censuit die 13. Iulii 1675.

2745. ORD. MIN. OBSERVANTIUM S. FRANCISCI.

Pro parte Procuratoris generalis S. Franciscae Minor. Observant. expositum fuit apud S. R. C., quod in nonnullis Conventibus suae Religionis vigent lites inter Parochos, et suos Religiosos occasione associandi cadavera defunctorum; ideoque, ad evitandas dissensiones, et scandala, quae in futurum oriri possent, idem Procurator supplicavit pro extensione resolutionum super infrascriptis dubiis emanatarum in una Senogallien. die 22. Junii proxime praeteriti, etiam ad praedictos suos Conventus.

Et eadem S. C. « Petitam extensionem benigne concessit, et dubia sunt, ut infra videlicet. »

1. An Haereses etc. « Sequuntur Dubia, et Resolutiones usque ad 6. prout in Senogallien. » Hac die 13. Iulii 1675.

2746. AMALPHITANA.

Canonici Capituli Ecclesiae Cathedralis Amalphitanae S. R. C. supplicarunt pro declaratione: an liceat Archidiacono, et Cantori eiusdem Ecclesiae, qui per consuetudinem habent usum Mitrae, quando vel in throno, vel in scamno canonicali assistunt Archiepiscopo pontificaliter celebranti, quod unus Clericus iisdem dictam Mitram supra caput imponat, et auferat coram Archiepiscopo?

Et eadem S. C. respondit: « Non licere, quacumque consuetudine non obstante, sed imponendam, et levandam esse dictam Mitram per se ipsos, quando habeant usum dictae Mitrae ex in-

dulto Apostolico, secus absteineant. » Et ita declaravit, et scribi mandavit Archiepiscopo pro huiusmodi executione. Hac die 16. Augusti 1675.

2747. URBIS.

Quaesitum fuit a S. R. C. declarari infrascripta dubia, videlicet.

1. Cur infra octavam Corporis Christi facienda sit commemoratio Sancti simplicis sine nona Lectione?

2. Cur in octava Conceptionis B. M. V. concurrente cum Officio translato S. Luciae, fiant integrae Vesperae de octava Conceptionis, et non dividantur, videlicet; cur non fiat a capitulo de Officio S. Luciae?

Et eadem S. C., utrique interrogationi nihil aliud respondendum esse censuit, nisi quod eadem circa 1. decrevit sub die 8. Iunii 1666.

Et circa 2. « quod disponit Rubrica Officio Conceptionis adiecta, et ab eadem S. C. de anno 1667. approbata. » Hac die 7. Sept. 1675.

2748. CAVEN.

In causa controversiarum verten. inter Parochos S. Michaelis Archangeli Civitatis Caven. ex una, et Cappellanum, Magistros, et Confratres Cappellae B. Mariae Pietatis eiusdem Civitatis, iterum pro parte praefati Cappellani, et Confratrum supplicatum fuit declarare, et ordinare, quod, cadavere transportato ad Ecclesiam parochialem post absolutionem a Parocho factam iuxta Rituale Romanum, liceat cadaver ipsum per Confratres asportari ad eorum Cappellam, seu Ecclesiam, ibique solitas preces pro defuncti suffragio erogari per eos, et eorum Cappellanum cotta, et stola indutum iuxta antiquum institutum; imo etiam cum pluviali nigro iuxta ordinationem Episcopi de anno 1665. mense Nov., post declarationes huius S. R. C., habitae die 22. Nov. 1664.

Et eadem S. C., utraque parte informante, « inhaerendo Decretis sub dicta die 22. Novembris 1664. et 13. Iulii proximi praeteriti, stetit in decisis. » Hac die 28. mensis Septembris 1675.

2749. COMPOSTELLANA.

Pro parte Rm̄i Archiepiscopi Compostellanae fuerunt proposita infrascripta dubia a S. R. C. resolvenda, videlicet.

1. In Ecclesia Cathedrali, et Metropolitana Divi Iacobi Zebedei in commemorationibus communibus, et consuetis, quae vocantur suffragia Sanctorum, et dicuntur post Laudes, et post Vesperas temporibus in Rubrica designatis, commemoratio praed. S. Iacobi praepositur commemorationi SS. Petri, et Pauli Apostolorum, ex

antiqua, et immemorabili consuetudine dict. Ecclesiae. Quaeritur: utrum dicta consuetudo sustineri possit?

2. In eadem Cathedrali ex antiqua, et immemorabili consuetudine non recitantur Psalmi Graduales in feriis quartis Quadragesimae, nec Psalmi Poenitentiales in feriis sextis eiusdem Quadragesimae, nec non in prima die non impedita Officio novem Lectionum (*supplendum* Officium Mortuorum). Quaeritur: utrum huiusmodi consuetudo sit in omnibus his, vel in aliquo eorum sustinenda?

3. De Consecratione Ecclesiae Cathedralis recitatur cum octava nedum in ipsa Cathedrali Ecclesia, et Civitate Compostellana, sed etiam in tota Dioecesi ex antiqua consuetudine. Quaeritur: an substineri valeat, vel emendari debeat iuxta Decretum huius S. C. 2. Maii 1619., ubi solum in Civitate Compostellana recitatur cum oct., in Dioecesi vero sine illa?

4. De Sanctis, de quibus in Ecclesia Cathedrali recitatur (Officium, *sic supplendum*) ratione Reliquiae, recitatur etiam extra illam, et in tota Dioecesi ex antiqua consuetudine. Quaeritur: an tollerari possit, vel emendari debeat iuxta Decretum huius S. C. in principio Breviarii positum, et a fel. rec. Urbano VIII. appositum, ut solum de illis recitetur intra Ecclesiam, et non alibi?

5. De pluribus Sanctis, quorum Officium in Breviario est simplex, aut semiduplex, recitatur in Cathedrali Ecclesia, et in tota Dioecesi Officium duplex ex antiqua, et immemorabili consuetudine, ut de Sanctis Vincentio, et Anastasio 22. Ianuar., de S. Blasio 3. Febr., de S. Aegidio 1. Sept., de S. Euphemia 16. Sept., de S. Thoma Episcopo Cantuariensi 29. Dec., et de aliis. Quaeritur: an huiusmodi consuetudo sustinenda sit; an vero Officium praedictorum Sanctorum debeat reduci ad formam Breviarii?

6. De S. Fructuoso Episcopo Barchinonen., cuius corpus requiescit in dicta Cathedrali Ecclesia Compostellana, recitatur die 16. Apr.; de eius autem translatione recitatur die 16. Dec.; sed cum in dicta die incipiant in Hispania Antiphonae propriae feriales ad Laudes, et per horas, propter Festum Expectationis B. M. V., quod celebratur die 18. Dec., unde dictas Antiphonas debere incipi in Hispania dicta die 16. Dec. mandavit fel. rec. Gregorius Papa XIII. per speciale mandatum, quod est in Breviario in principio Sanctorum Hispaniae: ex quo sequitur, ut Officium feriale illius diei, et Antiphonae propriae illi correspondentes semper omittantur. Quaeritur:

an debeat omitti Officium translationis S. Fructuosi, ne Officium feriale, et Antiphonae illae omittantur; an vero debeant omitti Antiphonae illae, festum translationis S. Fructuosi celebretur, an vero dictum festum debeat transferri ad primam diem etc. ? Et in hoc casu dignetur S. C. illum assignare.

7. Multoties incidit festum duplex, aut simplex in diebus a iure statutis ad celebrationem Ordinum. Queritur: utrum Missa ad dictos Ordines celebrandos dicenda sit de Sancto, an vero de Feria, etiamsi Ordinationes non sint generales, sed particulares, ut de Diaconatu, aut Presbyteratu solum, et si Missa fuerit de feria, an facienda sit commemoratio de Sancto, vel e contra, si Missa sit de Sancto; an facienda sit commemoratio feriae?

Et eadem S. C., referente Emò Cardinali Corsinio, respondit.

- Ad 1. « Non posse. »
- Ad 2. « Non posse omitti. »
- Ad 3. « Servari Decretum. »
- Ad 4. « Serventur Decreta impressa in Breviario. »
- Ad 5. « Servetur Bulla Pii V. impressa in Breviario. »
- Ad 6. « Transferatur ad primam diem non impeditam. »
- Ad 7. « In Temporibus, de Feria: extra Tempora, de festo currenti. » Et ita declaravit. Die 28. Sept. 1675.

2750. IMOLEN. Emus, et Rñus D. Card. de Albitiis proposuit Dubia porrecta pro parte Rñi D. Episcopi Imolensis a S. R. C. declaranda, et sunt infra-scripta una cum Responsionibus Magistratus praedictae Civitatis, ut facent, et in vulgari sermone descripta, videlicet.

Dubbi del Vescovo d'Imola provenienti dalle nuove esorbitanti pretensioni del Magistrato di Imola.

1. Si supplica umilmente a dichiarare, se il Decreto favorevole di poter andare magistralmente col loro Governatore alle Chiese della Città, conforme all'istanza fatta, comprenda l'arbitrio di andare ad assistere in dette Chiese senza l'assenso, e saputa de' Superiori, o Padroni della medesima Chiesa?

Si risponde, che per Superiore, se intende se medesimo, è già deciso: *non posse prohibere*; se li Padroni delle Chiese, è pur deciso, perchè se non può il maggiore, non deve potere il minore; oltre che mai è venuto tal caso, anzi tutti li Pa-

droni hanno sempre pregato il Magistrato ad andarvi, onde non può sussistere questo dubbio, che per poter egli ordinare alli Padroni delle Chiese, che non ricevino il Magistrato, come ha fatto con poca edificazione del suo modo d'operare, e con molto pregiudizio del servizio di Dio, e scandalo del popolo.

2. Se essendo invitato il Vescovo a qualche Chiesa, e questo vada ad assistere, o far Cappella nella detta Chiesa, se il Magistrato vi voglia intervenire, lo possa fare, *invito Episcopo?*

Si risponde, che questo pure s'intende, e si sceglie la sua intenzione, poichè Monsignore andrebbe sempre, perchè il Magistrato non andasse; e poi dica, che ragione vi è da dubitare, che volendo il Magistrato andare alle Chiese, ove sia Monsignore, egli l'abbia da proibire, mentre per il maggior servizio di Dio, ed edificazione del popolo dovrebbe andarvi, e se non vi andasse, dovrebbe Monsignore procurare, che vi andasse, e per esservi andato sempre, ed esservi intervenuto alle funzioni, anco mentre vi è intervenuto Monsignore, come dalle attestazioni date nel sommario num. 1. e 2.; non si sa vedere, per qual causa s'abbia a proibirsi.

3. Si brama sapere in caso, che venghino, dove il Vescovo vadi, come questi abbiano a trattare il medesimo Vescovo in dette Chiese, attesochè probabilmente non gli faranno alcun atto d'ossequio, quando non se li preserva.

Si risponde, che il medesimo Magistrato ha sempre offerto di prestare in tutti li luoghi quell'ossequio a Monsignore, che è stato solito sempre prestare a' suoi Antecessori Prelati, nè si sa da che cavi questa sua probabilità di dubitare, e come in questo sia tenuto diverso da se stesso, mentre il Magistrato è stato, ed è sempre pronto a prestargli quelli ossequi dovuti, ed ordinati dalla S. C., ai quali ha rinunciato, ed interposta l'autorità dell'Emò Sig. Card. Rossetti, perchè il Magistrato accettasse quella rinunzia, alla quale il Magistrato si lasciò persuadere più per riverenza di non contraddire a Sua Emza, che per propria volontà, che era di servire a Monsignor Hmo ne' termini suddetti.

4. Se, essendo questi Signori di Magistrato assistenti alla Messa col Vescovo fuori del Presbiterio, debbano essere incensati, parendo, che il Ceremoniale disponghi, che non si dia incenso, e pace, se non a tutti quelli, che sono dentro il Presbiterio, e tanto si osserva nella Cattedrale di Imola col medesimo Magistrato, e nella Cappella Papale coll'Ambasciatore di Bologna, e Ferrara.

de Requiem, ut vocant, sive privatam, sive solemnem in festis duplicibus, infra octavas Epiphaniae, Paschatis, Pentecostes, et Corporis Christi, ac in tota hebdomada maiori, Feria 4. cinerum, Vigilia Pentecostes, ac Nativitatis Domini, celebrare ullo modo audeant, seu praesumant, nisi unicam tantum praesente cadavere, aliave gravi de causa a nobis approbata, non aliter etc. Idque sub poena suspensionis a divinis ipso facto incurrenda, aliisque nobis arbitrariis, praeter poenas in secunda nostra Synodo pag. 57. contra huiusmodi transgressores inflictas, quas hic innovamus, non obstante quacumque Doctorum opinione in contrarium allegata, vel in posterum alleganda etc., mandamus omnibus, et singulis Dioecesis nostrae Vicariis Foraneis, caeterisque Officialibus nostris, ut praesens Edictum nostrum, quod penes Acta Curiae registrari, et in locis solitis publicari iubemus, exequi omnino curent. Datum Vercellis die 24. Mensis Maii 1674.

Et eadem S. C. « suprascriptum Decretum, seu Edictum nedum laudavit, et confirmavit, sed etiam *mandavit*, ut idem omnino servetur, et contra inobedientes, et contrafacientes ita exequatur. » Hac die 28. Sept. 1675.

2754. ALBINGANEN.

S. R. C., inhaerendo Decretis in una Urbis S. Mariae ad Martyres de Rotunda sub die 29. Martii, et 17. Sept. 1659. emanatis, in quibus decretum fuit Canonicos Sacerdotes, quamvis possessione Canonicatus posteriores, ubi Praebendae non sunt distinctae, semper, et ubique praefereandos esse Canonicis inferioris ordinis, etiam possessione Canonicatus anterioribus, non obstante immemorabili consuetudine in contrarium, quam abusum imprescriptibilem esse declaravit; « idem servari *mandavit* in Collegiata Ecclesia SSrūm Iacobi, et Philippi de Taggia Dioecesis Albinganen. etiam inter Beneficiatos eiusdem, ad supplicationes Ioannis Vivaldi, et Consortium Sacerdotum, et aliorum Titularium Beneficiatorum adversus Fabium Litardi primum Beneficiatum, sed simplicem Clericum. » Hac die 28. Sept. 1675.

2755. BITUNTINA.

S. R. C. ad supplicationem Rm̄i D. Episcopi Bituntini, inhaerendo aliis in similibus resolutis, iterum declaravit; « Quod Vicarius Generalis, absente, vel praesente Episcopo, semper debet praecedere supra omnes Canonicos, et Dignitates, quando tamen non sint parati, etiamsi supradictus Vicarius sit unus de Canonicis, et non incedat in habitu canonicali, sed vicariali tam in choro, processionibus, et sessionibus, quam in

omnibus aliis ecclesiasticis functionibus; et quando diet. Vicarius generalis Canonicus incedit indutus habitu vicariali non debet gaudere distributionibus quotidianis; et quando idem incedit cum habitu canonicali, debet sedere in suo stallo chori, et in processionibus, aliisque functionibus, ut supra, incedere, et procedere in suo loco. » Hac die 28. Sept. 1675.

2756. AMALPHITANA.

In causa controversiarum vertente inter Dignitates ex una, et Canonicos Cathedralis Ecclesiae Amalphanae partibus ex altera, de, et super assistentia unius ex praedictis Canonicis pro Diacono praetensa a Dignitatibus, dum celebrant in solemnioribus; S. R. C. referente Em̄o D. Card. Vidono, utraque parte hinc inde informante, censuit: « Attento quod Praebendae canonicales sint Presbyterales, non teneri inservire pro Diaconis. » Et ita declaravit. Hac die 23. Novembris 1675.

2757. NEAPOLITANA.

Em̄us D. Card. Caracciolus Archiepiscopus Neapolitanus significavit per suas litteras S. R. C., quod, occasione festivitatis SS. Petri, et Pauli, P. Abbas Ecclesiae S. Petri ad Aram Canonicorum Regularium Lateranensium illius Civitatis, ut ad ipsam Ecclesiam personaliter venerandam se conferret, requisivit, et invitavit, cum iam ipso die festi ad Ecclesiam praedictam se accessurum paraverit, et ex palatio Archiepiscopali egressurus erat, praemisit, ut ibi solet, privatim Crucem, ut in suo adventu de more elevaretur; praedictus Abbas ipsam Crucem videns elevandam, non passus est, ut lator illam in Ecclesiam introduceret, imo quod nec foris illam ad ianuam Ecclesiae admoveret. Quare cum evidens fuerit spreus, et nullus honor ab Abbate praedicto praestitus suae Dignitati, prout evidens fuerit praeiudicium iurisdictioni Archiepiscopali illatum, dum omnia iura clamant posse Archiepiscopum elevata Cruce per Ecclesias exemptas nedum suae Dioecesis, verum etiam suae Provinciae incedere, prout ad omnes Ecclesias quomolibet exemptas semper ibi Archiepiscopus Neapolitanus introivit, et ipse quoque absque controversia. Ideoque supplicavit pro declaratione, non posse dictum Abbatem impedire, quin ipse elevata Cruce ad suam Ecclesiam, quando sibi libuerit, accedat, et ut in futurum a similibus absteat, et ad aliorum exemplum auctoritate ipsius S. C. moneatur, et corrigatur.

Et eadem S. C., referente Em̄o D. Card. Columna, respondit: « Licere Em̄o Archiepiscopo ingredi Ecclesias Regularium cum Cruce, et Em̄us

Archiepiscopus conficiat processum cont. Abb., quem transmittat ad eandem S. C. » Hac die 23. Nov. 1675.

2758. SABAUDIEN.

S. R. C. ad preces D. Principissae Ludovisae de Sabaudia, benigne inclinata indulisit, atque concessit, « ut ipsa in posterum celebrare facere possit singulis annis in principio mensis Octob., seu etiam si in dicto die occurrat officium dup. translatum, vel aliquis Sanctus Religionis illius Ecclesiae, solitum Anniversarium pro anima iam defuncti Principis Mauritijs eius viri cum quatuor saltem Missis de Requiem quibuscumque in contrarium non obstantibus. » Hac die 23. Novembris 1675.

2759. SYPONTINA.

Pro parte Emi D. Fr. Vincentii Mariae Archiepiscopi Sypontini Card. S. Sisti supplicatum fuit apud S. R. C. pro declaratione infrascriptorum Dubiorum, vulgariter loquendo, nempe

1. Se li Preti non capitolari, che intervengono ne' giorni festivi nel coro, e nelle processioni debbono sedere, o camminare per via d'anzianità o d'Ordine, ovvero dee precedere quello, che si ritrova graduato in legge canonica, o in teologia, quantunque sia posteriore nell'Ordine?

2. Se lo stesso debba praticarsi nelli Diaconi, Suddiaconi, e Chierici?

3. Se li Sacerdoti nazionali debbano avere qualche precedenza a diocesani, ed a quei Sacerdoti, che fanno l'incolato nella Città, quantunque questi abbiano maggior anzianità d'Ordini?

4. Se nelle Chiese recettizie della Diocesi debbano precedere quelli, che si trovano ascritti secondo l'anzianità dell'ascrizione, o pure secondo l'antichità dell'Ordine?

5. Se un Sacerdote non ascritto, intervenendo a quella Chiesa degli ascritti, possa precedere per anzianità d'Ordine a quelli, che sono ascritti, ma posteriori nell'Ordine?

6. Se l'Ordine della precedenza, che si praticerà ne' suddetti dubbi nella Città, si debba anche intendere per la Diocesi?

Et eadem S. C., referente Emi D. Cardinali Columna, ad suprascripta dubia respondit, ut infra, videlicet.

Ad 1. « Praecedentiam inter Presbyteros sumi ex antianitate Ordinis, non ex gradu doctoratus: quia Presbyteratus Ordo longe dignior est, quam gradus Doctoratus: sed inter plures Parochos, seu Curatos Ecclesiarum parochialium attenditur praerogativa Ecclesiae parochialis, non antianitas Ordinis. »

Ad 2. « Idem servandum, ut supra, ex iisdem rationibus. »

Ad 3. « Civitatem, et incolatum nullam Maiorem praerogativam tribuere. »

Ad 4. « Attendendam antianitatem Ordinum, dum in Ecclesijs adscriptitijs non potest considerari aliquis honor, seu aliquis titulus perpetuus, et realis pro adscripto. »

Ad 5. « Affirmative ex proxima allegata ratione. »

Ad 6. « Affirmative, cum militet eadem ratio, et non cognoscitur posse assignari disparitatem rationis. » Et ita declaravit, et servari mandavit. Hac die 23. Nov. 1675.

2760. URITANA.

S. R. C. in causa vertente inter Archiepiscyterum Casalis novi Dioecesis Uritanae ex una, et Dignitates Collegiatae dictae Terrae ex altera super modo incedendi in Processionibus, mandavit: « Servari Decretum Vicarii Capitularis Uritani, nempe, quod Archiepiscyter, qui est prima dignitas, quando incedit cum cotta, associetur cum aliqua ex alijs Dignitatibus, quibus non existentibus, cum Decano Canonicorum, et si numerus sit dispar, idem Archiepiscyter incedat in medio duorum digniorum, et eundem ordinem voluit servari debere in defectum Archiepiscyteri, nimirum, quod dignior de Capitulo incedat associatus, ut supra. » Hac die 23. Nov. 1675.

2761. FANEN.

S. R. C. ad instantiam Parochorum Castri Saltariae Dioecesis Fanen., inhaerendo Decretis alias in similibus emanatis, et praesertim Decreto generali super Regularibus edito die 27. Julij 1628., et audita relatione Episcopi Fanen. Ordinarii, iterum declaravit: « Non licuisse, neque licere Monachis Coelestinis S. Petri dicti loci Saltariae, nisi de licentia, et consensu proprii Episcopi Ordinarii, aut cum Cruce Parochi peragere, et dirigere Processiones, et praecipue illas primae Dominicae cuiuslibet mensis: die 20. Ianuarii Festo S. Sebastiani, et die Veneris Sancti post Matutinum de sero intra limites Parochiarum supplicantium, et extra ambitum, et porticum propriae Ecclesiae per ipsos Coelestinos fieri solitas, nullo iure, sed tantum propria auctoritate. » Et ita decrevit, et omnino servari mandavit, quibuscumque in contrarium non obstantibus. Hac die 23. Nov. 1675.

2762. ARBOREN.

Pro parte Rmi Archiepiscopi Arboren. expositum fuit in S. R. C. quod in sua Metropoli Civitatis Arboren., quae in sacrosancti Altaris utrius-

que Saecularis, et Regularis Ecclesiae Ordinis abundat operariis in omnibus Regularium Conventibus, qui ibi Dominicanorum, Carmelitarum, necnon Conventualium, et de Observantia S. Francisci existunt, intolerabilis viget abusus. Quisque eorum Sacerdos in die commemorationis omnium Fidelium defunctorum tres celebrat Missas; verum cum id et scandalosum avaritiae nomen redolere valeat, et sacrosancto universali Catholicae Ecclesiae adversetur ritui; ideo orator praedictus supplicavit pro declaratione; an id eisdem liceat?

Et eadem S. C. respondit: « Non licere, et Archiepiscopus praefatus sub poena interdicti, aliisque Canonicis remediis, etiam nomine eiusdem S. C., quatenus opus sit, praedictum abusum eliminare curet. » Et ita declaravit, atque decrevit. Hac die 11. Ianuarii 1676.

2763. **CONVERSANA,**
 SEU FIRMANA,

VEL NULLIUS TERRAE PUTIGNANI.

Cum in Decreto generali super Officiis ad libitum non transferendis habeatur: In futurum Officia Sanctorum ad libitum non esse transferenda, quando dies eorum festivitatum sunt impediti die Dominico, aut aliquo alio die festorum mobilium; quaesitum fuit: an huiusmodi Officia ad libitum transferri possint, quando occurrunt in festis Patronorum locorum, vel Dedicacionis Ecclesiarum Cathedralium, cum non sint festa mobilia, neque dies Dominici, vel quando occurrunt in die impedita festo stabili?

Et S. R. C. ad praedicta nihil respondendum esse duxit, « sed servandum esse praedictum Decretum de non transferendo etc. » Instante Capitulo Terrae Nucum Conversanae Dioecesis, ac Dionysio Sirigardi pro ordinando Diario Civitatis, et Dioecesis Firmanae, necnon Sacerdotibus Terrae Putignani Nullius etc. Hac die 11. Ian. 1676.

2764. **MEDIOLANEN.**

S. R. C. declaravit: « Nulli alteri, absque concessione Apostolica, in Praepositali Ecclesia loci de Tretio Mediolanen. Dioecesis licuisse, neque licere apponere sedem cum genuflexorio, et tapete intra clatrem ferream, et cancellos lapideos ante Altare maius dictae Praepositalis Ecclesiae, sed hoc ius privative competere Comiti Ferranti Cavanego Domino dicti loci de Tretio, suisque successoribus, prout ex eadem S. C. sub die 15. Ianuarii 1661., et 17. Iunii 1663. ius praefatum eidem, suisque successoribus indultum fuit. » Hac die 11. Ian. 1676.

2765. **TARRACONEN.**

Pro parte Parochorum Civitatis Tarraconen.

expositum fuit in S. R. C., quod in Cathedrali praedictae Civitatis adsunt duo tantum Parochi pro cura, et servitio animarum totius Civitatis, qui sunt de corpore, et gremio Commensalium, et Beneficiatorum eiusdem Ecclesiae; et cum soliti fuerint in Vesperis, et Laudibus Festivitatum duplicium incensare Canonicos, et reliquos de choro, necnon in reliquis diebus celebrare Missas post Laudes; fuerunt, et sunt in possessione utrumque explendi per suos substitutos de eodem corpore Commensalium, et Beneficiatorum, ut possint commodius, et diligentius incumbere administrationi Sacramentorum, et animarum curae exceden. numerum quatuor millia. Sed quia Capitulum, et Canonici, sub praetextu, quod ipsi Parochi teneantur semper per semetipsos incensare, et Missas, ut supra, celebrare, mulctaverunt eos de facto in certa pecuniarum summa, etiam in casu, quo actu ipsi Parochi aegrotabant, et curae animarum, ac Sacramentorum administrationi incumbant; ideoque iidem Parochi supplicarunt pro declaratione, posse Oratores utrumque munus incensandi, et celebrandi Missas explere per substitutos ab ipsis Parochis nullos in ipsa cura animarum habentibus Vicarios, seu Coadiutores, cum magis necessarium videatur, ut per semetipsos incumbant dictae curae animarum, quam muneribus, et officiis chori, qui sine ullo Canonicorum, ac cultus, et servitii Divini praeiudicio expleri possunt per substitutos.

Et eadem S. C., audita relatione Rm̄i Archiepiscopi Tarraconen. facta ad favorem praedictorum Parochorum, respondit: « Servari solitum. » Et ita censuit, et decrevit. Hac die 11. Ian. 1676.

2766. **THEANEN.**

Pro parte Episcopi, Capituli, et Cleri Cathedralis Theani expositum fuit, quod in dicta Cathedrali asservantur Corpora SS. Martyrum Iuliani, et Albinae Virg. et Mart., et quia dies festus S. Iuliani occurrit 7. Aug. impedita duobus octavis S. Dominici, et S. Paridis Patroni dictae Civitatis, et illa S. Albinae 16. Decembris tempore Adventus; ideo supplicatum fuit pro licentia transferendi dicta festa ad alium mensem magis liberum, et S. R. C. benevisum, et in posterum celebrandi sub ritu duplici.

Et eadem S. C. respondit: « Serventur Rubricae de Translatione Festorum. » Hac die 11. Ianuarii 1676.

2767. **TAURINEN. DUBIUM.**

Quaesitum fuit S. R. C. pro declaratione: an in Metropoli Episcopi residentis, Abbas titularis nullam habens iurisdictionem possit, tamquam

Praelatus domesticus Papae, habere usum Altaris Portatilis?

Et an possit dare facultatem Sacerdotibus, ut in sua praesentia possint celebrare in cubiculis Principum non habentium Breve ad hoc?

Et an in tali casu, et Altari portatili Abbates habentes iurisdictionem possint rite celebrare, etiam in absentia illius, qui vigore privilegii credebat hoc sibi ius competere?

Notandum etiam, quod de tali praetense privilegio, seu de Brevi Praelati domestici ad honorem concessio, nullum fuit factum verbum Episcopo residenti.

Et eadem S. C., referente Eñno D. Cardinali Roccio, respondit: « In omnibus negative. »

Et ita censuit, et declaravit ad preces Rñi Archiepiscopi Taurinensis. Hac die 11. Ian. 1676. 2768.

TIBURTINA.

Pro parte Capituli, et Canonicorum Ecclesiae Tiburtinae supplicatum fuit in S. R. C. pro declaratione: An Canonicus Cathedralis constitutus in ordine Presbyterali, quamvis postea receptus, praecedere valeat Canonicum antea receptum, in ordine tamen Diaconali constitutum, etiamsi in Ecclesia non sint distincti Ordines?

Et eadem S. C. respondit: « Praecedentiam dandam esse Canonico Presbytero, et in praesentia casu in praedicta Ecclesia *mandavit* servari Decreta ab eadem in similibus edita, et signanter in una Urbis S. Mariae ad Martyres de Rotunda sub die 19. Mart., et 17. Sept. 1659., in quibus resolutum fuit, Canonicos Sacerdotes, quamvis possessione Canonicatus posteriores, ubi Praebendae non sunt distinctae, semper, et ubique praefereandos esse Canonicis inferioris Ordinis, etiam possessione Canonicatus anterioribus, non obstante immemorabili consuetudine in contrarium, quam abusum impraescriptibilem esse, *declaravit.* » Hac die 11. Ian. 1676.

2769. ASCULANA.

Pro parte Caroli Campagna Canonici Cathedralis, qui ex causa infirmitatis gaudet indulto Apostolico utendi pileolo a principio Missae usque ad Praefatum, supplicatum fuit pro declaratione: an liceat eidem praefatum retinere etiam in Missis cantatis praesente Episcopo?

Et S. R. C. respondit: « Non licere. » Hac die 21. Mart. 1676.

2770. CIVITATIS CASTELLI.

Pro parte Rñi Episcopi Civitatis Castelli supplicatum fuit apud S. R. C. pro declaratione infrascriptorum Dubiorum, et sunt, ut sequitur, vulgariter loquendo, videlicet.

Dubbi, che propone nella Visita de' Sacri Limiti alla S. C. de' Riti Monsig. Vescovo di Città di Castello.

1. Se si debba far Pontificale nelle Feste dei SS. Pietro e Paolo, e dell'Assunta, non ostante l'uso in contrario addotto dal Capitolo?

2. Se fuori di quando si celebra Pontificale, tutte le altre solennità si possino fare dagli Edomadari *per turnum*, senza distinzione veruna dagli altri tempi, o pure con distinzione, e da altri?

3. Se quando il Vescovo interviene a prediche, o funzioni fuori della Cattedrale con cappa, o senza, si possa permettere ai Canonici sedere in sedie camerale, dette d'appoggio, tanto in abito canonica, quanto coll'usuale?

4. Se si possa permettere al Magistrato pigliar le ceneri il primo di Quaresima, adorare la Croce nel Venerdì Santo, e comunicarsi il Giovedì Santo immediatamente dopo i Canonici, prima de' Sacerdoti anco vestiti colla Pianeta?

Et eadem S. C. respondit.

Ad 1. « Licere. »

Ad 2. « Servetur consuetudo. »

Ad 3. « Negative. »

Ad 4. « Negative. » Et ita censuit, et declaravit. Hac die 21. Martii 1676.

2771. FIRMANA.

S. R. C. censuit omnino servandum esse Decretum b. m. Eñni Gualterii Archiepiscopi Firmani, et confirmatum ab eadem S. C., nempe: « Quicumque sive Saeculares, sive Regulares Clerici, qui ad funus associandum vocati fuerint, ne recta via pergant ad domum defuncti, ibique vel per vias expectent, etiamsi in eorum Ecclesia mortuus sit sepeliendus, sed in Parochiali, vel in alia commodiori de consensu Parochi congregentur, et inde una cum Parocho ad locum, unde Cadaver asportandum erit. » Nec non declaravit: « Non licere Regularibus in casu proposito intonnare Psalm. *Miserere etc.*, sed omnia Officia domi, et per viam supra corpus defuncti facere ad Parochum spectare, et pertinere. » Et ita ad instantiam Capituli Collegatae S. Pauli Civitatis novae Dioecesis Firmanae adversus Regulares Ordinis S. Augustini, et Minorum Conventualium S. Francisci eiusdem loci decrevit, et servari mandavit. Hac die 21. Mart. 1676.

2772. MANTUANA.

S. R. C. ad instantiam Comitissae Sigismundi Magni Canonici Cathedralis Civitatis Mantuae, ac Protonotarii Apostolici de numero non participantium, inhaerendo Decretis alias ab eadem in

similibus emanatis, et signanter in una *Neritonensis* die 16. Decembris 1606., et *Asculana in Apulia* 6. Martii 1610. iterum declaravit: « Privilegia dictorum Protonotariorum, quatenus sunt in usu, servanda sunt, et si praedictus Orator voluerit uti habitu Protonotarii in Ecclesia Cathedrali, in qua habet Canonicatum, debet sedere, stare, et incedere in loco non inter Canonicos, sed post Abates, quia reputatur tamquam extraneus, et non lucratur distributiones, et fructus suae Praebendae. » Et ita servari mandavit, quibuscumque in contrarium non obstantibus. Hac die 21. Martii 1676.

2773. VITERBIEN.

Extat Viterbii Monasterium Monialium, quae profitentur sub regula S. Augustini, et subsunt immediate soli Ordinario, nec a Regularibus gubernantur, nec sunt sub Ordine Monastico, neque cum illo, praesertim quoad horas Canonicas, conveniunt, sed ritum Ecclesiasticum Cleri Saecularis sequentes, hactenus Officia divina iuxta Breviarium Romanum recitarunt. Nuper dumtaxat absque S. Sedis facultate coeperunt praetendere recitare Officia propria Regularium SSrum Ordinis S. Augustini cum Psalmis, Hymnis, et Lectionibus illorum propriis: quare supplicatur per hanc S. C. declarari: An dictis Monialibus id liceat?

Et eadem S. R. C. declaravit: « Non licere. » Hac die 21. Mart. 1676.

2774. NICIEN.

S. R. C., habita notitia de innovatione habitus canonicalis facta a nonnullis Canonicis Ecclesiae Cathedralis Nicien., deferendo in locum caudae dicti habitus, fasciculum, seu flocculum, ut dicitur, *di fettucce* coloris violacei e longitudine duorum palmorum, contra dispositionem Decreti illius Episcopi emanati in prima sua Synodo; censuit: « Id praedictis Canonicis non licuisse, neque licere; imo declaravit: esse abusum, et iisdem prohibendum, prout prohibuit, et mandavit, omnino servari per eosdem supradictum Decretum eiusdem Episcopi. » Hac die 21. Mart. 1676.

2775. TRIVENTINA.

Pro parte Iosephi de Magistro Angelo Terrae Caveleonis Triventinae Dioecesis expositum fuit S. R. C., quod ipse Orator fuit prius promotus ad Sacerdotium, sed ex causa non celebravit Missam, quam Liberatus de Donarellis eiusdem Terrae posterius ordinatus, sed prius celebravit; ideoque supplicatum fuit pro declaratione infrascripti Dubii: cuiam in casu proposito debeatur praecedentia tam in choro, quam extra, primo promoti, an vero primo Celebranti?

Et eadem S. C. respondit: « Deberi primo promoti. » Et ita declaravit. Hac die 21. Martii 1676.

2776. COLLEN.

Pro parte Petri Pelliccioni Canonici Ecclesiae Cathedralis Collen. supplicatum fuit per S. R. C. declarari.

1. An Celebrans in Missa solemnibus, quando sedere debet, dum cantatur *Gloria in excelsis*, et *Credo*, procedere debeat ad praeparatam sedem aperto capite, et ita regredi ad Altare; et dum sedet ad illa verba, quae cantantur in Choro, ad quae fieri debeat inclinatio; an debeat se inclinare nudo capite iuxta dispositionem, et opinionem Bartholomaei Gavanti, et Michaelis Bauldry, cum Rubrica Missalis de hoc non disponat, non obstante praetensa contraria consuetudine?

2. An in benedicendo populum cum SS. Sacramento sit servandus modus infrascriptus. Cum Sacerdos stat ante populum, Ostensorium ante pectus tenet, tum elevat illud decenti mora non supra caput, sed tantum usque ad oculos, et eodem modo illud demittit infra pectus, mox iterum recta illud attollit usque ad pectus, et deinde ad sinistrum humerum ducit, et reducit ad dexterum, et rursus ante pectus reducit, ibique aliquantulum sistit quasi peracta ad omnes mundi partes Cruce, eam etiam venerandam omnibus praebet, tunc, gyrum perficiens, collocat Ostensorium super Altare. *Michael Bauldry* part. 4. cap. 16. art. 3. n. 34. pag. 481. *Theophil. Pytonell* de depositione SS. Sacramenti l. 3. c. 2. n. 8.

Et S. C. respondit.

Quoad 1. « Affirmative in omnibus. »

Et quoad 2. respondit: « Si ei placet, potest observare suprad. modum, quem tradit *idem Bauldry loc. cit.*; sin minus, servandus est modus dispositus in *Caereimoniali Episcoporum lib. 2. cap. 33.*, ubi requiritur tantummodo, ut cum eodem SS. Sacramento Celebrans producat Crucis signum super populum. » Et ita declaravit. Hac die 21. Mart. 1676.

2777. FAVENTINA.

Pro parte Magistri Caereoniarum Cathedralis Ecclesiae Civitatis Faventinae expositum fuit apud S. R. C., quod Magistratus saecularis eiusdem Civitatis, dum Ernus illius Episcopus in cappa, seu pontificali solemniter dat benedictionem populo, vult stare, et non genuflectere; propterea supplicatum fuit per eandem declarari: an in casu proposito idem Magistratus stare, vel genuflectere debeat?

Et eadem S. C., inhaerendo Decretis alias in

similibus editis, et praecipue in una Imolen. die 23. Mart. 1641., respondit: « Ad benedictionem solemnem Episcopi omnes teneri genuflectere praeter Dignitates, et Canonicos Cathedralis, ideoque Magistratum praefatum debere genuflectere. » Et ita declaravit, et servari mandavit. Hac die 21. Martii 1676.

2778. MONOPOLITANA.

Pro parte Marci Antonii de Ghezza Protonotarii Apostolici de numero non participantium, ac unius ex quatuor Parochis Civitatis Monopolitanae, qui solent intervenire, et assistere ad functiones in Ecclesia Cathedrali, seu Collegiata, supplicatum fuit per S. R. C. declarari.

1. An ipse orator uti Protonotarius possit intervenire, et assistere ad dictas functiones cum habitu Protonotarii?

2. An sibi uti Parocho debeatur praecedentia supra alios praedictos Parochos, qui non habent talem praerogativam Protonotariatus?

Et eadem S. C., inhaerendo Decretis alias in similibus emanatis, et praecipue in Neritonen. die 16. Decemb. 1606., Aesculana in Apulia 6. Mart. 1610., et Mantuana currentis anni.

Ad 1. respondit « Affirmative, quatenus privilegia praedicta Protonotariorum sint in usu; et debet sedere, stare, et incedere in loco non supra praedictos Parochos, neque supra, nec inter Canonicos, sed post Abbates, ut disponit *Caeremoniale Episcoporum lib. 1., c. 13. circ. finem*, et quia reputatur tamquam extraneus, non lucratur distributiones quotidianas, et fructus suae Praebendae. »

Ad 2. respondit, « Negative, quia praecedentia inter Parochos sumitur ex praerogativis Ecclesiae parochialis, ut resolutum fuit in *Sypon-tina 23. Nov. 1675.* » Et ita declaravit, et servari mandavit. Hac die 21. Mart. 1676.

2779. LAUDEN.

Habito recurso a Praepositis, et Rectoribus Civitatis Lauden. ad S. R. C. pro declaratione: an sibi liceat deferre in manibus intortitiâ in solemni processione Corporis Christi, ac deferre, et erigere in eadem, et solemnibus aliis Crucem, non obstantibus praetensa contraria consuetudine, et Concilio Provinciali IV., et aliis a Canonicis Cathedralis praedictae Civitatis allegatis?

Et eadem S. C., inhaerendo Caeremoniali Romano cap. de processione Corporis Christi, et Decreto eiusdem S. C. in una Andrien 12. Aprilis 1603., necnon Edicto Episcopi Lauden. impresso per Carolum Caldarium in dicta Civitate de anno 1631. pro festo Corporis Domini, respon-

dit; « Licere. » Et ita declaravit, et servari mandavit. Hac die 21. Mart. 1676.

2780. FAVENTINA.

Habita notitia a S. R. C., quod cum eadem sub die 21. Mart. currentis anni declaraverit: Magistratum Civitatis Faventinae teneri genuflectere ad benedictionem solemnem illius Eûni Episcopi et haec de causa idem Magistratus in proxima praeterita festivitate Pentecostes ad Ecclesiam Cathedralem ire recusaverit; quapropter eadem S. C., inhaerendo Decretis alias in similibus resolutis in Narnien. 16. Jul. 1605., et Fanen. 1. Sept. 1607. iterum declaravit: « praedictum Magistratum debere in solemnioribus festivitibus, et aliis diebus solemnibus per annum ire ad Ecclesiam Cathedralem, et Episcopo ad Ecclesiam accedenti debitum, ac solitum obsequium praestare, nec non ad praedicta omnia servanda teneri, et quatenus opus sit opportunis remediis cogendum esse, » censuit, et ordinavit. Die 30. Maii 1676.

2781. BONONIEN.

Cum dubitatum sit circa intelligentiam Decreti SS. D. N. Clementis X. emanati die 28. Mart. currentis anni pro Civitate, et Dioecesi Bononien. super concessione celebrationis diei festi B. Catharinae de Bononia cum Officio, et Missa de communi virginum sub ritu duplici, ideoque supplicatum fuit per S. R. C. declarari.

1. An Missa praedicta B. Catharinae celebrari possit quocumque die anni, quo potest celebrari Missa votiva?

2. An dies festus dictae Beatae cum incidat die 9. Martii cum festo S. Francisciae Romanae, qui est de praecepto sub ritu duplici, debeat transferri, attentis decretis novissimis super recitatione Officii Sanctorum ad libitum, quod non possit transferri?

Et eadem S. C. tam ad 1., quam ad 2. respondit; « Negative, sed ex speciali gratia, censuit, permittendum esse, prout permisit, ut in posterum in dicta Civitate, et Dioecesi Bononien. dies festus B. Catharinae celebrari possit eadem die, et sub eodem ritu, sicut celebratur a Monialibus Ordinis S. Clarae eiusdem Civitatis Bononiae. » Hac die 3. Jun. 1676.

2782. INDIARUM.

Cum pro parte Provincialis, et Fratrum Discalceatorum S. Francisci Provinciae S. Didaci Novae Hispaniae in Indiis expositum fuerit in S. R. C., quod, licet plura emanaverint Decreta eiusdem S. C. et signanter sub diebus 10., et 22. Dec. 1629. confirmata per speciales literas.

Apostolicas in forma Brevis a S. M. Urbano VIII. dat 9. Ian. 1630. ad favorem Discalceatorum S. Francisci S. Ioannis Baptistae Hispaniarum, et successive per alias datas 13. Maii 1641. ad favorem Discalceatorum Provinciae S. Didaci in Hispaniis declarantia, et sancientia, etiam cum clausula sublata, et decreto irritante, praecedentiam in concursu cum aliis Regularibus in processionibus, et aliis actibus publicis semper competere dictis, Discalceatis S. Francisci, sive soli de per se, et sub propria Cruce, sive cum Cruce, et cum Familia de Observantia incedant; et sive Discalceati, Reformati, aut alio quovis nomine nuncupentur, necnon gaudere, et frui debere omnibus aliis praerogativis expressis in Bulla S. M. Clementis VIII. incipiente: *Ex iniuncto nobis etc.* dat. 7. Sept. 1602., et ita in posterum ubique servari mandaverint: tamen oratores praedicti in nova Hispania patiuntur desuper controversiam ab aliis Regularibus: et praesertim a Fratibus Eremitis S. Augustini; ideoque supplicatum fuit pro opportuno remedio.

Et eadem S. C., attentis narratis, ad tollendam huiusmodi controversiam declaravit: « Decreta superius relata, et Brevia Apostolica servanda, et exequenda esse etiam in dictis partibus novae Hispaniae ad favorem oratorum, perinde ac si pro eis emanassent, et ad praedicta omnia servanda, et exequenda per Rm̄os Archiepiscopos, et Episcopos, eorumque officiales, et vicarios in spiritualibus generales opportunis remediis Regulares praefatos renuentes, inobedientes cogendos esse » censuit, voluit, et ordinavit. Hac die 13. Iun. 1676.

2783. CUSENTINA.

Capitulum Cathedralis Cusentinae supplicavit declarari.

1. An Vicarius generalis possit praecedere supra Dignitates, et Canonicos sacris vestibus indutos in choro, et extra illum, necnon in processionibus?

2. An absente Episcopo idem Vicarius debeat thurificari tribus ictibus?

Et S. R. C. respondit tam ad 1., quam ad 2. « Negative. » Hac die 13. Iun. 1676.

2784. CUSENTINA.

S. R. C., inhaerendo aliis in similibus resolutis, declaravit: « Non licuisse, neque licere Regularibus, et praecipue Fratibus Ordinis S. Dominici loci de Mendicino Cusentinae Dioecesis, ut in processionibus SS. Corporis Christi, Rosarii, et aliis per ipsos fieri solitis, mulieres ingrediantur in eorum claustra, nisi adsit circa

hoc expressa licentia Sedis Apostolicae. » Hac die 13. Iun. 1676.

2785. DERTUSEN.

IURIS SEDENDI.

Pro parte, et de communi consensu tam Rm̄i Episcopi Dertusen., quam D. Ludovici de Puacons Equitis Hierosolymitani supplicatum fuit, per S. R. C. declarari dubium; an liceat praedicto D. Ludovico de Puacons Equiti Hierosolymitano uti Domino, et Commendatori loci de Asco, sedere in sede ornata cum tapete, et pulvinari in Presbyterio Ecclesiae parochialis dicti loci, quae est saecularis, et subiecta omnimodae iurisdictioni praefati Episcopi Dertusen.?

Et eadem S. C. ex deductis pro utraque parte declaravit: « Non licere, et posse per Episcopum id prohiberi. » Hac die 13. Iun. 1676.

2786. IUVENACEN.

S. R. C. declaravit: Non licere Canonicis Collegatae Spiritus Sancti Iuvenacen. pulsare campanas die Sabbati Sancti ante Cathedralis eiusdem civitatis. » Et ita in posterum servari mandavit. Hac die 13. Iun. 1676.

2787. IMOLEN.

Pro parte, et ad instantiam Rm̄i Episcopi Imolen. contra Capitulum, et Canonicos Cathedralis eiusdem civitatis fuerunt proposita per Em̄um D. Card. Albitium in S. R. C. infrascripta dubia resolvenda.

1. An praedicti Canonici debeant, et teneantur associare ipsum Episcopum reversurum cum cappa magna ad proprias aedes?

2. An assertam consuetudinem, seu potius abusum in festivitatibus SS. Cassiani, et Petri Crisologi celebrandi Missam, et vespers solemnes in parte inferiori praedictae Ecclesiae, relicto Presbyterio posito in superiori, et longe distante, contra praescriptum Caeremonialis, idem Episcopus possit, et debeat abolere ob multa asserta inconvenientia; et iidem Canonici teneantur praedicto Episcopo inservire pontificaliter in dictis festivitatibus in Presbyterio Celebranti?

Et eadem S. C., utraque parte plene informante, respondit. Ad 1. « Standum esse in decisio » sub die 18. Maii 1675.

Ad 2. « Nihil omnino innovet Episcopus, sed servet solitum. » Et ita declaravit, et servari mandavit. Hac die 13. Iun. 1676.

2788. IMOLEN.

Iterum habito recurso per Rm̄um Episcopum Imolen. ad S. R. C. pro declaratione: an Magistratus civitatis Imolen. in solemnitatibus maioribus, quae exercentur in Cathedrali, et ad

quas idem Magistratus assistit in suo banco, sit thurificandus uno eodem tempore, quo Canonici, mediante usu duplicis thuribuli?

Et eadem S. C. ad relationem E^mi D. Cardinalis de Albitis Pontis, auditis partibus hinc inde plene informantibus, respondit: « Servetur solitum, scilicet tolerandum usum duorum thuribulorum, et scribatur E^mo Rossetto, qui dirigetur quantocius praefigere terminum partibus ad probandum immemorabilem. » Et ita decrevit: Hac die 13. Jun. 1676.

2789. MAIORICEN.

Pro parte R^mi Episcopi Maioricen. supplicatum fuit apud S. R. C. pro resolutione infrascriptorum dubiorum.

1. An Magistratus saecularis, sive Iurati Maioricen. teneantur genuflectere, quando ipse Episcopus in fine Missae sollemnis, ac post Vesperas, et laudes, necnon in fine Processionis dat benedictionem solemnem Episcopalem?

2. An iidem quando assistunt Missis pontificalibus in Cathedrali, et cantatur versus, *Et incarnatus est*, debeant genuflectere?

3. An praefati in actu receptionis candelae, cineris, et palmarum teneantur genuflectere, et facere debitam submissionem, et reverentiam Episcopo, ut disponit Caeremonialis Episcopalis? Et eadem S. C. respondit: « Ad 1. Servetur Caeremoniale. »

Ad 2. « Stantes genuflectere debent ad verum, » *Et incarnatus est*; Sedentes vero inclinare caput. »

Ad 3. « Affirmative. » Et ita declaravit. Hac die 13. Jun. 1676.

2790. MEDIOLANEN.

S. C. R. declaravit: « Non licuisse, neque licere Praeposito Collegiatae Ecclesiae de Varese Mediolanen. Dioecesis praetendenti incensari triplici ductu, et non duplici, quando Canonicus in qualitate Diaconi assistit ad Altare, et incensat eorum; et contrariam consuetudinem esse abusum; ideoque eidem prohibendum » censuit, prout prohibuit. Hac die 13. Jun. 1676.

2791. NEAPOLITANA.

Pro parte Magistri Caeremoniarum in Ecclesia SS. Annunciationis Neapolis supplicatum fuit pro declaratione infrascriptorum dubiorum.

1. An in Matutinis solemnibus admittatur usus pluvialium?

2. An Celebrans, qui non habet usum pontificalium, Sacrum Christi Corpus communicantibus distribuens, possit sibi teneri facere Pixidem a Diacono, et per Subdiaconum Patenam?

3. An Diaconus, et Subdiaconus debeant adiuvari celebraturum, dum sacras induit vestes?

Et eadem S. C. respondit. Ad 1. « In solemnioribus deberi. »

Ad 2. « Negative. »

Ad 3. « Pariter Negative. » Et ita declaravit. Hac die 13. Jun. 1676.

2792. NUSCANA.

Supplicante Parocho Terrae Bagnoli Nuseanae Dioecesis pro resolutione infrascripti dubii: an liceat cum consensu Episcopi, contradicente tamen Parocho oratore, Fratribus Ordinis S. Dominici in die festivitatis S. Dominici processionem facere cum Reliquia praedicti S. Dominici, et cum Confraternitatibus erectis intus Conventum, et extra claustra dicti Conventus, et intra limites Parochiae Oratoris? Et eadem S. C., inhaerendo Decreto Albanen. die 9. Augusti 1670. in similibus emanato, respondit: « Potest Episcopus concedere licentiam, etiam contradicente Parocho. » Et ita declaravit. Hac die 13. Junii. 1676.

2793. PAPIEN.

S. R. C. declaravit: « Non licere Archidiacono Cathedralis Papien. in functionibus per ipsum faciendis tamquam Primicerium Consortii dietae Civitatis, deferre ultra Insignia Primiceriatus, etiam illa Archidiaconatus. » Hac die 13. Junii 1676.

2794. NATIONIS SCOTORUM.

Proposito dubio pro parte Nationis Scotorum: An Decretum emanatum pro S. Margharita Regina Scotiae, in quo habetur, quod dicta Sancta veneretur uti Patrona secundaria dicti Regni, extendatur etiam ad nationales extra illud comorantes, et praesertim ad Collegia, Ecclesias, et Cappellas, et Monasteria, quae sunt in partibus ultramarinis? Et quatenus negative supplicatum fuit pro huiusmodi extensione. Et Sacra Rituum Congregatio respondit. « Praedicta non comprehendi, sed gratiam desuper extendendo concessit Collegiis tantum. » Hac die 13. Junii 1676.

2795. TRIVISINA.

Expositum fuit in S. R. C. quod in Trivisina Dioecesi de praecepto Ordinarii fuerunt institutae nonnullae Congregationes Parochorum, in quibus discuti debent saltem duo casus conscientiae, quotiescumque illae habentur; et quia omnes illi Sacerdotes die illo, quo conveniunt, Sacrificium offerunt pro confratribus laicis tam vivis quam defunctis, et Primicerius tandem cum

sacris ministris canit Missam; dubitatum fuit, qualis Missa ab hoc cani debeat; an de festo currenti, an vero de Sancto titulari, cum omnis Congregatio instituta sit sub invocatione alicuius Sancti particularis? Et eadem S. C. respondit: « De Missa currenti » Et ita censuit. Hac die 13. Iun. 1676.

2796. FAVENTINA.

Cum elapsis mensibus, nempe die 21. Mart. et, 30. Maii decurrentis anni 1676. S. R. C., declaraverit: « Magistratum Faventinum teneri genuflectere ad quascumque benedictiones Cardinalis Episcopi tum inter, tum post quaecumque solemniam elargiri solitas; *idque locum habere intellexerit* in quibuscumque benedictionibus inter, vel post Vesperarum, missarumque solemniam, eodem Episcopo apud sedem pontificalem vel apud Altare, tum cappa pontificali, tum sacris vestibus induto, eorumdem Divinorum officiorum solemniam peragente; ac pariter ab initio ad finem missae privatae eodem Episcopo quocumque loco, et tempore celebrante, vel iis assistente. *Necnon adiecerit*, ipsum Magistratum compelli posse ad accedendum ad Episcopum, indeque ad Ecclesiam consuetis Divinis Officiis interfuturum. *Praeterea*, ex ritu sit, eundem Magistratum debere obducto capite integris quibuscumque praefatis solemnibus interesse, et genuflectere ad integram confessionem praeliminarem quarumcumque Missarum solemnium, et ab initio Canonis usque ad vers., *Per omnia saecula saeculorum*, ante vers. *Pax Domini sit semper vobiscum etc.* S. eadem C. Decreta iam edita confirmat, eaque cum praedictis declarationibus omnimode executioni demandari necnon de novo expressa, non obstante quacumque etiam immemorabili consuetudine, quam abusum vocat, observari praecepit. Parere vero renuentes quibuscumque remediis, ac etiam censuris ecclesiasticis, quas ipsa in subsidium adhiberi vult, compelli posse, *declarat*, et coerceri iubet, et imperat. Die 13. Iunii 1676.

2797. ANAGNINA.

Vicarius generalis Episcopi Anagnini supplicavit in S. R. C. pro declaratione infrascriptorum dubiorum, videlicet.

1. An Vicarius generalis debeat praeferrī Praeposito, et aliis omnibus de capitulo in omnibus actibus publicis, et privatis, tam praesente quam absente Episcopo?

2. An praesente Vicario generali, et absente Episcopo, celebrans debeat thurificari triplici, vel duplici ductu?

3. An, absente Episcopo, debeat Vicarius generalis thurificari triplici vel duplici ductu?

4. Si duplici; an existente consuetudine legitime probata, quod Dignitatibus detur incensatio triplici ductu, dato casu, an etiam Vicarius generalis incensandus sit triplici ductu, cum sit dignior quibuscumque Dignitatibus?

Eadem S. C. respondit. Ad 1. « Deberi. »

Ad 2. « Triplici ductu. »

Ad 3. « Duplici ductu. »

Ad 4. « Duplici ductu, non obstante consuetudine, imo abusu in contrarium. » Et ita declaravit. Hac die 14. Nov. 1676.

2798. ASSISIEN.

Pro parte Cleri loci Cannarae Assisien. Diosis supplicatum fuit per S. R. C. declarari, an Priores, seu Magistratus praedicti loci in Missis, et Vesperis solemnibus thurificari debeant ante Presbyteros, ut ipsi praetendunt? Et eadem S. C. respondit: « thurificentur post omnes de choro. » Et ita declaravit. Hac die 14. Nov. 1676.

2799. AQUIPENDIEN.

S. R. C. ad instantiam Capituli civitatis Aquipendien: declaravit: « Ut, absente Episcopo, Archidiaconus, Gubernator, et Gonfalonerii, et Magistratus praedictae civitatis thurificentur duplicibus ictibus, cum pro praedictis non adsit in contrarium consuetudo de tribus. » Hac die 14. Novemb. 1676.

2800. DUBIUM.

Cum nuper die 21. Nov. 1674. a fel. rec. Clemente X. ad instantiam Serenissimae Reginae Hispaniarum concessum sit omnibus Ecclesiasticis ad Divinum Officium persolvendum adstrictis in Regnis Hispaniarum, aliisque Statibus Regi Catholico subiectis commorantibus, recitare Officium B. Mariae de Monte Carmelo sub ritu dup. 2. clas. die 16. Iul., vel alia die infra octavam; cumque Patres Carmelitae ex speciali concessione celebrent praedictum festum B. Mariae omnino in die Dominica, sive in eadem incidat assignatus 16. Iul., sive infra octavam. Verum quia cum dubitatum sit: an liceat caeteris Ecclesiasticis conformare se in hoc eisdem Patribus, et propterea adiunctum sit: aut alia die infra octavam: nempe si dies 26. fuerit Dominica, et celebrandum esse alia die infra octavam: non impedita festo novem Lectionum: Ideoque supplicatum fuit pro huiusmodi declaratione. Et eadem S. R. C. respondit: « Non esse celebrandum Officium Beatissimae Virginis de Monte Carmelo in die Dominico, neque impedito festo novem Lectionum. » Et ita declaravit. Die 14. Nov. 1676.

2801. NARNIEN.

S. R. C. ad instantiam Capituli, et Canonico-
rum Terrae Stronconi Dioecesis Narnien., man-
davit, « ut servetur omnino Decretum Episcopi
Narnien. factum ad favorem praedicti Capituli
adversus Societatem SS. Sacramenti eiusdem loci,
super controversia orta inter ambas partes de,
et super iure exercendi munus Magistri Caere-
moniarum in processione peragenda die Corpo-
ris Christi, cuius tenor talis est, ut infra vide-
licet: che presentato, che avranno li detti Con-
frati del SS. Sagramento il baldacchino alli pre-
detti Signori Canonici in Chiesa non s'ingeriscano
in altro, ma che solo sei Fratelli assastino colle
torcie al baldacchino, e tornata che sarà la pro-
cessione, ripiglino il baldacchino dalle mani delli
suddetti Canonici. » Et ita voluit, et servari de-
crevit. Hac die 14. Nov. 1676.

2802. THEATINA.

S. R. C. ad instantiam Francisci Antonii So-
lari Archipresbyteri de Villa Franca Teatinae Dioe-
cesis declaravit: « Quod per Fratres Ordinis S. Do-
minici in peragendis Processionibus in dicto loco
servetur Decretum generale desuper emanatum de
anno 1628. die vero 27. Iul., dummodo praedi-
cti Patres non habeant indultum particularem. »
Hac die 14. Nov. 1676.

2803. VENETA.

Cum sit, quod Confraternitas S. Francisci Vi-
nearum civitatis Venetae fuerit erecta in Eccle-
sia Fratrum Minorum de observantia an. 1346.
sub invocatione S. Francisci aggregata Confra-
ternitati Assisii: utendo vestibus, et signis Sac.
Stigmatum, et exercendo omnia opera pia prae-
scripta in Bullis fel. rec. Sixti V., et Pauli V.
Et cum noviter erecta sit altera Confraternitas
intus eandem Ecclesiam in alio Altari sub no-
mine B. Paschalis Baylon cum instituto suffra-
gandis mortuis, quae Confraternitas de anno 1628.
habuerit aggregationem Archiconfraternitati Sty-
gmatum Urbis, et ex tunc usque adhuc incoe-
perit peragere dicta exercitia, et uti iisdem vestibus
et signis ad instar praedictae antiquae Confra-
ternitatis S. Francisci: quapropter ad instantiam
praefatae antiquae Confraternitatis S. Francisci
supplicatum fuit per S. R. C. declarari: an li-
ceat sub eodem tecto stare duas Archiconfrater-
nitates eiusdem Instituti habentes eadem signa
et peragentes eadem exercitia? Et eadem S. C.,
facta prius per me Secretarium distincta relatione
pro Eño Dño Cardinali Casanatta, respondit;
« Servetur Constitutio fel. rec. Clementis VIII. »
Et ita censuit. Hac die 14. Nov. 1676

2804. VERULANA.

Ad instantiam Sacerdotum loci Frusinonis Ve-
rulanae Dioecesis supplicatum fuit declarari a
S. R. C.: an Beneficiatus simplex Clericus adhuc
non Sacerdos effectus debeat praecedere ipsis
oratoribus Sacerdotibus? Et eadem S. C. respon-
dit « Sacerdotes praecedere debent, » et ita de-
claravit. Die 14. Nov. 1676.

2805. BITUNTINA.

S. R. C. ad infrascripta dubia resolvenda
proposita per Eñum D. Card. Portocarrero, ad
instantiam Episcopi Bituntini: respondit, ut in-
fra, videlicet.

1. Quando aliqua Dignitas, vel Canonicus
supplet vicem dignioris, qui impeditus tempe-
stive non venerit, et ad quem alias spectaret as-
sistere pro Presbytero, seu pro uno Diacon-
orum assistantium Episcopo solemniter cele-
branti, aut cum mitra, seu cappa in Missa,
vel Vesperis assistenti; an debeat cedere locum
dicto digniori ex post supervenienti, sive dictus
vicem supplens sit canonicali habitu, sive para-
mentis indutus?

Et eadem S. C. respondit; « Inchoatis Officio,
et Missa, supervenientibus Dignitatibus, vel Dia-
conis dignioribus, ad quos munus assistentiae
incumbit, tum cappa, tum sacris vestibus indutus
locum cedere tenentur eorum vices supplentes,
si eodem habitu amicti inter alios apud stalla in-
teresse potuerunt. Verum si indumentum eos mu-
tare oporteat, in assistentia persistent usque ad
finem actionis; secus autem de Ministris Sacri-
ficii servandum est, nempe de Diacono Evange-
lii, et Subdiacono Epistolae. Hi enim inchoatis Mis-
sarum solemnibus, imo et sacris induti vestibus
si semel ad Episcopum, eidem famulatum exhi-
bituri, accesserint, inde a supervenientibus di-
gnioribus Canonicis removeri non debent. »

2. In Cathedrali Bituntina, quando Episcopus
solemniter celebrat Missam, solet ex consuetudine
unus Canonicus pluviali indutus portare, et te-
nere baculum pastorale. Quae ritum quem locum
habere debet in Processione, quae fit a Sacra-
rio ad Altare, omnibus Canonicis, et Dignita-
tibus paratis?

Et eadem S. C. respondit: « Ea, quae con-
suetudine inducta reperiuntur, iuxta consuetudi-
nem retinenda sunt; itaque deferens baculum
pluviali indutus loco, ut hactenus consuevit, in-
cedere debet: at secundum ritum, ubi contraria
consuetudo non viget, solus ante Episcopum im-
mediate incedere debet. »

3. « An Presbyter assistens, qui, de consue-

tudine Ecclesiae Bituntinae, est Archidiaconus prima dignitas, debeat suis duabus manibus tenere librum supra eius caput cum Episcopus solemniter celebrando Missam, seu Vesperas, in eis aliquid cantat, vel potius suffleat, ut Cappellanus Episcopi de libro serviens, supra eius caput dictum librum suis manibus teneat, adiuvante dicto Archidiacono, caput supponendo per caeremoniam?

Et eadem S. C. respondit: « Satis esse, ut Archidiaconus libro per Cappellanum manibus elevato caput submittat. »

4. Quando habentur Ordinationes Clericorum, ex Pontificali habetur, quod Archidiaconus, vel alius pro eo ducat ad portam Ecclesiae promotos ad Ostiariatum: quaeritur; an dicta dispositio locum habeat absente Archidiacono, vel potius ipso praesente possit ab eodem mitti alius ad associandum Ostiarios ordinatos?

Et eadem S. C. respondit: « Tenetur per semetipsum onus ducendi explere. »

5. An, data benedictione solemniter ab Episcopo post concionem habitam intra Missarum solemniam, possit dari alia benedictio sollemniter in fine eiusdem Missae?

Et eadem S. C. respondit: « Nedum posse, sed omnino debere etiam secundo benedecere. »

6. An quando Episcopus assistit Missae solemniter cum mitra, seu cappa debeat ipse solus in principio Missae facere confessionem cum Celebrante, scilicet incipere Psalmum, et Celebrans respondere, vel potius Episcopus, et Celebrans simul, et coniunctim incipere, et alii ministri, et assistentes respondere?

Et eadem S. C. respondit: « Episcopus tum cappa, tum pluviali indutus assistens Missarum solemniter debet a dexteris Celebrantis non Episcopi cum eo confessionem explere, et Celebrans eidem uti minister respondere usque ad versum, *Deus tu conversus etc.* exclusive, quos Episcopus debet explere cum Diaconis assistentibus, et Celebrans cum Ministris Sacrificii. Hi vero post Episcopum, et Celebrantem stantes inter se confessionem ipsam absolvent medii inter canonicos assistentes, si Diaconus, et Subdiaconus fuerint Canonici: sin minus, a sinistro latere simul stantes post Episcopum, et Celebrantem. »

7. Quia ex Caeremoniali lib. 2. Cap. 1. habetur omnes genuflectere debere in Hymnis, « Veni Creator Spiritus etc. Ave maris Stella etc., et Tantum ergo Sacramentum, » usque ad finem praedicti versus; an intelligatur de tota stropa,

scilicet usque ad aliam respective; « Qui diceris Paraclitus: Sumens illud Ave: et Genitori, Genitoque? »

Et S. C. respondit: « Ad integram Stropham. »

8. An tolerari possit, quod Episcopus in Processionibus publicis incedat medius inter Regium Governatorem dictae Civitatis, et Syndacum, vel potius debeat solus incedere, subsequen- tibus supradictis, si intervenire voluerint?

Et eadem S. C. respondit: « Episcopus in Sacris supplicationibus tum cappa pontificali, tum pluviali indutus incedere debet inter Canonicos Diaconos assistentes, vel inter Dignitates, quibus assistentiae munus incumbit. Laicos vero oportet omnino Episcopum subsequi, modo Canonici intersint, ut prorsus debent, choralibus Insigniis, seu sacris vestibus induti; sin minus consuetudo poterit tolerari. »

9. An Vicarius generalis Episcopi in dictis Processionibus praecedat dicto Regio Governatori Civitatis, praesente Episcopo?

Et eadem S. C. respondit: « quoad Vicarium Caeremoniale disponit, servandam esse locorum consuetudinem. » Et ita declaravit, et servari mandavit. Hac die 14. Nov. 1676.

2806. BITUNTINA.

Praeter alia dubia proposita in S. R. C. idem Episcopus Bituntinus supplicavit infrascripta declarari.

1. An post mediam noctem Nativitatis Domini, ante tamen auroram, possint simul celebrari tres Missae privatae?

2. An Sacerdos, qui in dicta nocte celebravit Missam sollemnem, possit immediate celebrare privatim reliquas duas Missas: vel potius teneatur expectare auroram?

Et S. eadem C., referente Eñno D. Card. Portocarrero, respondit: utriusque dubio, « Negative » respondendum, nempe, « id et allegatis rationibus abunde probetur, et praxi universalis Ecclesiae conformi Romanae magistrae comprobetur. » Die 14. Nov. 1676.

2807. ARIANEN.

Pro parte Rñni Emanuelis Brancatii Episcopi Arianensis expositum fuit in S. R. C., quod Canonici suae Cathedralis Episcopum ad Divina Officia celebranda descendentem, nonnisi in vestibulo palatii ad interiorem Ecclesiae partem respondente, excipere consueverunt. Id autem ea ratione factum est, quia indecens satis aditus erat ad mansiones Episcopi: cumque itaque orator praedictus commodum ingressum, et moenium etiam vitreis fenestris ornatum aptaverit,

qua commodissime, et decenter ad eius mansiones aditus patet, idem supplicavit decerni Canonicos in posterum ad vestibulum usque sui cubiculi oratorem, et Episcopos pro tempore excipere debere. Et eadem S. C., attentis narratis, et agnoscens petita esse iuxta dispositionem Caepemonialis Episcoporum, decrevit, « ut petitur, et ita in futurum servari *mandavit*, contraria consuetudine non obstante » Hac die 14. Novemb. 1676.

2808. CUSENTINA.

Supplicante Pomotore fiscali Archiepiscopalis Curiae Cusentinae pro confirmatione declarationis die 13. Jul. 1675. a S. R. C. editae, et pro revocatione attentatorum, seu innovatorum a Canonicis Cathedralis praed. Civitatis ex vi mandati ab A. C. extorti pro observatione cuiusdam declarationis ab eodem editae in Elven. 10. Ianuar. 1604., ac praeterea pro declaratione infrascriptorum dubiorum.

1. An Canonicis habentibus usum cappae magnae liceat, cessante consuetudine, in choro, et in canonicalibus functionibus uti superpelliceo supra rochetum? Et quatenus affirmative.

2. An liceat uti ad eorum libitum dicto superpelliceo supra rochetum promiscue cum cappa magna, tam aestivo, quam hyemali tempore?

3. An hoc etiam in publicis supplicationibus, seu Processionibus, et exequiis defunctorum?

4. An liceat Archiepiscopo censuris, et aliis poenis cogere Canonicos ad observationem Caeremonialis Romani, et Decretorum S. C.?

Et eadem S. C., referente Eñõ D. Card. Albino, respondit. Ad 1. « Affirmative. »

Ad 2. « Tempore congruo. »

Ad 3. « Affirmative. »

Ad 4. « In casibus particularibus providebitur. » Hac die 16. Ian. 1677.

2809. CIVITATIS CASTELLI.

S. R. C., inhaerendo Decretis alias in similibus ab eadem editis, et signanter in Regien. 8. Febr. 1642., Ravennaten. 21. Mart. 1665., et 26. Iun. 1666., iterum declaravit: « Ius deferendi aspersorium, Crucem ad deosculandam, navicellam, et incensum Episcopo Civitatis Castellii in actu visitationis, et in ingressu Ecclesiarum parochialium, et Monialium, spectare ad Parochos, et Confessarios praedictarum Ecclesiarum respective, et non ad Canonicos Convisitatores Cathedralis eiusdem Civitatis: » et ita declaravit etc., non obstante usu in contrarium. Die 16. Ian. 1677.

2810.

NEAPOLITANA

Pro parte Capituli Metropolitanae Neapolis expositum fuit in S. R. C. in supplici libello, cuius tenor est; ut infra videlicet. Il Capitolo dell'insigne Metropolitana di Napoli umilmente rappresenta all'EE. VV. come nella lite avuta colli Regolari in questa S. C., avendo ottenuto Decreto, che possa esso Capitolo nell'associare li cadaveri entrare colla Croce nelle Chiese di essi Regolari; non devono ora permettere l'EE. VV., che i loro Decreti, e risoluzioni non abbiano il loro dovuto effetto, mentre li Regolari predetti, quando sentono, che alcuno abbia lasciato il suo cadavere per Testamento, che si seppellisca nelle loro Chiese, e che si debba associare dal Capitolo, essi ripugnano, e dicono non volerlo ricevere, nè seppellirlo, come meglio potranno informarsene dal Sig. Cardinal Caracciolo loro Arcivescovo: supplica pertanto il suddetto Capitolo a commettere al suddetto Arcivescovo, che costringa i Regolari a ricevere i cadaveri nelle loro Chiese, quando sono soliti riceverli. E perchè potrebbero ancora cercare somma eccessiva, supplica similmente, che il suddetto Arcivescovo possa tassarla, e costringere essi Regolari a ricevere li Cadaveri nelle loro Chiese, quando saranno associati dal Capitolo, con quelle pene, che parerà alla somma prudenza dell'EE. VV.

Et eadem S. C., audito etiam Eñõ D. Card. Archiepiscopo Neapolitano in eadem praesente, respondit: « Praefatus Eñõ Archiepiscopus Neapolitanus compellat praed. Regulares sub censuris, etiam per interdictum in casibus expositis. » Et ita decrevit. Die 16. Ian. 1677.

2811.

HISPALEN.

Pro parte Didaci Diaz de Escobar Presbyteri, et Caeremoniarum Magistri Ecclesiae Hispalen. supplicatum fuit apud S. R. C. pro declaratione: an sustinendi sint mores infrascripti? videlicet.

1. Mos est in die depositionis defuncti, sive Dominica sit, sive festum duplex, aut classicum, Missas privatas de requiem celebrari, cum ita fieri non debeat, nisi tantum quae corpore praesente solemniter celebretur, ut in Rubric. n. 2. docetur.

2. Item in primis novem diebus depositionis defuncti in Altari, ubi iacet, Missae de Requiem tam solemniter, quam privatim celebrantur, non solum duplicibus festis, et Dominicis, verum et in festis classicis, et de praeepto.

3. Mos etiam viget multis in locis a die se-

pulturae defuncti, novem per dies Missas celebrari, et in Oratione assignata a Missali pro diebus 3. 7. et 30. addere a 2. die, diem secundum, diem tertium, diem quartum, et sic de reliquis, ordinatim perveniendo ad nonum, contra Missalis praeceptum.

4. In die sepulturae defuncti Officium dicitur, Missaque corpore praesente, in festis etiam primae classis, imo et in primis diebus Paschae, et Pentecostes, non obstante Decreto Ritualis Romani titulo de exequiis aientis ita: Si quis die festo sit sepeliendus, Missa propria pro defunctis, praesente corpore, celebrari poterit, dum tamen Conventualis Missa, et Officia Divina non impediantur, magnaue diei celebritas non obstet. Et plurimorum, gravissimorumque auctorum fert sensus, praedicta fieri non posse in festo primae classis.

5. In funeribus, etiamsi defunctus parvulus sit, fit Officium de adultis, et Missa votiva de Angelis, unica Oratione in duplicibus, et Dominicis. Rogatur; an possit hoc sustineri?

6. Cum fit officium sepulturae, statimatque incipitur defunctorum Officium, fert consuetudo, Missam solemnem celebrari, corpore praesente (et multoties tantum ab auditu (sic) administratam) contra Rituale Romanum praecipiens Missam diei post Officium.

7. Novem per dies ante Nativitatem D.N. Iesu Christi ad auroram celebrantur Missae (vulgo nuncupatae del Aquiland.) de festivitatibus Virginis Deiparae; non solum in diebus feriatis, verum etiam in festis duplicibus classicis, et Dominicis cum *Gloria et Credo*, et unica Oratione, praetextu devotionis populi, quarum ad maiorem celebritatem multa flunt remedio digna. Conveniunt enim in chorom cantandi causa plures laici, et quasdam canunt cantilenas risum moventes, tempore locoque nullatenus consentaneas. Huic damno debet opportunum adhiberi remedium, ut penitus e medio tollatur scandalum.

8. In Missis maioris hebdomadae canitur aliquando *Passio* non solum a Subdiaconis, verum et a laicis et multoties ab uxoris contra Caeremoniale Romanum lib. 2. cap. 21., ubi praecipitur: Passionem canentes indui debere amictu, alba, cingulo, et stola: quae omnia ad Diaconum dumtaxat spectant. Et adeo haec consuetudo invaluit, ut in Missa etiam privata caneretur *Passio*: imo et etiam sine illa; solus enim Sacerdos quilibet, quin Missam celebret, exit ad Altare cum omnibus paramentis, ibique adest dum

(sic) statimque *Passio* canitur, quae omnia non parvo remedio indigere videntur.

9. In tempore publicae, generalisque necessitatis habentur aliquando preces, sive rogationes post Calicis elevationem in Missa Conventuali, Missa cessante quoadusque in choro finiantur preces, et multis in locis hae preces flunt ante *Pater noster*, et ab ipso Celebrante dicuntur cum Orationibus, ipsas interponendo tempore Sacrificii, in quo fit Romanum Ordinem (aliquid deest?

Et eadem S. C. respondit: « Consuetudines, seu ut melius dicam, abusus omnes expositi in 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. et 9. dubio, uti repugnantes Rubricis, et expositorum opinionibus, tolli omnino debent. Non sunt enim laudabiles, imo scandalosae iis maxime, qui amant observantiam bonorum rituum; » Et ita declaravit, decrevit, atque praefata omnino tolli mandavit. Die 16. Ian. 1677.

2812. HISPALEN.

Idem Didacus Diaz de Escobar Presbyter, et Caeremoniarum Magister Ecclesiae Hispalensis supplicavit pro resolutione nonnullorum dubiorum circa rubricas, quae sunt, ut infra, videlicet.

1. Octavarium Romanum octavam assignat pro festo S. Thomae Apostoli die 21. Dec. Dubium ergo est, quomodo hoc debeat intelligi, cum Regula Tabulae, si occurrat eodem die, sic aientis de aliis octavis, quae non sunt in Calendario, nihil fit a die 17. Dec. usque ad Epiphaniam: an etiam intelligi debeat de aliis octavis, quae occurrere possunt?

Et S. C. respondit: « In Octavario Venetiis impresso apud Nicolaum Pezzana anno 1663. nulla est memoria de octava S. Thomae Apostoli; miratur, quod sit apud instantem, qua superflua: cum iuxta Rubricas festum S. Thomae, quod cadit die 21. Decembris, octavam habere non possit.

2. Habetur in aliquibus Ecclesiis insignis Reliquia Sancti alicuius, qui cum socio est in corpore Breviarii, et uterque habet festi simplicis ritum, veluti contingit in festo SS. Gervasii, et Protasii, quorum duo lectiones vitam, amborumque mortem enarrant. Dubitatur: an praed. duae lectiones legendae sint in Officio duplici illius, cuius Reliquia habetur, vel sumendae sint de communi illius martyris, et de socio facienda tantum sit commemoratio absque nona lectione, eo quod primae classis non sit praecipuum Officium, de quo loquitur Regula Tabulae suprad., si occurrat eodem die.

Et S. eadem C. respondit; « Si in hoc casu

lectiones disiungi commodè possunt, legenda est illa de Sancto, cuius sit Officium duplex propter Reliquiam insignem in 2. Nocturno, et erit 4. lectio, quinta, et sexta sumenda sunt de communi; altera vero lectio poni poterit pro nona lect. in 3. Noct. tamquam de Sancto simplici, de quo fieri debet etiam commemoratio ad Laudes; si vero non possunt commodè disiungi, utraque ponenda est in 2. Noct. pro 4. et 5. lect.: et 6. legenda est de communi, et in hoc casu lectio nona pro festo simplici repetenda non est; fieri tamen debet de eo commemoratio.

3. In Hispaniarum Regnis die 18. Dec. celebratur festum Expectationis Virginis Deiparae, et ne feriales Antiphonae ad Laudes, et per horas pro illo die assignatae omitterentur, Sanctitas Gregorii XIII. fel. record. in Bulla incipiente; *Pastoralis Officii cura*; motu proprio expedita decrevit, quod praed. Antiphonae dicerentur a die 16. Dubitatur: an, eo quod in Rubrica de Octavis n. 1. prohibetur celebritas cuiuscumque octavae incoepatae a die 17. Decembris, ut dictum est num. 1., et quia huiusmodi prohibitio fuit facta eo, quod praed. Antiphonae dicebantur a die 17. in Hispan. Regnis, sit omittenda quaecumq. oct. incoepata a die 16.?

Et eadem S. C. respondit; « In Regnis Hispaniae, et ubi contingit incipi Antiphonas privilegiatas ante festum Nativitatis Domini die 16. Decemb., debet etiam eodem die locum habere regula Rubricae de octavis n. 1. quia in eis militat eadem ratio, quae alibi die 17.

4. Religiones aliquae habent celebranda quamplurima Festa, quae propter occurrentiam cum aliis Festis Calendarii Dioecesis, et insuper cum Festis denuo concessis, locum celebrationis non habent in proprio anno. Dubitatur; an in anno sequenti possint celebrari eo ordine, quo in Rubrica 10. praecipitur?

Et eadem S. C. respondit; « Officia, quae ex necessitate transferuntur, locum resumunt prima die non impedita alio Officio novem Lectionum, ut in Rubr. de Translatione.

5. S. R. C. die 19. Novemb. anni 1622. prohibuit Missas concessas quibusdam Religionibus: Dubium est: an praedicta prohibitio intelligenda sit de illis Religionibus, quae sequuntur Missale Romanum, vel tantum de iis, quae idem Missale non sequuntur?

Et S. C. respondit: « Intelligi debet de Missis, quae non concordant cum Missali Romano. »

6. Dubitatur tandem; quae ratio, vel forma servanda sit in funeralibus alicuius defuncti tam

adulti, quam parvuli in feria 5. 6. et Sabbato maioris hebdomadae? Hoc enim in Rituali Romano nullatenus expressum invenitur.

Et eadem S. C. respondit. « Non debet alterari usus communis: alias enim omissa non fuisset regula: in Psalmis tamen, qui dicuntur pro parvulis posset omitti v. g. *Gloria Patri etc.* pro conformitate temporis. » Et ita declaravit. Die 16. Ian. 1677.

2813. BRUNDUSINA.

Pro parte Bartholomei Leonardi Saxi Archipresbyteri Collegiatae Ecclesiae Messapien. Dioecesis Brundusinae supplicatum fuit pro declaratione infrascriptorum Dubiorum, videlicet:

1. An incipere, *Actiones nostras etc.* in choro spectet ad primam Dignitatem, vel ad Vicarium Foraneum?

2. Cui exhibenda sit reverentia ab his, qui a choro discedunt causa celebrandi, vel alterius necessitatis, primae Dignitati in choro existenti, an Vicario Foraneo?

Et S. R. C. ad utrumque respondit: « Spectare ad primam Dignitatem. » Et ita declaravit die 13. Feb. 1677.

2814. CONVERSANA.

Pro parte Capituli Cathedralis Conversanen. expositum fuit apud S. R. C., quod in Ecclesiis Monialium, et Regularium Civitatis Conversanen. statuae, vel imagines SS. Virginis, vel aliorum Sanctorum Protectorum servantur, et saepe processionaliter per Civitatem asportari consueverunt cum assistentia, et interventu Regularium, et Confraternitatum, et Capituli Cathedralis eiusdem Civitatis; et quia oriuntur ex praedictis duo Dubia: ideo supplicatum fuit pro illorum declaratione, videlicet:

1. An teneantur dicti Regulares, et Confraternitates convenire in Cathedrali ad effectum processionaliter accedendi ad loca, ubi statuae servantur, attento Decreto Synodali tit. de Sacrosanctis Ecclesiis §. 15. hisce verbis; In Processionibus faciendis omnes tam Regulares, quam Laicorum Confraternitates ad Cathedrali in Civitate etc. conveniant omnino, ex qua Processiones exeant, et dirigantur?

2. An, finita Processione, et relictis statuis in dictis Ecclesiis, teneantur Confraternitates, et Regulares associare Capitulum usque ad Cathedrali?

Et eadem S. C. ad utrumque dubium in casibus propositis respondit: « Non teneri Regulares, et Confratres accedere, nisi ad Ecclesiam, a qua dirigenda est Processio, et post Processionem non

teneri associare Capitulum ad Cathedralium. » Et ita declaravit die 13. Febr. 1677.

2815. LAURETANA.

S. R. C. declaravit: « Non esse thurificandum Gubernatorem Praelatum Laureti, nisi duplici ductu, quando Episcopus Cardinalis Lauretanus, et Recinatensis assistit, sive celebrat in Ecclesia Cathedrali Laureti; nec non Vicarium generalem sive praesente, sive absente praedicto Eñio Episcopo, esse thurificandum ad instar Canonicorum eiusdem Civitatis. » Et ita decrevit, et servari mandavit. Die 13. Febr. 1677.

2816. VERCELLIENSIS.

Cum ad aures Eñorum DD. Cardinalium S. R. C. praepositorum pervenerit, quod Episcopus Vercellensis abstinuit a visitando Oppidum Massarani, quia Princeps tenet de facto intra Presbyterium a cornu Evangelii thronum cum strato, et Baldachino pro se, principissa, et filii ad exclusionem eiusdem Episcopi; quapropter eadem S. C. mandavit: « Ut praefatus Episcopus curet omnino praedicta omnia removeri, et compellat etiam sub censuris, quatenus opus sit. » Et ita decrevit. Die 13. Febr. 1677.

2817. MAIORICENSIS.

Cum S. R. C. habita die 18. Iun. 1676. ad instantiam Rñi Episcopi Maioricen. supplicantis pro declaratione nonnullorum dubiorum, et inter alia nempe: 1. An Magistratus saecularis, sive iurati Maioricen. teneantur genuflectere, quando ipse Episcopus in fine Missae sollemnis, et post Vesperas, et Laudes, necnon in fine Processionis dat benedictionem solemnem Episcopalem? 2. An idem quando assistant Missis pontificalibus in Cathedrali, et cantatur versus: *Et incarnatus est etc.* debeant genuflectere? responderit: Ad 1. « Servetur Caeremoniale. » Ad 2. « Stantes genuflectere debent, sedentes vero inclinare caput. » Nunc vero eadem S. C., confirmando praedicta Decreta, et pro maiori illorum intelligentia iterum declaravit, prout infra:

1. « Magistratum praedictum, et omnes, praeter Dignitates, et Canonicos Cathedralis teneri genuflectere ad quascumque benedictiones Episcopi cum mitra, post quaecumque solemnia elargiri solitas, idque locum habere intellexit in quibuscumque benedictionibus inter, vel post Vesperarum, Missarumque solemnium, eodem Episcopo apud sedem pontificalem, vel apud Altare, tum cappa pontificali, tum sacris vestibus induto, iisdem Officiis praesente, ac pariter ab initio ad finem Missae privatae eodem Episcopo, quocumque loco, et tempore celebrante, vel iis assistente,

prout pariter alias resolutum fuit ab eadem S. C. in una Imolen. » Die 23. Mart. 1641. et Faventina 21. Mart., et 13. Iun. 1676.

2. Ad verum: *Et incarnatus est etc.*: « omnes, nec excepto Episcopo, teneri genuflectere, quando-cumque stantes incidant in illa verba: *Et incarnatus est, etc.* tum si ab ipsis ore proferantur, tum si a cantoribus cantentur; vel etiam si sedeant, in ipsa Nativitatis die, necnon in Annunciationis B. Mariae festo. Caeteris vero diebus indiscriminatim sedentes omnes, nemine excepto, teneri caput detectum inclinare. Nec eo casu locum habere dispositionem Caeremonialis, quod caput inclinantis Canonici inferiores genuflectant, prout etiam alias resolutum fuit per eandem S. C. in una Neapolitana die 15. Febr. 1659. » Et ita decrevit, et servari mandavit. Hac die 13. Februarii 1677.

2818. ARIMINENSIS. PRAECEDENTIAE.

Iterum ad instantiam Abbatis Antonii Mangaroni Protonotarii titularis de numero non participantium de Sogliano contra Archipresbyterum S. Ioan. in Galilea, et alios Parochos eiusdem Plebanatus Dioecesis Ariminen., proposita per Eñum D. Cardinalem Maximum causa praecedentiae in S. R. C. utraque parte hinc inde plene informante, Eñi Patres eidem S. C. praepositi, censuerunt: « Stante quod non constet de Collegialitate Parochorum supposita, recedendum esse a decisio die 13. Iul. 1675., et praecedentiam deberi dicto Protonotario, eumque posse intervenire in functionibus ecclesiasticis controversis, et in Presbyterio loco digniori cum habitu tamen praelatio, nempe rocchetto, et mantelletto coloris violacei, et in Processionibus incedere debere post SS. Sacramentum, vel post Celebrantem, prout alias resolutum fuit, sed non lucrari fructus, et distributiones quotidianas. » Et ita decreverunt, et servari mandarunt. Hac die 3. Apr. 1677.

2819. FIRMANA.

S. R. C. censuit: « Teneri ex urbanitate, et iuxta solitum suppositum, Sacerdotes in ingressu, et regressu Altaris post venerationem Sanctissimi, salutare Magistratum Terrae Montis Causaris Firmansis Dioecesis, necnon etiam illi sedeant ad audiendam concionem. » Et ita decrevit, et servari mandavit. Die 3. Apr. 1677.

2820. INTERAMNENSIS.

Reproposita causa Interamnen. praecedentiae in S. R. C. per Eñum D. Cardinalem Casanatta ad instantiam Beneficiatorum Cathedralis Ecclesiae Interamn. contra Parochos Ecclesiarum eiusdem civitatis; eadem S. R. C., utraque parte hinc inde

informante, censuit: « Standum esse in decisio die 2. Aug. 1659., videlicet: » Rectores Curatos esse de gremio Ecclesiae Cathedralis, ac proinde Decretum emanatum die 8. Jun. 1658. non afficere, quin possint inter Canonicos, et Beneficiatos Divinis interesse, cum cesset ratio inseparabilitatis corporis Capituli, et retinendam esse praecedentiam hactenus in eadem Ecclesia servatam, quod Rectores sint Beneficiatis, ut olim, in sessionibus, stationibus ac processionibus praefereendi; et causa amplius non proponatur; » Et ita decrevit, etc. Die 3. Apr. 1677.

2821. HIERACEN.

S. R. C., inhaerendo aliis resolutionibus in similibus editis, iterum decrevit: « Quod quando Vicarius generalis, qui est Canonicus, seu Dignitas Cathedralis, vult incedere, et intervenire in choro, et aliis functionibus ecclesiasticis in habitu vicariali, ut Vicarius debet praecedere supra omnes de choro, etiam primam Dignitatem post pontificalem, sed non lucrari fructus et distributiones quotidianas. » Et ita decrevit, et in Cathedrali Hieracen. servari mandavit. Die 3. Aprilis 1677.

2822. MANTUANA.

Supplicante apud S. R. C. Sigismundo Magni Protonotario Apostolico titulari de numero non participantium, ac Canonico Cathedralis Mantuae pro declaratione Decreti ad sui favorem emanati die 21. Mart. 1676., et pro assignatione loci: et et viceversa supplicante Capitulo d. Cathedralis pro negativa, allegando praed. habitum Protonotarii numquam fuisse, neque esse in usu inter ipsos Canonicos. Et eadem S. C., referente Eñõ D. Card. Casanatta, utraque parte hinc inde informante, respondit: « Praed. Canonicus Protonotarius non lucratur fructus, et distributiones quotidianas, nisi proprio habitu canonicali intersit choro, processionibus, et aliis functionibus ecclesiasticis: si vero voluerit uti habitu Protonotarii, debet sedere post Canonicos, et Abbates, si aderint. » Et ita declaravit, et servari mandavit. Hac die 3. Apr. 1677.

2823. TERDONEN.

S. R. C. benigne indulsit; « Ut in posterum ieiunium Vigiliae S. Laurentii M. in loco Campi de Ferro Terdonensis Dioecesis tam ab incolis et aliis subiectis d. loco, quam a confluentibus, transferatur in diem antecedentem 8. Augusti ad evitandam transgressionem d. ieiunii, ex praecepto Ecclesiae die 9. Augusti servandi, dum eadem die propter festum solemne S. Firmi Martyris Protectoris d. loci, et nundinas, praememorati ieiunium

non servant, prout alias in una Mediolanen. die 3. Decemb. 1672. in eodem casu ab eadem S. C. similis gratia fuit concessa. » Hac die 3. Aprilis 1677.

2824. NOLANA.

S. R. C. ad instantiam Universitatis, et Curatorum Terrae S. Anastasii Dioecesis Nolanae, inhaerendo aliis resolutionibus similibus factis, et signanter in una Firmana die 4. Augusti 1674., iterum declaravit: « Regulares, et praecipue Fratres Ordinis S. Dominici B. M. V. dell'Arco dieti loci, occasione associandi ad Ecclesiam corpora defunctorum, primo ire debere recto tramite ad Ecclesiam Parochialem, et nullo modo ad domum defuncti, vel expectare per viam, quocumque usu in contrarium non obstante. » Et ita decrevit, et servari mandavit. Hac die 15. Jun. 1667.

2825. ALBINGANEN.

Episcopus Albinganen. supplicavit declarari: an in die solemnitatis, et octava Corporis Christi possint Parochi saeculares, et regulares deferentes SSmum Sacramentum processionaliter, deponere idem SSmum Sacramentum in aliqua Ecclesia, seu super Altare fieri solitum per vias ad instar Episcoporum? Et S. R. C. respondit ore-tenus: *Posse*. 10. Iul. 1677.

2826. BAREN.

S. R. C. ad instantiam Capituli Cathedralis Baren. inhaerendo dispositioni Concilii Tridentini Sess. 24. cap. 12. ibi: Omnes vero Divina per se, et non per substitutos compellantur obire officia etc. declaravit: Archiepiscopum Baren. posse, et debere compellere Canonicos praedictae Cathedralis, quando non sunt legitime impediti per seipsos, et non substitutos ad inserviendum Canonico celebranti pro Diacono, et Subdiacono sub censuris, et poenis, etiam auctoritate eiusdem S. C. Hac die 10. Iul. 1677.

2827. COMEN. IURIS PAROCHIALIS.

Ad instantiam Rectoris Albergate Praepositi S. Sixti, et aliorum Parochorum Civitatis Comi contra Capitulum, et Canonicos Cathedralis eiusdem Civitatis, per Eñum D. Card. Vidonum proposita, et discussa fuerunt in S. R. C. infrascripta dubia, videlicet:

1. An sit dictus Praepositus, et Parochus reintegrandus tam de pluviali, et stola ablatis, quam de omnibus emolumentis parochialibus occasione funeris qm. D. Ludovici Odescalchi, ac de damnis, et interesse propter huiusmodi turbativas passis?

2. An Capitulum Cathedralis Comi possit in die, seu tempore stationis se ingerere vel cumu-

lative, vel privative quoad proprium Parochum in functionibus parochialibus, idest baptismatis, funeralibus, matrimoniis, et similibus in Parochiis, vel parochianis Ecclesiae, ubi fit statio?

3. An Parochus Ecclesiae stationis possit a Capitulo cogi ad illum recipiendum in primis Vesperis, et Missa cum sono organi, seu, ut dicitur, *Regalli*, quamvis illa Ecclesia nullum organi, seu *Regallium* habeat?

4. An, ubi ab attinentibus defuncti invitatur Capitulum ad funera alterius Parochiae, quam Cathedralis, possit prohiberi Parocho defuncti interventus cum stola, et pluviali, aut eo casu possit Parocho minui quarta funeralis?

5. An, moriente aliquo ex Canonicis Cathedralis in alia Parochia, quam Cathedralis, possit Capitulum excludere Parochum ab interventu cum stola, et pluviali ad funera, seu ei adimere quartam funeralem?

6. An ubi Capitulum intervenit ad funera sive Canonici Cathedralis, sive alterius, liceat Parocho cum Cruce parochiali adire recto tramite domum defuncti, et ab inde funus associare usque ad Cathedralis ad recipiendum Capitulum iturum cum eo ad domum cadaveris?

Et eadem S. C. respondit. Ad 1. « Episcopus conficiat processum super praetenso spolio; et confecto, ac verificato, reintegret Parochum.

Ad quinque vero dubia proposita: « Manutendos esse Parochos in exercitio functionum parochialium privative quoad Capitulum, cui dentur Literae Remissoriales ad probandam immemorabilem, quatenus adsit. » Die 10. Iul. 1677.

2828. CUSENTINA.

S. R. C. ad dubia proposita pro parte Canonice Cathedralis Cusentinae respondit, ut infra videlicet:

Ad 1. « Non posse coarctari Fratres Franciscanos sub die 17. septembris ad recitandum Officium de Nomine B. Mariae a fel. rec. Clemente X. omnibus Regnis Regis Catholici concessum, et extensum sub ritu dup. mai., et transferendum Officium Stygmatum S. Francisci, quod ipsi Fratres ex concessione Sedis Apostolicae de praecepto tenentur recitare sub ritu dup. primae class.

Ad 2. Fratres praedictos potuisse anno praeterito 1676. I. Dominica Octobris celebrare festum S. Francisci Patroni Religionis cum eius Officio, et Missa, et omittere illud SS. Rosarii, et praedicta Officia tam Nominis B. Mariae, quam SS. Rosarii non posse transferri ad aliam diem, si sint concessa diebus, secus si festivitibus.

Ad 3. » Tam Archiepiscopus, quam Canonici,

qui sunt legati Ecclesiae, etiam absentes tenentur recitare Officium, iuxta ritum Ecclesiarum, quibus sunt ligati.

Ad 4. « In feriis, et Sabbato sancto quatuor temporum, occasione currentis festi novem Lectionum, debent in Cathedralibus cantari duo Missae; potest per Canonicos cantari illa de festo, per Archiepiscopum, vel Episcopum facientem Ordinationem cantari, vel saltem celebrari altera de feria in paramentis violaceis. » Et ita declaravit. Die 10. Iul. 1677.

2829. HYDRUNTINA.

S. R. C. ad instantiam Iosephi Cotonzè Protonotarii Apostolici, et Vicarii generalis Hydruntini supplicantis pro resolutione; an assistens Vicarius generalis in choro in habitu praelatitio Protonotariatus sit thurificandus triplici ductu, etiam praesente Archiepiscopo, ac etiam ante Canonicos paratos? Respondit: *Negative*. Et ita declaravit: Die 10. Iul. 1677.

2830. MESSANEN.

S. R. C. ad instantiam Archipresbyteri de Milazzo Dioecesis Messanen., inhaerendo aliis resolutionibus similibus editis, et signanter in una Nolana sub die 3. Aprilis prox. praet., iterum declaravit: « Regulares occasione associandi ad Ecclesiam corpora defunctorum primo recto tramite ire debere ad Ecclesiam parochialem iuxta dispositionem Ritualis Romani, et inde una cum Parocho, et Clero saeculari ad domum defuncti, et nullo modo expectare per viam, aut in domo defuncti, quocumque usu in contrarium non obstante. » Ita decrevit, et in praedicto loco de Milazzo servari mandavit. Die 10. Iul. 1677.

2831. NULLIUS, SEU MONTIS ALTI.

Pro parte Prioris, Canonice, Capituli, et Curati Collegatae Ecclesiae S. Pauli Terrae Forcae, necnon Priorum, et Populi dictae Terrae Nullius, seu Montis Alti supplicatum fuit pro resolutione infrascriptorum Dubiorum.

1. An ipsi teneantur festum Conversionis S. Pauli die 25. Ian. cuiuslibet anni sub. rit. dup. primae class. uti de praecepto tamquam festum de S. Titulari dictae Ecclesiae, et eiusdem Terrae unico, et antiquiori Protectore observare, et observari facere iuxta Constitutionem Urbani VIII. idibus Septemb. 1642. emanatam?

2. An licuerit Parlamento generali dictae Terrae publicari facere bannimenta super observantia d. Festi, et etiam iniungere poenas a Statuto d. loci comminatas contra inobservantes d. Festum?

Et S. R. C. ad utrumque respondit: « Spectare ad Episcopum. » Et ita censuit die 10. Iul. 1677.

2832. S. MARCI.

Pro parte Iosephi Prantiede Archipresbyteri, sive Oeconomi Ecclesiae Terrae Rugiani Dioecesis S. Marci supplicatum fuit pro resolutione infrascripti Dubii:

An Vicarius Foraneus ratione sui Officii in illa Ecclesia debeat praecedere in choro, sive extra, sessionibus, processionibus, et aliis actibus, et functionibus ecclesiasticis supra ipsum Archipresbyterum, sive Oeconomum, et alios Presbyteros praed. Vicario Foraneo antiquiores, et digniores, vel stare, sedere, et incedere in loco suae receptionis, ac dignitatis, ac si non esset Vicarius, tam cum cotta, quam sine illa, non obstante quacumque ordinatione Episcopi in contrarium? Et S. R. C. respondit: « Negative. » Et ita declaravit die 10. Iul. 1677.

2833. S. MINIATI.

S. R. C., ad instantiam Cleri, et Canonicorum Collegiatae Ecclesiae S. Mariae in Monte Dioecesis S. Miniati, inhaerendo aliis declarationibus, et signanter in una Mantuana sub die 3. Aprilis prox. praet., iterum declaravit: « Quod Canonicus Binus eiusdem Collegiatae, ac Protonotarius Apostolicus titularis de numero non participantium, non lucratur fructus, et distributiones quotidianas, nisi proprio canonicali habitu intersit choro, processionibus, et aliis functionibus ecclesiasticis: si vero voluerit uti habitu Protonotarii, debet sedere post Canonicos. » Et ita decrevit, et in praed. Ecclesia servari mandavit. Die 10. Iulii 1677.

2834. S. MINIATI.

Idem decernitur in altera S. Miniati relate ad Presbyterum Ecclesiae S. Ioannis Baptistae de Focicchio Dioecesis S. Miniati.

2835. NICIEN.

Pro parte Episcopi Nicien. supplicatum fuit apud S. R. C. pro declaratione: An Vicarius generalis Episcopi in choro, in Ecclesia, et ubique praecedere debeat omnibus Canonicis, et Dignitatibus etiam primae post Pontificalem, sive Praepositus, Archidiaconus, sive quomodolibet vocetur, ac etiam in honore exhibendo, in thurificationibus, ac Cinerum, Candelarum, et Palmarum distributionibus, quacumque consuetudine in contrarium, si adsit, non obstante. Et eadem S. C., inhaerendo aliis Decretis in similibus emanatis, respondit: « In omnibus affirmative. » Et ita declaravit. Die 2. Oct. 1677.

2836. AMALPHITANA.

Pro parte Ascanii Landi Parochi S. Petri Apostoli de Oppido Carariae Amalphantanae Dioecesis,

GARDELLINI. DECR. S. RIT. C. TOM. I.

supplicatum fuit pro declaratione infrascriptorum Dubiorum.

1. An possit praeccludi aditus Parocho processionaliter cum Cruce, stola, et superpelliceo ingrediendi Ecclesias Regularium, quando cadavera in eorum Ecclesiis sepeliuntur, comitando tantummodo defunctum?

2. An Regulares habentes claustra in eorum conventibus possint facere Processiones extra portas suarum Ecclesiarum?

3. An Regulares in eorum Processionibus possint admittere foeminas sine expressa licentia Sedis Apostolicae, cum in iisdem claustris non celebrentur Missae, nec alia divina officia peragantur, nec mortui sepeliantur?

Et eadem S. C., inhaerendo Decretis alias in similibus resolutis, respondit: Ad 1. « Non licere Parocho, et posse impediri, nisi adsit contraria consuetudo immemorabilis formiter, et legitime probanda. »

Ad 2. « Regularibus non licere, nisi de licentia Parochi, vel Ordinarii. »

Ad 3. « Negative. » Et ita declaravit. Hac die 20. Nov. 1677.

2837. AQUIPENDIEN.

Exponente in S. R. C. Rmo Episcopo Aquipendien., quod Capitulum suae Cathedralis, et praecipue Archidiaconus praetendit, Vicarium generalem, qui non est de corpore Capituli, non posse habere locum in stallis Canonicorum, qui locus deberet esse illemet Archidiaconi, ob angustiam Presbyterii, et attento etiam, quod Canonici praedicti sunt num. 18. et stalla 14. supplicante propterea pro assignatione praedicti loci. Et eadem S. R. C. in casu proposito respondit: « Sedeat Vicarius in primo stallo Canonicali, nempe Archidiaconi. » Et ita decrevit. Die 29. Nov. 1677.

2838. AQUIPENDIEN.

Supplicantibus Capitulo, et Canonicis Cathedralis Aquipendien. apud S. R. C. pro observatione Decreti alias sub die 30. Aug. 1664. emanati ad instantiam illius Episcopi praedecessoris, ubi resolutum fuit, quod Regulares Ordinis S. Augustini, et Minorum Conventualium praedictae Civitatis in processionibus deberent incedere cum caputio, et sine pileo, et id non obstante quacumque repugnantia, et oppositione moderni Episcopi Regularis Ordinis Minorum Conventualium. Et eadem S. C. respondit: « Servetur ultimus status. » Et ita decrevit. Hac die 20. Nov. 1677.

2839. BAREN.

Emi e Rmi Signori: L' Arcivescovo di Bari espone umilmente all'EE. VV., come facendo re-

sidenza al presente in quella città il Duca di Parate Preside della Provincia di Bari, ha preteso, e pretende di arrogarsi le sottoscritte prerogative, e preminenze in quella sua Chiesa Arcivescovile, e quel che è peggio, dentro il coro, e presbiterio, sotto pretesto, che le gode nella Chiesa Arcivescovile di Trani, ove da tempo antico dimora la regia Audienza, e Preside Provinciale. Anzi cerca attentare de facto le medesime prerogative nella real Collegiata Chiesa di S. Nicolò di detta Città di Bari, che è esente dalla giurisdizione dell'Oratore, ed anco in quelle de' Regolari. E perchè dall'Oratore, e dal Capitolo della suddetta Cattedrale non se l'è permessa tal'innovazione, e quello persiste nella sua opinione, onde si teme di qualche scandaloso attentato; supplica umilmente le EE. VV. a dichiarare, se tali prerogative competono al Preside della Provincia, ed altri Officiali Regii di qualsivoglia titolo, grado, e condizione, che saranno per risiedere in detta Città di Bari. Ed in caso di negativa, degnarsi di dare gli ordini necessari anche per la detta Real Chiesa Collegiata di S. Nicolò, e per l'altre dei Regolari della medesima Città non soggette all'Ordinario. Che il tutto etc.

1. Pretende il Preside aver nel Presbiterio di quella Chiesa Arcivescovile la sedia, cuscino, e genuflessorio contro la disposizione del Ceremoniale lib. 1. cap. 13. vers. *Sedes autem*, e contro li Decreti di questa Sacra Congregazione riferiti dal Pignatelli Consul. 2. et 64. Tom. 3.

2. Che gli si dia la pace dal Subdiacono, mentre si celebra solennemente nella detta Cattedrale contro li Decreti di questa Sacra Congregazione, particolarmente li 15. Luglio 1614. *Subdiaconus in Missa nullo modo ferat pacem laicis, etiamsi sint Principes*.

3. Che si debba incensare, post Archiepiscopum, ante Dignitates, et Canonicos, ancorchè parati.

4. Che debba egli essere incensato con altro turibolo, e non con quello, con cui s'incensa il Coro, contro li Decreti della medesima li 21. Iul. 1618. *Thurificatio iuxta formam Caeremonialis cum unico tantum thuribulo facienda*, et 15. Mart. 1616. *duorum thuribulorum (supplendum usum) non probavit*.

5. E per ultimo si lascia intendere voler la sede in detta Chiesa, e Presbiterio con gradini di sotto, la pace dell'Evangelio, la confessione nella Messa, e li circoli nella *Gloria*, nel *Credo*, ed *Agnus Dei*; cose tutte contrarie alla disposizione del Ceremoniale, e contro il rescritto, e lettere di questa Sacra Congregazione in una Ba-

ren. 20. Aprile 1620.; di cui si dà copia, e di un'altra.

E benchè tutto se le sia rappresentato per capitarlo, nondimeno asserisce esser lettere, e decreti antichi, non parlar di sua persona, e che godendo dette prerogative nella Chiesa Arcivescovile di Trani, deve anche goderle in quella di Bari, e molto più nella suddetta Real Collegiata; onde l'Oratore supplica di risoluzione, e di ordini anche rispetto alla suddetta Chiesa Real Collegiata di S. Nicolò, ed in quelle de'Regolari.

Et S. R. C. ad praedicta respondit: « Non licere, ideoque mandavit scribi Archiepiscopo Baren. qui non permittat. » Hac die 20. Nov. 1677.

2840. CIVITATIS POTENTIAE.

S. R. C., inhaerendo aliis Decretis in similibus emanatis, declaravit: « Parochiis, et Clero Ecclesiastico saeculari civitatis Potentiae in associatione, sive occasione associationis cadaverum, non licere ingredi Ecclesias Regularium, in quibus dicta cadavera erunt sepelienda, sed teneri dimittere eadem ad ianuam Ecclesiarum, ibique solum benedicere, et dare ultimum vale, et postquam ad Ecclesias Regularium dicta cadavera pervenerint, functiones funeralium peragenda super cadaveribus defunctorum, ad ipsos Regulares, et non ad Parochos pertinere, nisi adsit contraria consuetudo immemorabilis legitime probanda. Et ita ad instantiam Fratrum Min. Convent. et Reformatorum Observantiae praedictae civitatis decrevit, et servari mandavit. » Hac die 20. Nov. 1677.

2841. HIERACEN.

S. R. C. declaravit: « Quod Archipresbyter quarta Dignitas Cathedralis Hieracen., ac simul Vicarius generalis, quando vult intervenire tamquam capitularis, et dare votum in capitulo, debet sedere, et dare votum in suo quarto loco. » Et ita ad instantiam Abbatis Apollinaris Pasqualini Decani, et primae Dignitatis praedictae Cathedralis decrevit, et in posterum servari mandavit. Hac die 20. Nov. 1677.

2842. HIERACEN.

Apollinari Pasqualini (instanti) pro declaratione, an spectet ad ipsum dicere penultimam lectionem, et prophetiam, absente Episcopo, quando dicitur Matutinum in choro, et pro declaratione, quaenam sint functiones spectantes ad primam Dignitatem?

S. R. C. respondit: « Servandum esse consuetudinem Ecclesiae. » Die 20. Nov. 1677.

2843. MAIORICEN.

Ad instantiam Capituli, et Canonicorum Cathedralis Maioricen. supplicatum fuit apud S. R. C. declarari; an Dignitas, et simul Canonicus prae-

dictae Cathedralis debeat esse primus in turno, vel canere Missam, seu Evangelium in loco suae antianitatis ratione Canonicatus?

Et S. C. in casibus suppositis respondit: «In loco sui Canonicatus; et etiam in celebratione capituli, in quo, dum ipse intervenit uti Canonicus, sedere debet in loco suae receptionis.» Et ita declaravit, et servari mandavit. Hac die 20. Nov. 1677.

2844. MEXICANA.

Pro parte Ludovici de Leon Presbyteri Cappellani, et Coripheri Metropolitanæ Ecclesie Mexicanae in Indiis supplicatum fuit apud S. R. C. pro declaratione infrascriptorum dubiorum.

1. Supposito Decreto S. R. C. in principio Breviarii posito circa Reliquias insignes §. 2. per haec verba: «Item vetuit, et prohibuit celebrari per totam civitatem, vel Dioecesim, etiam de cuiuscumque Ordinarii auctoritate, festum cum Officio, eo quod in loco adsit Ecclesia Parochialis, vel Regularis, vel Abbatialis, vel aliqua Reliquia, sed tantum in ipsius Sancti Ecclesia titulari, seu ubi asservatur Corpus, aut insignis Reliquia, et non alibi» unde dubitatur; an haec prohibitio comprehendat Clericos tam Saeculares, quam Regulares ipsius civitatis, et Dioecesis ita ut non possint recitare, et celebrare de Reliquia insigni in Cathedrali matrice asservata, Clerici in ipsa Civitate degentes, praeter choro addictos, et ministros ipsius Ecclesiae?

2. An Clerici, qui non sunt choro addicti, sed tamen in aliquo ministerio deserviunt tali Ecclesiae Cathedrali, possint celebrare, et recitare de tali Reliquia?

3. An consuetudo in his huic Decreto contraria possit abrogare Decretum?

4. An privilegium Ecclesiae Cathedrali concessum recitandi Officium de SSmo Sacramento feria V. non impedita cuiuscumque hebdomadae, comprehendat solos Clericos choro addictos, et Ecclesiae ipsius ministros, vel extendi possit ad alios Clericos in civitate degentes, et etiam Dioecesis?

5. An Decretum de non transferendo festum Sanctorum ad libitum impedito Dominica, vel alio Sanctorum mobilium, comprehendat etiam Officia ad libitum impedita die festo perpetuo alicuius Sancti, ita ut de illo recitari amplius non oporteat, ut contingit in festo S. Andraee Corsini occurrenti in die octavae S. Iuliani 4. Februarii: quid in similibus observandum?

Et eadem S. C. respondit ad supradicta dubia, ut infra, videlicet: Ad 1. «In Ecclesia tantum,

ubi asservatur Reliquia insignis, et prohibitio comprehendit Clericos tam saeculares, quam regulares civitatis, et Dioecesis.»

Ad 2. «Affirmative.»

Ad 3. «Negative.»

Ad 4. «Solos Clericos choro addictos, et ministros illius Ecclesiae.»

Ad 5. «Affirmative.» Et ita declaravit. Hac die 20. Novemb. 1677.

2845. NEAPOLITANA.

Ad dubia resolvenda proposita per Hebdomadarios Cathedralis Neapolis, nempe, si Canonici assurgere debeant, quando Antiphonae per gyrum ab uno ex Hebdomadariis intonantur? Et quatenus non teneantur; an tecto, vel detecto capite in actu, quo Antiphona per hebdomadarium intonatur stare teneantur? Et an alii Presbyteri, qui dicuntur in quaranta, sicuti Clerici Seminarii, qui sunt ordinis inferioris in casu praedicto surgere debeant?

S. R. C. respondit: «Surgere debent Canonici, quando ab ipsis cantatur Antiphona, et eodem modo Beneficiati, quando ab ipsis cantatur.» Hac die 20. Novemb. 1677.

2846. NOVARIEN.

Cum alias ad instantiam Patrum Barnabitarum S. Marci Civitatis Novaræ S. R. C. declaraverit Officium super cadaveribus in Ecclesiis Regularium fieri debere ab ipsis Regularibus, non autem a Parochis defunctorum, non obstante contraria consuetudine: nunc vero iidem Patres, ad tollenda dubia, et controversias, quae ex resolutione in dies insurgunt, iterum supplicarunt pro declaratione infrascriptorum Dubiorum.

1. Utrum renuentibus Parochis, cadavera ad Ecclesias Regularium associare, possint Regulares ipsi cadavera de domo levare, et ad Ecclesiam ducere, et sepelire absque Parochi praesentia, nec possint a Parochis impedi?

2. An Parochi, postquam cadavera associarunt usque ad ianuas Ecclesiae Regularium, teneantur ab ea recedere, vel saltem stolam dimittere, et manere in loco distante ab officiatura, nec in ea se ingerere?

3. An Parochi, dum pervenerint ad fores Ecclesiae Regularium in associatione cadaveris, teneantur deponere Crucem in ipsa ianua, vel saltem eam collocare in loco distante ab officiatura?

Et eadem S. C. respondit ad supradicta dubia, ut infra, videlicet: Ad 1. «Affirmative, posse vocatis Parochis, et ipsis renuentibus intervenire, vel alterum mittere, ut resolutum fuit in Senogallien. die 22. Jun. 1675.»

Ad 2. « Teneri ab ea recedere, nisi adsit contraria consuetudo immemorabilis legitime probanda, vel saltem admitti posse, dimissa stola.»

Ad 3. « Sub unica Cruce sunt deferenda cadavera, et debet esse illius Ecclesiae, ad quam corpus defertur. » Et ita declaravit, et servari mandavit. Hac die 20. Novemb. 1677.

2847. TAURINEN.

Supplicante in S. R. C. Ioanne Baptista de Marchis Parocho Ecclesiae Cathedralis Taurinen. pro declaratione. Cum ex Rubricis Missalis, et Decretis S. C. prohibitum sit cantare Missam sive votivam *De requiem*, nisi praesente cadavere, vel ex gravi causa in festis duplicibus, infra octavam Epiphaniae, Paschatis, Pentecostes, Corporis Christi, ac in tota hebdomada maiori, feria quarta Cinerum, vigilia Pentecostes, et Nativitatis Domini. Quaeritur: an Anniversarium Regis, vel Principis supremi reputandum sit causa gravis, adeo ut si in aliquo ex supradictis diebus occurrat eiusdem Regis, et Principis supremi Anniversarium cantari possit *Missam De requiem*?

Et eadem S. C. respondit: « Negative; » nempe, « Non posse cantari; » Et ita declaravit. Hac die 20. Novemb. 1677.

2848. TERULEN.

In Regno Aragonum consuetum est, ut Episcopi, iuxta antiquitatem eorum erectionis Episcopatum in comitiis praecminentiam habeant.

Ita reperitur in Regestis Decretorum existen. in Secreteria Congreg. Sacror. Rit. in Fidem etc.

Loco ✠ Sigilli.



IULIUS DE CARPINEO
S. R. C. Secretarius.

FINIS VOL. PRIMI.

REIMPRIMATUR — Fr. Th. M. Larco O. P. S. P. A. M. Socius.
REIMPRIMATUR — Fr. A. Ligti Bussi Archiep. Iconien. Vicesgerens.